ALEXII SYMMACHI MAZOCHII
Neapolit. Eccleſiae Canonici, Regii Sacrae Scripturae Interpretis

COMMENTARIORVM
IN REGII HERCVLANENSIS MVSEI


AENEAS TABVLAS HERACLEENSES

PARS I.

Qua prior Graeca inſcriptio, agri Dionyſo ſacri dimenſionem, partitionem, limites, locationes complectens, cum Britannico fragmento ferruminata, perpetuis adnotationibus illuſtratur.

Praemiſſis ad Tabularum intelligentiam Diatribis opportuniſſimis tribus

Partis hujus conſpectum pagina hinc IX. dabit.



NEAPOLI CIↃIↃCCLIV.
Ex Officina BENEDICTI GESSARI.
AVCTORITATE PVBLICA.
APUD JOANNEM GRAVIER.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROLO

HISPANIARVM · INFANTI

PHILIPPI · V· HISPAN· REGIS · CATHOLICI · FILIO

LVDOVICI · SERENISS· DELPHINI · NEPOTI

LVDOVICI : MAGNI · GALLIARVM : REGIS

PRONEPOTI

VTRIVSQVE · SICILIAE

ET · HIEROSOLYMORVM · REGI

PIO · FELICI · AVGVSTO

MAGNIS · REBVS · DOMI · MILITIAEQVE : GESTIS

CLARISSIMO

PRAETER · HAEC · SCIENTIARVM

ET · PACIS · ARTIVM

AVT · CONDITORI · PRIMO

AVT · RESTITVTORI

ERVTARVM · VERO · ET · EXORNATARVM

OMNE · GENVS · ANTIQVITATVM

GRATIA

IMMORTALI · MEMORIAE · COMMENDATO

CA-

Digitized by Google

CAROLVS · GVEVARA

EQVES · HIEROSOLYMITANVS

E · DVCIBVS · BOVINENSIVM

IPSIVS · APVD · REGEM · LVSITANORVM

ORATOR

DEVOTVS · NVMINI · MAIESTATIQVE · EIVS

AENEAS · TABVLAS · HERACLEENSES

CVM · COMITE · COMMENTARIO

DOMINO · SVO · INDVLGENTISSIMO

ET · BENEMERENTISSIMO

D D

AD DO-

Digitized by Google

DOMINE



VM nullus eſt terrarum imperii tui angulus, quin TIBI, REX Sapientiſſime, ex imis viſceribus immenſas opes effundat ejuſmodi, quibus apud nos antea prope deſpectis, nunc primum per TE pretium ingens ſtatutum cernitur; tum vero ad ejus gloriae palmam praeripiendam urbes praeceteris decertare mihi videntur duae, ambae antiquiſſimae ac nobiliſſimae, ambae ab Hercule nomen adeptae, & ejus antiquitus cultui deditiſſimae: nempe proximum hoc HERCVLANEVM, Tuo, REX, Praetorio atque Muſeo celeberrimum, nec non illa ſinui Tarentino imminens, olim clariſſimi nominis, HERACLEA. Ac nunc quidem ineptiſſimus fuerim, ſi id agam, ut Herculanenſium antiquitatum gazas, quaſi ſi cuiquam mortalium eſſe inauditae poſſint, explicare & decantare inceptem. At ne Heraclienſis quidem reſpublica, quamquam a Regiae tuae ſplendore longo provinciarum tractu disjuncta, in depromendis Tibi theſauris cuiquam terrarum conceſſit. Quod ut omnes intelligant, eſt nunc in tranſitu danda opera. Atque id dum ago, non ita vecors fuerim, ut quidquam de laudibus Herculanei in hoc genere deteram; verum hoc certe enitar efficere, Heracleam principem exſtitiſſe, quae ceteris ad obſequendum pulchrae huic cupiditati tuae vexillum efferret; eamdemque ducem in intimis opibus proferendis Herculaneum poſtmodo ſubſecutum fuiſſe.

Quid

Digitized by Google

Quid enim aeque glorioſum atque magnificum de Heraclienſi municipio praedicari poteſt, quam quod, cum non dum de ſubterraneis oppidi cujuſquam rimandis extis cuipiam homini cura ſubiiſſet; Heraclea interim, tametſi ſuiſmet ruderibus conſepulta, ſtatim ac TE huc transducturum copias ac ſigna victricia, praeſenſiſſet, ſeſe minime continere quiverit, quin, quaſi alvo ex inopinatae laetitiae ſenſu ſubſiliente, ſponte ſua ac nullo obſtetricante mortalium, egregias laminas ingentes duas, ſic quaſi fetus gemellos, enixa fuerit, tuo mox exornando Cimeliarchio deſtinatas? Heraclea ergo, ſi verum fateri volumus, in parturiendo princeps, imo & voluntaria genitrix exſtitit: Herculaneum autem etſi longe plura eaque magnifica de ſinu fudit; atqui non ſponte ſua fudit illa, quae dixi; verum non niſi actis quaqua verſum cuniculis, operoſiſque vexatum ſuffoſſionibus, & undique pertentatum, ita illa demum tamquam vi extorta dedit.

Atque hi quidem Heraclienſes gemelli (ſic enim has Tabulas vocare tantiſper liceat) poſteaquam non tamquam ſervi venalicii domino, ſed tamquam ingenui juvenes mihi veluti cuſtodi nutricioque forte fortuna in manus inciderunt; ſenſi illico dignitatem ingentem Tabularum. Nec mihi ſive ad deliberandum ſpatio, ſive ad ſuadendum fido monitore opus fuit, quo eas ſine mora inferrem in Muſeum Herculanenſe tuum: quod licet nunc primum a TE ipſo paucis his annis inceptum, eo uſque copiae atque divitiarum proceſſit, ut (abſit verbo jactantia) nihil in orbe locupletius, nihil inſtructius rariuſque nunc inveniri, uno ore viri eruditi praedicent. Simul igitur, ac æra duo comparaveram; in Muſeo orbis terrarum (nec enim quo alio id nomine appellem, reperio) ea collocare, veluti in ſibi honorifica

Digitized by Google

rifica ſtatione, geſtiebam ; quippe quae in eum maxime finem conquiſiveram. Verum id me tantiſper retardavit, quod cum non eſſent muta cimelia, ſed litterata, & quidem longe difficillimae interpretationis ; nolui committere ut hi fidei meae permiſſi fratres, ſi quidem ſic, uti conſueverunt, ſermonem abſonum uſurpantes, TIBI REX Maxime, ſiſterentur, nullo ſequeſtro, interprete nullo freti, praeſertim, uti fit, cachinnum tollentibus circumſtantibus, ingenuo quodam rubore ſuffunderentur. Hunc, fateor, pudorem ab hiſce germanis amoliri cura fuit.

Itaque annus eſt fere ſextus, ex quo cum amiciſſimo Mazochio, eodemque gloriae tuae cupidiſſimo coepi agere impenſiſſime, ut earum interpretationis laborem in ſe ſuſciperet. Atque ille quidem prolixam ſupra quam credi poſſit, voluntatem praeſeferre: verum cauſari operis difficultatem, vires cauſari fractas, cauſari aſſiduos, quibuſcum conflictaretur, languores, in primis autem antecapta quaedam laborioſiſſima penſa, pro quibus publice mancipaverat fidem ſuam : ceterum abſque hae cauſae eſſent, nihil ſibi futurum optatius occaſione hac tum rei mihi gratae faciundae, tum, in quo rei caput eſſet, Regis Dominique ſui gratiae demerendae. Verum cum, quo magis ille recuſaret, hoc magis accenderet ; ad ultimum expugnatus aſſiduitate mea, dedit ac vero lubens manus.

Tamen cum interim alii aliunde labores, quos avertere nequiviſſet, invitum hominem a promiſſis avocaſſent ; vix tandem ante biennium manum operi admovit, atque inter operas typographicas Priorem hanc Partem, quae nunc Majeſtati Tuae ſiſtitur, ex prelo protulit, mox daturus Volumen alterum, maxima ex parte affectum, quo totus Commentarius abſolvitur.

Digitized by Google

Atque ego heic ſatis ſcio, ſollemne hoc eſſe ceteris, ut in laudes Principum effundantur, quibus opera nuncupant. Ac laudo factum. Verum cum a TE pie, ſapienter, magnificeque geſta, virtuteſque tuae quantamlibet dicendi facultatem excedant, contra vero is ego ſim, qui tantis inceptis haud dubie ſuccumberem; cumque innumerabiles ſtrenui laudatores alii Spartam hanc non ſine plauſu adornarint, nec defuturi porro ſint qui haec olim ipſa conabuntur; ultro equidem trado aliis lampadem. Ac ne per tua quidem in me ſingularia benefacta nunc oratio ſpatiabitur; nam & haec nihilo quam illa minus, ſunt infantia mea ſuperiora. Niſi quod in hoc genere unum valeo tantummodo uſurpare, quod qualis aut quantus ego cumque ſum, totus munificentia & benignitate tua ſum.

Illud unum TE nunc, REX Clementiſſime, rogo, ut hoc qualecumque opus, Tabulaſque aeneas ipſas, quae mox in Muſeum Herculanenſe tuum laetae advolabunt, aequi bonique ducas, foveaſque. Vtinam vero haec eadem praeſens ipſe ad pedes procumbens tuos agere potuiſſem. Nunc quoniam ab oris tui ſerenitate (quae tamen ipſa aſſidue mihi ob oculos obverſatur) eheu longiſſimis marium terrarumque ſpatiis excludor; quidvis animo aequiſſimo patiar, modo fidem TIBI meam, & eximiam obſequendi atque obtemperandi voluntatem probem.

MAIESTATI TVAE

Devotiſſimus
Carolus Guevara.

Digitized by Google

INDEX

Capitum & Sectionum, nec non Adnotationum diffusiorum.

PROLOGVS. Quo repertarum tabularum historia continetur: de fragmento Anglicano, cum unâ ex his tabulis coalescente, agitur; & qua industria excepta ex his tabulis exemplaria quam simillima fuerint: series totius Commentarii exponitur.

I. Erutarum tabularum notitia. *pagina* 1.

II. De fragmento Britannico: cujus ope tabellae prioris Heracleoticae utraque pagina restituitur. *p.* 3.

III. De frusti Anglicani fato, & ejus variis editionibus. *p.* 4.

IV. De duarum Tabularum Neapol. benigniore fortuna. *p.* 5.

V. In tabulis describendis plusquam anxia diligentia. *Ibid.*

VI. In exemplis ita conficiendis, ut ea quam simillima, ac plane ἀυτότατα archetypis viderentur, ingeniosum excogitatum. *p.* 6.

VII. Quo ea tanta in exprimendis exemplis accuratio valeat. *p.* 7.

VIII. Series Scriptionis hujus. *p.* 8.

DIATRIBA I. De Magnae Graeciae finibus, & appellationis hujus causis.

CAPUT I. Quando primum Graeciae Magnae nomen audiri coeperit; & quamdiu perduraverit. *p.* 9.

CAP. II. De Graeciae Magnae finibus. *p.* 13.

Adnot. 13. Athenaei locus leviter corrigitur exponiturque. *p.* 14. *Confer tamen dicta ad p.* 59. *col.* 2.

Adnot. 14. Obscurus Polybii locus suae luci restituitur. *Ib.*

CAP. III. An unquam Sicilia Magnae Graeciae ambitu contenta fuerit. *p.* 17.

CAP. IV. Cur Graecia Italica aliquando Magnae, postmodum Majoris sibi cognomentum adsciverit.

SECT. I. Cur eam ab initio Magnam cognominari placuerit. *p.* 18.

SECT. II. Cur eadem Magna Graecia posterioribus Romanorum temporibus MAJOR vocari coeperit. *p.* 20.

SECT. III. Adversus novum in hac re Parisinorum Academicorum excogitatum. *p.* 23.

CAP. V. Catalogus Italicarum Graeci nominis urbium. *Ib.*

Adnot. 30. De eo quod Orientis populi omnium primi fuerint Italiae urbium conditores, documenta aliquot. *p.* 25.

SECT. I. De primitivis Graeciae Italicae incolis; ac rursus de strictioribus Magnae Graeciae finibus. *p.* 26.

Adnot. 31. Cur Magna Graecia antiquitus FRONS ITALIAE dicta fuerit. *p.* 27.

SECT. II. De Graecia Magna regionatim divisa. *p.* 28.

SECT. III. Catalogus Magnae Graeciae strictim acceptae locorum. *p.* 29.

SECT. IV. Catalogus Graecorum Hadriatici maris locorum. *p.* 35.

Adnot. 58. Strabonis locus non intellectus exponitur. Qui sint Ιταλιῶται & urbes Ιταλιώτιδες, & Ιταλιώτιδες γλῶτται. *p.* 36.

Adnot. 59. Lux Strabonis pluribus locis affunditur. Εμπορεῖον proprie maritimorum institorum stationem, fuisse. Ea notio Amaseno geographo potissimum asseritur. *Ib.*

SECT. V. Catalogus locorum Graecorum ab Rhegio ad Posidoniam in ora Lucaniae. *p.* 40.

SECT. VI. De minore Graecia, quae in Campaniae ora superfuit. *p.* 44.

SECT. VII. Dictorum per summa capita repetitio. *p.* 45.

CAP. VI. De antiquo Magnae Graeciae splendore. *p.* 46.

SECT. I. De eo quod Graeciae Magnae nomen non nisi a schola Pythagorica profectum fuerit, Παραλειπόμενα. *p.* 47.

SECT. II. Elegantissimus de Magnae Graeciae dignitate Synesii locus: deque legibus Xviralibus, non tantum Athenis, sed ex Italica Graecia petitis. *p.* 48.

CAP. VII. De rerumpublicarum Italiotidum varia fortuna & occasu. *p.* 50.

Adnot. 92. De Tarentinorum, Crotoniatarum, Locrensium, Thurinorum libertatis amissae temporibus. *p.* 51.

Adnot. 96. Tres diversae putandarum γενεῶν rationes a Dionysio Halic. usurpatae: quarum tertia annos XXXIII. cum triente continet. *p.* 52.

CAP. VIII. De Scholarum Pythagoricarum in Italia occasu, & renovatione.

I. De Occasu. *p.* 53.

Adnot. 100. Mendosus ac difficilis Laërtii locus tentatur. *p.* 54.

Adnot. 102. De Pythagoricarum Scholarum successione in Magna Graecia. *Ib. col.* 2.

II. De Pythagorici dogmatis instauratione. *p.* 55.

Adnot. 104. Salebrosus Clementis Alexandrini de Magna Graecia locus expeditur. *Ib.*

CAP. IX. Reliqua de Italica Philosophia, deque Magna Graecia.

I. Cur Pythagoraeorum secta vocata *Italica* fuerit. *p.* 56.

Adnot. 105. ΠΑΡΕΚΒΑΣΙΣ PRIMA. De angustis primitivae Italiae finibus. Sect. I. Quousque antiquis temporibus patuerit Italiae nomen. Sect. II. Vtrum etiam Pythagorae aevo ea vocabuli notio in usu fuerit, & quousque obtinuerit. *p.* 56. Sect. III. Aetate Pythagorae Italia Magnae Graeciae fines non excessit. Sect. IV. Dictorum consectaria. I. Cur Secta Pythagoreorum *Italica* audierit. II. Quaenam Ovidii,

Digitized by Google

Juſtini, &c. erroris origo fuerit : apud quos Magna Graecia tam late, quam & hodierna Italia, patuit. Similis error Stephani notatur. *p.* 59.
II. De Μεγίστη, ſive Maxima Graecia. *p.* 60.
Adnot. 106. ΠΑΡΕΚΒΑΣΙΣ ALTERA. De eo cur Magna Graecia Chryſoſtomo Μεγίστη Ελλάς vocata fuerit. Par Petrarchae locus. *Ib.*
III. De Graeci ſermonis in vetere Magna Graecia diuturnitate. *p.* 61.
Adnot. 107. ΠΑΡΕΚΒΑΣΙΣ TERTIA. De Graeci Eloquii in Magna Graecia diuturnitate. Sect. I. Quid ultimis Romanis temporibus Graecitati Italicae acciderit. Sect. II. Diſcrimina inter Neapolim, Magnamque Graeciam : ex quibus efficitur, in hac regione Graeciſmum numquam in totum fuiſſe intermortuum. *p.* 62. Sect. III. Cur non in urbibus, ſed in locis humilibus Graecorum genus adhuc ſpiritum ducat. *p.* 63.
DIATRIBA II. De Heraclea Italica deque Siri : adhaec de Tarento, Metaponto & Pandoſia.
Cap. I. De Heracleae Coloniae origine, ac deductae tempore. De ejus quadruplici populo. Loca Diodori ac Strabonis, quae perperam vulgo translata atque intellecta, errorum plurium attulere cauſam, expediuntur. *p.* 64.
Cap. II. De Siris oppidi vetuſtiſſimi originibus.
Sect. I. De Siris urbis originibus primis, nominibuſque diverſis Lycophronis loca duo afferuntur, & illuſtrantur. *p.* 67.
Sect. II. Quatuor urbis hujus vices, partim jam intellectae, partim alibi mox explicandae, uno ſub aſpectu ponuntur. *p.* 71.
Cap. III. De diverſis diverſo tempore tum Siris urbis, tum circumjectae regionis nominibus.
Sect. I. DE CHONE deque SIRI & LEVTARNIA. *p.* 72.
Sect. II. DE POLIIO ac de SIGEO. *p.* 73.
Sect. III. De TARANTIS & HERACLII nominibus communi Tarentinorum, & Thuriotum coloniae inditis.
I. De Tarentinis Thuriiſque Sirim communiter incolentibus ejuſque coloniae tempore. *p.* 74.
Adnot. 11. Quae cauſa Thuriis fuerit, cur de acquirenda Siri laboraverint. *p.* 75.
II. De TARANTE : cujus nominis teſtis Auctor Admirandorum profertur ; qui locus multo, quam ante fuerat, illuſtrior redditur. *p.* 77.
III. De HERACLII nomine. *p.* 78.
Sect. IV. De SIRITIDE & CHONIA duobus ejus regionis vocabulis : de CHONE obiter. *p.* 79.
Sect. V. De τῆς Chones deque Choniae veriloquio : ubi & remotiſſimae regionis hujus origines per occaſionem panduntur.
I. Veriloquium primum a CHONE Herculis Aegyptii nomine. *p.* 81.
II. Veriloquium alterum a Chiun ſive Chon, Phoenicio Saturni vocabulo : ex occaſione vero de Oenotrorum ſeu Chonum coloniis ex Oenotria h. e. vetere Italia profectis in Latium, agitur. *p.* 82.
Sect. VI. Qua proxime expoſitorum quaedam conſectaria proferuntur.
I. In quamnam Italiam primitus Oenotri appulerint. *p.* 84.
II. In quanam Italia aureum Saturni regnum viguerit. *p.* 85.
III. De eo utrum Chones & Oenotri Graecae originis fuerint, an vero αὐτόχθονες ſive Aborigines. *p.* 86.
IV. De Aboriginibus primis Latii colonis. *p.* 87.
Adnot. 34. Oenotros ex primitiva Italia in Latium profectos, non tantum Saturni cultum, ſed & plura regionis nomina a Saturno derivata illuc intuliſſe. *p.* 88.
Cap. IV. De TARENTO ejuſque variis diverſo tempore vicibus.
Sect. I. De Tarento Antiochi Syracuſani, Ephori, Pompeii Trogi, Pauſaniae, aliorumque narrationes producuntur. *p.* 89.
Sect. II. De primo Tarenti exordio ſub Noachica aut heroica tempora. *p.* 91.
Sect. III. De Cretenſium colonia Tarentum deducta. *p.* 93.
Sect. IV. De Partheniarum Tarentina colonia. *p.* 96.
Adnot. 51. De eo quod Tarentini uſque ad Partheniarum adventum barbari fuerint, utpote partim indigenae, partim Eteocretes. Quod Eteocretes non ſint aliud, quam Veri Cretenſes h. e. primi Cretae habitatores barbari. Quando & qua occaſione id nomen inceperit, ex collatis inter ſe Strabone & Herodoto (quibus lux affunditur) opportune aperitur. Homeri locus cum Herodoto comparatur. *Ib.*
Sect. V. De duabus ultimis Tarentinae urbis converſionibus, per quas primum Romana Colonia, deinde Municipium evaſit. *p.* 98.
Cap. V. De METAPONTO ejuſque origine & etymologia variaque fortuna. *p.* 99.
Cap. VI. De PANDOSIA duplice.
Sect. I. De Lucanorum Pandoſia. *p.* 101.
Sect. II. De Heracleenſi Pandoſia. *p.* 103.
Cap. VII. Vrbis HERACLEAE παρακλειτόμενα. *p.* 105.
Sect. I. De Magnae Graeciae conciliis Heracleae primum celebrari ſolitis, deinde in Thuriorum fines translatis.
I. Strabonis locus eo pertinens explicatur. *p.* 105.
II. De Heraclienſi Graeciae Magnae concilio. *p.* 106.
III. Heraclea quandonam ſui juris evaſerit. *p.* 107.
IV. De Acalandri ſitu & Thuriorum finibus. Doctorum in ea re hallucinationes. *Ib.*
V. De Sybaritarum, qui poſtea Thurii fuerunt, ingenti potentia, regionis vero amplitudine tanta, ut non ſolum ad Acalandrum, ſed & ad Japygiam uſque fines protulerint. *p.* 108.
Sect. II. Reliqua ad Heracleam pertinentia in unum collecta faſciculum.
I. Heracleae ſitus ſpecialis oſtenditur. De Polychoro & Meſochoro. *p.* 110.
II. De vero ἀυτεξουσιότητος Heracleae tempore. Ad id nummi referuntur. Quo pacto Heracleae hujus numiſmata a cognominum urbium nummis

Digitized by Google

nummis distingui possint. Romanorum urbem foederatam, Romanumque municipium Heracleam fuisse. *p.* 112.

Adnot. 82. De Heracleae Tarentini sinûs numismatibus. §. I. Stephani locus corrigitur. Heracleae Tarentinae gentilia nomina. *p.* 112. §. II. Nummorum Heracleae Magnae Graeciae descriptio. *Ib.*

Adnot. 84. SCHEDIASMA de jure Municipiorum universe: item de statu Heraclienſis populi ante & post bellum Italicum. I. Quo intellectu Heraclea foederata fuerit, & quidem aequissimo jure. II. An Heraclea municipium Romanum fuerit: & utrum cum suffragio an sine: itemque utrum cum αὐτονομίᾳ an sine. Locus Strabonis illustratur, & cum Tullii Balbiana conciliatur. *p.* 114. III. Tarentinum, Heracleense ac Neapolitanum municipium comparantur. Obiter de eo, quod diu ante Legem Juliam Neapolitani fuerint Romani Cives. IV. In quibusnam Italiae municipiis jus feriendae monetae obtinuerit. *p.* 115.

III. De urbis Heracleae Scholâ Pythagoricae disciplinae. *p.* 116.

IV. Quamdiu Heraclea steterit. *Ib.*

Adnot. 88. Ravennatis Geographi locus enucleatur. De Mesochoro amplius. *p.* 117.

DIATRIBA III. De ingenti Graecorum Heracleae Epigrammatum senio: de singulari Dorismo, & insolitis elementorum formis: deque eorumdem aetate conjicienda.

CAP. I. De vetere novoque Dorismo, quodque hae tabulae veterem potius exhibeant, *p.* 118.

CAP. II. Heraclienſium duorum epigrammatum scripturae effigies, & antiquitas.

SECT. I. De Graecis litteris universe non nulla delibantur. *p.* 120.

Adnot. 10. Vera veteris *Koppa* deformatio ex nummo Crotoniatarum ostenditur: quâ ignoratâ locis auctorum spissae incubuerant tenebrae: quae simul ac vera forma intellecta fuerit, illico dispelluntur. Hesychio & Quintiliano lux. Cur in nummis veteres Crotoniatae τῷ *Koppa* sint usi. *p.* 121.

SECT. II. Heraclienſis scripturae singularitas. *p.* 122.

§. I. Heraclienſium complurium litterarum formae, earumque interiores causae. *p.* 123.

§. II. De aspirata littera, sive de novo elemento ⊦. *p.* 126.

Adnot. 12. De δχτεῖχς litterae H tam apud Graecos quam apud Latinos antiquitate judicium. *p.* 126.

§. III. De novo altero Heraclienſi charactere ⊏: cui nomen asseritur VAV. *p.* 128.

Adnot. 19. Quod Digamma Aeolicum τῷ ⊏ Heracleotico figurâ & vi respondent, ac plerumque consonantis V potestate valuerit: id quod ex plurium Latialium vocabulorum originibus palam fit. *p.* 130.

CAP. III. De aetate certa Heraclienſium tabularum conjectio. Utra alteri praecesserit.

SECT. I. De vera αὐτεξουσιότητος epocha. *p.* 131.

SECT. II. Ad quamnam ex recensitis reipublicae Heraclienſis conversionibus haec aera pertineant. *p.* 133.

Adnot. 22. Αὐτεξουσιότητος sive libertatis argumenta, quae in utraque tabula occurrunt. *p.* 133.

SECT. III. Utra harum inscriptionum antiquior, & quam dudum videatur. De utriusque quam castigatissima scriptura. *p.* 135.

Adnot. 25. Circa orthographiam ac Dorismum levia inter tabulam utramq. discrimina. *p.* 135.

Adnot. 27. Levium Scalptoris mendarum in utraque tabula indiculus. *p.* 136.

EXCVRSIO de vetustissimo vase Mastrilliano, in quo supra Junonis imaginem ⊦HPA inscribitur. Ejus vasis epigraphe. Ex occasione aliquot aliae vasorum epigraphae litteris mere Atticis veteribus exaratae explicantur. De ἐρωτικῇ formula, ὁ δεῖνα καλὸς, in tribus Mastrillianis vasis conspicua.

§. I. De Viri nobilis Felicis Mastrilli vasaria suppellectili, deque vase eximio (in quo ⊦ nostrum adscribitur) cujus pictura & epigrammata dilucidantur. *p.* 137.

Adnot. II. Picturae & Epigrammata Mastrilliani vasis, Junonem ab Enevalio sauciatam exhibentis, cum Homero conciliantur. *p.* 137.

§. II. Ex occasione, litteraturae Atticae ex vasis Mastrillianis specimina proferuntur. Item formulae (ὁ δεῖνα καλὸς) detecta in iisdem, ante hac irreperta in aliis monumentis vestigia. *p.* 138. *col.* 1.

Adnot. IV. In exemplum inscriptionum capitibus imminentium, marmor pulcherrimum anaglyptum describitur. *p.* 138. *col.* 2.

Adnot. VI. Quis Πυριλάμπους Δῆμος apud Aristophanem & Eupolim fuerit. *p.* 139.

COMMENTARIVS AD AEREA DVO HERACLEA PSEPHISMATA.

PROLOQVIVM. I. Operis partitio. Quae sit his tabulis subjecta materies. Ad quamnam veterum monumentorum classem referri possint. *p.* 140. II. Quo hae duae tabulae sint valiturae. *p.* 141. III. Nostrae hujus operae difficultas, tum ex peregrinitate verborum, tum ex argumento tabularum orta. *Ib.*

Adnot. 2. Quid Glossae? Earum Scriptores maxima ex parte deperditi. Γλῶσσαι Ιταλιωτικαὶ aut Ιταλιώτιδες quid? Hesychii Glossarium quantilibet pretii. *p.* 142.

FRAGMENTVM BRITANNICVM Inscriptionis Graecae Heraclienſis cum Cl. V. Mich. Maittaire notis, nostrisque animad versionibus exhibitum. *p.* 145.

Adnot. 10. De mensis Apellaei veriloquio. Απελλαὶ & ἀπελλάζειν quid Laconibus fuerint, & unde dicta videantur. *p.* 147.

Adnot. 12. EXERCITATIO de duplici ἐπισήμων (*notarum*) genere, quae nominibus quorumdam magistratuum Heraclienſium in his tabulis praeponuntur.

§. 1. Plutarchi Lycurgo medicae admoventur manus, & lux ingens affunditur. *p.* 148. *col.* 1.

§. 2. Quid ex recitatis Rhetrae verbis derivari ad propositam quaestionem possit. Quid obae La-

Digitized by Google

Laconibus fuerint, ex Lycurgi atque Romuli inſtitutis inter ſe comparatis oſtenditur. *p.* 149. *col.* 1.

§. 3. Ad propoſitae quaeſtionis ſolutionem proceditur. *Ib.*

§. 4. Vetus Hermarum in templis domorumque veſtibulis depactorum conſuetudo. Horum origo & etymologia; & quod Deorum omne genus exhibere nati fuerint. *Ib. col.* 2.

§. 5. Hermis huc uſque deſcriptis inſignia familiarum adpingi conſueviſſe, exemplo vaſis Maſtrilliani huc faciente docetur: eadem inſignia multo ſaepius in ſignatoriis gemmis, itemque in nummis ſcalpi ſolita: atque ea demum eſſe, quae in his tabulis, nominibus magiſtratuum praeponuntur. *p.* 150. *col.* 1.

§. 6. Cl. Scip. Maffei de hiſce παρασήμοις conjectiones. *Ib. col.* 2.

§. 7. De Clypeorum notis & inſignibus quaedam huc attinentia delibantur. *p.* 151. *col.* 1.

Adnot. 15. In Καρύκειον, A nativa vocalis, non Eta fuit. Id tum ex origine Hebraica, tum ex Latino *Caduceum* evincitur. Id nominis ab Oriente per Etruſcos (qui in Italia juris fetialis auctores) Graeci Italiotae, Latinique hauſerunt. *Ib. col.* 2.

Adnot. 18. Επιστύλιον in hac Tabula de columnae capitulo videri uſurpatum. *p.* 153.

Adnot. 24. CALATA COMITIA videri Romam ex Graecia Magna manaſſe. *p.* 154.

Adnot. 25. De AAIA Tarentinis tenuato locus Heſychii egregie ex his tabulis illuſtratur. *p.* 154.

Adnot. 26. Has Tabulas ex Commentariis, Scribae manu exaratis, fuiſſe totidem verbis a ſcalptore deſcriptas. *p.* 155.

Adnot. 27. Αυτομος Tabulae reſtituitur, qui prodigialiter Antomotus & Antomontus evaſerat. *Ib.*

Adnot. 30. Tabulae locus recta dictione expeditur. Πλωχεω quid. *p.* 156.

Adnot. 31. Nova vox Ηρώδεια ex vero explicatur. *Ib. Vide dicta in p.* 247. *col.* 2.

Adnot. 32. Quidnam Τριακοντάπεδος Heracleae fuerit. *Ib.*

Adnot. 34. Αποροαὶς haud aliud eſſe quam diſtillationes aquarum. *p.* 157. *De quo vide etiam p.* 183. *col.* 1.

Adnot. 36. Quaenam pars orationis ſit Ερμηνεια, & quam vim habeat. *Ib. col.* 2.

Adnot. 37. Locus Heſychii de Τριακατίων politico corpore vindicatur & illuſtratur. *p.* 158.

Adnot. 38. De Schoeno agraria Heracleenſium finitorum. *Ib.*

Adnot. 39. Quod Σκίρον ſaltum Sylveſtrem ſignificat. *p.* 159.

Adnot. 40. Ἄρρηκτος (parum intellecta vox) idem quod frangi neſcius, Latinis *Infragilis*. *Ib.*

Adnot. 41. Τριακονταπεδον nomen viae fuiſſe pedes XXX. latae. *p.* 160.

Adnot. 45. De amnis Aciris inſula locus intellectu difficilis enodatur. De notione verbi προσγίνομαι. *p.* 161.

Adnot. 48. De Heracleae Phintiis pluſcula ſcitu digna. *p.* 163. *Haec retractata vide in p.* 248. *c.* 1.

SVPERIORIS TABVLAE COMPLEMENTVM NEAPOLITANUM.

PROLOQVIVM. I. Fragmenti Britannici cum Neapolitano aptiſſima cohaeſio certiſſime comprobatur. *p.* 165. II. Complementi Neapolitani argumentum. De interpretatione Latina. *p.* 167. III. MONITA De Commentario. *p.* 168.

DISQVISITIO. De eo quid ſit, Εκδικάζεσθαι δίκας τριακοσαίας, quod ver. Brit. 49. Neap. 1. legitur.

§. 1. Propoſitae quaeſtionis duplex conjecturalis ſolutio. *p.* 172. *col.* 1.

§. 2. Vtraque ſuperior conjectura refellitur: Numeralia in ᾶιος finita quam vim habeant. *Ib. col.* 2.

§. 3. Δίκας de Poenis ſive Multis crebro uſurpari. Tertia conjectio de quodam uſurarum genere proponitur. *p.* 173.

DISCVSSIO DE CADDICHO.

§. 1. De Caddichi (novi vocabuli) notione duplici Heſychiana. *p.* 174.

§. 2. De notione priore amplius. De capacitate Medimni, Hemiecti (quod in his Tabulis CADDICHVS dicitur) & Choenicis ex eodem Heſychio, necnon ex opuſculo MS. & ex Herone: ex quibus etiam Choenicis, Cotylae & ξέſτου, Modii, Semodiique amplitudo intelligitur. *p.* 175. *col.* 1.

§. 3. De Καδδίχου utriuſque ab Heſychio expoſiti etymologia. *Ib. col.* 2.

§. 4. Vtrâ ex Heſychianis notionibus Καδδιχος in his Tabulis accipiatur. *p.* 176.

EXERCITATIO De ANTOMI genuino ſignificatu.

PARS PRIOR. §. 1. ANTOMOΣ (Antomus) Heſychio idem qui Σκόλοψ. Duplex ſicuti σκόλοπος & χάρακος, ita & Valli notio. *p.* 177. *col.* 1.

§. 2. Vtrâ notione Antomus in hiſce Tabulis uſurpetur. *Ib. col.* 2.

§. 3. Loca Tabularum; in quibus vox Αυτομος adhiberi videtur pro uno ſingulari palo. *p.* 178. *col.* 1.

§. 4. Loca Tabularum in claſſes diſtincta, quae Antomum intelligi ſingularem Vallum vetant, ac potius eorumdem catenam fuiſſe adſtruunt. *Ib. col.* 2.

§. 5. Antomum in Tabula II. videri fuiſſe genus aliquod foſſae. An foſſa Vallaris fuerit, quâ ſcilicet χαράκωμα praefodiebatur. Nihil horum fuiſſe. *p.* 179.

PARS ALTERA. §. 1. ANTOMVM Heracleoticum haud plane aliud fuiſſe quam agrarium limitem. *p.* 180. *col.* 1.

§. 2. Genera Limitum apud Scriptores Latinos, quibus paria quaedam in his Tabulis deteguntur. *Ib. col.* 2.

Adnot. 15. In portentoſum τοῦ εικατιδεω vocabulum inquiritur, ac ſuadetur eſſe limitem Decumanum pedes XL. latum τοῦ εικατιπεδω duplum. *p.* 181.

§. 3. Romanos facile a Magnis Graecis hauſiſſe diſciplinae limitaris primordia; ſed ea poſtmodum

Digitized by Google

dum ampliora feciſſe, ſimulque texiſſe verborum inexplicabilium involucris, *p.* 182. *col.* 1.
Adnot. 16. Amplius oſtenditur, Vicatidem non aliud fuiſſe quam Decumanum maximum, ex eo quod Aciri parallelus fuerit, Cardinem vero normaliter ſecuerit. *Ib. col.* 2.
Adnot. 18. Heſychii locus vindicatus & explanatus: τοῦ Ἀδήλωτος primariae duae ſignificantiae diſpares eruuntur. *p.* 183.
SCHOLION I. De Τετρωιρωι ac de plurativo τετρωρων. *p.* 197.
SCHOLION II. De eo quid ſit in aere noſtro Διωρυξ. *p.* 198.
SCHOLION III. Quid ſit Μαστιγλα. *p.* 199.
SCHOLION IV. Quid ſit BYBΛIA. §. 1. Numquid hîc de Βύβλῳ h. e. papyro ſuſpicari liceat. *Ib. col.* 1.
§. 2. De vino Byblino Heſiodi atque Theocriti; deque ſyllabae primae vocali. *Ib. col.* 2.
§. 3. Vnde Byblinum antiquorum vinum ſibi nomen adſciverit. *p.* 200.
§. 4. Hippiae (ſive potius Hippyos) Rhegini locus ex Heſychio, Ju. Polluce, & aliis illuſtratur. Italia illa, ex qua vitis Byblia Syracuſas translata fuit, non alia quam Italia vetuſtiſſima erat. *p.* 201.
§. 5. Concluſio ſuperius dictorum. An Byblia vitis adhuc in ſupradicta regione ſuperſit. *p.* 203.
DISQVISITIO de vetere Tarentinorum, Heraclienſium, aliorumque ejus orae & Siciliae Dorienſium moneta.
§. 1. Pollucis de moneta horum populorum loca recitantur, corriguntur, & illuſtrantur. *p.* 217.
§. 2. Superior Pollucis correctio ex Diodoro apud Suidam & Nanzianzeni Scholiaſten firmatur, *p.* 218. *col.* 1.
§. 3. Ex aliquot hujus Tabulae locis oſtenditur monetam Heraclienſem nec minis nec nummis caruiſſe; quorum exploratur valor; & Pollux ſupplendo emendatur. *Ib. col.* 2.
Adnot. 17. De novo noſtrorum Heraclienſium Doriſmo in imperativi temporibus uſitato: quem & Latini expreſſerunt. *p.* 220.
Adnot. 19. De Πολιτης, deque Πόλιτος. Heſychius explicatur. De jure nexus. *p.* 222.
Adnot. 23. Inter Γειώρας Hebraicos interque Γαιώχας Heracleenſes quid ſit diſcriminis. *p.* 225.
Adnot. 35. An Lavatrinae vox contracta in *Latrina* fuerit. Varrone excuſato Nonius arguitur. *p.* 229.
DISCVSSIO de vera τῶν Σκίρων loci hujus acceptione, & quo a Δρυμοῖς diſcernantur: deque SALTVS genuina notione.
§. 1. De proprio Δριμοῦ ſignificatu. *p.* 232. *col.* 1.
§. 2. De diverſis σκίρου notionibus, quidve hîc potiſſimum notet. *Ib.*
§. 3. Quod poſterior Heſychiana τοῦ σκίρου expoſitio unice non tantum loco huic, ſed & fragmento Britannico congruat. *Ib. col.* 2.
§. 4. Quaenam Latinae voces σκίρῳ & δρυμῷ Tabulae hujus reſpondeant. *p.* 233.
§. V. De τῶν Σκίρων deque τῶν Χαιροτκιριᾶν ſitu in ſacro Dionyſi agro. *p.* 234.
Adnot. 43. Rhetrae quid proprie Homero, quidve Lycurgo fuerint. His Tarentinos (quorum coloni Heraclienſes) non caruiſſe, ex Etymologo oſtenditur. *p.* 235.
EXERCITATIO de ἐγκεκλιθιωντι, deque Latinorum Velitibus. Locus Tabulae difficillimus expeditur.
Adnot. 45. Quod VELITIS vox primitus quidem claſſem civium infimam notaverit: poſtea quod ex ea claſſe plurimi leviter armarentur, ad deſignandum quartum militum ordinem translata fuerit. *p.* 237.
Adnot. 49. De nominis Πχμώχος, verbique Πχμωχέω etymologia. *p.* 244.

CENSORVM ADPROBATIONES.

Illuſtriſſimus Dominus Canonicus D. Jacobus Fontana Sac. Theol. Magiſt. & Curiae Archiepiſcopalis Examinator Synodalis revideat, & referat. Datum Neapoli hac die 7. menſis Januarii 1754.

Julius Nicolaus Epiſcopus Arcad. Can. Dep.

EMINENTISSIME PRINCEPS.

OPus inſcriptum: *In Heracleenſes tabulas Commentarii*, ab Alexio-Symmacho Mazochio, ſtrenuo inacceſſarum antiquitatum exploratore, concinnatum, digniſſimum publica luce cenſeo; non tam quod in eo nuſquam in ratas Chriſtianae religionis ſententias offenditur, quam quod nemo ab ejus lectione non diſceſſurus ſit eruditior.

E. T.

Humill. Obſequentiſs. & Addictiſs.
Can. Jacobus Fontana.

Attenta relatione Domini reviſoris imprimatur.
Julius Nicolaus Epiſcopus Arcad. Can. Dep.

Do-

Digitized by Google

Dominus D. Ignatius della Calce profeſſor hujus Regiae Univerſitatis Studiorum revideat, & in ſcriptis referat.

Nicolaus de Roſa Epiſc. Put. Cap. Maj.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. DOMINE

A Lexii-Symmachi Mazochii doctiſſimâ in Tabulas Heracleenſes lucubratione adeo non Regni jura laeduntur; ut potius, quemadmodum Italiae pars (id quod praeſtantiſſimus Auctor luculentiſſime docet) Pythagorae diſciplinis exculta, non exfinium, ſed doctrinarum magnitudine MAGNA GRAECIA appellata fuit: ita prorſus Regnum Neapolitanum tanti viri eruditione ornatum praeclaro MAGNI cognomine donari poſſe videatur.

Tibi, Illuſtriſs. & Reverendiſs. Domine,

Obſequentiſs. & Addictiſs.
Ignatius Calcius.

Viſo retroſcripto ſuae Regalis Majeſtatis ſub die 21. currentis menſis, & anni, ac relatione Reverendi D. Ignatii della Calce de commiſſione Reverendi Regii Cappellani Majoris, ordine praefatae Regalis Majeſtatis.

Regalis Camera S. Clarae providet, decernit atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma praeſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Reverendi Reviſoris; verum in publicatione ſervetur Regia Pragmatica. Hoc ſuum.

CASTAGNOLA. FRAGGIANNI. GAETA. PORCINARI.

Illuſtris Marchio Danza Praef. S. R. C. tempore ſubſcriptionis impeditus.

Reg. fol. 69.

Carull.

Athanaſius.

ERATA QVAEDAM.

Pag. 21. Adnot. 21. *illuſtrius* cor. *illuſtriore*.
pag. 21. Adnot. (*) v. 5. cor. *plura ... inedita*.
pag. 43. num. 12. *Lucianae* cor. *Lucaniae*.
pag. 44. v. 10. *totam* cor. *tota*.
pag. 107. v. 28. *Moloſſi exitum* cor. *poſt Moloſſi exitum*.
pag. 155. col. 1. v. 5. χωρος cor. χωρως.
pag. 176. adn. 6. col. 2. v. 2. dele τὸ *fuit*.

In fine operis plenior mendarum elenchus dabitur; ſicuti & recenſio totius editionis hujus, quaeve alicubi mutanda, alibi fortaſſis addenda ſint.

COM-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Giuliano fc.

COMMENTARIORVM AD HERACLEOTICAS TABVLAS

PROLOGVS

Quo repertarum tabularum historia continetur: de fragmento Anglicano, cum una ex his tabulis coalescente, agitur; & qua industria excepta ex his tabulis exemplaria quam simillima fuerint: series totius Commentarii exponitur.

I

Erutarum tabularum notitia.

MARITIMA in ora Lucaniae, quam Sinum Tarentinum vocant, inter *Acirim* [vulgo *Agri*] atque *Sirim* [hodie *Lo Sinno*] duos celebres amnes, quidam torrens decurrit, quem antiqui *Acalandrum* (1) vocitabant, nunc vero *Salandra* aut *Salandrella* nuncupatur: at eumdem, qua parte per agrum Pisticianum labitur, Pisticiani cives *Cavonem* appellant. Ergo in istius *Cavonis* alveo intra Pisticii territorium, medio fere inter Pisticium & mare intervallo aeneae duae tabellae ante hos viginti annos repertae fuerunt. Ad Pisticium quod attinet, id

A fre-

(1) De *Acalandro* quatuor notanda. I. Nominis similitudo fateri cogit, non differre ab hodierno *Salandra*. Sic enim in mediterraneis id fluentum dicitur prope vicum *Salandra*: at idem ubi ad mare accedit, *Salandrella* vocari solet. II. Plinio neutrius, Straboni est masculini generis: certe quia amnium nomina antiquis ut adjectiva usurpantur. Nam Strabo ad ποταμὸν refert (τὸν Ἀχέλανδρον, inquit, ποταμὸν) Plinius vero ad *Flumen*: *Flumina*, inquit, *Acalan-*

Digitized by Google

frequens in Lucania oppidum eſt, & Excellentiſs. Comitis Acerrarum pervetus feudum, quod ab laeva ante dicti torrentis ripa non longe abeſt. A Piſticio vero ubi ortum brumalem verſus ad quatuor paullo plus millia paſſuum proceſſeris, ad dextram ſupra ſcripti torrentis ripam occurret locus, cui nunc nomen *Luce*: qui locus vico diruto, cui nomen *Andriace* fuit, proximus eſt, idemque a Piſticio milliaribus plus quatuor, a mari quinque removetur, a *Turri maris* [ubi Metapontum ſtetiſſe volunt] octo aut amplius, totidem ferme a *Policoro* [ubi Heraclea fuit] milliariis disjunctum. Is igitur locus, qui ut ante dixi a *Luce* nomen invenit, duo haec aera in lucem unico prope partu protulit. Nec me poenitet detectarum inſcriptionum locum ſubtilius deſignaſſe, propterea quod inde lumen aliquod tum agro Heracleotico, tum hiſce duabus tabellis aſpergi poſſe confidam. Neque nos aliter, quam horum intervallorum ductu & indiciis, locum ipſum inventionis in Magnae Graeciae tabula expreſſimus.

2. Itaque menſe Februario anni CIↃIↃCCXXXII. is, de quo ante diximus, torrens poſtquam pleno alveo diutius decurriſſet, ubi primum exaruit, forte accidit, ut quodam (2) aratore per limum tunc molliorem, quem torrens reliquerat, boves prae ſe agente, in ipſius alvei trajectu quadrupedis unius ungulae ad ſolidum neſcio quid offenderint, ex eaque impactione tinnitus, cujuſmodi aera percuſſa reddunt, exauditus fuerit. Ergo ex eo ſonoris indicio effoſſae in eo loco tabulae duae fuerunt: niſi quod ex his gemellis, quae ὀπισόγραφος eſt, atque ex una parte Graece, ex altera Latine inſcripta viſitur, illa in dias luminis auras prodire occupavit prior: quam proinde, jure τῶν πρωτοτόκων [*primo-genitorum*] fraudare veriti, priorem in hiſce commentariis procedere juſſimus, eique honoris cauſa ſororem alteram, aliquanto (3) poſt editam, ita de via decedere, ut pone priorem ſecunda incederet.

3. His accedit, quod etſi par propemodum utriuſque gemellae ſtatura & habitus eſt, tamen primo-genita hoc etiam praeſtat alteri, quod & pauxillo longior, & habitior eſt ſorore ſua. Nam quae prior lucem vitalem experta fuit, ea palmos Neapolitanos quatuor, uncias decem longa eſt, lata palmum unum, uncias paullo plus quinque: dum interim altera in longum ſupra palmos quatuor non niſi uncias circiter octo numerat, in latum vero ſupra palmum unum uncias admodum quinque. Poſtremo utriuſque craſſitudo tertiam unciae partem prope ſed non plane aequat, ſed ita ut hac quoque parte prior eſſe pauxillo craſſior videatur.

4. Id

Landrum, *Caſventum*. III. Acalandri alveum Plinius Aciri βορειότερον (*magis boreum*) habuiſſe videtur: at Strabo (ubi de Alexandro Epirota) eumdem longius meridiem verſus viſus fuit removiſſe, ac Thuriis admoviſſe. Quod alterum Dominus *de l'Isle* in ſua Italiae antiquae tabula ſecutus fuit. Verum cum *Salandrella* inter Acirim atque Sirim ad mare feratur; non eſt dubium, quin is vere ſitus *Acalandri* (poſtea *Salandrae* dicti) fuerit. Nec difficile mihi eſſet hunc Acalandri poſitum cum Strabone conciliare. IV. Acalandrum Plinius inter *Flumina*, ſicuti & Strabo inter ποταμούς retulerunt; cum tamen hodiernus *Salandra*, ſive *Salandrella* ſaepe ſiccetur. Verum (ut omittam *Fluminis* & ποταμοῦ vocabula antiquis latiore ambitu interdum uſurpata) non eſt difficile, veterem perennem Acalandri fontem caſu aliquo caecum aliquando evaſiſſe.

(2) Ei aratori nomen *Marcello Lemmae* fuit, ante hos circiter duos annos e vivis ſublato.

(3) Tabellam alteram ex una tantum parte inſcriptam viginti ferme poſt priorem diebus ſub initia Quadrageſimae menſe Martio erutam fuiſſe, narravit mihi Franciſcus Ant. Falconius Piſticianus Presbyter honeſtiſſimus: ex cujus ore haec tota inventionis notitia maximam partem excepta fuit. Nec tam ea ſonitûs ullius indicio inventa eſt, quam ſtudio, uti fit, antiqua cimelia reperiundi, proxime repertis ſimilia.

Digitized by Google

4. Id porro unum ex hac laetitia deceſserat, quod utramque pulcherrimarum ſororum mancam, laeva invidente Lucina, prorepſiſse in lucem dolebamus. Sed hoc intereſt, quod natu prior ſuperne, minor inferne detruncata viſebatur. Verum hac quoque parte [in qua rei caput eſt] priori felicior fortuna arriſit, quae natalium vitium caſu benigniore reparavit: de quo jam eſt dicendum.

II

De fragmento Britannico: cujus ope tabellae prioris Heracleoticae utraque pagina reſtituitur.

5. ET adhuc de vitio feturae cruciabamur; cum ecce Excellentiſſimus vir Carolus Guevara Eques Hieroſolymitanus e Bovinenſium Ducibus [de cujus ingenio, doctrina, comitate, modeſtia erit forſan alibi dicendi locus] qui eas tabulas ab hinc quatuor annos adeptus bono rei litterariae fuerat, indicio ſibi ab V. Cl. Scipione Maffeio Marchione [tomo III. Obſervat. litterar.] facto, fragmentum ejuſdem generis aereum in Anglia exſtare, ac de eo libellum a Cl. Maittaire conſcriptum prodiiſſe comperit. Quo comperto, Eques nulla interpoſita mora Maittaire librum afferri ſibi ex Anglia curavit. Fragmentum illud in Italia vir generoſus Brianus Fairfax, Armiger Anglus, circa annum [quantum ex Maittairi libro augurari licet] 1735. coemerat: quod Fairfaxius in patriam redux, petenti Michaeli Maittairo, maximi in Graecas litteras meriti, deſcribendum atque illuſtrandum permiſit. Et Anglicum quidem fragmentum, haud ſecus ac noſtra tabella prior, ex utraque parte litteratum eſt, verum hinc Graece, illinc Latine: tametſi nihil cum Graecis Latina paginae alterius commune habent. Adhaec tam Anglici quam Neapolitani fragmenti [ſive Graecam paginam ſive Latinam ſpectes] idem eſt ingenium & ſcriptura, par ſtylus ac dialectus; imo & argumentum plane idem; utrumque enim de Dionyſii ſive Liberi Patris agro loquitur. Hoc tamen excruciabat, quod nec Britannica tabula cum Neapolitana priore [ad quam unice ſpectare licebat, utpote utrinque ſcriptam] nec Neapolitana prior cum Britannica necti poſſe videbatur, ita ut ex duabus continuus tenor & continentia lectionis exſiſteret. Itaque primum ſuſpicio fuit, duo iſta epigrammatum fruſta [Britannicum ſcilicet ac Neapolitanum] ejuſdem quidem inſcriptionis membra eſſe, non continua tamen, ſed intermediis amiſſis, ab ſe invicem interrupta.

6. Verum non diu eo in errore verſatis, tandem apparuit, inter Britannicum atque noſtrum ſegmentum admodum pauca fuiſſe, quae fracturae vi quondam utrinque diſſiluerant. Idque uſque adeo certum videbatur, ut cum Britannici exempli limbum imum cum Neapolitani initio comparaſſemus, dimidiata aliquot elementa in Anglicano obſervarentur, quae in Neapolitano perficiebantur: voculas vero admodum paucas diſſultu metalli deperiiſſe appareret, quas ſupplere ex ingenio neceſſum fuit, ductu tamen & arbitratu ſententiae. Quod modo dixi, id de utraque pagina, tam quae Graece quam quae Latine inſcripta erat, intelligi volo. Eo ſupplemento ferruminatis fragmentis, una exſti-

Digitized by Google

tit integra tabula, ſane quam longiſſima: cujus tamen plus quadrantem Britanni poſſident, Neapolitani dodrantem non integrum.

7. Verum hoc inter utramque paginam intereſt, quod Graeca inſcriptio, quae ex utroque fragmento coaleſcit, prorſus abſoluta exſiſtat (4): at quae in averſa utriuſque fragmenti parte Latina inſcriptio legitur, quia eam non una ſed plures tabulae complectebantur, quod nunc ſupereſt, partem tantum inſcriptionis longiſſimae continet, qua quidam pandectes legum pertexebatur, inſcriptione Graeca recentior. Et hujus quidem παυδεκτῶ ſive *Digeſti* verſus 75. Britannicum fragmentum complectitur: at noſtrum novem ſupra octoginta admetitur, multo plures daturum, ſi totam paginam ſcalptor exaraſſet, quae in fine vacat.

III

De fruſti Anglicani fato & ejus variis editionibus.

8. JAm vero Britannicum tabellae Heracleoticae membrum ſtatim ac cura Cl. Maittairi anno 1736. prodiit in lucem; orbem litterarium in ſui admirationem convertit. Nam illud biennio poſt clariſs. ICtus & Academiae Juliae anteceſſor Franc. Carolus Conradus in lib. III. Parergor. (quem anno 1738. Helmſtadii edidit) pag. 350. intulit, non ſine luculentis ad Latinam poſticae partis inſcriptionem animadverſionibus; ac paullo poſt Ill. Marchio Maffeius in tom. III. Obſervationum litter. cum paraphraſi Italica & adnotatis quibusdam inſeruit, idque poſtea in Muſeo Veronenſi repetitum dedit. Ejusdem ſegmenti utrinque litterati exemplum Cl. Muratorius (jam antea a Franciſco Ficoronio ἀρχαιολόγῳ Romano, tunc aeris illius domino, adeptus) poſtea anno 1740. in tomum alterum Theſauri inſcriptionum importavit pag. DLXXXII. Ibi Muratorius inſcriptioni Latinae, quam Graecae praepoſuit, haec ſubnotavit: *Fragmentum ante paucos annos effoſſum, caro emptum, intulit in ſuum Muſeum Franc. Ficoronius . . . Pondus Librar.* LVII. (5) *Romanar. aequat.* Ac poſt pauca de argumento monumenti ſubjecta, addit: *Poſtquam haec ſcripſeram, intellexi, aeneam hanc tabulam emigraſſe in magnam Britanniam, ejuſque inſcriptionem publici juris factam a Cl. Mattaire. Nuper etiam eamdem recudit Cl. V. Scipio Maffeius Marchio tom. 3. Obſerv. litterar.*

9. Ex his autem notitiis ſimul collatis perſpicitur, fragmentum his gradibus in Britanniam perveniſſe. Videtur enim fragmen illud ſub idem, quo aera noſtra, tempus ruſticus aliquis clanculum effodiſſe, ac primo, uti fit, alicui ex circumforaneis ſcrutariis venumdediſſe: mox circitor iſte Romam allatum venale poſuiſſe, ac Ficoronio plus offerenti accepta pecunia permutaſſe. Quae ſint poſtea ſecuta, ex Maittaire diſcimus. Nam Fairfaxius anno 1735. illud mercatus, paullo poſt Maittairo illuſtrandum tradidit, a quo ſtatim anno 1736. evulgatum fuit. Habes de fruſti Anglicani fato: de duabus Neapolitanis tabulis nunc videamus.

De

(4) Ejus inſcriptionis initium in aere Anglicano perſcribitur, in noſtro finis: quae quidem univerſa inſcriptio ex verſibus prope ducentis conſtat, quorum octo & quadraginta in Britannico ſunt, in Neapolitano triginta novem ſupra centum.

(5) At hujus ipſius Graeco-latini aeris Britannici pars altera major, quam Guevara poſſidet, libris Romanis hodiernis (ad quae pondera Neapolitana reduxi) plus centum ac duodecim gravis eſt. Sicuti & tabella Guevariana altera, ex una tantum parte perſcripta, pondus librarum Romanarum centum ac ſeptem exſuperat.

Digitized by Google

IV

De duarum tabularum Neapol. benigniore fortuna.

10. AT aera Neapolitana duo, quod, poſt ſedecim annos quam emerſerant, poſtremo divini Numinis beneficio Excellentiſs. Caroli Guevarae Equitis Hieroſ. peculio quaeſita fuiſſent, id vero maximo cum univerſi litteratorum ſenatûs gaudio exceptum fuit. Nam praeclare ſane cum hiſce duabus gemellis actum, nemo non videt eorum, qui noſtrum Guevaram norunt: qui liberali ambas hoſpitio dignatus, nullam priorem cogitationem admiſit, nullam pari conſtantia fovit implevitque, quam ut ambas omni officiorum genere ornaret atque amplificaret. Vtinam parem fortunam eximia quaeque antiquitatis monumenta nanciſcerentur.

11. Jam vero Guevara noſter ea cimelia duo ſplendidiſſima adeptus, quae & auro contra non cara, & quovis Principe potentiſſimo digna duceret, eadem Regi ſuo CAROLO, harum lautitiarum, quibus ceteroqui ſupra omnes principes affluit, cupidiſſimo, ſe dono daturum conſtituit: verum non ante daturum, quam gemellae ſorores ab omni parte pro viribus cohoneſtatae, & adjuncto qualicumque commentario comite, dignae viderentur, quae in Regium Cimeliarchium cum quodam veluti apparatu ſpecieque triumphi procederent.

V

In tabulis deſcribendis pluſquam anxia diligentia.

12. ERgo Eques toties a me laudatus, ſtatim atque inaeſtimabilem theſaurum ſui juris feciſſet, tres in iis conſpicatus inſcriptiones (nam tabula prior, ut ſaepe dixi, utrinque perſcripta erat) curam nullam priorem habuit, quam ut omnes manu ſua deſcriberet. Id quidem in Graeca poſteriore & in Latina (quas ambas dens vetuſtatis mollius appetiverat) quam breviſſimo tempore eſt aſſecutus. At in Graeca priore arduum, ſupra quam dici poteſt, opus fuit; quippe quae confertiſſimis ac fugientibus plerumque litteris exarata cernitur; ac praeterea maxima ſui parte ex metalli ἀναβράσει & ejuſmodi excreſcentia, qualem in nummis quam ſaepiſſime cernimus, prorſus ἀνερμήνευτος & conclamatae lectionis videbatur. Tamen Eques pervicit omnia qua miro oculorum ac mentis acumine, qua dexteritate & induſtria.

13. Cum autem Graecae veteres inſcriptiones unico contextu, ſine ullo prorſus vocum ſingularum intervallo exarentur; poſtquam ſingula deſcripta fuiſſent, tum laborem redintegrari neceſſe fuit. Nam eorum quae tranſcripta fuerant, voces ſingulas a ſe invicem divelli oportuit; ita ut conſtaret ſententia. Itaque collatis operis, dum ego deſcripti exempli contextum in ſingulas voces conciderem, Guevara interim oculatiſſimus aera ipſa exoleta conferret; ubicumque ſententia nulla conveniens exſculpi poterat, ibi litteram unam cum alia ſimili fuiſſe in deſcribendo commutatam apparuit. Quoties certe ſententia aliud, quam quod ſcriptum fuerat, requirere videbatur, toties ita prorſus, uti conjeceram,

Digitized by Google

jeceram, in aere fuiſſe compertum fuit. Quae textus omnimoda reſtitutio quanti laboris in Graeca priore fuerit, iis ſolum conſtabit, qui in archetypo ipſo experiri voluerint, quid in tabellae prioris Graeca epigraphe perlegenda Marte ſuo valeant. Oedipo haud dubie opus eſſe dicent. At iidem ſi quamlibet exempli particulam cum aere compararint, tum demum ex poſt facto fateri, ita prorſus in aere ſignatum eſſe, vel jurati cogentur.

VI

In exemplis ita conficiendis, ut ea quam ſimillima ac plane αὐτόταπα archetypis viderentur, ingenioſum excogitatum.

14. ADhuc in his eramus, cum de antiquiſſimae earum tabularum ſcripturae tum Graecae tum Latinae ſpecimine aliquo quam accuratiſſimo lectori exhibendo cura ſubiit: nam praemiſſo ſcalpturae ſpecimine, cetera poſtmodum formis typographicis pro more exprimere proclive erat. At ecce tibi Guevarae novum opus in mentem venit. Nempe in id conniti ſe velle dixit, ut hae tabellae duae (re tamen vera tres, quippe prior utrinque ſcripta exſtat) ita in aes inciderentur, ut non tantum in exemplis inde expreſſis eadem ipſa archetyporum magnitudo & modus, ſed & plane eadem characterum ſingulorum atque apicum vel minutiſſimorum forma cerneretur; ita ut qui exempla prelo impreſſa haberet, non modo quam ſimillima archetypis, verum & αὐτόταπα (*ipſiſſima*) adipiſceretur. Quo id valiturum ſit, infra explicabitur. Interim qua id arte ſit aſſecutus, paucis exponam.

15. Jam primum inſcriptiones ſingulas typis exprimendas in terna ſegmenta ſe partiturum conſtituit, ſed ita ut, qui ſegmenta ſimul nectere vellet, id facillime poſſet. Opus vero ipſum hac methodo operas ſuas aggredi juſſit. Prelo jam antea parato primorem tertiam aeris archetypi partem ſupponi curavit (ita ut ceterae partes duae extra prelum exſtarent) tum huic aeris ſegmento quoddam ſequax ac docile chartae quam ſelectiſſimae genus leviter madefactum imponi, chartae vero ipſi coactilia quam molliſſima ſuperne ſterni, ad extremum cochlearum ope ſuperiorem preli tabulam quam artiſſime adſtringi juſſit. Cetera miſſa facio, quae ad ſubtiliorem operis accurationem ſpectant. Ergo ubi dies aliquot charta ſub prelo compreſſa, jam vi niſuque preſſurae in quoslibet quamvis ſubtiliſſimos characterum ſulcos ſeſe intime inſinuaverat; cum tandem e prelo educebatur, eadem ſulcorum veſtigia, quae in aere eſſent, ſignata exhibebat. Verum qua cautione opus fuerit, ne charta, ubi extracta eſset, areſcendo luxaretur, contraheretur aut rugas ageret, longum eſt exponere. Prae ceteris profuit chartae, ubi prela evaſit, extremos margines quaquaverſum ope tenuiſſimi glutini in tabella firmare; qua ita coerceretur, ne areſcendo vitium faceret. Vbi charta exaruiſſet, eadem cupreae tabellae applicita, docebat ſcalptorem, quae veſtigia in cupro incidendo ſecuturus eſſet. Neque hunc offendebat, quod quasdam abolitas aut fugientes litteras, aut earum partes exprimere charta nequiviſſet: nam archetypi inſpectio perpetua facile monebat artificem, quas alicubi litteras aut litterarum vel ſubtiliſſimos

liſſimos apices ſuppleri oporteret; praeſertim cum in re praeſenti aſſidue Guevara inſiſteret, exactor operis ſtrenuiſs. ac ſubtiliſſimus. Hac via ac methodo ſingula inſcriptionum ſegmenta in aes inciſa fuerunt.

VII

Quo ea tanta in exprimendis exemplis accuratio valeat.

16. DIxerit aliquis, hanc nimis moroſam videri diligentiam, qua ſuperſederi ſine ulla noxa potuiſſet. Poſſem hoc factum aliorum exemplis tueri. Jampridem enim Florentini integrum Virgilii codicem Medicaeum cum eadem plane membranarum orthographia & ſcripturae imitatione ediderunt: pro quo iis grates ingentes aguntur. Verum quid hac reſponſione utor, cum ſuppeditet altera plauſibilior? Nam quid rogo neceſſe fuit, Horatium, Virgiliumque (nam Maroni etiam nunc prela inſudant) aereis tabellis impreſſos obtrudi lectoribus, & conquiri undique nomina ſubſcriptorum, niſi ut lautioribus ea pecuniae vis emungatur, qua non unum armarium libris utiliſſimis ſuffarcinare potuiſſent? Et tamen editiones iſtae perdite requiruntur. Verum omiſſis hiſce lautitiarum exemplis; quas Guevarae induſtria utilitates afferat, pauciſſimis exſequar.

17. Ac primum Heracleotico fragmento, quod a Ficoronii muſeo in Britanniam enavigavit, quid acciderit, dicam. Nam tum Ficoronii exempla, quae ad Muratorium ipſe ſubmiſit, tum edita a Maittaire Graece doctiſſimo, ac poſtmodum a Cl. Maffeio (qui & ipſe tabellam viderat, & apographum ex ea exceperat) mendis quam plurimis ſcatent, quae ſuo loco producentur. Nec aliter fieri potuit in tam longis ac difficilibus epigrammatibus. At exempla, quae nunc poſt tam anxiam ſubtilitatem lectori traduntur, non tantum ab omni vel minimae mendae ſuſpicione equidem libero, ſed praeſtare audeo, nullâ vel minutiſſimâ κεραίᾳ, apice nullo quamvis viſum effugiente, exemplaria ab autographis diſſidere; ac ne latum quidem, non dico unguem ſed capillum, una ab alteris diſcrepare. Ergo criticam nationem ſeſe poſthac in epigrammatis iſtis ſeſe excruciare, ut ingenio ſuo procudant lectiones alias, quam quas hic habent, veto. Nam quovis depoſito pignore decertamus, nuſquam aliter, quam quo modo in impreſſis prelo tabulis exhibetur, in aere ſcriptum, idque non modo littera ſed ne apice minus.

18. Deinde harum tabularum ſcriptura, praeſertim Graeca, plane ſingularis eſt, quae & novos characteres offert, & conſuetorum elementorum formam inſolitam: ut interim alia ſcripturae accidentia taceam. Cumque hujus ſcripturae ſpecimen nondum neque Montfauconii Palaeographia, nec alii id genus libri contemplandum propoſuerint; an non praeclarum fuit, integrarum tabularum quam ſimillima exemplaria lectori cupido repraeſentari?

19. Poſtremo [ut ceteras opportunitates praeteream] ſi quis poſthac in Graecam aliquam Magnae Graeciae ſive aeneam ſive marmoream tabellam inciderit, ſimili ſcripturae genere exaratam, quae tamen notas aetatis forte fortuna gerat; tum erit unicuique proclive parem tabulis

noſtris

Digitized by Google

noſtris antiquitatem tribuere: quam iis nunc certo aſſignare nequivimus, quippe omni prorſus nota aut indicio temporum deſtitutis.

VIII
Series ſcriptionis hujus.

20. IN tres aut quatuor commentarios totum hoc quodcumque eſt operis tribuemus. Praeibit *Commentarius prodromus* in Graecos titulos duos, complectens Diatribas plures. I. Earum prima erit De Magna ſive Majore Graecia, ejuſque finibus, originatione nominis, de urbium catalogo, de diverſa ejus Graeciae fortuna, aliiſque id genus pro re nata in calamum incurrentibus. II. Sequetur altera De Heracleae originibus, deque harum tabularum Doriſmo. III. Tum tertia, quâ aetatis harum inſcriptionum ταχυτέρα quaedam conjectio continetur. IV. Deinde quarta de earumdem forma litterarum, novis litteris, novis vocabulis, noviſque Doriſmis. V. Poſtrema Diatriba harum inſcriptionum voces notabiliores aut difficiliores κατὰ ſτοιχεῖον enarratas, ſive Lexicon Heracleoticum complectetur.

21. Commentarius alter prioris tabellae Graecam inſcriptionem integram ex ſegmentis Britannico & Neapolitano conſolidatam exhibebit, mox & alterius tabellae Graecam alteram inſcriptionem dabit: utramque vero cum interpretatione, qualem in rebus tam ſalebroſis potuimus cudere, & cum animadverſionibus aliquot.

22. Pari modo deinde praecedet in Latinam epigraphen Commentarius prodromus: quem ſequetur exegeticus Commentarius, qui Inſcriptionem Latinam ex ſegmentis Britannico & Neapolitano coaleſcentem [ne ſic quidem integram tamen] repraeſentabit non ſine adnotationibus.

23. Hoc filum ſcriptionis hujus mihi futurum videtur. Tametſi nolo me ulla praeſcripti ordinis lege adſtringere. Nam quemadmodum nonnulli in diem vivunt, ſecuri de craſtino; ſic ego ſollemne hoc ſemper habui, in diem ſcribere, ac ſingula quaeque pittacia, adhuc atramento madentia, mandare typographicis prelis. Quo fit ut in decurſu operis novarum rerum occaſiones nonnumquam oboriantur, quae a praeſcripto filo deflectere interdum cogant.

24. Illud aegre eſt, quod hic commentarius diutiſſime a me quamvis invito dilatus, nunc poſtremo ſuſcipitur alieniſſimo tempore; nimirum jam aetate devexa, ac praeterea lapſis morbi perpetuitate viribus. His illud acceſſit ad ultimum, quod me plane eradicavit; quod in ipſo hoc operis veſtibulo, is quem ſaepe nominavi, quique me ad hanc ſcriptionem ſua auctoritate compulit, Carolus Guevara, vir tum ſtudiorum communione, tum ſingulari morum ſuavitate, atque acceptis ab eo beneficiis mihi ſupra ceteros mortalium conjunctiſſimus, is inquam haudquaquam ferendum ſui deſiderium mihi propediem eſt relicturus. Quippe is ab REGE noſtro optimo & clementiſſimo, acerrimoque virorum aeſtimatore, Orator in Luſitanicam Regiam deſignatus, vaſis jam conclamatis, Vlyſſiponem cogitat. Quem DEVS OPT. MAX. ſecunda navigatione uſum, diu ſervet incolumem, aeternumque fortunet.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIVS PRODROMVS

AD GRAECA DVO ITALICAE HERACLEAE PSEPHISMATA

DIATRIBA I.

De Magnae Graeciae finibus & appellationis hujus cauſis.

FInis non ſit, ſi Magnae Graeciae univerſa abſoluto commentario perſequi velim. Non is mihi animus, ſed ea tantum de amplitudine, de nominis origine ac rationibus, deque varia fortuna tangere, quae ſive aliorum curas effugerunt, ſive non fuerunt ſatis accurate tradita : quod impoſito mihi tabularum Heracleoticarum penſo haud inutile futurum auguror.

CAPVT I.

Quando primum Graeciae Magnae nomen audiri coeperit; & quamdiu perduraverit.

DE *Graeciae Magnae* ἐπιχλησίᾳ nihil antiquius aut illuſtrius loco Polybii eximio potui reperire : quem locum ſi, qui de Graecia Magna egerunt animadvertiſſent, paullo caſtigatiora de ea protuliſſent. Hic igitur lib. II. [pag. 175. edit. Amſtel. 1670.] cum in eo eſset, ut Achaeorum πολιτείαν magna apud Graecos omnes in exiſtimatione virtutis, juſtitiae, probitatis fuiſſe oſtenderet, incipit ejus pervulgatae opinionis ſpecimina in medium afferre : quorum hoc primum proponit. Καθ' ὃς γὰρ καιρὸς εὐ τοῖς κατὰ τὴν Ιταλίαν τόποις, κατὰ τὴν ΜΕΓΑΛΗΝ ΕΛΛΑΔΑ ΤΟΤΕ ΠΡΟΣΑΓΟΡΕΥΟΜΕΝΗΝ, ἐνέπρησε (1) τὰ συνέδρια τῶν Πυθαγορείων, &c. *Quo* (2) *tempore in illa parte Italiae, quam MAGNAM GRAECIAM TVNC VOCABANT, Pythagoreorum collegia ſunt incenſa; motu rerum, ſicuti par eſt, mox coorto in civitatibus, quarum ſingulae viros principes ſuae reipublicae adeo inopinato caſu amiſerunt; contigit, ut quae ſunt in illa*

 ora

(1) Viri docti ad hunc locum mallent ἐνέπρησαν. Quod non improbo, maxime ob eam cauſam, quod huic Noſtro plurima eſt cum ſtylo N. T. affinitas. Atqui in N. Foedere nihil uſitatius, quam ut, ſine ullo nominativo regente, verbum plurali tertiâ uſurpetur, ut *Neq. accendunt lucernam*. Tamen ſiquid mutandum ſit; magis eſt, ut adjiciatur auctor facinoris, qui Cylo fuit, ut infra Adnot. 5. oſtendimus : cujus nomen hic forſitan excidit, cum ſcriptum antea fuiſſet, Κύλων ἐνέπρησε τὰ συνέδρια. Quae ſi ſine libris, audacior adjectio viſa fuerit; tum nulla nec additione, nec mutatione facta, tantum ἐμπρήθω (quod verbum nuſquam niſi activo ſenſu reperitur) hîc uti neutrum erit accipiendum. *Quando*, inquit, *ſynedria conflagrarunt*. Activa verba ubinam, rogo, apud Graecos non neutro ſignificatu occurrunt?

(2) Ex Iſaaci Caſauboni interpretatione ſunt, quae ſequuntur : quam de ſententia magis, quam de verbis ſingulis exprimendis anxiam eſſe auctor ſuus voluit. Nonnullis tamen locis pauca refinxi.

Digitized by Google

orâ Graecae originis urbes, caede, ſeditione & tumultu omnifariam complerentur. Tum igitur cum plerique omnes Graeci legatos ſuos ad conciliandam pacem eo mitterent; unius tamen populi Achaeorum fide ac conſiliis civitates uſae ſunt ad malorum praeſentium depulſionem. Neque vero ea dumtaxat tempeſtate Achaeorum inſtituta probare ſe oſtenderunt; ſed etiam aliquanto poſt communi omnes conſenſu formam reipublicae illorum imitari decreverunt, hortatique ſeſe invicem Crotoniatae, Sybaritae, Cauloniatae, unanimes IOVI HOMORIO aedem ponunt, & locum in eo ad conventus agendos & concilia communia habenda: deinde mores legeſque Achaeorum (3) *addiſcunt, illiſque uti in adminiſtratione rei ſuae publicae inſtituunt. Nam quod poſtea mutaverint, non voluntate ipſorum factum, ſed neceſſitate ſunt coacti; cum ejus rei facultatem ipſis adimeret partim Dionyſii Syracuſani dominatus, partim circumjacentium Barbarorum praevalens potentia.* Quod de Dionyſio Syracuſano tangitur, id potes ex Diodoro (4) accuratius narrante, ſicuti & ex Iuſtino aliiſque cognoſcere.

In Polybiano vero quantivis pretii loco μόριον illud Τότε *tunc* [*quam*, inquit, *Magnam Graeciam TVNC vocabant*] quod Caſauboni interpretatio neglexerat, magnopere notari velim. Ex ea enim particula duas temporum periodos intelligimus, unam illam qua Magnae Graeciae appellatio ut cum maxime vigebat, ore omnium uſurpata: alteram qua deſueverat. Prior periodus ad ea tempora pertinet, quibus Pythagoras in vivis erat, & philoſophantium conventus agebat circa ducenteſimum ab V. C. annum: nec enim niſi vivo ac vidente Pythagora, diſcipulorum collegia incenſa (5) fuere. Altera ad Polybii haec ſcribentis aetatem [h. e.] ad circiter ſexcenteſimum ab V. C. annum eſt referenda: quo tempore jam illa regio ſic vocari deſierat.

Ad prius illud quod attinet, quonam articulo temporis *Magnae Graeciae* appellatio coeperit, quis nobis ediſſeret? Hoc unum ex Polybio di-

(3) Cum Polybii φιλαλήθεια miraculo ſit apud omnes; hîc tamen inconſiderantiâ magis, aut originis trium urbium conjuratarum ignoratione erraſſe virum tantum putaverim. Qui ſi animadvertiſſet, Crotonis, Sybaris, Cauloniaeq. conditores fuiſſe Achaeos; fruſtra in hoc facto ſtatuiſſet exemplum exiſtimationis populorum de praeclaris Achaicae reip. inſtitutis. Nunc cum trium illarum urbium populi ἀνέκαθεν Achaei fuerint; quoſnam, rógo, illi potiſſimum in conſtituenda rep. ſibi imitandos proponerent, quam conditores ſuos? Et quidem Crotoniatas genere Achaeos fuiſſe, teſtatur Herodotus VIII. 47. quem locum infra Adn. 6. adſcribemus. Nec ſecus Sybaritae, teſte Ariſtotele: qui in V. politicorum Achaeos cum Troezeniis Sybarim condidiſſe ſcripſit, ſed poſtea Troezenios ab Achaeis numero potioribus ejectos fuiſſe. Poſtremo eamdem & Cauloniatis originem Strabo tribuit lib. VI. *Poſt Sagram*, inquit (Ἀχαιῶν κτίσμα Καυλωνία) *Caulonia ſequitur Achaeorum colonia.*

(4) Diodorus lib. XIV. pag. 444. poſt narratam Dionyſii adverſus Rheginos expeditionem, ac ſecutas anni unius inducias, ſect. 91. ſic pergit: *Interea Graeci accolentes oram Italiae, dum ad ſuos uſq. fines Dionyſii avaritiam proceſſiſſe vident, foedere inter ſe icto, publicum habendo concilio locum ſibi comparârunt. Quo pacto & Dionyſium ſe facile repreſſuros, & cum vicinis ſuis Lucanis, a quibus etiam bello diſtinebantur, ſigna collaturos confidebant.*

Ac mox pag. 448. ad finem prope uſq. libri in Dionyſii cum Graecis ἰταλιώταις bello fere totus eſt: cujus belli vetera argumenta initio libri haec praemittuntur. Ὡς Διονύσιος Ῥήγιον ἐπολιόρκησεν. Ὡς οἱ κατὰ τὴν Ἰταλίαν Ἕλληνες εἰς μίαν πολιτείαν συστάντες, ἀντεπάξαντο πρὸς Διονύσιον: & quae ſequuntur. Nam praeſtat ea quae huc pertinent, rerum capita Latine afferre. *Ut Dionyſius Rhegium obſederit. Ut Graeci in Italia in unum reip. corpus coaluerint, ac Dionyſio reſtiterint. Ut Dionyſius praelio victor* CCIↃↃ *ceperit; quos tamen ſine pretio dimiſit, & urbibus libere ſuis legibus uti permiſit. Cauloniae & Hipponii excidium: quorum cives Syracuſas traducti. De expugnatione Rhegii, & urbis calamitatibus.*

Eadem & Pompeius Trogus copioſe fuerat exſecutus: ex quo Juſtini epitome lib. XX. cap. 1. nonnulla ſtrictim narravit.

(5) De exitu Pythagorae videatur Laertius cap. 39. ubi inter ſexcentas narrationes diverſas hanc primam affert: *Conſidente* (Pythagora) *in domo Milonis cum ſociis* (ὑπό τινος τῶν μὴ παραδοχῆς ἀξιωθέντων διὰ φθόνον ὑποπρησθῆναι τὴν οἰκίαν συνέβη &c.) *a quodam eorum, quos admitti noluiſſet, domus per invidiam ſuccenſa fuit. Sunt qui Crotoniatas ipſos ſuſpicione tyrannidis id commiſiſſe dicant. Pythagoram igitur, cum evaſiſſet incendium, inde in agrum faba conſitum perveniſſe* &c.

Verum nihil magis cum Polybio facit, quam Porphyrii in vita Pythagorae narratio, quae talis eſt. Κύλων ἀνὴρ Κροτωνιάτης &c. *Cylo Crotoniates genere quidem, & majorum gloria opibuſq. facile totius civitatis princeps erat, ceterum aſperis moribus & dominandi cupidus: tum amicorum copia divitiarumq. adminiculo ad in-*

Digitized by Google

diſcimus, quo tempore ad Pythagoram auſcultandum adoleſcentium concurſus fiebant, cum & aliquando eorum ſcholae conflagrarunt, jam id regionis nomen fuiſſe celebratum. Quod & Valerius Max. lib. VIII. docuit, de Pythagora ſic ſcribens: *In Italiae etiam partem, quae TVNC MAIOR GRAECIA APPELLABATVR, perrexit: in qua plurimis & opulentiſſimis urbibus effectus ſuorum ſtudiorum adprobavit*. Cicero & alii conſentiunt. Ergo aevo Pythagorae jam id nomen invaluiſſe, ſcriptores antiqui tradunt: utinam quamdudum ſic antea vocata fuerit, edidiſſent.

Nec vero ſecundae periodi eſt notius initium. Ac mihi principio videbar ſuſpicari poſſe, eam nomenclaturam centeſimo poſt Pythagoram anno deſiviſſe: quo tempore ſcilicet Herodotus apud Thurios ſuas hiſtorias elucubrabat. Nec enim uſpiam *Magnae Graeciae*, in qua ipſe morabatur, commeminit; imo totum Magnorum Graecorum σύστημα [*coalitionem*] alicubi longe diverſo [6] vocabulo deſignat. Verum quis ignorat, argumenta ex ſilentio ſcriptorum petita nullius roboris eſſe? Id vero hoc magis, quod diu poſt Pythagorae, imo & Herodoti tempora adhuc Graecia haec Italica vocabatur *Magna*.

Nam poſt cladem Cannenſem [quae in annum V. C. DXXXVIII. conjicitur] adhuc *Magnae Graeciae* nomen uſurpabatur, uti Polybius extremo lib. III. planiſſime oſtendit: quem locum cap. ſeq. producam. Sed & non diu poſtea anno V. C. DLIII. Sulpicium conſulem ita in Campo Martio concionantem Livius XXXI. 7. facit, ut perſpicue oſtendat, non dum eo tempore ab ea appellatione fuiſſe deſcitum. *Nec*, inquit, *Tarentini modo, oraque illa Italiae, quam MAIOREM GRAECIAM VOCANT* [non *vocabant* ait, uti ſcriptores ceteri loqui in hac re conſueverunt; ſed VOCANT, ut verba Sulpicio loquenti accommodaret] *ut linguam, ut nomen ſecutos credere; ſed Lucanus & Brutius & Samnis a nobis* [ad Pyrrhum] *tunc defecerunt*. Ergo adhuc anno, uti dixi, DLIII. ea appellatio frequentabatur.

injuſtitiam improbitatemq. abuſus. Is, cum ceteris praeclaris rebus omnibus dignum ſe exiſtimaret, tum vero longe digniſſimum judicaret, qui Pythagoricae philoſophiae particeps eſſet; acceſſit ad Pythagoram ſemetipſum depraedicans, & conſuetudinem ejus expetens. At ille cum naturam moreſq. hominis (φυσιογνωμονήσας) *exploraſſet atq. ex indiciis, quae ex habitu corporis captabat, quali ingenio eſſet, perſpexiſſet; juſſit ipſum abire, & ſuas ſibi res habere. Id non mediocri dolore Cylonem affecit, quaſi ſi contumelia notatus fuiſſet, virum alias ſatis aſperum & animi impotentioris. Coactis ergo in unum amicis, Pythagoram criminari coepit, & inſidias ipſi & amicis ejus parare; ac proinde, ut nonnulli referunt, Pythagorae familiares in Milonis athletae aedibus congregatos, abſente tum Pythagora (nam ad Pherecydem Syrium, quo praeceptore olim uſus fuerat, in Delum diſceſſerat, ut pediculari morbo correpto adeſſet, curamq. ſepulturae haberet) omnes igne immiſſo exuſſerunt; duobus tantum ex incendio elapſis Archippo & Lyſide, ut Neanthes prodidit*. Horum pleraque ex Porphyrio Jamblichus mutuatus, Pythaghorae vitae intexuit.

Poſt hoc incendium Pythagoram Locros ſe recepiſſe, ex Themiſtii orat. IX. diſcimus, ubi ait, Pythagoram vitam omnem peregrinando traduxiſſe: *E Samo*, inquit, *propter Polycratem Crotona petit* (ἐκ Κρότωνος δὲ εἰς Λόκρους διὰ Γύλωνα) *Crotone Locros Gylonis causa*. Quem Porphyrius & Jamblichus *Cylonem* vocarant, hunc Themiſtius *Gylonem*, Appuleius in Floridis *Gillum* (*Gillo*, inquit, *Crotonienſium principe*) nuncupaverunt. Verum ex Plutarcho in lib. de Stoicorum repugnantiis *Cylonis* nomen retinendum eſſe ajo, quo loco memoratur ὁ Πυθαγόρου ζῶντος ἐμπρησμὸς ὑπὸ τῶν Κυλωνείων, *Pythagorae vivi combuſtio a Cyloneis patrata*.

(6) Herodoti locus in Muſa VIII. cap. 47. exſtat, ubi cum Graecorum in continente morantium populos, qui pugnae ad Salaminem interfuerant, recenſuiſſet; ſic addit: Τῶν δὲ ΕΚΤΟΣ ΤΟΥΤΕΩΝ οἰκημένων, Κροτωνιῆται μοῦνοι ἦσαν, οἳ ἐβοήθησαν τῇ Ἑλλάδι κινδυνευούσῃ, νηὶ μιῇ, τῆς ἦρχε ἀνὴρ τρὶς πυθιονίκης Φάυλλος· Κροτωνιῆται δὲ γένος εἰσὶ Ἀχαιοί. Quae totidem verbis ſic Latine reddes: *Eorum autem* (populorum) *qui EXTRA HOS* (continentis incolas) *habitant*. Vide quaeſo quo pacto Herodotus Magnam Graeciam circumloquatur: cui ſatis fuiſſet ſic omnia pauciſſimis expedire: *Ex Magna Graecia auxilio venerunt Crotoniatae*. Verum quae Herodoti ſunt, recitemus: *Eorum*, inquit, *qui extra continentem morantur, ſoli fuere Crotoniatae, qui Graeciae* (illi veteri) *periclitanti auxilio venere navi una, cui Phayllus praeerat, qui ter Pythia vicerat. Sunt autem Crotoniatae genere Achaei*.

Digitized by Google

At non diu poſt, a primo omnium Polybio ſcribente hiſtorias eadem appellatio ſuo jam tempore memoratur abolita, ubi non niſi τὸτε (i. e. Pythagora philoſophante) eam appellationem uſurpatam innuit, certe quod eadem jam ſuo tempore deſiviſſet. Ergo medio inter Sulpicium conſulem & Polybium ſua ſcribentem intervallo id nomen ab uſu receſſerit neceſſe eſt. Nec aliam deſuetudinis cauſam fuiſſe putaverim, quam quod ſenſim ſine ſenſu plurimae Graecorum urbium ad finitimorum Barbarorum (maxime Lucanorum Brutiorumque) linguam & inſtituta defeciſſent. Hinc ſcriptores omnes, qui ſunt Auguſteo ſaeculo poſtea conſecuti, eam ἐπικλησίαν non ſuis, ſed praeteritis [7] temporibus tribuunt: ſane quod ipſorum aetate ea nomenclatura obſoleviſſet. Meminit quidem tanto poſtea Μεγάλης Ελλάδος [*Magnae Graeciae*] Clemens Alexandrinus ſic quaſi ſuo tempore adhuc id nomen ei regioni haereret. Verum is locus quorſum ſit accipiendus, a me alibi [8] excutietur.

Ex huc uſq. dictis licet colligere, quamdiu *Magnae Graeciae* appellatio uſurpata fuerit. Eam quidem ἐπικλησίαν a Pythagora ibi philoſophante fuiſſe inditam, eſt quod ſuſpicer. Verum etſi ante Pythagoram inceperit, non diu certe antea uſurpari coepta fuit. Pythagorae autem tempora ſi cum Thaletis & Anaximandri, nec non Pherecydis Syrii aetate comparentur; nae is circa ſexageſimam Olympiadem (9) in Italia demoratus reperietur, h. e. ab Vrbe condita anno circ. CCX. Eo igitur tempore jam ora Tarentina *Magnae Graeciae* ſibi nomen quaeſierat. Jam vero ante annum ab V. C. ſexcenteſimum id nomen (ut ex Polybio docui) deſierat: quod tamen anno DLIII. [ut modo ex Livio oſtendebam] adhuc in uſu erat. Ergo ejus nominis uſurpatio intra ducenteſimum ac ſexcenteſimum ab V.C. annos coerceri παχυτέρως [*craſſius*] poteſt, ita ut ferme annis quadringentis perduraviſſe videatur.

Non hic omittam, quaenam inter *Magnae* atq. *Majoris* Graeciae nomen, non tam rei quam temporum atq. ſcriptorum diſcrimina notaverim. Ac primum apud Graecos μεγάλης Ελλάδος, numquam μείζονος mentionem reperi: a Latinis autem modo *Magnam* modo *Majorem* vocatam

(7) A Cicerone ordiar, qui in Laelio de Pythagoreis ita ſcripſit: *Eorum, qui in hac terra* (Italia) *fuerunt, Magnam Graeciam* (*quae nunc quidem deleta eſt, tum florebat*) *inſtitutis & praeceptis ſuis erudierunt*. Suo, tempore *deletam* dixit eo ſenſu, quo Strabo lib. VI. ejus Graeciae ἐκβεβαρβαρῶσθαι συμβέβηκεν ἅπαντα, *ad barbariem defeciſſe omnia* conqueritur praeter urbes pauciſſimas. At Cicero etiam *Magnae Graeciae* nomen *deletum* ſignificavit. Idem in II. de Orat. cap. 37. *Referta quondam Italia Pythagoreorum fuit, tum cum erat in hac gente Magna illa Graecia*. Et in III. c. 34. *Inſtituit ne Pythagoras totam illam veterem Italiae Graeciam, quae QVONDAM MAGNA vocitata eſt?* In duobus ultimis locis τὸ *Quondam* intermiſſionem nominis aperte declarat: & in loco poſteriore τὸ *Veterem Graeciam* eadem notione dixit, qua & apud Polybium (cujus locum ex lib. 3. extremo cap. ſeq. num. II. diſcutiam) παλαιᾶς μεγάλης Ελλάδος ſcriptum reperio. Huc etiam locus ex Tuſc. IV. pertinet, quem cap. ſeq. producam.

Venio ad ſcriptores alios, qui olim, non ſuo tempore, ſic dictam ſignificant. Ovidius Faſt. IV.

Itala nam tellus Graecia major erat.

Seneca ad Helviam: *Major Graecia fuit*. Strabo lib. VI. Τὴν Μεγάλην Ελλάδα ταύτην ἔλεγον. *Magnam Graeciam hanc vocabant*. Athenaeus lib. XII. Μεγάλη Ελλὰς ἐκλήθη &c. *Magna Graecia vocata fuit tota fere Italiae habitatio*. Syneſius ad Paeonium: *Italia quondam* (τὰς αὐτὰς ἴσχυσε Πυθαγόρᾳ τε ἀκυσὰς καὶ τῶν πόλεων ἁρμοσὰς, Ελλὰς ἡ Μεγάλη προσηγορεύετο) *cum non alios haberet civitatium moderatores, quam qui Pythagoram audiviſſent, Magna Graecia vocabatur*.

(8) Difficilem atq. αἰνιγματώδη Clementis locum infra prope finem Diatribae hujus excutiemus.

(9) Supra ceteros Pythagorae praeceptores Thales & Anaximander Mileſii, nec non Pherecydes Syrius celebrantur. Atqui Thales anno I. Olympiadis LVIII. Anaximander haud diu poſtea, Pherecydes Olympiade LX. ad plures abiiſſe traduntur. Confer Adnot. 5. ubi ex Porphyrio didicimus, Pythagora ad Pherecydem aegrotantem inviſendum profecto, Pythagorea collegia Crotone concremata a Cylone fuiſſe.

Digitized by Google

catam invenio. Deinde quia ex Latinis, qui ejus meminerunt, nemo Cicerone antiquior oſtendi poteſt; conjectandi locus eſt, non niſi ultimis reip. Romanae temporibus *Majorem* appellari coepiſſe eam, quae olim non niſi μεγάλη *Magna* appellaretur. Verum de his infra cap. 4.

CAPUT II.

De Graeciae Magnae finibus.

QUouſq. ea, quam quaerimus, Graecia pertinuerit, non una antiquorum, ſicuti & recentiorum, ſententia eſt. I. Fuere qui eam tota Italia, aut ferme tota terminarent. II. Fuerunt alii qui huic noſtrae Graeciae non totam quidem, ſed tamen magnam Italiae partem tribuerent, nempe eam quae, ad orientem Solem ventumq. Vulturnum ſpectans, toti ferme hodierno Regno Neapolitano reſpondet. III. Quidam tantum Regni Neapolitani oram maritimam ferme totam ei impertierunt. IV. Alii non totam oram, ſed ab Tarento Cumarum tenus. V. Poſtremo non defuere qui eandem artiſſimis limitibus continerent, ita ut totam dumtaxat oram ſinui Tarentino circumquaque imminentem largirentur. Sed jam ſingularum finitionum auctores ſuos proferamus.

I. Primae ſententiae plurima ſunt atq. clara nomina: quorum tamen, quod parum in veris urbium originibus verſati eſſent, nunc friget auctoritas. Ab Ovidio ordiar: qui prope ab initio Faſtorum quarti, cum *Aprilem* ab Αφροδίτης (*Veneris*) vocabulo derivatum contenderet; ſic veriloquium iſtud ſuadere nititur:

Nec tibi ſit mirum Graeco rem nomine dici:
Itala nam tellus GRAECIA MAIOR erat.

Quod ſequentibus diſtichis ita per partes demonſtrare nititur, ut vix ulla relinquatur Italiae pars, quin Graecae originis fuerit. Videſis (10) cetera. Feſtus: *Major Graecia dicta eſt Italia, quod eam Siculi quondam obtinuerunt: vel quod in ea multae magnaeque civitates fuerunt ex Graecia profectae.* Adhaec ex Trogo Juſtinus lib. XX. cap. I. ſic de Dionyſio Syracuſano refert. *Prima militia* (Dionyſii) *adverſus Graecos, qui proxima Italici maris littora tenebant, fuit: quibus devictis, finitimos quoſque aggreditur, omneſque Graeci nominis Italiam poſſidentes hoſtes ſibi deſtinat: quae gentes non partem, ſed VNIVERSAM ferme ITALIAM ea* (11) *tem-*

(10) Haec pone ibid. ſequuntur.

Venerat Evander plena cum claſſe ſuorum:
Venerat Alcides, Grajus uterq. genus:
Hoſpes Aventinis armentum pavit in herbis
Claviger, & tanto eſt Albula pota Deo.
Dux quoq. Neritius: teſtes Laeſtrygones exſtant,
Et quod adhuc Circes nomina littus habet.
Et jam Telegoni, jam moenia Tiburis udi
Stabant, Argolicae quae poſuere manus.
Venerat Atrides fatis agitatus Haleſus,
A quo ſe dictam terra Faliſca putat.
Adjice Trojanae ſuaſorem Antenora pacis,
Et generum Oeniden, Appule Daune, tuum.
Serus ab Iliacis & poſt Antenora flammis
Attulit Aeneas in loca noſtra deos.
Hujus erat Solemus Phrygia comes unus ab Ida,
A quo Sulmonis moenia nomen habent.

De hiſce falſis originibus ſuo loco dicam.

(11) Hoc ſi quid aliud, ſplendidiſſimum eſt mendacium. Nam Dionyſio Syracuſis regnante, non aliud Graeci nominis in Italia fuit, quam quod oram maritimam Tarentini ſinus, & partem Inferi maris incolebat: cetera omnia tum mediterranea tum littoralia non aliud quam Barbaria mera erant, ſicut & antea fuerant. Verum de his alibi.

Digitized by Google

tempeſtate occupaverant. Quod cur ita ſit, ubi (12) ſigillatim, etſi falſo, demonſtraſſet; tandem ſic initio capitis II. colligit: *Propter quod omnis illa pars Italiae* (quam ſupra *univerſam ferme Italiam* dixerat) *Major Graecia appellata eſt*. Vltimus cogat agmen Athenaeus, lib. XII. cap. V. ſic ſcribens: Διὸ καὶ μεγάλη Ἑλλὰς ἐκλήθη πᾶσα σχεδὸν ἡ κατὰ τὴν Ἰταλίαν κατοίκησις. *Quapropter Magna Graecia dicta eſt ferme omnis Italiae habitatio*. Verum hunc Dipnoſophiſtae locum ad ſolam ſinûs Tarentini oram eſſe haud dubie reſtringendum, in ora (13) pagellae oſtendimus.

II. Alteri Graeciae Magnae finitioni, qua totum ferme hodiernum Neapolitanum Regnum complecti putatur, patronum ex antiquis alium reperire non potui, quam Polybium: cujus locum, cum a nullo dum fuiſſe animadverſum repererim, hic adſcribere curae fuerit. Is igitur extremo libro III. poſt expoſitam Cannenſem cladem, utriuſq. populi fortunam eventui pugnae parem deſcribit his verbis. Βραβευθέντης δὲ τῆς μάχης τὸν προειρημένον τρόπον, ἀκόλουθον εἴληφε τὰ ὅλα κρίσιν τοῖς ὑπ' ἀμφοτέρων προσδοκωμένοις· Καρχηδόνιοι μὲν γὰρ διὰ τῆς πράξεως ταύτης παραχρῆμα τῆς μὲν λοιπῆς παλαιᾶς σχεδὸν πάσης καὶ Μεγάλης καλουμένης Ἑλλάδος ἦσαν ἐγκρατεῖς· Ταραντῖνοί τε γὰρ εὐθέως ἐνεχείριζον αὐτούς· Ἀργυριππανοὶ δὲ καὶ Καπυανῶν τινες ἐκάλουν τὸν Ἀννίβαν· οἱ δὲ λοιποὶ πάντες ἀπέβλεπον ἤδη τότε πρὸς Καρχηδονίους· μεγάλας δ' εἶχον ἐλπίδας ἐξ ἐφόδου καὶ τῆς Ῥώμης αὐτῆς ἔσεσθαι κύριοι. Ῥωμαῖοί γε μὴν τὴν Ἰταλιωτῶν δυναστείαν παραχρῆμα διὰ τὴν ἧτταν ἀπεγνώκεισαν· ἐν μεγάλοις δὲ φόβοις καὶ κινδύνοις ἦσαν. In quorum interpretatione cogor interdum ab interprete Caſaubono ita diſcedere, ut id tamen non niſi dicta apud lectorem cauſa faciam. *Hanc praelii iſtius fortunam, quae a nobis eſt declarata, excepit rerum utriuſq. populi converſio talis, quae amborum exſpectationi conveniret. Carthaginenſes enim re bene geſta, reliquam ferme omnem Veterem* (14) *Graeciam* (*quae & Magna cognomi-*

(12) Apud eumdem poſt verba ſuperne adſcripta ſic ſequitur. *Deniq. multae urbes adhuc poſt tantam vetuſtatem veſtigia Graeci moris oſtentant. Namq. Tuſcorum populi, qui oram Inferi maris poſſident, a Lydia venerunt; & Venetos, quos incolas Superi maris videmus, capta & expugnata Troja Antenore duce miſit: Hadria quoq. Illyrico mari proxima, quae Hadriatico mari nomen dedit, Graeca urbs eſt: & Arpos Diomedes exciſo Ilio, naufragio in ea loca delatus condidit. Sed & Piſae in Liguribus Graecos auctores habent; & in Tuſcis Tarquinii a Theſſalis, & Spina in Umbris: Peruſini quoq. originem ab Achaeis ducunt. Quid Caeren* (potius *Caere*) *urbem dicam? quid Latinos populos, qui ab Aenea conditi videntur? Jam Faliſci, Nolani, Abellani nonne Chalcidenſium coloni ſunt? Quid tractus omnis Campaniae? quid Bruttii, Sabinique? quid Samnites, quid Tarentini? quos Lacedaemone profectos, Spurioſq. vocatos accipimus. Thurinorum urbem condidiſſe Philoctetem ferunt, ibiq. adhuc monumentum ejus viſitur; & Herculis ſagittae in Apollinis templo, quae fatum Trojae fuere*. Cap. 2. *Metapontini quoq. in templo Minervae ferramenta, quibus Epeus, a quo conditi ſunt, Equum Trojanum fabricavit, oſtentant. Propter quod omnis illa pars Italiae*, &c. quae ſuperne adſcripſi.

Qui quidem de Tarento, Thuriis, Metaponto verum dicit, ſicuti & de parte littoris Campaniae: at cetera, Tyrrhenicae originis pleraque fuere, aut certe Barbarica: quae in Tyrrhenicis noſtris accurate eliquavimus.

(13) *Athenaei locus leviter corrigitur exponiturque.*

Praeſtabit totum Athenaei locum adſcribere. Qui cum de Siritarum (Siris prope Heracleam urbs olim celeberrima fuit) felicitate & deliciis ageret, ſic pergit: ἐκ ἐλίγου δὲ πρὸς τὴν τρυφὴν καὶ τὴν ἀδαμονίαν τῶν σύμπαντες τότε κλίματος, καὶ τὸ πλῆθος ἐγένετο τῶν ἀνθρώπων· διὸ καὶ Μεγάλη Ἑλλὰς ἐκλήθη πᾶσα σχεδὸν ἡ κατὰ τὴν Ἰταλίαν κατοίκησις. Ex *συνεχείᾳ* porro vides, non de tota Italia Dipnoſophiſten hic agere, ſed de qua parte loqui inſtituerat, ora nimirum Tarentini ſinus; ac pro ἡ κατὰ... legendum eſſe ἥδε κατὰ τὴν Ἰταλίαν κατοίκησις; ac ſic demum totidem verbis eſſe vertendum. *Non parum vero voluptati atq. deliciis totius regionis hujus homines indulgebant: quae regio in tantum populoſa erat, ut totius ejus Italici tractus comprehenſio Magna Graecia nuncuparetur.*

(14) *Obſcurus Polybii locus ſuae luci reſtituitur.*

Caſaubonus ſic verterat: *Reliquam protinus ferme omnem Italiae partem, quae Vetus & Magna Graecia nominatur, obtinuerunt*. Quae Polybio contraria ſunt: qui lib. 2. dum Magnae Graeciae appellationem τότε, i. e. tum Pythagorae tum Dionyſii Syracuſani temporibus obtinuiſſe, ſcripſit, per illud τότε ſatis praeſefert, ſuo eam tempore ab uſu receſſiſſe. Vide quae de hoc Polybii loco adnotavimus initio cap. 1. Ergo ex mente ſcriptoris hujus illud καλουμένην, non παρῴκησε, ſed παρακειμένη tem-

Digitized by Google

gnominabatur) *obtinuerunt*. *Nam & Tarentini ſine mora eis ſe permittebant, Arpani* (15) *vero & Campanorum nonnulli ultro vocabant Hannibalem : ceteri vero omnes ad Poenos jam tum reſpiciebant. Quos quidem magna tunc ſpes prolectabat ipſius Romae, arridente occaſione prima, potiundae. Romani contra ſtatim ab accepta tanta calamitate, Italiotarum* [16] *imperium retinere ſe poſſe deſperabant; magniſq. in terroribus atq. periculis verſabantur*. Ex hoc autem luculento ſummi hiſtorici loco facile quis intelligat, quidquid ab Tarento ad Argyrippam, imo & Capuam uſque interjacebat, id omne ad Graeciae Magnae ambitum pertinuiſſe; ita ut id totum, quod nunc Regnum Neapolitanum vocatur, tunc temporis Graeciam Magnam abſolveret.

Verum re penitius introſpecta, non aliud Megalopolita voluit, niſi poſt Cannenſem cladem tantum abfuiſſe ut Romani *Italiotas* [quo vocabulo quidquid Graeci nominis in inferiore Italia tunc eſſet, intelligebatur] continere in imperio poſſent, ut etiam, quia Campanorum nonnulli, imo & alii plures populi ad defectionem ſpectabant, de ſumma rerum periclitarentur. Haec Polybio, ceteroqui παχυμερῶς de hiſce locuto, mens fuit: quem tamen certiſſimum eſt, non fuiſſe in Italiae populis uſque adeo hoſpitem, ut Campanos Magnis Graecis, aut omnino Italiotis annumeraret. Nec alium ex antiquis reperio, qui Magnam Graeciam iisdem finibus, quibus nunc Regnum Neapolitanum, terminaret.

At ex iis, qui nunc viri doctiſſimi florent, non paucos reperio, qui Magnam Graeciam toti ferme Neapolitano regno reſpondere jubeant. Id quod ex Martinerii Geographico Lexico licet intelligere. Qui [haud longe ab initio ſui de Italia Articuli, nempe in altera Italiae antiquae diviſione] Magnae Graeciae hos tractus omnes attribuit, Apuliam Dauniam atq. Peucetiam, adhaec Calabros & Salentinos, poſtremo Lucaniam omnem Brutioſque. Hoc ipſum in fine ſuae Graeciae, ubi de Graecia Magna agit, ex Pariſinae ſcientiarum Academiae commentariis docet. Verum de hac opinione in loco agam.

III. Ter-

temporis (quod nos *Imperfectum* dicimus) eſt.

Deinde notandum eſt duo Graeciae Italicae cognomina a Polybio hic notari, unum *Magnae*, quod ipſo ſcribente deſierat; alterum *Veteris*, quod ſuo adhuc tempore uſurpabatur. Nam ſtatim ac ea pars deſierat *Graecia Magna* vocari, ab eo tempore *Vetus Graecia* appellitari coepit. Sic & ceteri ſcriptores *Vetus* id omne vocabulum loci vocant, quod jamdiu obſoleverat. Ammianus lib. XIV. cap. 8. (al. 26.) *Hierapoli*, *Vetere Nino*, h. e. quae antea *Ninus* vocabatur. Ea Marcellini opinio erat: quae tamen falſi a Cellario arguitur in Syria pag. 429. quia vetus Hierapoleos nomen re vera *Bambyce* fuit. Idem lib. XXII. *Conſtantinopolis*, *Vetus Byzantium*. Eod. lib. *Philippopolim petiit*, *Eumolpiadem veterem*. In his igitur locutionibus *Vetus* tantumdem quod *Olim*, & παλαιὸς idem quod τὸ παλαιὸν. Ac niſi ita Megalopolitam noſtrum interpretere; ſequetur Graeciam Italicam, ab eo *Veterem* dictam, vetuſtiorem Hellade tranſmarina fuiſſe. Cum igitur Polybii aevo pleraq. tractus illius pars ad Barbarorum inſtituta & linguam defeciſſet; merito παλαιὰν Ἑλλάδα illam vocavit, quippe jam prope abolito Graeciae nomine. Confer quae cetera in parem alterum Polybii locum ineunte cap. 1. contulimus. Quare ſi me audis, Polybiana iſthaec aut parentheſi aut ſaltem inciſis juvanda ſunt in hunc modum: τῆς μὲν λοιπῆς παλαιᾶς σχεδὸν πάσης (καὶ Μεγάλης [ſupple τότε] καλουμένης) Ἑλλάδος. En ſatis cauſae cur ita verterim, ut ſuperne poſui.

(15) Caſaubonus tranſtulerat, *Arpinatibus & nonnullis Capuanis* &c. Verum Ἀργυριππαῖοι eosdem eſſe, quos Ἀρπαῖοι nummi vocant, itemq. Plinius aliique *Arpanos*, notius eſt quam ut monitore egeat. Arpinum autem quid huc facit, quod numquam Graecum fuit? Adhaec Capuae cives Graecis licuit Καπυαῖοι, aut Καπυαίους vocare, Latinis non item, quippe non aliter quam *Campanos* nuncupantibus.

(16) Miror ſummum interpretem pro Ἰταλιωτῶν reddidiſſe *Italiae populorum*; cum ſit certiſſimum Ἰταλιώτας haud alios fuiſſe quam Graecos Italiae incolas, aut Graecos Italienſes, teſtantibus id veteribus grammaticis, atq. ſcriptoribus aliis. Sicuti contra Ἰταλοὶ apud Graecos intelligebantur cetera pars omnis Italiae. Sic etiam Σικελιῶται ab Σικελοῖς diſtinguebantur, ut illi Graeci Sicilienſes eſſent, hi alteri vero veteres Siciliae populi. Malui in interpretatione mea *Italiotarum* vocem retinere, quam circumlocutione uti.

Digitized by Google

III. Tertiam opinionem, quae in maris utriusq. littore Graeciam Magnam posuit, tueri Strabo videtur: qui circa initium lib. VI. haec verba posuit: Τῶν δὲ Σαννιτῶν ἀυξηθέντων . . . ἅμα δὲ καὶ τῶν Ελλήνων τὴν ἑκαθέρωθεν παραλίαν μέχρι πορθμῦ κατεχόντων, πολὺν χρόνον ἐπολέμων οἵτε Ἕλληνες καὶ οι Βάρβαροι πρὸς ἀλλήλους. *Cum Samnites admodum crevissent . . . Graeci vero utriusq. maris oram ad fretum usq. tenerent; diu inter se Graeci ac Barbari dimicarunt*. Vbi τὴν ἑκατέρωθεν παραλίαν non minus eam intellexisse videtur, quae in mari Supero ad fretum usq. pertinet, quam quae in Tyrrheno ad idem porrigitur; praesertim cum in sequentibus satis videatur significare, quae inter Rhegium atq. Neapolim interjacent [quae quidem ultimis temporibus ad Barbariam desciviſſe ait] ea olim fuisse Graecanica. Seneca certe Tyrrhenici maris oram universam Graeciae Magnae attribuit in Consolatione ad Helviam: quem locum mox producemus.

IV. Quarta sententia Servii fuit ad I. Aen. v. 573. *Italia* μεγάλη Ελλὰς, *ideſt Magna Graecia est appellata, quia a Tarento usque ad Cumas omnes civitates Graeci condiderunt*. Seneca tamen, sinu Tarentino susque deque habito, oram Tyrrhenicam huic Graeciae tribuit, sic scribens ad Helviam: *Totum Italiae latus, quod Infero mari alluitur, Major Graecia fuit*. Sic enim παχυτέρως [*crassius*] eloqui satis habuit.

V. Postrema Plinii finitio videtur verissima omnium: cujus caput decimum lib. III. sic incipit. *A Locris Italiae frons incipit, Magna Graecia appellata, in tres sinus recedens Ausonii maris* (sic dicti) *quoniam Ausones tenuere primi*. Tres sinus, quos Plinius indicat, sunt Locrensis, Scylacius, Tarentinus: quos & Mela II. 4. significavit. Pergit: *Patet octoginta sex M. P. ut auctor est Varro. Pleriq. LXXV. M. fecere*. Nihil hac finitione accuratius: cui etiam Ptolemaeus adstipulatur lib. 3. qui oram Italiae maritimam describens, ubi Brutios Leucopetrâ promontorio terminasset; sic ab eadem Leucopetra reflectens iter ad interiora littora, de Graecia nostra incipit: Μεγάλης Ελλάδος παρὰ τὸ Ἀδριατικὸν πέλαγος. Ζεφύριον, Λοκροὶ πόλις, Λοκάνα ποταμοῦ ἐκβολαί. Ἐν δὲ τῷ κατὰ Σκυλάκιον κόλπῳ πόλις Σκυλάκιον, ὁ μυχὸς τοῦ κόλπου τοῦ Σκυλακίου, Λακίνιον ἄκρον· Ἐν δὲ τῷ Ταραντίνῳ κόλπῳ Κρότων πόλις, Θούριον, Μεταπόντιον, Τάρας. *Magnae Graeciae juxta Hadriaticum* [sive potius Jonium; nam apud Graecos *Hadriatici* & *Jonii* maris vocabula permutabantur] *mare, Zephyrium promontorium, Locri civitas, Locani fluminis ostia. In sinu, qui juxta Scylacium est, Scylacium civitas, Scylacii sinus intima, Lacinium promontorium. In Tarentino sinu Croton civitas, Thurium, Metapontium, Tarentum*. Mox idem Salentinorum orae *Japygium promontorium, quod & Salentinum*, attribuit, & cetera porro ad mare Hadriaticum, quod ipse Ionium vocat, Calabriae veteri, sive Messapiae assignat. Deinde ubi ad mediterranea describenda progreditur, sic habet: Μεγάλης Ελλάδος μεσόγειοι, Πετήλια, Ἄβυσρον. *Magnae Graeciae urbes mediterraneae, Petelia, Abystrum*. Vides igitur quam pulchre inter Plinium & Ptolemaeum conveniat. Cum quibus & Strabonem & ceteros consensuros praestare possumus, modo tempora distinguantur.

Nam olim quidquid Graeci nominis in Italiae ortiva ac meridionali parte ita coaluerat, ut continuo fere tractu ab iis incoleretur, id totum Graecia Magna dicebatur. Id vero & Messapiae partem comple-

ctebatur,

Digitized by Google

ctebatur, & totam ferme oram maritimam a Tarento Cumarum tenus, uti Servius teſtatur. Nam medio inter Rhegium ac Neapolim periplo fuerant antea Hipponiatae, Eleatae, & alia loca, de quibus cap. V. dicam. At poſtea, tum ante tum poſt ſociale bellum, cum omnia ad vicinorum linguam atque inſtituta defeciſſent [de quo Strabo lib. VI. conqueritur] Graecia Magna iis tantum finibus poſtremo conſtitit, quos Plinius ac Ptolemaeus deſcripſerunt.

Hanc vero Plinianam ac Ptolemaicam finitionem licebit ſic paullo aliter deſcribere. Apenninus mons, quâ ad ſinum Tarentinum accedit, in cornua duo finditur: quorum unum laevâ parte ad Iapygium promontorium, alterum dextrâ ad Zephyrium porrigitur. His igitur cornibus, nec non ſinubus Tarentino, Scylacio, ac Locrenſi ea intercipiebatur terra, quae ultimis reipublicae Rom. temporibus *Major Graecia* vocabatur, quaeque ſuperioribus ſaeculis oram praeterea Tyrrhenicam univerſam Cumarum tenus compleverat urbibus florentiſſimis. De quo plura adhuc mox cap. IV. & V. dicentur.

CAPUT III.

An unquam Sicilia Magnae Graeciae ambitu contenta fuerit.

STrabo in eam ſententiam laudatur ab omnibus, quaſi qui Magnam Graeciam partim in Italia, partim in Sicilia conſtituerit. Nec eo inficias, ejus verba id ſaltem in ſpeciem praeſeferre, quae ſunt ejuſmodi prope ab initio libri VI. Ὕστερον μὲν γε (Ἕλληνες) καὶ τῆς μεσογαίας πολλὴν ἀφῃρηντο, καὶ δὴ ἐπὶ τοσοῦτον ἠὐξηντο, ὥστε τὴν Μεγάλην Ἑλλάδα ταύτην ἔλεγον, καὶ τὴν Σικελίαν· νυνὶ δε &c. *Poſterioribus quidem temporibus magnam etiam mediterraneorum partem* [Graeci] *ad ſe rapuerunt; adeoque eorum crevit potentia, ut iſta regio & Sicilia, nomine Magnae Graeciae cenſerentur: at nunc* &c. Haec eſt Xylandri interpretatio, quam omnes ad hanc diem amplexos reperio. Verum duas nomenclationes Strabo ob oculos habuit, *Magnae-Graeciae* unam (quam illi tantum Italiae parti, quam deſcripſerat, tribuit) alteram ἁπλῶς *Graeciae*, quam ſolam Siciliae impertit. Itaque ultima Geographi verba ſic reddes: *In tantum crevere* [Graeci] *ut & Siciliam Graeciam nuncuparent, & hanc* [Italiae partem] *Magnam Graeciam.* Ita quidem illa dicturus fuiſſet, ſi ei licuiſſet a Sicilia ordiri: nunc quia proxime de locis circa ſinum Tarentinum egerat; ab hoc in quo deſierat, ordiri debuit. Id vero faciens ac ſimul brevitati ſtudens, hanc quidem *Magnam Graeciam* appellavit, at Siciliae ſimplex *Graeciae* vocabulum (non item *Magnae*) ἀπὸ κοινοῦ ſupplendum reliquit. Nec certe adverſus antiquorum omnium acceptionem venire voluiſſe tantus auctor videtur.

Quid quod cum Strabone Livius aperte facit? Sic enim lib. VII. cap. 26. in geſtis anni ab V. C. CDV. *Cum Graecis a Camillo* [nim. illo L. Furio Camillo qui Ap. Claudii Craſſi collega in conſulatu fuit]

Digitized by Google

nulla memorabilis geſta res: nec illi terra, nec Romanus mari bellator erat. Poſtremo cum [Graeci] *littoribus arcerentur, aqua etiam praeter cetera neceſſaria uſui deficiente, Italiam reliquere. Cujus populi ea cujuſve gentis claſſis fuerit, nihil certi eſt. Maxime Siciliae fuiſſe tyrannos crediderim: nam VLTERIOR* (17) *GRAECIA ea tempeſtate inteſtino feſſa bello, jam Macedonum opes horrebat.* Vbi auctor graviſſimus *ulteriorem* h. e. tranſmarinam *Graeciam* huic *citeriori* opponit, non quidem Italicae (quae ſibi perpetuum *Magnae* cognomen arrogaverat) ſed Sicilienſi: ad quam etiam Graeciae nomen pertinebat, ſed nunquam cum *Magnae* epitheto. Atque ea eſt Patavini cum Amaſeno conſenſio: ex qua intelligitur, neutrum eorum *Magnae Graeciae* vocabulum etiam ad Siciliam notandam tranſtuliſſe.

CAPVT IV.

Cur Graecia Italica aliquando Magnae, poſtmodum Majoris ſibi cognomentum adſciverit.

SECTIO I.

Cur eam ab initio Magnam cognominari placuerit.

EA pars Italiae quae Graecis coloniis frequens erat, quam ſuis limitibus hactenus definivimus, cur *Magnae* ſibi nomen paullo ſuperbius arrogaverit, nec ab antiquis, nec a recentioribus ſatis explicatum reperio. Vide Cellarium in antiqua Italia pag. 640. & qui ultimus haec attigit, Martinerium in Dictionario Geographico in fine longiſſimae de Graecia tractationis. Itaque digitum ad hos fontes intendiſſe contentus, recenſendis aliorum opinionibus ſuperſedeo.

Ac diu fuit, cum *Magnae* epitheton cum Graecia Italica non aliunde communicatum putarem quam ab ipſa Italia: quam quidem cognomento *Magnam* poetae dixerunt. Virg. Aen. IV. 345.

Sed nunc Italiam Magnam Grynaeus Apollo,
Italiam Lyciae juſſere capeſſere ſortes.

Sic quoque hanc eamdem *Heſperiam Magnam* vocavit Aen. I. 573. *Seu vos Heſperiam magnam* &c. Cum ergo *Magnae* cognomen ab Italia in Latium redundarit, dicente Virg. VII. 54. de Lavinia,

Multi illam magno e Latio, totaque petebant
Auſonia:

quid mirum ſi & totum Graeciae Italicae σύσημα in ejuſdem communionem appellationis pervenerit? Ac talis aliqua cognomenti ratio Servii animo obverſata videtur, quippe qui ad illud Virg. I. Aen. 573.

Seu

(17) Romani quidem veterem & matricem Graeciarum ceterarum *Ulteriorem* comparate ad Italienſem atq. Sicilienſem vocabant: at ex adverſo Graeci utramq. hanc relate ad ſuam appellitabant *exoticam*. Plautus Menaechmis act. II. ſc. I. (quae comoedia agi in Graecia fingitur) ſervum ita loquentem facit.

Mare ſuperum omne, Graeciamq. exoticam,
Oraſq. Italicas omnes, qua adgreditur mare,
Sumus circumvecti.

Digitized by Google

Seu vos Heſperiam magnam, Saturniaque arva,

hanc hujuſce appellationis cauſam affert: Μεγάλη *enim* Ελλὰς *appellata eſt Italia; quia a Tarento uſque ad Cumas, omnes Civitates Graeci condiderunt.* Quo quidem loco illud αἰτιατικὼν *Enim* cur uſurpaverit, parum video: nec porro nominis *Magnae Graeciae*, ſed *Magnae Heſperiae* aſſignare rationem grammaticus debuit. Verum ea mens nobili interpreti fuit. Ne mireris, inquit, *Heſperiam Magnam* a poeta dictam; nam quidquid in Italia fuit, id *Magnum* dici oportuit. Sic *Latium magnum* in ſuperiore exemplo poetae dicebatur: ſic quoque Graecia Italica dicta eſt *Magna Graecia*. Deinde quod ſequitur (*quia*, inquit, *a Tarento uſque ad Cumas, omnes civitates Graeci condiderunt*) id non eo pertinet, cur Graecia Italica diceretur *Magna* [id enim potius agebat, cur Heſperia dicta ſit *Magna*, exemplo ſcilicet Magnae Graeciae] ſed cur omnino Graecia ulla in Italia olim fuiſſe perhibeatur. Id quod aevo Servii, h. e. quarto Chriſti ſaeculo, admonendum ſedulo fuit; quippe eo tempore Graeciſmus omnis in Italia obſoleverat. Atque in eam partem Serviana, quam adſcripſimus, adnotatio eſt accipienda, ne aliena a propoſito videatur.

Huc etiam Plinii locus mirifice facit lib. III. cap. 5. ubi cum totus in Italiae laudibus eſſet; hoc etiam in ejus ornamentum redundare voluit, quod multeſima pars Italiae, quam Graeci ſuis coloniis frequentarunt, olim *Graeciae Magnae* nomen invenerit. *Ipſi*, inquit, *de ea* (Italia) *judicavere Graeci, genus in gloriam ſuam effuſiſſimum: quotam partem ex ea appellando Graeciam Magnam!* Hoc vult autem ſuo laconiſmo Plinius, Graeciam Italicam non ex regionis latitudine (cum ea e contrario quam anguſtiſſimis finibus artaretur) verum ab ingenti ipſius Italiae exiſtimatione ſibi *Magnae* cognomen arceſſiviſſe. Quaſi diceret: Numquam Graeci, mortalium arrogantiſſimi, tantulam Italiae partem *Magnam* vocaſſent (quo nomine veteris ſuae Graeciae luminibus offeciſſent) niſi intellexiſſent, quidquid ad Italiam pertineret, quantulum id cumque eſſet, oportere *Magnum* appellari. Atque ea eſt vis Pliniani loci.

Ergo in hoc agnomento τὸ *Magnus* non ad glebae latitudinem, verum ad ſplendorem atque magnificentiam pertinet (quam ab ingenti Italiae nomine iſthaec ſibi Graecia contraxerat) id quod in ſimilibus locutionibus Maurus Servius aperte docuit ad illud I. Aen. v. 292. *A magno demiſſum nomen Iulo. A MAGNO*, inquit, *ſicut Alexander, ſicut Pompeius. Graeci enim omne magnificum MAGNVM, ut MATER MAGNA, & DII MAGNI.*

Atque ex ſuperioribus Servii Honorati, Pliniique locis licebit hoc etiam obiter animadvertere, ex utriuſque ſententia Graecos potiſſimum auctores ἐπικλησίας *Magnae Graeciae* fuiſſe. Polybium certe, ut cap. 1. vidimus, primum omnium ea uſum reperio.

Sane in hunc modum meas olim rationes inieram: quas tametſi ne nunc quidem conturbo; hoc mihi tamen ſcrupulum ingerebat, quod eadem non tantum *Magna*, ſed & *Major* vocata a Latinis (18) Scriptoribus

 fuit.

(18) Nullus Grecorum quod ſciam Ελλὰς Italicam ſive μείζονα, ſive alio comparationis gradu donavit (etſi ſatis ſciam, interdum apud eosdem Μέγας pro comparativo μείζων uſurpari: quippe quibus Cato ille, qui Latinis *Major* eſt, Μέγας nuncupari ſolet) at eandem Latini plerumque *Majorem* agnominarunt: certe quod ab

fuit. *Major* autem ubi dicitur, id non magnificum aut auguſtum quid ſonat: ſed cum ſit comparationis nomen, apparet ita Graeciam Italicam fuiſſe *Majorem Graeciam* vocitatam, ut comparate ad *Minorem* alteram Graeciam ſic nuncupata fuerit. Quamnam vero Minorem iſtam dicemus? Nec enim Graecia tranſmarina intelligi *Minor* potuit, quae hac Graeciâ Italicâ ad ſinum Tarentinum poſitâ longe ampliores fines habuit. Quaerenda eſt igitur, ſi poſſumus, haec Minor altera, cujus comparatione illa ad ſinum Tarentinum *Major* ſit appellata.

SECTIO II.

Cur eadem Magna Graecia poſterioribus Romanorum temporibus MAJOR vocari coeperit.

AD haec expedienda duplicem Graeciae ſtatum conſiderari jubeo. Prior is eſt, qui proxime ante Polybiana tempora tenuit: quo tempore quidquid πόλεων Ιταλιωτίδων h. e. Vrbium Italiae Graecarum fuit, id univerſum uno fere perpetuo tractu a Grajugenis habitabatur, quia [ut e Servio intelleximus] *a Tarento uſque ad Cumas, omnes* [illius orae maritimae] *civitates Graeci condiderunt*. Atque huic priori Grajarum civitatium σχήματι reſpondet *Magnae Graeciae* nomenclatura; quae quidem appellatio longe prior fuit nomenclatione alterâ *Majoris Graeciae*. Atque illud prius *Magnae Graeciae* vocabulum etſi, Servii Pliniique auctoritate fretus, ab Italiae ſplendore in eam redundaſſe oſtendi; tamen fatendum eſt, non parum etiam ad id nominis contuliſſe orae maritimae longitudinem, quam Graeca natio tunc temporis occupaverat, additis etiam duabus peninſulis, Salentinorum Bruttiorumque [quas etiam magna ex parte tenebat] additis poſtremo Arpis, Hadria Piceni, Diomedis inſulis, & ſiquid aliud in ora Superi maris Graecanicum fuit. Longe autem plurimum ad eamdem appellationem contulerat artium doctrinarumque pulcherrimarum cultura, quas Pythagoras [19] longe lateque ibi proſeminaverat. En igitur ſatis cauſarum, cur tunc temporis *Magnam* appellitari viſum fuerit.

At vero ante & poſt Polybiana tempora urbes Inferi maris Graecanicae ſenſim ad Romana inſtituta atque ſermonem defecerunt. Ad Romana transfugere quaecumq. oppida colonias Romanas acceperunt, veluti *Vibo Valentia* [20] quae antea Ἵππων fuerat: *Paeſtum* [21] quae prius Ποσειδωνία fuiſſe dicitur: *Dicaearchia*, quae poſtea [22] colonia Puteolana, mox forſitan municipium, ac rurſus pleno jure colonia

mihi

ab ultimis liberae reip. temporibus *Major* nuncuparetur, quae initio *Magna* vocata fuerat. Latinorum exempla cap. I, protuli, quaecumque potui colligere. Nec refert, quod eorum plura ad priſca tempora referantur, quibus ea *Magna* potius dicebatur: nam Latini *Majoris* cognomento, quod non niſi proximis aetatibus invaluerat, ita inſueverant, vix ut aliter eam vocarent, vel tum cum de primodiis Graeciae Italicae loquerentur.

(19) De quo videantur, quae cap. ultimo de vetere Magnae Graeciae ſplendore dicentur.

(20) De hac vide in urbium Magnae Graeciae catalogo, quem cap. ſeq. dabimus.

(21) De Poſidonia ſive Paeſto videatur peculiare opuſculum, quod de ea ſcripſimus, quod & ſuo loco inſeremus. Interim ſciendum eſt, illuc jam inde ab anno V. C. 480. coloniam fuiſſe tranſcriptam, eamq. *Neptuniae* cognomen ſimul cum Paeſti nomine conſecutam.

(22) De colonia Puteolana videatur ſaepe jam dictus catalogus.

Digitized by Google

mihi fuiſſe videtur. Mitto jam alias noſtris temporibus ignorabiles. His addes urbes illas, quae primum ad Lucanorum aut Campanorum poteſtatem tranſierunt, mox ſimul cum Italicis civitatibus jura civilitatis Romanae obtinuerunt. In eo numero eſt Velia & Herculanium [quod prius Ηραχλεία aut potius Ηραχλεῖον dictum videtur] de quibus in dicto urbium Ιταλιωτίδων catalogo. Adhaec plura alia oppida a Graeciſmo ad Lucanorum aut Campanorum inſtituta ac dialectos tranſiiſſe Strabonis [23] auctoritas fateri cogit; idemque ſatis indicat, easdem urbes ſimul cum Lucanis & Campanis Romanam tandem πολιτείαν conſecutas.

Itaque poſtremo eo ventum ſuit, ut ab Rhegio Cumarum tenus [quouſq. ora omnis antea in totum Graeca fuerat] nullum jam memorabile oppidum praeter Neapolim intermedium ſuperaverit, quod re vera Graecanicum dici poſſet.

Dixi nihil aliud fuiſſe ἀξιόλογον [*memoratu dignum*] nam ceteroqui Puteoli diu etiam [quamdiu certe municipium [24] fuit] Graeciſmum aliqua ex parte ſervabant: Cumae vero adhuc ſub Caeſaribus Graeci oris erant: poſtremo Bajae, inſulaeq. Capreae, Pithecuſae, Neſis inter loca Graecanica, ſicuti & villae plurimae [in quas ſerius peregrinitas, novique mores invehi ſolent] numerari poterant. De Baulis autem Latinas inſcriptiones ineditas habeo, quas in Catalogo proferam.

Itaque ab eo factum, ut duplex tunc temporis Graecia videretur. Una illa erat cujus caput Neapolis, cui copulabantur tractus Cumanus, Puteolanus, Bajanus, & objacentes inſulae: *Major* vero altera ac nobilior, quae ſimul oram totam Tarentini ſinus tenebat, ſimul etiam in peninſulas duas Sallentinorum unam, Bruttiorum alteram, etſi non [25] integras diffundebatur. Haec vero altera orae Lucanicae Graecia cum longe amplior eſſet; merito *Major Graecia* dicta fuit comparatione *Minoris*, quae obſidebat Campaniae littora. Tametſi nunc quidem exemplis tantum iis abundamus, quibus quae ad ſinum Tarentinum Graecia erat, vocabatur *Major*: dum interim de artiore hac altera adhuc equidem exempla quaero, quibus *Minor Graecia* dicta fuerit. Sed tamen id totum dabatur intelligi, ut paribus (26) exemplis oſtendi poſſet. At certe quia in Campania erat re vera quoddam Grajarum urbium σύστημα minuſculum; ſi quis hoc *Minorem Graeciam* nuncupaſſet, nemo quiſquam offendebatur. Imo quamvis hanc appellationem, utpote non neceſſariam, numquam uſurpatam darem; tamen ultimis liberae reip. Romanae temporibus, dum etiamnum Campanienſis haec Graecia floreret, nemo unus erat, quin illam orae Tarentinae Graeciam non niſi comparatione hujus Majorem dici Graeciam perſentiſceret.

Hactenus dictis lucem aliquam Tullius affundet: qui cum ſaepe alias Magnae Graeciae nomen uſurpaſſet, quoties de eo tractu, qui

circa

(23) Strabonis locum tum alibi declaravimus, tum infra dedita opera illuſtrius faciemus.

(24) Antequam ſcilicet ſub Nerone pleno jure colonia Romana fieret.

(25) Nam utriuſque peninſulae interiora littora ad Ionium & ad ſinus Tarentinum, Scylacium & Locrenſem expoſita, adhuc urbes Graecas ſervabant: at exteriora, ex una parte ad Hadriaticum, ex altera ad Tyrrhenum mare ſpectantia, ea pleraque a Graeciſmo defecerant.

(26) Sicuti cum in una familia ſic duo diſtinguebantur, ut antiquior *Major*, junior diceretur *Minor*; tamen ſatis erat in uno eorum id uſurpari diſcrimen, alterum vero abſolute notari, ſubaudito diſcrimine. Sic ſatis erat Catonem cenſorium dici *Majorem*, at alterum Vticenſem non neceſſe fuit *Minorem* appellitari.

Digitized by Google

circa ſinum Tarentinum eſt, loqueretur: tamen in ea pro Archia cap. 5. cum ex utroq. tractu, tum Lucanico Bruttioq. tum etiam Campanienſi (h. e. ex utraq. Italica Graecia, Majore una, Minore altera) urbes enumeraturus eſſet, abſolute *Graeciam* dixit ſine ullo prorſus additamento. *Etenim*, inquit, *cum mediocribus multis, & aut nulla, aut humili aliqua arte praeditis, gratuito civitatem in GRAECIA homines impertiebantur; Rheginos credo, aut Locrenſes, aut Neapolitanos, aut Tarentinos, quod ſcaenicis artificibus largiri ſolebant, id huic ſumma ingenii praedito gloria, noluiſſe*. Qui, quia Neapolitanos etiam appellaturus erat, qui erant in minore Graecia, idcirco non *Graecia majore* dixit, ſed tantum *Graecia*, ſupple hac Italica. Vbi de Paſſeratio miror, qui tranſmarinam Graeciam intellexit, contra Oratoris mentem: qui omnino Graeciam Italicam deſignavit, nempe eam, in qua Rhegium, Locri, Neapolis, Tarentum numerabantur. Accedit quod facilitatem Graecorum Italienſium in civitate danda Tullius notavit: cum contra ſciam Graecos trans mare poſitos raro exteris, aut non niſi magnis de cauſis aevo Ciceronis jus civitatis fuiſſe largitos.

Nec abſimilis eſt nobiliſſimus alter Varronis locus, quo Ἄργος Ἵππιον [h. e. *Argyrippa* ſive *Arpi*, quod fuit Apuliae oppidum] Graeciae Italicae illi, quam ſive *Minorem*, ſive *Disjectam* aut *Diſperſam* licebit vocare, attribuit. De eo Varronis loco in urbium Graecarum catalogo, ubi de *Arpis*, diſſeremus.

Hactenus de Graeciae ſive *Magnae* ſive *Majoris* appellationis cauſis. Quas quidem in haec pauca contrahere non diſplicebit. Initio quidem univerſa Italica Graecia ſibi *Magnae* (undecumque (27) id uſu venerit) nomen arrogaverat. At poſterior aetas cum duas jam in Italia Graecias (quippe oppidis orae intermediae ad Romana inſtituta prolapſis) animadverteret, nempe ampliorem unam circa Tarentinum ſinum, anguſtiorem in Campania alteram; illam quidem vocavere *Majorem* comparate ad hanc artiorem alteram: hanc vero puſillam ſatis habuere *Graeciam* abſolute dicere, neglecta adjectione *Minoris*; maxime exemplo familiarum, in quibus ubi duo diſcriminandi eſſent, ſatis erat, uno *Majore* dicto, minorem alterum abſolute ſuo appellare nomine, ſuperſeſſo *Minoris* additamento.

Poſtremo ſi quis *Majorem Graeciam* non tantum comparatione Minoris Graecanici corporis (quod in Campaniae ora junctim ſuperfuiſſe oſtendimus) verum etiam aliarum urbium Graeci oris quaqua verſus diſperſarum, *Majoris* cognomen ſibi quaeſiviſſe contenderit; non magnopere reluctabor. Nam re vera praeter Majorem in Lucania Graeciam, ultimis etiam reipublicae Rom. temporibus ſuperſtitem, atque hanc Minorem in Campania alteram, reſtabant adhuc in Italia reliquiae Graeci nominis aliquot disjectae ac diſſeminatae: quas infra in Catalogo in unum faſciculum colligemus.

SE-

(27) Sive transfuſo ex Italia *Magna* nomine, ſive ex Rerum-publicarum Magnae Graeciae potentia, & Pythagoricae ſapientiae ſplendore, ſive undeunde tracto vocabulo, ut ante diximus. Fortaſſis enim ne priſci quidem Italiae incolae veram hujus appellationis cauſam tenebant.

Digitized by Google

SECTIO III.

Adverſus novum in hac re Pariſinorum Academicorum excogitatum.

VErum quid eruditiſſimis Pariſinae ſcientiarum Academiae ſociis faciemus, qui longe alio hujuſce rei cauſam contulerunt? Atque equidem Academiae illius commentarios ad manus non habeo: nec eos nunc conquirere tanti fuit. Nam ex Martinerii Diction. Geogr. (in fine articuli qui de Graecia eſt: ubi memorias anni 1714. laudat) in hunc ferme modum eos rem tranſegiſſe intelligo. Pauciſſimis autem rem univerſam comprehendam. Viri eruditi *Magnae Graeciae* ambitu complectuntur quidquid ferme (ut uno verbo expediam) hodie *Regnum Neapolitanum* vocatur. Hanc vero Italiae partem haud paullo majorem fuiſſe contendunt vetere Graecia proprie dicta, illa ſcilicet cujus comprehenſione non aliud quam Peloponneſus, Achaia, atque Theſſalia continebatur. Id vero ut probent, ad nuperas latitudinum & longitudinum obſervationes, necnon ad locorum quorumdam intervalla accurate dimenſa provocant. Munitus hiſce ſubſidiis accuratiſſimus Guil. Islaeus, duas condidit tabulas exactiſſimas, Graeciae veteris unam, alteram Italiae: ex quarum comparatione, ejus Italiae partis, quam olim Magnam Graeciam vocatam ſtatuunt, ſupra veterem Graeciam tranſmarinam exceſſus ita ſtatim, uti volunt, incurrit in oculos, ut monitore non egeat.

Verum haec nupera opinio fulcro imbecillimo nititur. Nam quod ſibi tamquam ſuo jure ſumpſere doctiſſimi Academici, nim. olim Magnam Graeciam eo uſque pertinuiſſe, ut maximam Regni Neapolitani partem contineret, id eſſe falſiſſimum cap. 2. a me ſupra oſtenſum fuit: ac ſatis ſcitum eſt, Graecos Italienſes a Lucanis, Samnitibus, Campanis, Apulis, aliiſque hujus Regni populis perpetuo diſtingui a Polybio, Strabone, Livio, ceteriſque paſſim ſcriptoribus. Hoc igitur fundamento labefactato, cetera ſimul ruant neceſſe eſt.

CAPUT V.

Catalogus Italicarum Graeci nominis urbium.

UT Graecarum in Italia urbium legitimus contexatur index, duobus maxime id viis aſſequi poſſumus. I. Ac primum veterum probatiſſimorum auctorum de Graecis conditoribus teſtimonia ad id manu ducunt. Probatos auctores eos voco, qui res ſuorum aut proxime ſuperiorum temporum fide ſumma narrent, aut antiquiora ex ſinceris auctoribus referant. Eas vero antiquas narrationes maxime amplector, quae Olympiadum inſtitutionem non admodum excedunt, nec omnino ad Troica tempora referuntur. Non enim eas aetates moror, quae ſive antecedunt Trojae excidium, ſive proxime ſunt ſubſecutae. Neque id

Digitized by Google

id ſolum quia quae ſive tranſcendunt ſive attingunt Iliaca tempora, ea ſunt plane incertiſſima omnia, verum etiam quod iis aetatibus non dum Graecanici quidquam (ſive linguam ſive inſtituta ſpectes) re vera conſtiterat; quia quae poſtmodum Ελλὰς ſive Graecia dicta fuit, erat tum mera Barbaria; nec tum aliae quam Phalegicae dialecti, alibi aliae, per Europam Aſiamque uſurpabantur, quae poſtea ſubſecutis temporibus in diverſa linguarum divortia ſenſim digredientes, in idiomata varia coaluerunt. Nolo hic recoquere quae plurima in hanc rem in noſtris (28) Tyrrhenicis atque (29) Phalegicis ediſſeruimus. Ergo ea tantum ſcriptorum teſtimonia ſequenda duco, quae ad hanc illamve Olympiadem urbis alicujus conditum conferant: aetates remotiſſimas parum moror.

II. At ſcriptorum quorumlibet teſtimoniis longe exploratiora ſunt nummorum, lapidum, aerearum tabularum monumenta. Quae ſi Graeca fuerint; ecquis de Graecanico earum urbium conditu dubitabit? Quod ſi pleraque Etruſcis, Oſcis, aut omnino peregrinis elementis exarata deprehendantur; tum antiquos auctores omnes, vel ſi milleni fuerint, qui Graecam ipſarum originem crepantibus buccis jactaverint, contemnemus. Itaque Naſonem, Iuſtinum ac tot alios Italiam fere omnem Graecis conditoribus vindicantes facile ridebimus; cum hoc tempore nullus fere ſit locus, in quo non nummi, aera, marmora barbaris inciſa notis in apricum prodierint, & quotidie proferantur: ut vere illud a Livio dictum fuerit, Etruſcos (quos a Phoenicia aut omnino ab Orientali origine haud dubie arceſſendos eſſe, in noſtris Tyrrhenicis liquido demonſtravimus) totius initio Italiae terra marique dominatos, primoſque adeo urbium conditores exſtitiſſe: Graecos vero non niſi poſterioribus aetatibus nonnullis in littoribus conſediſſe, neceſſe eſt. Vt illud omittam, quod Antenori, Aeneae, Trojanorumq. reliquiis [quibus in Italiam tunc receptus fuiſſe dicitur] non niſi in Homeri poematibus Graece eloqui licuit: nam Phryges univerſi βαρβαρόφωνοι diu etiam poſt bellum Trojanum fuiſſe tradantur; ſicuti non ſecus eorum plerique, qui tunc ſive adverſus Ilium, ſive pro eo ſteterunt. Proinde eorum nemo Graeci quidquam huc quivit inferre.

Ergo in condendo urbium Ιταλιωτίδων, h. e. Grajae originis, laterculo in primis irrefragabili veterum monumentorum ſuffragio nitemur: quibus deficientibus, ita demum ad ſcriptorum narrationes, nec tamen ſine judicio, recurſus erit.

III. Interim ne etymologias quidem a linguis Orientis petitas, ſicubi in urbium nominibus ſeſe manifeſto offerrent, ac fulgore ſuo oculos ultro perſtringerent, negligendas putavi, quemadmodum & olim in Tyr-

(28) Ea voco Tyrrhenica, quae Romae anno 1741. tomo III. Diſſertationum Cortonenſium Italico ſermone prodierunt. Quae Tyrrhenica collectanea duplo auctiora in pluteis habeo. Nec finis ullus fuiſſet, ſi paullum modo in id incubuiſſem. Ex eorum lectione liquido apparet, Graecos id ſemper ſtuduiſſe, ut loca omnia ſuae originis facerent, locorum vero vocabula ad Graeciſmum detorquerent, quo magis Graeca viderentur: quae tamen Etruſca erant, ut quae in Orientis linguis manifeſto fixas radices habent.

(29) Phalegica dico, quae de Noachidarum migrationibus affecta in ſchedis habeo. Ex quibus (praeter ea quae apud Bochartum & alios leguntur in eam ſententiam) efficitur, non tantum Italiam, & Europae pleraque, ſed & quaecumq. florente Graecia ubique Graeci oris fuerunt, tamen Phalegicae ſive orientalis originis diu certa veſtigia retinuiſſe.

Digitized by Google

Tyrrhenicis feci. Ex iis enim feliciter urbium orientalis origo ſaepiſſime eruitur. Quarum quidem urbium ſi quidem nummi Graeci vulgo circumferantur; tum (maxime ſi adſtipuletur hiſtoria) facile ſtatuemus, eas initio a Tyrrhenis aut omnino ab Orientis populis fuiſſe conditas, poſtmodum autem [ſive ſcilicet ante Siculi Dionyſii tempora, ſive ſub ipſo, aut non multo poſt] a Graecis occupatas noviſque colonis frequentatas. Quae hic nunc verbo uno de primitivis terrae Italiae conditoribus attigi, ea latius aliquanto deducta in ima pagellae [30] ora cupidis rerum harum, quibus tanti res viſa fuerit, licebit cognoſcere.

IV. Adhaec quia duplex fuit ſtatus Italicae Graeciae: latior unus circa Siculi Dionyſii tempora [quando haec non tantum oram Italiae, ſed & Superi Inferique maris littora, illinc ad Hadriam uſq; hinc Cumarum tenus, obſidebat] alter anguſtior, quem cap. ſuperiore deſcripſi; nunc quidem poſteriori huic, noſtriſq; aetatibus propiori inhaerebimus. Prior ergo catalogus Majoris Graeciae inter bina Apennini cornua interque ſinus Tarentinum, Scylacium atque Locrenſem concluſae oppida peragrabit. Alter diſperſas per oram Superi maris urbes exſequetur: ultimus ab Rhegio Cumarum tenus procedet, ubi & Minor Graecia fuit.

(30) *De eo, quod Orientis populi omnium primi fuerint Italiae urbium conditores, documenta aliquot.*

Primorum Italiae incolarum plura occurrunt apud ſcriptores nomina, veluti *Siculi*, *Auſones*, *Pelaſgi*, *Tyrrheni*, *Oenotri*, atque alii ſexcenti, quos longum eſſet enumerare. Quorum quinam fuerint aliis antiquiores, haud queo dicere; nec enim in rebus remotiſſimis tuta eſt veterum ſcriptorum fides, praeſertim inter ſeſe pugnantium. At certe cujuſcumque nominis primi advenae fuerint, eos Chananaeos genere ſive Phoenices fuiſſe, aut omnino ab Oriente huc fuiſſe profectos, non eſt dubitandum. Id quidem de Tyrrhenis, totius primitus Italiae terra marique dominis, Tyrrhenica noſtra (quae anno 1741. Romae tom. 3. Cortonenſium prodierunt) extra omnem controverſiae aleam reliquerunt: quae huc revocare non eſt animus. Verum quod tunc temporis tum in Circumpadana Tyrrhenia, tum in citeriore etiam quae inter Apenninum ac mare fuit, ac dextra Tiberis ripa terminabatur, praeſtitimus, hoc ipſum nunc in toto ferme Neapolitano Regno praeſtare poſſem, ſi id agerem. Ceterum ſatis nunc erit, ſi ejus rei in univerſum documenta proponam, pauca alia in ipſo catalogo pro re nata admenſurus; ceterum multo plura & retruſiora in Collectaneis Graecarum Italiae urbium, quae ad operis calcem ſeorſum dabimus, adpoſiturus. Ergo indicia ejus rei haec nunc proferre poſſum.

1. Toto Neapolitano Regno inſcriptiones peregrinis characteribus eruuntur quotidie (utinam non & pleraeque corrumperentur) quarum plurimas in Meſſapia totaque Lucania effoſſas ſcio, earumque aliquot exempla in pluteis habeo. In Lucanicis hiſce titulis, notarum a dextra in laevam progredientium forma ita ad Graeca elementa deflectit, ut tamen non ſint plane Graeca, maxime cum verbum nuſquam Graecum exſculpi queat. Nec tandem conſtans omnium ſcriptura eſt; re enim vera pro locis temporibuſque ſcriptura illa vetuſtiſſima variabat. In nonnullis litteras ſimiliores orientalibus licet animadvertere, in aliis propius ad Graecanicas notas accedunt.

2. Nummi toto hoc Regno Neapol. ignorabilibus elementis inſcripti ubi non effodiuntur? Quorum nonnullos intellectu faciliores (quippe ad uſitata antiquitus locorum nomina propius accedentes) in Collectaneis inferemus.

3. Poſtremo antiqua Regni Neapolitani locorum vocabula ſunt ejuſmodi, quae raro Graece aut Latine aliquid innuant: eadem vero plerumque in Hebraico, Chaldaeo, Syroque ſermone fixas radices habent. Quod non ne arguit, ac voce exſerta clamat, ea loca principio non niſi ab iis populis, quorum ſermo in locorum vocabulis ſeſe prodit, fuiſſe habitata? Si qui ſane ſunt, qui ad hujus argumenti vim ſeſe ſtupidos praebeant, eos plumbeos ne an quid aliud appellaverim? Quid? quod locorum vetera nomina ſi ex linguis orientalibus interpretere, haud raro ejuſmodi interpretamenta pulchre cum hiſtoria priſca locorumque natura congruunt? Quid? quod ſi quando vetuſtioribus locorum vocabulis mox recentiora alia ſive Graeca ſive Latina ſubrogata fuerunt, ſaepiſſime comperiatur, priora illa nomina tantumdem in linguis Orientis notare, quod recentiora ſive Graece ſive Latine ſonant? Cujuſmodi ſpecimina plurima in eisdem Tyrrhenicis ſparſim protulimus: ac vide prae ceteris Adnotationem paginae 16. tomi 3. ſubjectam, in qua plura talia reperies. An poteſt evidentius afferri quidquam, quo ſuadeatur primorum Italiae conditorum linguas, non niſi dialectos ex Oriente propagatas fuiſſe: ac proinde qui primi Italiam coloniis frequentarunt, eos magnam partem Chananaeos exſtitiſſe, ſive Phoenices alioſque finitimos populos vocare libeat? qui quidem poſtea in Italia pro locorum temporumque diverſitate *Siculi*, *Auſones*, *Oenotri*, *Pelaſgi*, *Tyrrheni* (ut alia vocabula taceam) nuncupati reperiuntur.

Haec quidem in anteceſſum animadvertiſſe proderit. Peculiaria ac minutiora, ubi occaſio tulerit, aſpergemus; ac praecipue in fuſioribus Collectaneis, quae de quibusdam Regni Neapolitani locis ſubnectere ad calcem eſt animus: quorum initio proponemus illa, quae ad primos Magnae Graeciae habitatores pertinent.

Digitized by Google

Poſtremo cum in catalogo, quem mihi contexendum propoſui, quarumdam urbium tractationes opinione mea longiores evaſuras augurarer; hinc haſce diffuſiores commentationes, ne lectores obruerent, ac filum ſcriptionis aequabilis interrumperent, in unum locum ſeorſum rejeci, nempe in Appendicem aliquam, quae in totius operis fine, ea omnia Collectanea complectetur: quae ſpero Orientalis philologiae cupidis non ingrata fore.

SECTIO I.

De primitivis Graeciae Italicae incolis; ac rurſus de ſtrictioribus Magnae Graeciae finibus.

INter primarios terrae hujus quae poſtea ſibi Magnae Graeciae nomen quaeſivit (de cujus ambitu dictum eſt ſupra, & mox pauca rurſus aſpergemus) primos habitatores fuiſſe *Iapyges* (quantum quidem remotiſſimam anteacti temporis memoriam revocare licet) in Collectaneis in fine operis exhibendis demonſtrabimus. Nam praeterquam quod eorum nomen [ut ibi exponemus] deſignat, ſeſe *fugitivos* eſſe & conſternatos, quippe *A facie Ioſuae filii Nun fugientes*, ut ex memoratis a Procopio columnis docebimus; accedit quod Magnae Graeciae loca ſunt paſſim Japygum ſparſa veſtigiis. Croton urbium potentiſſima ab Japygibus tenebatur antiquitus [ut in Crotone dicemus] prius quam his ejectis, occuparetur a Graecis. Ex adverſo Crotonis citimis etiam temporibus τρεῖς Ἰαπύγων ἄκραι [*tria Iapygum promontoria*] celebrabanturi. In oppoſito vero cornu promontorium alterum erat binomine, quppe quod & *Sallentinum* & *Iapygium* vocabatur. Ergo quod olim Magna Graecia dicta fuit, id ferme univerſum prius *Iapygia* vocabatur. Nec tamen *Meſſapiae*, *Calabriae*, *Peucetiae* nomina minus uſitata fuerunt; ſed Iapygia patebat latius; nam ferme utramque peninſulam ſive utrumque cornu, atque haud ſcio an & interceptam Lucaniam continebat. Verum de his populis, utrum nomine an re diſcrepaverint, in Collectaneis excutietur. Illud interim praeſtare poſſum, Iapyges & quos recenſivi ceteros, a Graecis diverſo tempore pulſos a littoralibus urbibus [quae omnes tandem in Magnorum Graecorum poteſtatem venerunt, qui viciſſim in mediterraneis pauca admodum poſſidebant] ἐν μεσογαίᾳ (*intus*) conſtitiſſe, donec ibi quoque cum Lucanis Bruttiiſque confuſi permiſcerentur. Verum haec ſumma ſunt rerum capita: de quibus plenius in Collectaneis.

Nunc antequam contexendi Graecorum locorum catalogi ſatagam; anguſtiores illos Magnae Graeciae ſtrictim ſumptae terminos juvabit levi brachio refricare. Et quidem Graeciam Magnam Plinio & Ptolemaeo [quorum loca vide ſup. cap. 2. pag. 16. num. V.] ſtrictioribus terminis fuiſſe deſcriptam illud argumento eſt, quod eam in Siculo latere non ultra Locridem promovent, excluſo contiguo *Rhegio*, quamvis hoc aevo Ptolemaei graecitatem ut cum maxime retineret. Nam Ptolemaeus, qui *Abyſtrum* obſcuriſſimum oppidum in

Magna

Digitized by Google

Magna Graecia recenſuerat; cur ab eadem Rhegium exemiſſet, niſi quia ultra Zephyrium, aut ultra Leucopetram & Halecem non licebat Graeciam illam Magnam extendere? Rhegium ergo & alia porro orae Bruttiorum oppida, licet Graeci oris eſſent, erant tamen extra receptos Graeciae Magnae terminos. Simili ratione idem Ptolemaeus in littore oppoſito non ultra Tarentum & promontorium Sallentinum proceſſit: proinde praetermiſit Hydruntem ſicuti & alias orae illius, Graecas quidem urbes, ſed tamen extra receptos Magnae Graeciae fines. Ergo veriſſimum illud eſt quod ſupra eod. cap. pag. 17. ſtatuimus, Plinianam ac Ptolemaicam Graeciae ſive Magnae ſive Majoris finitionem hoc ambitu terminari, intus quidem duobus Apennini cornibus [quorum unum in Meſſapiam, alterum ad fines Bruttiorum procurrit] in ora vero ſinubus tribus, Tarentino, Scylacio, Locrenſi. Horum ſinuum ampliſſimus eſt Tarentinus, quippe a Sallentino promont. ad Lacinium uſque progrediens: hinc Scylacius qui uſque ad Cocinthum pertinet: a Cocintho vero ad Zephyrium, aut vero ad Leucopetram & Halecem fluvium uſque ſinus Locrenſis eſt.

Deinde illud quoque in Ptolemaei finitione eſt animadvertendum quod ea tantum is oppida in Magna Graecia memorat, quae ſua adhuc aetate Graeciſmi veſtigia retinebant. Nam ſi ſecus fuiſſet; cur is non tantum obſcuriora loca veluti *Conſilinum*, *Cocinthum*, *Crimiſam*, *Sirim*, *Siberenam*, ſed & clariſſima duo illa, *Cauloniam* & *Heracleam* praeteriviſſet?

Ergo in hac vetere Magna Graecia deſcribenda tum Plinium [qui eam poſt Melam *Frontem Italiae* appellavit, uſitato antiquitus [31] nomine, ut equidem puto] tum in primis Ptolemaeum ducem

(31) *Cur Magna Graecia antiquitus FRONS ITALIAE dicta fuerit.*

Extremam illam Italiae partem, quae ſeſe in cornua duo ſcindit, Mela & Plinius *Italiae frontem* nuncuparunt. Quorum ille lib. II. cap. 4. haec poſuit: *Italia . . . . inter Superum mare & Inferum excurrit, diu ſolida: verum ubi longe abit, in duo cornua ſcinditur, reſpicitque altero Siculum pelagus, altero Ionium.* Infra: *Hucuſque Hadria, hac uſque Italiae latus alterum pertinet. FRONS ejus in DVO quidem ſe CORNVA, ſicut ſupra diximus, SCINDIT: ceterum mare, quod inter utraque* (cornua) *admiſit . . . . non uno margine circuit, nec diffuſum patenſque, ſed per ſinus recipit. Primus Tarentinus dicitur, inter promontoria Sallentinum & Lacinium . . . Secundus Scylaceus inter promont. Lacinium & Zephyrium* (imo potius *Cocinthum*) *tertius inter Zephyrium* (imo *Cocinthum*) *& Bruttium*, h. e. Leucopetram. Melae concinit Plinius III. 10. *A LOCRIS ITALIAE FRONS incipit, Magna Graecia appellata, in tres ſinus recedens Auſonii maris*, & quae cetera cap. 2. pag. 16. adſcripſimus. Nec dubito, quin & alibi eadem *Frontis* & *cornuum* nomenclatio reperiatur: quam fuiſſe antiquiſſimam ac receptiſſimam arbitror, nec abſimilem Κριὸς μετώπῳ (*Fronti arietis*) cujus nominis duplex eſt promontorium, in Creta unum, in Taurica Cherſoneſo alterum. Teneamus hoc igitur, receptum apud antiquos fuiſſe morem hunc popularem, ut procurrentibus in mare locis, quae aliquam ſimilitudinem capitum cornutorum referrent, nomina eo ſignificatu imponerent. Sic etiam ad Corcyram inſula parva fuit, dicta *Elaphuſa*, a ſimilitudine, opinor, cornuum cervinorum. Euboea *Macris* olim (quaſi *Cornificans*: id enim מקרין *Makrin* Pſ. LXIX. valet: vide noſtrum de Corcyra ſchediaſma) dicebatur: quod nomen etiam inſulis Chio & Icaro aliquando haeſit.

Adhaec nemo ignorat, certum antiquis fuiſſe, Italiae nomen ab ΙΤΑΛΟΣ, quatenus taurum ſignificaret (unde & vox *Vitulorum* manavit) fuiſſe petitum. De qua re tota in fine operis inter collectanea diſſeremus. Hoc quoque certiſſimum eſt, extremam hanc potiſſimum Italiae partem, a Magnis Graecis frequentatam, *Italiae* nomen primitus habuiſſe peculiarem. Quid ita? Non tam mihi crede, a taurorum in ea parte multitudine (quod Latini crediderunt: quod ſatis frivolum eſt) quam quod ea pars Italiae, quae prima omnium *Italia* vocata fuit (ante ſcil. quam Magna Graecia diceretur) ea, inquam, dimidiati tauri imaginem (cujuſmodi paſſim in Graeciae Italicae nummis viſitur) exhiberet, quippe binis cornibus (uno ad extremos Sallentinos, altero ad Bruttios uſque procurrentibus) praedita. En igitur cur Magna Graecia antiquis *Frons Italiae* vocata fuerit, quaſi ſcil. *Frons Vitaliae*; nam eam inter cetera nomina Servius ad lib. VIII. 328. *Vitaliam* appellavit a *Vitulo* ſcil. qui olim *Vitalus* aut *Italus* dicebatur. Varro II. R. R. 1. *Italia a Vitulis, ut ſcribit Piſo*. En etiam cur in Graeciae Italicae nummis tam frequens ſit tauri ſive integri ſive dimidiati, cum humano vultu ac rectis cornibus adverſum prominentibus imago, quam Minotaurum appellant. Verum de his plura in Collectaneis, ubi de *Italiae* vocabulo.

Digitized by Google

accuratiorem ſequemur: ſed ita tamen, ut praeter loca pauca, quorum Ptolemaeus meminit, admetiamur & alia, idcirco ab hoc geographo praeterita, quod ſive ſua aetate non adhuc ſtabant, ſive a Graeciſmo defecerant. Sed antea praeſtat Graeciam Magnam (quod a nullo dum factum video) in ſua quaedam συςήματα [*corpora*] ac veluti provincias partiri.

SECTIO II.
De Graecia Magna regionatim diviſa.

MAgna Graecia nec univerſa, nec pars ejus ulla, quod ſciam, fuit unquam βασιλευομένη [*ſub regio dominatu*] ſed civitates ſibi in commune providebant, ſive democraticâ ſive ariſtocratica, ſive ex utraque temperatâ formâ regiminis. Sed quantum noſſe licuit, non omnes urbium harum reſpublicae ſui juris, & αὐτόνομοι fuerunt. Nam erant quaedam reſpublicae principes, quibus minores aliae in vicino poſitae contributae fuberant. Hoc paſſim ex ſcriptoribus antiquis deprehendiſſe mihi videor: apud quos etiam regiones quasdam, intra quas uniuſcujuſque reipublicae principis dominatus continebatur (etſi harum nonnullae etiam longinquioribus locis interdum dominabantur) animadvertere licuit. Itaque apud Strabonem & alios ἡ Λοκρὶς, Κροτωνιάτις, Ταρεντίνη &c. cum legitur, ſubaudiendum eſt χώρα [*regio*] ac *Locridem*, *Crotoniatidem*, *Tarentinam* regionem ibi debes accipere.

Nullum autem tutius indicium ad urbes liberas ac principes a contributis diſtinguendas, quam nummos reperi. Nam quarum exſtant antiqua numiſmata, eas & ſui juris fuiſſe, ac plerumque dominium in alias exercuiſſe, ſtatuendum eſt: quarum nulla exſtant, eas neceſſe eſt majoribus aliis fuiſſe obnoxias. Scriptorum igitur atque nummorum ductu, ſeptem aut octo Magnae Graeciae regiones, totidemque συςήματα ſive corpora rerumpublicarum deprehendere mihi licuit. Interim illa antiquiora regionum nomina, *Choniae*, *Leuterniae* (quarum Lycophron meminit) itemque *Oenotriae*, *Meſſapiae*, *Peucetiae* &c. & aliarum quarum fines incerti ſunt, praetereo.

1. *Locris* ab Halece fluvio (cujus Strabo meminit, διορίζοντος τὴν Ρηγίνην ἀπὸ τῆς Λοκρίδος, *Rheginam a Locride regione ſeparantis*) ad Cauloniatarum fines pertinens. Vide quae infra de Locrorum potentia formaque reipublicae perfectae dicentur Sect. 3.

2. *Cauloniatis* regio. Cauloniatas enim ab antiquiſſimis temporibus fuiſſe αὐτονόμους, tum hiſtoria, tum eorum nummi frequentes oſtendunt.

3. *Scylletica* regio ſequitur. Nec enim Scylletium (poſtea *Scylaceum*) alteri cuiquam populo paruiſſe conſtat; maxime ſi veri ſint nummi, quos editos animadverti.

4. *Crotoniatis* regio ſuccedit, potentia & claritudine longe maxima, & in hiſtoriis ac nummis celebratiſſima. Ea, ut dicemus, a Lacinio promontorio ad amnem Hyliam protenſa fuit.

5. *Sybaritana* (poſtea *Thuriatis* dicta) vicinarum luminibus obſtruxiſſet, niſi eam luxus perdidiſſet. Sybaritas gentibus quatuor, urbibus quinque

Digitized by Google

quinque ac viginti imperitaſſe, Strabo memoravit.

6. *Heracleotica* regio. Etſi enim Heracleam ab initio Tarentinorum coloniam fuiſſe ſciamus; at poſtea ſuis ſe legibus gubernaſſe, tum Tabulae duae Heracleoticae, in quas commentabimur, tum ejusdem nummi declarant.

7. *Metapontinam regionem* numiſmata ſane plurima confirmant; etſi aliquando Sybaritis [a quibus conditoribus colonos eo deductos narrat hiſtoria] paruiſſe neceſſe ſit.

8. Vltima omnium *Tarentina* regio ceteras ſplendore, potentia & amplitudine ſuperabat. Tarentinis ad fauces iſthmi Sallentinae poſitis totam ferme eam peninſulam paruiſſe veriſimile eſt. Verum de his plura forſan Diatriba ſeq. ubi non de Heraclea ſolum differemus, ſed & de Tarento ac Metaponto aſpergemus non pauca.

Forſitan & *PETELIA*, quae intra fines Crotoniatidos erat, cui & diu forſitan paruit, poſtea ſeſe in libertatem aſſeruit, ac ſibi ipſa in commune conſulebat. Exſtant certe ΠΕΤΕΛΙΝΩΝ haud pauca numiſmata, ex quibus ſtatui PETELINA regio ac reſpublica αὐτόνομος poſſit. Idem eſto de SIBERENA judicium, cujus exſtant nummi cum epigraphe ΣΕΒΗΡΗΝΩΝ.

SECTIO III.

Catalogus Magnae Graeciae ſtrictim acceptae locorum.

TEſte Strabone, *Halex* fluvius agrum Rheginum a Locride dividebat. In Halecis vero trajectu Thucydides oppidum *Peripolium* memorat: quod neſcias utrum Rhegino agro an Locrenſi, atque adeo Magnae Graeciae attribuas. Verum hoc oppidulum, quod non diu manſit, non moramur.

1. In ora ergo maritima poſt Halecem, ZEPHYRIVM promontorium in mare procurrit. Id ex eo appellatum, Strabo voluit quod [32] *portum habeat ventis ab occaſu flantibus expoſitum*. Quis autem ſcit an non ab [33] Oriente id nomen manarit? Verum undeunde id vocabulum

(32) Strabo lib. VI. *Poſt Herculeum promontorium ſequitur* (ἄκρα τῆς Λοκρίδος, ἡ καλεῖται Ζεφύριον, ἔχουσα τοῖς ἑσπερίοις ἀνέμοις λιμένα, ἐξ ὃ καὶ τοὔνομα) *Locrenſis agri promontorium, quod vocatur Zephyrium, habens portum ventis ab occaſu flantibus expoſitum, unde etiam nomen.*

(33) Tametſi enim modo expoſitum a Strabone veriloquium minime ineptum videtur; fieri tamen poteſt ut & *Zephyrii* promontorii, & ſimul *Zephyri* ſpiraculi vox altiores radices in linguis Orientis habuerit. Chald. זפירא (*Zephira*) *Utrem* ſignificat. Hinc *Zephyris* fortaſſe nomen, quod hi vela ſic quaſi utres diſtendant. Unde & notiſſima fabula orta fuit utrium Aeoliorum. Ovidius in III. Amor. XII. 29.

Acolios Ithacis incluſimus utribus Euros.

Tangit enim Homericam fabulam Odyſ. K. v. 19. expoſitam de utre, quem Aeolus Vlyſſi dono dedit, in quo ventos artaverat.

Δῶκε δέ μοι δέρρας ἀσκὸν βοὸς ἐννεώροιο,
Ἔνθα δὲ βυκτάων ἀνέμων κατέδησε κέλευθα....
Νηὶ δ' ἐνὶ γλαφυρῇ κατέδει μέρμιθι φαεινῇ
Ἀργυρέῃ, ἵνα μήτι κατατνείσῃ ὀλίγον περ.
Αὐτὰρ ἐμοὶ πνοιὴν Ζεφύρου προσέπεμψεν ἐπάξειν,
Ὄφρα φέροι νῆάς τε καὶ αὐτούς.

Quos ſic utcunque exponas licebit.

Rex autem annoſo e tauro mihi conſuit utrem,
In quo nimboſos ſcite compreſſerat auſtros...
Atque hunc nave cava argenteis conſtrinxit habenis,
Nequa foras, tenuis quamvis, evaderet aura.
E cunctis ſed enim Zephyrum dimiſerat unum,
Qui nos atque rates optatâ exponeret actâ.

Nota ſunt porro cetera, quemadmodum ſocii, latere in utre dona ingentia ſuſpicati, clam utre diſſuto, ſeque ac ductorem perditum iverant, niſi dii reſpexiſſent.

Itaque ut ad Zephyrium promontorium redeam; quia inde ὀρθιος ἀνέμος (*ſecundos flatus*) ad opportunam navigationem captari mos erat; ex eo factum, ut ibi utres

Digitized by Google

lum promontorio quaesitum fuerit, ab hujus certe promontorii nomine Locrensium nostratium ἐπιζεφυρίων cognomen [34] fluxit.

2. Post Zephyrium in ora ipsa LOCRI [35] cognomento ἐπιζεφύριοι urbs vetustissima & clarissima occurrit: quondam a Zaleuco legislatore salutaribus institutis ordinata: de cujus aequitate reipublicae, & in legibus conservandis constantia exstat brevis sed luculenta Vbbonis Emmii descriptio: quam [si id probari videro] in fine operis inter nostra de Graecis locis Collectanea inferemus. Locrorum exstant numismata (*) ψαμμαχόστια (*arenis numero paria*) ac passim cum Διοσκόρων Castoris ac Pollucis [quippe tutelarium] jugatis capitibus.

3. Locros excipit SAGRA aut Σάγρος amnis. Ea vox nihil Graece significat: at eadem quibuscumque consonis scribatur, plures notiones in orientalibus linguis ostentat: ut a primis Italiae habitatoribus id nomen ei inditum necesse sit. Ad Sagram Castori & Polluci Arae stabant, quod ii gemelli Locrensibus victoriam peperissent adversus innumerabiles Crotoniatarum copias. Ptolemaeus Sagrae amnis non meminit; sed in Locrensi sinu, ubi Sagra egredi in pontum debuit, ibi *Locani* nescio cujus ostium statuit: quod argumento est, aevo Ptolemaei sive Sagram sive *Caicinum* (alterum finûs Locrensis amnem) ita fuisse transnominatum, ut *Locanus* diceretur.

4. CAVLON sive *Caulonia* deinceps sequitur, urbs antiquissima clarissimaque, cujus supersunt plurima numismata, & horum quaedam proxime ad Tyrrhenicam scripturam accedunt, ita ut mihi videatur primitus quidem a Phoenicibus sive Iapygibus condita, mox ab Achaeis occupata. Unde factum ut eam (Αχαιῶν κτίσμα) *ab Achaeis conditam* Strabo crediderit. De hac in Collectaneis ad finem operis plura scitu jucunda dicemus, cujus & nummus eximius illustrabitur.

5. In eodem littore Cocinthum versus MYSTIA, & CONSILINVM sequuntur: quae sunt satis obscura oppida. Nec clarius COCINTHVM est promontorium cum cognomine oppido: a quo *Cocintho* ad LACINIVM promontorium sinus *Scylacius* pertinet.

6. Medio in sinu Scylacio urbs SCYLACIVM fuit: quam a Graecis

utres repleri ventis dicerentur; ac simul fabulae, simul etiam loco nomen quaesitum fortasse fuit. Sed jam conjecturarum satis.

(34) Locridem illam universam, quae in Graecia transmarina claruit, mons Parnassus bifariam dividebat, distinctam διακριτικοῖς (*discriminantibus*) cognomentis. Itaque qui citra Parnassum inter Aetoliam & Phocidem incolebant, *Locri Ozolae* vocabantur: at ultra Parnassum ad Thermopylas & Euripum usque *Locri Epicnemidii* pertinebant; nisi quod ab Epicnemidiis abscissa pars quaedam ab Opuntiis Locris (sic ab Opunte oppido dictis) habitabatur. At Locros Italicos a *Zephyrio* promontorio, cui accolebant, sic *Epizephyrios* vocari contigit, sicuti transmarini illi a monte *Cnemide* nuncupati *Epicnemidii* fuerant; a quibus & origo nostris Locrensibus fuerat, quod jam expositum eo.

Nam etsi Strabo Locros Italicos Ozolarum ἀποίκους (*colonos*) fuisse tradidit; potius tamen est, ut ab *Epicnemidiis* propagatos cum eruditis statuamus. Etenim tum natura nominum, ut ante dixi, ita suadet (quando utrique ab vicino monte praeposita tantum particula ἐπι, sibi adscivere nomen) tum vero in primis id persuadet, quod Locros Italicos Maro *Narycios* appellavit Aen. III. 399. urbemque ipsam nuncupavit Naso Met. XV. 705. *Naryciam*. Id enim manifesto arguit, nostrates Locros non nisi Epicnemidiorum colonos fuisse, ad quos urbs sive *Naryx* sive *Narycum* sive *Narycium* (tot enim modis scripta reperitur) unice pertinebat.

(35) Hoc praeter cetera inter Locros transmarinos discrimen reperio, quod in ulterioribus illis τὸ LOCRI non urbis cujuspiam sed gentis nomen est. At eadem vox in Italia tum urbem significat, tum etiam urbis incolas, qui & *Locri* & *Locrenses* audiunt.

(*) Exstant urbis hujus praeclarissimae numismata innumera tum apud Goltzium & Harduinum, tum in Calabria Joannis de Flore Capuccini, & in Magna Graecia M. Mayeri, ac etiam in museo nostro plures exstant inediti. In eorum aversis partibus saepe gemelli Castor & Pollux visuntur, qui Locrensibus numero paucissimis adversus Crotoniatas innumerabiles apud Sagram fluvium depugnarunt, iisque victoriam pepererunt, uti Justinus narrat: unde proverbium usurpari coepit de re certa, quamvis incredibili, Ἀληθέστερα τῶν ἐπὶ Σάγρᾳ, *Veriora rebus ad Sagram gestis*.

Digitized by Google

cis fuiſſe habitatam tum ejus nomen plane Graecum ſignificat, tum etiam nummi, quos Goltzius, Joannes de Flore, Mayerus producunt. Mihi nullum horum videre contigit. Strabo hanc urbem aetate ſua Σκυλάκιον fuiſſe dictam refert; at olim cum ab Athenienſibus conderetur, Σκυλλήτιον (36) fuiſſe vocatam: quae quidem hodie dum Sede Epiſcopali claret, & *Squillace* appellatur.

7. Secundum hanc CASTRA HANNIBALIS ad *Crotalum* fluvium ſedent: poſt CROTALVM autem etiam SEMIRVS & CARCINES amnes memorantur. De binis *Caſtris Hannibalis*, quae apud poſteros in oppidorum fortunam ſurrexerunt, dicam in Collectaneis ad operis hujus calcem. Nam praeter haec, fuere altera in Campania in ſummo Tifatorum jugo.

8. Ad mediterranea Scylacii ſinûs Ptolemaicum Ἄβυστον [Latine, opinor, APRVSTVM] pertinebat: quod Ptolemaei aetate adhuc ſtabat, & Graeciſmo adhuc florebat, eaque de cauſa in Magna Graecia recenſetur. Ejus incolae videntur iidem ac qui Plinio *Apruſtani* vocantur.

9. Venio jam ad Tarentinum ſinum longe lateque inter *Lacinium* ac Sallentinum, ex adverſo oppoſita promontoria, diffuſum. Cujus initio LACINIVM ſe promontorium offert, *Iunonis Laciniae* (37) fano religioſiſſimo memorabile.

10. Eamdem oram legentibus poſt CL. a Lacinio ſtadia [Livius VI. millibus a Laciniae Junonis templo removet, haud dubie quod id fanum Crotoni obverſum, eique multo erat vicinius, quam ſumma promontorii in mare procurſio, a qua ſua ſtadia numeraſſe Strabo videtur] CROTON occurrit, Magnae Graeciae lumen, inter ejus maximas & florentiſſimas urbes numerata. Itaque ſicuti Roma per excellentiam VRBS vocabatur, aliaeque clariſſimae civitates in eumdem (38) modum; ſic haec de qua agimus κατ' ἐξοχὴν KORTA [39] i. e. *Vrbs* ab Iapygibus [40] conditoribus, ex Chananaea [41] profugis vocata fuit. Cum haec autem *Cortonae* illi in Etruria fuiſſe cognominis comperiatur; utra

(36) Strabo lib. VI. Σκυλλήτιον, ἄποικος τῶν Ἀθηναίων τῶν μετὰ Μενεσθέως· Νῦν δὲ Σκυλάκιον καλεῖται. *Scylletium Athenienſium ſub duce Meneſtheo colonia. Nunc Scylacium dicitur.* Nec ſecus cum duplice liquida perſcripſit hoc nomen Ariſtoteles; ſicuti & Stephanus, cujus haec verba ſunt: Σκυλλήτιον πόλις Σικελίας . . . . τὸ ἐθνικὸν Σκυλλητῖνοι, τὸ κτητικὸν Σκυλλητικός. *Scylletium urbs Siciliae* (ſaepe apud Stephanum, & Scholiaſtas *Siciliam* pro hac parte Italiae uſurpatam reperio) *gentile eſt Scylletini: poſſeſſivum Scylleticus.* At in nummo apud Goltzium & alios (ſi verus ſit; nec enim talem unquam vidi) ΣΚΥΛΛΑΤΙΩΝ legitur, A ſcil. loco τῦ H ſubrogato Dorice, quamvis hi Athenienſium coloni fuerint. Poſſeſſivum alterum uſurpatur ab Ariſtotele & Strabone, quibus κόλπος Σκυλλητικός (*ſinus Scylleticus*) memoratur.

(37) De hujus templi ſplendore, magnitudine, magnificentia, opibus plura ex Livio, Valerio, Cicerone, Plinio collegit Cluverius Ital. p. 1310.

(38) Stephanus de Alexandria: *Per excellentiam* (ΠΟΛΙΣ) *POLIS, & Alexandrini* (πολῖται) *Politae dicebantur; ſicuti Athenae* (ΑΣΤΥ) *ASTV, & Athenienſes* (ἀστοὶ καὶ ἀστικοὶ) *Aſti & Aſtici*, i. e. *Vrbani*; *& Roma* (ΟΥΡΒΗ) *VRBS vocabatur.* Athenas etiam Terentius Eunucho *Aſtu* vocavit: de quo loco Priſcianus & Donatus conſulantur. Corn. Nepos in Themiſtocle: *Xerxes . . . acceſſit Aſtu.*

(39) *Crotonem*, de qua agimus, *Cortonae* Tyrrhenicae fuiſſe prorſus cognominem, ex eo conſtat, quod Halicarnaſſenſis Dionyſius ceterique Graeci ſcriptores conſtanter Κροτῶνα utramque nuncuparunt, pari in utroque oppido metatheſi uſurpata. Etſi Latini urbem Tyrrhenicam vocavere *Cortonam*, at in altera hac Graeca civitate ſatius habuere duces ſequi Graecos. Verum non eſt dubitandum unum idemque ambarum fuiſſe nomen: quod ex Chald. קַרְתָּא *Kartha* i. e. *Vrbs* profectum, tum *Chartagini*, tum etiam *Cortonae*, & (levi facta metatheſi) *Crotoni* huic nomen quaeſivit. De *Cortona*, quod per excellentiam ita fuerit appellata, videantur noſtra Tyrrhenica in ea urbe.

(40) Iapyges aut primos hujus Italiae partis conditores fuiſſe, aut inter primos eſſe referendos, in extremi operis Collectaneis ſuadebitur. Eosdem autem videri primos Cronis fundatores fuiſſe, ex eo oſtenditur, quod ea ab Iapygibus habitata fuerit, antequam a Graecis occuparetur. Strabo lib. VI. Οἴκησαν δ' Ἰάπυγες τὸν Κρότωνα πρότερον, ὡς Ἔφορός φησιν. *Crotonem prius Iapyges incoluerunt, ut auctor eſt Ephorus.*

(41) De hoc quoque videantur eadem Collectanea.

Digitized by Google

utra antiquior fuerit, non habeo dicere. Verum Iapygas [qui & ὁμόφυλοι Tyrrhenorum erant] veriſimilius eſt in hac ora maritima, quae ſe prima navigantibus dabat, prius fundaſſe urbem, quam in mediterranea & remotiora loca penetrarent. De Crotonis amplitudine Livii (42) locus exſtat luculentiſſimus. Nec minorem ei gloriam Pythagoras conciliavit, poſtquam Italicae ſectae ſcholam, ac diſciplinarum arcem in hac urbe conſtituit. Teruntur manibus omnium veteres Crotoniatarum nummi editi juxta ac inediti, priſcum urbis nitorem teſtantes. Eamdem urbem Aeſarus amnis principio influebat mediam, at poſtea Pyrrhi bello deminutam tantummodo praeterfluebat. Poſt VI. milliaria ab Aeſari oſtio Neaethus amnis in mare egreditur.

11. MACALLA [43] (τὰ Μάχαλλα, multitudinis numero) oppidum Lycophroni & Stephano memoratum, ab Ariſtotele lib. de auditis mirab. CXX. ſtadiis a Crotone removetur.

12. Hoc excipit CRIMISA oppidum & promontorium, cui templum Alaei Apollinis inerat. Crimiſae urbis Lycophron, Strabo, Stephanus meminerunt. Huic eidem promontorio Philoctetes Χώνην CHONEN [44] oppidum impoſuerat, ſi Apollodoro credimus apud Strabonem poſt initium lib. VI. Hinc Χωνία CHONIA illa regio dicta fuit, cujus Herodotus, Lycophron v. 983. & Apollodorus meminit.

13. Sequitur fluvius HYLIA regionis Crotonienſis terminus. Nam apud Thucydidem lib. VII. Athenienſes luſtrato exercitu apud Sybarin flumen, *duxerunt* copias (διὰ τῆς Θουριάτιδος γῆς) *per Thuriatidem regionem; cumque ad Hyliam amnem perveniſſent*, Crotonienſes miſerunt qui tranſitum per fines ſuos negarent: quo factum ut Athenienſes ad mare, ad laevam Hyliae ripam, h. e. in Thuriatide caſtrametarentur.

14. Intra Crotoniatarum fines, ſed a mari reductae SIBERENA [45] PETELIAque (aut *Petilia*) urbes illuſtres erant. *Siberena* (ſed in nummis apud Ioan. de Flore eſt ΣΕΒΗΡΗΝΩΝ) inter Clibanum montem ac dextram Neaethi ripam fuerit neceſſe eſt; quia ibi nunc *Sancta Severina* exſtat, quae jam tum Porphyrogennetae tempore ſic vocabatur; qui lib. 2. them. 10. oppidulum τῆς ἁγίας Σευηρίνης cum Crotone junctim memorat. At *Petelia* (cujus ſitum etiam in tabula Peutingeriana oſtenditur) videtur inter laevam Neaethi ripam & Crimiſam promontorium jacuiſſe. ΠΕΤΕΛίνων, & ΣΕΒΗΡήνων exſtant plura numiſmata apud Ioannem de Flore Capuccinum in ſua Calabria: ex quibus docetur, eas aliquando fuiſſe αὐτονόμους; etſi Crotoniatis, quamdiu

(42) Livius XXIV. 3. *Croto murum in circuitu patentem XII. millia paſſuum habuit ante Pyrrhi in Italiam adventum: poſt vaſtitatem eo bello factam vix pars dimidia habitabatur . . . Arx Crotonis unâ parte imminet mari, alterâ vergente in agrum, ſitu tantum naturali quondam munita, poſtea & muro cincta, quâ per averſas rupes ab Dionyſio Siciliae tyranno per dolum fuerat capta.*

(43) Id nomen (ſi τῷ K Graeco Hebraicum *Koph* reſpondet) Hebraice *Virgam* aut *baculum* ſignificat. At ſi *Caph* litteram ibi accipias; tum id Syriace *Seram* aut *Vectes* notabit. Sed ſilente hiſtoria nihil de ratione vocabuli tradi affirmate poteſt.

(44) CHONE iſtud, ſive ab Orientali verbo *Chun* (cum initiali littera *Caph*) ſive a *Kun* cum *Koph*, arceſſas; innumeras vocis notationes dabit. Verum ubi antiquitatis veſtigia deſunt, fruſtra tempus in tradendis vocum rationibus teritur.

Hanc *Chonen* poſtea nomen mutaſſe, & *Criniſam* fuiſſe tranſnominatam in Cl. Islaei Tabula Italiae reperio. Vnde id collegerit, neſcio. Hoc tantum ſcio, *Crimiſae* nomen haud minus antiquum quam *Chone* fuiſſe. Κρίμισσα certe Lycophroni v. 913. memoratur.

(45) Vtrique vocabulo ex orientis linguis etymologiae plurimae atque egregiae ſuppetunt. Verum in tanta antiquitatis obſcuritate quo pacto eas poſſumus ſive cum natura locorum, ſive cum veteris hiſtoriae circumſtantiis componere?

Digitized by Google

diu horum potentia viguit, interdum paruerint. Haec intus.

15. At in littore poſt *Hyliae*, ac poſt *Traëntis* oſtia, ROSCIA [46] ſive ROSCIANVM (hodie *Roſſano*) Thuriorum navale ſequitur; ac non hinc longe *Crathis* amnis, ac ſtatim THVRIVM, urbs potentiſſima, antea SYBARIS vocitata. Vtriuſque nominis exſtant in antiquis ejus nummis aperta veſtigia. De *Sybari & Thurio* ac ſimul obiter de locis aliis in eadem vicinia poſitis exſtat Jani Parrhaſii, qui abhinc plus ducentos annos lux ingens Bruttiorum fuit, accurata tractatio inedita, quam ex ejus αὐτογράφῳ deſcribi curabimus, eamque ad finem hujus operis in Collectaneis integram in amatorum Magnae Graeciae gratiam repraeſentabimus. Interim Thuriorum ſitus inter Crathim & Sybarin amnes erat. Potentiâ tantâ fuit ut gentes (47) quatuor, urbes XXV. dicto audientes habuerit, trecenta vero hominum millia bello adverſus Crotoniatas eduxerit. Vrbis ambitus ad quinquaginta ſtadia pertinebat. *Sybaris* ubi nimio luxu perdita, & a Crotoniatis ſeptuaginta dierum ſpatio domita, & everſa jacuit; poſt varios caſus, ab Athenienſibus colonos accepit, ac *Thurii* ſive *Thurium* tranſnominata fuit. [quod nomen idem ac *Sybarin* ſignificare, in Collectaneis ex linguis Orientis docebitur] ac poſtremo acceptis ab urbe Roma colonis, COPIAE vocari coepit: etſi in duobus apud me nummis ſingulari numero COPIA exaratum cernitur. Videſis Collectanea.

16. Longiore a Thuriis intervallo *Cyliſtarnus* amnis, ac poſtea a mari reducta LAGARIA erat, quam Lycophron Λαγγαρίαν, conſonâ duplicatâ, vocat. Λαγαριτικὸς οἶνος aevo Strabonis erat medicis probatiſſimus: Plinius *Lagarina* vocat. Ibi Lagariam multi oſtendunt, ubi hodie *Nogara* exſiſtit.

17. Lagariam SIRIS fluvius & SIRIS oppidum vetuſtiſſimum, excipit, quod poſtea navale finitimorum Heraclienſium fuit. Ac poſt quatuor milliaria ad dextram *Aciris* amnis ripam, prope a mari HERACLEA illa nobiliſſima fuit, cujus Tabulas aeneas hoc opere proferimus & illuſtramus. De hac vero nulla hic verba facimus, quippe plura ſeorſum Diatribâ ſequente daturi.

18. Exinde *Acalandrum*, ac mox *Caſuentum* flumina in mare ſe exonerant. Dehinc METAPONTVM, urbs Pythagorae itidem gymnaſio celebrata (de qua in ſeq. Diatriba) ac porro amnis *Bradanus*.

19. Jamque ad peninſulam Meſſapiam ſive Iapygiam aut *Sallentinorum* pervenimus: in cujus ſtatim faucibus, medio inter Tarentum ac Brunduſium itinere erat opinor VDINA [Tyrrhenicis litteris] h. e. YPINA illa, quae in nummis aliquot vetuſtiſſimis comparet [de quibus dicam in Collectaneis] quam non aliam fuiſſe arbitror ab *Hyria* Plinii aliorumque, quae hodie *Oria* vocatur.

(46) ROSCIA haud dubie ab Oriente eſt. Hebr. רֹאשׁ *Roſch caput* ſignificat, h. e. in re geographica τὴν ἄκραν, ſive in mare procurrens promontorium: quod huic Thuriorum navali; a quo rupes non abfuiſſe traditur, ſatis convenit.

(47) Strabonis haec verba ſunt lib. VI. *Tanta proſperitate* (Sybaris) *uſa fuit*, (ὡς τεττάρων μὲν ἐθνῶν τῶν πλησίον ὑπῆρξε, πόλεις δὲ καὶ ἑκοσι πόλεις ὑπηκόους ἔσχε) *ut quatuor vicinis gentibus imperarit, quinque vero & viginti urbes ſubditas habuerit*. Quaenam hae urbes fuerint, nec licet ſcire, nec intereſt. At quatuor vicinae gentes hae potiſſimum fuiſſe mihi videntur: *Graeci Italienſes*, *Bruttii*, *Lucani*, *Calabri*, aliter Sallentini aut Iapyges.

Digitized by Google

20. In eisdem faucibus TARENTVM tum primum inflexo littori adjacet. De hoc in ſeq. Diatriba plura adponemus. Haec videtur in tota ferme peninſula olim dominata fuiſſe. Nec enim nummos veterum oppidorum Meſſapiae, una excepta [48] *Manduria*, videre licuit. Itaque ſi littus Tarentini ſinus hinc uſque ad ultimum promontorium Sallentinum legas, ad mare ipſum CALLIPOLIS; & LEVCA ad promontorium modo dictum occurrent: intus vero RVDIAE, MANDVRIA, SOLETVM, NERETVM, BAVOTA, VALENTIVM, VXENTVM, BARIS, quod poſtea *Veretum* fuit. Haec quae nominavi, fuiſſe magnam partem Magnorum Graecorum oppida, parum eſt quod dubitem, imo de CALLIPOLI & RVDIIS id certiſſimum [49] habeo: etſi eorum aliquot a Barbaris [50] h. e. Iapygibus ſive Sallentinis quondam incolebantur. Poſtremo in hac eadem peninſula etiam SALLENTIA fuit: de qua vide in ima [*] pagina.

Hactenus eſt Magna illa Graecia ſtrictim accepta. Nunc quae Graecorum oppida in ora Superi Inferique maris ſparſa erant, *Graeciae Italicae*, quatenus a *Magna* diſtingui debet, attribuemus. A mari Hadriatico, imo ab *Hatria* Piceni initium capiam.

SE-

(48) Ineditum *Manduriae* nummum penes me habeo: quem in Collectaneis inter ineditos Magnae Graeciae nummos exhibebimus.

(49) *Callipolim* Graecam fuiſſe urbem, praeterquam quod nomen ejus mere ἰλλυρικὸν declarat, etiam Mela docet, ſic de Calabria deſinens: *Et urbs Graja Callipolis*: quaſi ceterae Grajae non fuerint. Exſtitere tamen qui hanc a Senonibus conditam, & vocatam proinde *Gallipolim* praedicaverint, corruptis exemplaribus Plinii decepti, apud quem legebatur III. 11. *In ora vero Senonum Gallipolis*. At recte eſt quod ex ſcriptorum codicum conſenſu Harduinus repoſuit: *In ora vero Senum, Callipolis* (ut duo ſint oppida) *quae nunc eſt Anxa*. Fuit & in Sicilia *Callipolis*, Naxiorum opus, tum aliis tum etiam Herodoto memorata: quae proinde videtur hac noſtrâ vetuſtior, cujus nemo ante Melam meminerat. Cumque Sicula Callipolis Strabonis aevo jam defeciſſet: licebit conjicere, aliquid incidiſſe, cur inſulani illi ab ſede ſua dejecti, urbem cognominem in ſolo Sallentino condiderint. Ad hanc porro noſtram Harduinus in ſuo Plinio refert nummum argenteum, in cujus una parte TAPAΣ, in altera KAΛ inſcribitur, quaſi hoc alterum Καλλιπολιν notet. Sed in nummo (qui haud dubie Tarentinorum fuit) non erat Callipoli locus. Porro in Tarentinis nummis plura ſunt magiſtratuum nomina detruncata. Itaque KAΛ· erit Καλ'ν nomen, (aut alterius ſimiliter incipientis) qui anni illius ephorus fuerit.

Jam vero Rudias Graecarum urbium fuiſſe unam neſcirem, niſi me id Strabo docuiſſet lib. VI. ſic loquens: Ῥοδίων πόλιν ἰλλυρίδος, ἐξ ἧς ἦν ὁ ποιητὴς Ἔννιος. *Per Rodiacorum urbem Graecanicam, Ennii poetae patriam*. Ea Melae & Plinio *Rudiae* dicitur, Stephano Ῥοδαί. An quod Rhodios conditores habuerit? Tametſi, ſi fundatores primos ab Oriente nacta fuerit; non deerunt ex illis linguis petitae nominum rationes: quibus nunc tacente hiſtoria ſuperſedeo. Ceterum Rudias aevo Ennii Graeco ore locutas, illud quoque docet, quod ex linguis tribus, quas poeta ille callebat, Graeca numeretur: quam domi ſcil. ex parentibus didicit. Eadem urbs mediterranea, nec procul Tarento erat.

(50) Teſtantur id Melae verba ſic deſcribentis Calabriam: *In Calabria Brunduſium, Valetium, Lupiae, Hydruntum, & Sallentini campi, & Sallentina littora, & urbs Graja Callipolis*. Quibus verbis oſtendit, ſuo tempore ex his unam Callipolim ſervaſſe Graeciſmum, ceteras ſive numquam fuiſſe ἰλλυρίδας, ſive tunc a graecitate defeciſſe. Id quoque teſtantur ceterorum locorum peregrina nomina, h. e. quae tantum in Orientis linguis certum aliquid ſonant. Verbi cauſa MANDVRIAM ſive ex מדד *Madad* (unde dicendum fuiſſet *Madduriae*: ſed Syri & Phoenices duplex D in ND reſolvebant) ſive ex Chaldaico מדר *Medar* arceſſas, pulchrae ſignificationes praeſto erunt: de quibus alibi forſan. NERETVM *Lucernae* notionem, aliaſque forſan praeſefert. SOLETI, & *Bavotae* originationibus ſuperſedeo. Nam cui bono? ubi ſignificantias iſtas ex antiquitatis notitia confirmare in tanta noſtrorum temporum inopia non licet?

(*) Σαλλεντία (*Sallentia*) Stephano urbs Meſſapiae dicitur. Eaque *Sallentinorum* genti nomen indidit. Vrbis antiquitatem nummi apud Goltzium & Mayerum cum epigraphe ΣΑΛΑΝΤΙΝΩΝ, modo extra ſuſpicionem ſint, arguunt. Eam jamdiu ante Stabonem, Plinium, Ptolemaeum defeciſſe neceſſe eſt, cum nemini horum nota fuerit. At Stephanus, qui unus meminit, ex antiquioribus monumentis collegit notitiam. Non deſunt tamen qui *Sallentiam* poſtea detorto nomine dictam *Soletum* volunt, cujus meminit Plinius.

Digitized by Google

SECTIO IV.

Catalogus Graecorum Hadriatici maris locorum.

1. AB HATRIA sive *Hadria* Piceni ordiar, quae & mari *Hadriatico* nomen quaesivit. Ea mihi videtur illius antiquioris Hatriae, in Venetis celeberrimae, fuisse colonia: proinde utramque urbem fuisse Etruscam, in Tyrrhenicis nostris luculenter ostendimus. Nec hanc Piceni Hatriam Graeci oris aliquando fuisse scirem, nisi id me nummus ineditus ac singularis, qui apud me est, docuisset. De nummo & hujus Hatriae originibus in Collectaneis disseremus. Ab hac Piceni Hatria ad ultimum sinûs Hadriatici recessum, oppidum (51) nullum Graecum reperio. Itaque ab Hatria orientem versus, usque ad Magnae Graeciae fines progrediemur.

2. Sequitur post (52) *Teate*, amnis *Sagrus*, Crotonienfi *Sagrae* cognominis, & sinus *Hyrias* sic dictus, quod in hac ora *Hyrium* alterum fuerit, *Hyriae* Sallentinorum homonymum. E regione sinus hujus sunt celebres *Diomedis* insulae, quarum notitia conserta cum *Arpis* cumque CANVSIO est: quae oppida in continente sunt, a mari reducta: de quibus jam est dicendum.

3. ARPI ergo oppidum vetustissimum fuit, quod Diomedem, haud secus ac Diomedis insulas, conditorem habuisse, memorant fabulae. Exstant *Arpanorum* nummi quam plurimi, ac plerumque cum *Apro* in aversa parte, forsan quod *Aper* Graecis Italiensibus, a quibus hi nummi cudebantur, ΑΡΠΟΣ, trajecta [53] littera, vocaretur. Vtut est; certe per Apri scalpturam ad nummi epigraphen ΑΡΠΑΝΩΝ alluditur. Porro si Stephano credimus, Diomedes non primus conditor hujus urbis est. Sic enim ait: Αργυρίππα . . . Λάμπη ἐκαλεῖτο· Διομήδης μετὰ τὴν ἅλωσιν τὴν Ἰλίου ἐτείχισε, καὶ μετωνόμασεν Ἄργος Ἵππιον. *Argyrippa . . . Lampe* (initio) *vocabatur*. Imo Ἄρπη non Λάμπη [54] scripserat haud dubie Stephanus. Pergit: *Diomedes* [deinde] *post Ilii excidium muro munivit, & Argos Hippium transnominavit*. Ex quo licet animadvertere, jam ante Diomedem exstitisse id oppidum, & sive *Arpen* sive *Arpos* a Tyrrhenis conditoribus nominatum: deinde illud a Graecis fuisse munitum, & levi mutatione Graecis usitatissima, Ἄργος *Argos* fuisse transnominatum,

(51) Nullam inquam in superiore tota Italiae parte sive extra Regnum Neapolitanum, Graecam urbem reperire mihi licuit, excepta forsitan CAELINA oppido Venetiae, cujus Plinius III. 19. meminit, ad amnem cognominem sito. In amnis ripa in lapide inscriptum exstitisse CILINENSES ajunt. At in meo nummulo inedito ΚΑΙΛΙΝΩΝ legitur. Sed unde Graeci in Venetorum mediterranea praeter morem penetrassent? Qua de causa non dubitavi eumdem nummum ad *Caeliam* Peucetiorum (de qua mox dicam) referre.

(52) Ad hanc urbem referendos esse censeo nummos (quorum duos tresve majoris moduli habeo) inscriptos TIATI: quas litteras cum Latini cum Graecis communes habeant; utro sermone Teatini usi fuerint, inde arguere minus licet. Verum nec fabrica nummorum Graeca videtur, & litterarum tractus sunt Latini potius, quam Graecanici ingenii. At primos oppidi conditores fuisse Tyrrhenos non dubito.

(53) Metathesis hujusmodi Graecis usitatissima fuit, tum in sui juris nominibus (uti κρώτος & κάρτος) tum potissimum in peregrinis, ut cum *Cortonam* Etruriae oppidum Κροτῶνα vocabant, & sexcenta in eumdem modum.

(54) Non dubitabam, hanc vocem, in Stephano corruptam, ita esse sanandam, ut Ἄρπη legatur. Nam ubi locum vocalis A, lapsu facili, τὸ Λ occupavit, cetera postea librarii sic refinxerunt, ut vox aliqua in locis geographicis non insolens exsculperetur. Ac sane multiplex *Lampe* a geographis agnoscitur: quarum nulla tamen Dauniorum fuit. Nec porro ullus est vetus auctor, qui Arpos antiquitus *Lampem* audivisse memoret. Postremo si Stephanus in novo & inaudito hoc prodendo nomine tam liberalis videri voluit; cur vetus *Arporum* ab omnibus usurpatum reticuisset? Verum de hac emendatione ante me jam cogitasse Berkelium, gavisus fui.

Digitized by Google

verum cum adjectione diſcriminante Γ'ππιον, *Hippion* [Varroni (55) memoratum oppidum] dici coepiſſe: quod tandem coalitione vocum *Argyrippa* evaſit. Verum cum ex Αργυρίππα, Αργυριππινός [vide Stephanum] aut Αργυριππανὸς fieret; tamen incolae in nummis vetus illud ſuum ΑΡΠΑΝΩΝ nomen retinuerunt. Quod urbis primitivum nomen, unde ſit arceſſendum nemo (56) niſi *Augur Apollo* divinaverit. Certe a Graeco Ἄρπη, quae *falcem* notat, non eſſe adſciſcendum, Graeci ipſi coguntur agnoſcere; quibus ἅρπη (*falx*) aſperatur, τῶν Ἁρπαίων vero vox leni ſpiritu, ſicuti & Latinis, pronuntiatur. Vt omittam, quod Stephano teſte, Ἄρπη urbs jam ante ſteterit, quam eam Graeci ſuis colonis repleverint. Cum Arpis jungenda eſt & SALAPIA, non obſcuri nominis oppidum: quae *Arpanorum navale* Straboni dicitur. Σαλαπία, inquit, τὸ τῶν Αργυριπηνῶν ἐπίνειον. Ex quo eam & Graecam fuiſſe urbem agnoſcas, & Arpanis attributam. Ejus nummus apud Harduinum ex Cimelio regio, urbis graeciſmum magis confirmat. Nam inſcribitur Graecis elementis ΣΑΛΑΠΙΝΩΝ, ex una parte caput Apollinis, ex altera equum exhibens. At primitus Tyrrhenica urbs fuerit neceſſe eſt: nam quaecumque prima littera in linguis Orientis fuiſſe fingatur (ſive *Samech*, ſive *Tſade*, ſive *Shin*) notiones uberrimas offeret.

4. Jam vero inter Diomedis opera etiam CANVSIVM [57] recenſeri debet. Quod quidem, ſi Strabonis [58] loco [adhuc tamen aliorſum accepto] fides eſt, unum ex Graecis Italiae oppidis primariis fuit. Porro cum Canuſium a mari abeſſet; ea de cauſa navium (59) ſtationem

(55) Varro in II. R. R. cap. 1. cum in eo eſſet, ut nomina plurima locis a pecore indita fuiſſe doceret, ſic differit. *Nominaverunt a Capris Aegeum pelagus: ad Syriam montem Taurum: in Sabinis Camerium montem: Boſporum unum Thracium, alterum Cimmerium .... Oppidum in Graecia, ut* Γ'ππιον Ἄργος. *Denique Italia a Vitulis, ut ſcribit Piſo.* Illud IN GRAECIA virum doctum Varronis adnotatorem (in praeclara ultima ſcriptor. R. R. editione) tranſverſum egit, ita ut Argos Elidis hîc intellexerit. At de Graecia Italica ſermo Varroni fuit; ſicuti in Ciceronis Oratione pro Archia (cujus locum ſupra cap. 4. pag. 22. protulimus) non alia eſt quam Italica: apud Livium vero, quem ibidem produximus, *Graeciae* nomine etiam Sicilienſis Graecia venit.

(56) Prima radicis Orientalis littera omnino gutturalis fuerit neceſſe eſt, ab hominibus noſtris non praeter ſolitum neglecta. Porro ſive *Aleph* initio fuit, ſive potius *Heth*, aut *Ain*; plurimas *Arpe* noſtra ſignificationes offeret. Sed quaenam ſit omnium veriſſima id in tanta antiquitatum inopia praeſtare quî poſſumus?

(57) Strabo lib. VI. de Arpis & Canuſio junctim agens, quippe communia plura habentibus, ſic ait: λέγεται δ' ἀμφότερα Διομήδους κτίσματα &c. *Vtramque* (tam Argyrippam quam Canuſium) *Diomedes condidiſſe dicitur; CAMPVSQ.* (Diomedis dictus: Latinis frequentius plurativo numero) *& multa alia exſtant veſtigia, quae Diomedis ibi locorum fuiſſe imperium docent.* Mox & de Diomedis in Minervae Lucerino ſano donariis narrat, & de Diomedeis vicini maris inſulis.

(58) *Strabonis locus non intellectus exponitur. Qui ſint* Ιταλιῶται, *&* Ιταλιώτιδες, *&* Ιταλιώτιδες γλῶτται.

Strabo ibidem aperte dixerat, Canuſium unam urbium Ιταλιωτίδων fuiſſe. Verum quod vim vocum Ιταλιώτης & Ιταλιῶτις (quam ſupra p. 15. Adnot. 16. expoſui) eruditi non tenerent, tum in hoc Geographi loco, tum & in millenis aliorum auctorum, in quibus voces illae occurrunt, turpiter lapſi ſunt. Strabonis locus talis eſt. *Non procul a mari in planicie ſitae ſunt urbes duae* (μεγίστω τῶν Ιταλιωτίδων γεγονῖαι πρότερον, ὅτε καὶ τὸν περίβολον ἦλον) *quae, ut earum ambitus docet, fuerunt quondam Italiotidum maximae, Canuſium & Argyrippa: nunc minores ambae ſunt.* At vero Xylander interpres, Cluverius & quotquot alii attigerunt hunc locum, ita interpretantur: *Quae ... ITALICARVM fuerunt maximae.* Quo modo Geographum mentiri cogunt. Nec enim unquam Arpi & Canuſium inter maximas urbes Italiae numeratae fuerunt. Ergo ubi noſter Amaſenus dixit *Italiotidum* fuiſſe maximas, non aliud vocat Ιταλιώτιδας, quam Graecas Italiae urbes. Vim vocis hujus (quae viros ſummos feſellit) poſſem ſexcentis locis firmare, ſi eſſet opus. Non ſolum enim apud hiſtoricos, ſed & apud grammaticos nihil tritius. Sic ubi Athenaeus aliique quosdam produnt, qui γλῶττας Ιταλιώτιδας ſcriptas reliquerint, non aliud intellige, quam illos peculiares Graecorum Italienſium dictiones collegiſſe.

Ceterum Canuſini Graeciſmi adhuc aetate Horatii veſtigia ſupererant: qui ubi Canuſinos *bilingues* vocat, eos Latino juxta cum vicinis Italiae populis, ſimulque Graeco ſermone, a ſuis majoribus ad ſe tranſmiſſo, uſos fuiſſe innuit; idque poetae etiam ſcopus declarat, quippe qui in ea ſatyra (quae eſt decima lib. 1.) eos notat, qui *Graeca Latinis* miſcerent *Canuſini more bilinguis*.

(59) *Lux Strabonis pluribus locis affunditur. Εμπορεῖον proprie maritimorum inſitorum ſtationem fuiſſe. Ea notio Amaſeno geographo potiſſimum aſſeritur.*

Hic quoque juverit Straboni aliorſum accepto ſuppetias

nem aliquanto ab se remotiorem in Ausido flumine habuit.

5. SIPVNTVM in littore sequitur: quam urbem Graecanicam initio fuisse, plura declarant. Ac potissimum inflexio nominis (nim. Σιπῦς, Σιπῦντος : qua etiam Lucanus utitur) sic Graecae consuetudinis est, sicuti in Hydrunto & Buxento Ὑδροῦς & Βυξοῦς. Hinc inter Diomedis opera Sipuntum retulit Strabo, qui etiam etymon urbis minime ineptum ex Graeco deprompsit. Nam quia in hoc oppido tanta est sepiarum copia, ut vulgo in littus ejectae reperiantur; urbem dictam a sepiis, quasi Σηπιοῦντα, censuit. Audio ab viro amico nummum Sipontinorum Graecis litteris exaratum asservari: nec tamen vidi. At postea coloniam Romanorum accepit, ac demum aliud supplementum.

6. BVTVNTVM Cluverius, Cellarius aliiq. securi praeterierunt. Et tamen jam ante Plinius *Butuntinenses* memoraverat, *Botontinum agrum* Frontinus. Adde Itin. Hieros. & Peutingeri tabulam. Sed recte est, quod nummum in meis thecis habeo ineditum (cujus typum in Collectaneis inter ineditos dabimus) cui sub Arionis Delphino vecti effigie inscribitur duobus versibus ΒΥΤΟΝΤΙΝΩΝ. Aversa pars pagurum visendum exhibet. Ac primum ex hoc nummo discimus, hoc oppidum fuisse maritimum, aut prope a mari, sic docente utraque nummi pagina. At hodiernum *Bitonto* paullo reductius a mari est: an quia id oppidum cum sua episcopali sede situm postea commutaverit? Deinde cum graece cusus est nummus, a Graecis incolebatur: etsi antea, ut opinor, urbs Tyrrhenica fuerit. Nec enim abludit Hebraicum (60) verilo-

petias ire: apud quem τὸ Ἐμπορῶν Xylander, Cluverius & quis non? verterunt *Emporium*, cum haud dubie *Statio navium* accipienda sit. Ergo ille lib. VI. ita scripsit: Ex δὲ Βαρέως πρὸς τὸν ποταμὸν Αὐφίδιον (ἐφ' ᾧ τὸ ΕΜΠΟΡΕΙΟΝ τῶν Καννιτῶν) ν. ὁ δ' ἀνάπλους ἐπὶ τὸ ἐμπορῶν σ. ἐννενήκοντα· πλησίον δὲ &c. Quae, rejecta aliorum interpretatione, *Emporium* ubique reddentium (ut omittam quod & illud peccavit interpres, quod *Canusium emporium* pro *Canusinorum* perverse vertit) sic interpretabere. *A Bario ad Ausidum amnem (in quo Canusini suam navium stationem obtinent) stadia* CCCC. *sunt: ad ipsam vero stationem a mari ascensio sex & nonaginta stadiorum est*. Interpres, qui in vulgatis tantum notam numericam σ. reperit, *sex stadiorum* verterat: sed ex Mss. *ἐννενήκοντα* addendum fuit: quod & Jocorum positus docet, quia Canusium, in cujus usum illa statio fuit, longiuscule a mari erat. Pergit Geographus: *In vicino est* (ostii Ausidi fluminis scil.) *Salapia Argyrippaeorum navale*.

Jam vero locus ipse suadet, τὸ Ἐμπορῶν (sic enim cum diphthongo saepe in Strabone id legitur, & plerumque opinor, pro portu, aut statione) non *mercatum* fuisse, sed institorum maritimorum stationem. Nam *ἔμποροι* (si Porphyrium in Quaest. Homericis, & Eustathium audimus) primario est *Vector*, seu qui mare trajicit: deinde ad eum transfertur, qui mercaturae gratia pontum transmittit: postremo & ad omnes mercatores porrigitur. Quare nil mirum, si Ἐμπορῶν pro τῶν ἐμπόρων (sed significatu primo aut altero) receptu accipiatur. Accedit & illud multo maximum, quod Geographus qui sibi de Arpis & Canusio junctim scribere proposuisset, cum Arporum navale fuisse Salapiam monstrasset, debuit & Canusinorum stationem ostendere. Quocirca illud Demosthenis, ὅταν ἀποπλεύσαντα ἐκ τῶν ἐμπορίων, rectissime jam ante Budaeus reddiderat, *Cum e portu egrediuntur*. Sic etiam Polybius lib. 3. Capuae circumpositam planiciem ab eo praecipue laudans, quod mari adjaceat, addit: καὶ πάντοις τοῖς ΕΜΠΟΡΙΟΙΣ χρῆσθαι, ὡς ἀ σχεδὸν ἁπάσης τῆς εἰκουμένης κατατρέχουσιν οἱ πλέοντες εἰς Ἰταλίαν. Vbi male meo judicio viri docti *Emporia* reddiderunt. Verte: *Et quod iis utatur portubus, in quos ex omnibus terrae partibus, quicumque in Italiam navigant, solent appellere.*

Quod proxime dixi, Straboni Ἐμπόριον non aliud esse quam portum aut stationem, pluribus possem ostendere. Sic in extremis Bruttiis ad Fretum Strabo prope Medamam statuit ἐπίνειον καλούμενον Ἐμπόριον, *Navale* (ejusdem Medamae) *quod Emporium dicitur*. Hoc addit, quia ab usu, quem antea praestiterat, oppidum quod ibi coaluit, absolute *Emporium* audiit. Idem ubi Siciliae oram, quae a Lilybaeo ad Fretum pertinet, legere incipit, *Alaesa*, inquit, *& Tyndaris, &* (τὸ τῶν Αἰγεσταίων Ἐμπορῶν) *Segestinorum Emporium* (i. e. statio) *& Cephaloedium, oppidula exstant*. Vbi vides, Segestanos mediterraneos suam habuisse in littore stationem, eamque inter oppida numeratam. Porro Strabo, qui geographiam πρακτικὴν potissimum a se dare in animo habuit, numquam in describendis littoribus ab adnotandis portubus, navalibus, stationibus (quas modo ὑφόρμους, modo ἐπινείους vocat) abstinuit, magno id usui ad commercia futurum ratus.

(60) Nam forsan urbs ista תֹּ֣ךְ בָּשָׁן *Basan* in Scripturis celebri cognominis fuerit, utpote a Chananaeis credo condita. *Basan* autem Chaldaeis pronuntiabatur *Batan*, quippe *Shin* cum *Tau* permutantibus. Sed & idem locus Chaldaeis Targumistis בּוּטְנָן *Butnan* vocatur: quae scriptura eamdem in prima syllaba vocalem habet, at Butuntum nostrum.

Quod

Digitized by Google

riloquium. Poſtremo veram nominis ſcriptionem ab hoc nummo diſcimus, ſive *Bytontum* ſcil. (aut *Butontum*) ſive [quia antiquitus O pro diphthongo Ου ſcribebatur, ut in nummis Συρακοσιων, Θοριων &c. pro Συρακουσιων, Θουριων) caſtigatius id nomen cum Latinis BVTVNTVM proferemus; nam nec aliter Plinius ſuos *Butuntinenſes* [61] perſcripſit.

7. *Barium*, & quae ſequuntur uſque ad *Brunduſium* ſive in ora, ſive remota a mari oppida, Graeci ne antiquitus, an Latini oris fuerint, tacentibus geographiae ſcriptoribus, ac nummis deficientibus, non potui colligere. Niſi quod prope Egnatiam haud longiſſime a mari *Caelia* ſive potius CAELIVM fuit: cui jam graecitatem reſtitutum eo. Nummus in meis loculis eſt ineditus ac ſingularis: qui ex adverſa parte Palladis caput galeatum offert; ex altera vero tropaeum, duplex aſtrum, ac dextro in latere fulmen, in laevo epigraphen ΚΑΙΛΙΝΩΝ. Terminatio gentilis nominis in ΙΝΟΣ oſtendit, ubinam oppidum iſtud quaerendum ſit. Nam Frontinus lib. de Coloniis (pag. 127. edit. Goeſ.) ſub lemmate CALABRIAE, poſtquam de agro *Brunduſino* dixerat, pergit: *Botontinus*, *CAELINUS* (eâdem forma nominis, quae in nummo exſtat) *Genuſinus*, *Ignatinus*, *Lyppienſis* &c. Profuit vicina oppida adnectere, ut quoquomodo ſitus perſpiciatur. Interim quia eadem diphthongus, ac quae in nummo, & eadem terminatio nominis in INVS in Frontino occurrit; de ταυτότητι non eſt dubitandum. Et quia terminata in INVS plerunque a recto in VM deſcendunt; eo fit Caelinorum oppidum non aliud fuiſſe quam *Caelium* (62) quod Plinius III. 10. non longe a Brunduſio memorat. Jam vero nemo Strabone aptius ſitum oppidi, de quo quaerimus, digito intento monſtraret, modo ejus Κελία [63] eadem ac Caelium Plinianum fuerit: de quo alii viderint. Ad me quod attinet, ſatis habui, *Caelii* ſitum haud longe a Brundiſio, Butunto, Egnatia monſtrare, ejuſque in primis ἑλληνισμὸν [*graeciſmum*] auctoritate nummi [cujus typum in Collectaneis lectori iſtam] oſtendere.

8. BRVNDVSIVM ſibi Graeci in ſuis hiſtoriis arrogant: idque verum, ſaltem aliqua ex parte, erit, modo Goltzianus nummus, cui ΒΡΕΝΔΗΣΙΝΩΝ inſcribitur, ſit integrae fidei. Mihi nullum hujuſmodi con-

Quod ſi alteram vocabuli conſonam pro *Tet* Hebraico acceperis, ne tum quidem inepta etymologia exſiſtet. Nam quia בטן *Beten* (alioqui *ventrem* ſignificans) translate in 3. Reg. VII. 20. *prominentiam* notat; Butuntum autem primitus maritimum fuit; veriſimile eſt alicui promontorio tunc inſediſſe: ex quo nomen loco a Chananaeis ſive Tyrrhenis conditoribus impoſitum fuit.

(61) Apud eum lib. III. extremo capite XI. ſic legitur: *Calabrorum mediterranei: Aegetini*, *Apameſtini*, *Argentini*, *BVTVNTINENSES* &c.

Hic obiter notabis, Butuntinenſes Plinio mediterraneos dici, quos ego ex nummo maritimos fuiſſe conjeci. Atqui ſic Butuntinos inter mediterraneos numerabis, ſicuti & *Apeneſtini* ſunt (non *Apameſtini*, qui nulli uſquam fuere) quos in ora fuiſſe conſtat. Verum ne dubita. Tam Apeneſtini, quam Butuntini prope a mari inſederant, ita ut ab unis maritimi, ab aliis mediterranei pro ſua maxima voluntate dicerentur. Ceterum quod idem *Calabrorum* fines (quos ex hoc eodem loco diſcis) tam longe in Apuliae fines promoverit, id Plinius cum Frontino etiam commune habuit: cui in lib. de coloniis p. 127. non tantum BOTONTINVS ager in CALABRIA ponitur, ſed & alia paſſim Apuliae loca. Quo Frontini loco in priore *Botonti* ſyllaba V haud dubie eſt reponendum, nec enim T, quod in nummo eſt, niſi in V tranſire potuit: at in altera ſyllabâ O retineri juxta cum nummi orthographia debet.

(62) Niſi quod prave Coelium per OE in editionibus Plinianis legitur: quod mutari debet in AE ex Frontino & ex nummo meo.

(63) Is enim dum vias Brunduſinas recenſet, unam ſic deſcribit, quae regredientem Brunduſio per *Egnatiam*, *Celiam*, *Netium* &c. ferat. In Islaei tabula Italiae ea via per *Egnatiam*, *Norbam*, *Celiam*, *Butuntum*, *Netium* deducitur. At hanc *Celiam* a Caelio Pliniano diverſam facit Islaeus idem, quippe qui in mediterraneis, diei ferme itinere a Brunduſio, occidentem verſus CAELIVM quoddam ponit, quod certe Plinianum eſſe debet. Sequatur quiſque quod magis arriſerit.

Digitized by Google

contrectare, nec viris amicis licuit. A quo tamen nummo si quis suspicionem ροθείας amolietur; tunc necesse erit, fuisse aliquod tempus, quo ea urbs a Graecis occupata, nummos graece inscriptos percusserit. Ceterum cum passim omnia numismata Latinis elementis BRVN. exarata cernantur; quid dubitamus ejus fundationem possessionemque Graecis ereptam, Messapiis sive Iapygibus vindicatam restituere? Nec sane Graecorum historiae magnopere adversantur. Inter ceteras Strabonis narrationes legitur, *Cretenses Theseo* duce primum, mox *Iapyge*, huc deduxisse colonos. Jam hoc primum animadvertas licet, quoties aetatibus remotissimis mentio *Cretensium* occurrit, ibi *Ceretheorum*, Palaestinae populi, suspicionem subire viris eruditis consuevisse. Accedit dux ille *Iapyx*, quem ducem Chananaeorum ab Iosua fugatorum fuisse conjicio, ut in Collectaneis exponam. Postremo Orientalem originem etiam nomen urbis prodit [quod initio disyllabum [64] fuit] quod nihil neque graece nec Latine sonat: at a Chaldaica rad. ברן *Bran* fit vox בירתא *Biranta*, quae ἀκρόπολιν, sive *Arcem* aut *palatium* notat: ex quo deinde, absorpta priore vocali, factum est *Branta* aut *Brunta*, vel *Brenta*: ac sub haec nata est fabella de eo quod Βρέντιον *caput cervinum* notet, cui Brunduſinum portum fecere similem. Atqui his revera gradibus commentum istud processit. Quia *Brenta* sermone primorum Messapiorum (h. e. Phoenicum sive Chananaeorum) *Arcem* significabat; ea voce usi sunt, ad ἀκρόπολιν h. e. arcem illam designandam, quae simul cum portu urbem totam constituebat, ac deinde, uti fit, ad ipsum portum [qui unus urbem illam singularem efficiebat] denotandum. Cumque postea animadvertissent, portum illum, ramis compluribus recessuum fruticantem, cornua cervorum referre; hinc posteri Messapiorum, jam dialecti Chananaeorum magna ex parte oblíti, ac propriae vocabuli notionis ignari, sibi persuasere τὸ *Brenta* aut *Brunta* antiquo majorum suorum sermone *cornua cervina* notasse. Atqui re vera vox illa primario non portum, ac multo minus cervi cornua designabat, verum arcem sive urbem simul cum portu; quod totum, Strabone [65] teste locupletissimo, cervino capiti simile videbatur. Haec de urbis antiquissimae ac nobilissimae originibus. In hanc Romani, portûs ad transmarinas expeditiones opportunitate illecti, anno DIX. coloniam deduxerunt. Cumque in coloniis Italicis numismata nulla feriri mos fuerit; ex eo intelligimus, plurimos illos Brundisinorum nummos, qui teruntur manibus omnium, anno DIX. antiquiores esse: quod & fabrica rudis ostendit. Ii maximam partem hinc Jovis caput laureatum, illinc Arionem delphino vehentem cum epi-

graphe

(64) In hoc inquam nomine duarum priorum syllabarum habenda est ratio: duas enim ceteras Graeci more suo, Latini suo, desinentiae consuetae gratia addiderunt. Nam & conditoris (h. e. Βρέντε τῦ Ηρακλέυς, *Brenti Herculis filii*, teste Stephano) nomen haud plures syllabas habuit: & Festi aetate adhuc illud disyllabum primitivum nomen poetae, qui antiquioribus locorum nominibus capiuntur, usurpabant. *Brundisium*, inquit, *quidam poetae brevitatis causa Brendam dixerunt*. At deinde trisyllabum Graecis evasit; Βρέντιον enim ea vox, quae cervi cornua significat, apud Stephanum & Hesychium scribitur.

(65) Strabo de Brundisio: ἔστι ὁικίναι κέρασιν ἐλάφε τὸ σχῆσμα. ἀφ' ὲ καὶ τὄνομα· σὺν γὰρ τῇ ΠΟΛΕΙ κεφαλῇ μέθισε ἐλάφε προσώικεν ὁ τόπος &c. *Ita ut* (portus) *figuram exprimat cervi cornuum: a quo & nomen. Nam locus* (i. e. portus) *VNA CVM IPSA VRBE cervini maxime capitis speciem offert: quod Messapiorum lingua Brention dicitur*. In Strabone Βρεντέσιον legitur: verum id viri docti in Βρέντιον, duce Stephano & aliis, refingendum putarunt.

Digitized by Google

graphe BRVN prae ſe ferunt. Quam vellem, mihi

Brundiſium longae finis chartaeque viaeque

jam eſſet. Sed reſtant adhuc oppida duo hujus orae Graecanica.

8. LVPIAM (quae medio inter Brundiſium & Hydruntum intervallo paullum a mari remota viſebatur: quae hodie *Lecce* (66) dicitur) nemo unquam a Graecis habitatam viderat. At equidem ad calcem hujus operis, in meo de nummis ΑΤΚΙΑΝΩΝ ineditis Collectaneo, certo certius oſtendam, hanc urbem ab antiquiſſimis uſque temporibus fuiſſe Graecanicam, ac principio Σύβαριν nuncupatam, poſtea Λυκίαν, poſtremo a Romanis mutato nomine *Lupiam* appellatam.

9. HYDRVNTVM mihi ultimum orae hujus oppidorum Graecorum erit: nam LEVCA cognomini promontorio [quo Magnam Graeciam ſtricte acceptam terminari dixeram] haerentem urbeculam utrum huic orae, an vero Magnae Graeciae tribuam, animi pendeo. Verum Hydruntum Graecum fuiſſe, nemo opinor dubitabit; idque nominis Graeca ſignificatio, imo & inclinationis ratio declarat. Nam ſic Ὑδρᾶς, ὑδρᾶντος flectitur, ſicuti & Σιπᾶς, & Βυξᾶς inclinabantur. At Latinis diphthongus illa modo manebat integra, ut in *Opuntiis*, *Peſſinuntiis*, & in vicino *Sipunto*: modo in E tranſibat, ut a Βυξᾶς *Buxentum*: interdum utroque modo efferebatur. Itaque Graecorum Ὑδρᾶντα plerique *Hydruntum*, aut Graeco more *Hydruntem* aut *Hydrunta* dixerunt; at nonnulli *Hydrentum* uſurpabant. Certe quidem Neapolitanus lapis M. AXSIO poſitus, & in Gruteri Theſaurum inſertus, HVDRENTINORVM meminit. Ad urbis antiquitatem quod attinet, ea Scylacis aevo non tam inter urbes quam inter portus numerabatur. Sic enim recenſet: Μεταπόντιον, Τάρας, καὶ λιμὴν Ὑδρᾶς . . . *Metapontum*, *Tarentum*, *ac portus Hydrus in ore ipſo Hadriatici ſive Ionii ſinus*. At Stephano φρούριον [*caſtellum*] dicitur. Nunc urbs Archiepiſcopalis eſt. Praeterieram quod ejus antiqua graecitas nummo Goltziano firmatur, cum epigraphe ΗΤΑΡΩΝΤΙΝΩΝ. Spiritus aſper, qui initio vocis in Mayeri Tab. 8. cernitur, νοθείας ſuſpicionem a nummo amolitur. De eo ſpiritu in ſequentibus plura dicam.

SECTIO V.

Catalogus locorum Graecorum ab Rhegio ad Poſidoniam in ora Lucaniae.

1. RHEGIVM antiquiſſimam Chalcidenſium fuiſſe coloniam, Strabo retulit lib. VI. cujus prae ceteris narrationem viri eruditi adprobarunt. Strabonis aevo adhuc in Graeciſmo perſtabat, quamvis pleraque Graecorum Italiae locorum ad barbariem transfugiſſent, ut alibi oſtendimus. Imo eadem urbs etiam ſub CPolitanis prin-

(66) Hodiernum *Lecce* antiquae Lupiae ſucceſſiſſe, dubitari vetat Ant. Galateus vir ſuae aetatis doctiſſimus ac rerum patriarum callentiſſimus, in ſua Iapygia. Tamen poſtea, Galateo reclamante, praevaluit opinio, *Aletium* ibi olim fuiſſe, ubi nunc *Lecce* urbs clariſſima floret. Verum in meo de nummis ΑΤΚΙΑΝΩΝ Collectaneo in fine dando, luce clarius oſtendam, quo poſitu, nunc *Lecce* eſt, fuiſſe urbem Λυκίαν, quam Romani *Lupiam* tranſnominarunt.

Digitized by Google

principibus Graecos ſacrorum antiſtites habuit. Verum nunc de origine quaerimus. Quam mere Graecam fuiſſe, illud etiam ſuadet, quod *Rhegium* ab eo nomen reperiſſe tradant, quod Sicilia a terra Italia vi terrae motus diſceſſerit, eâque cauſa Ῥήγιον a *rumpendo* dictum fuerit. Tamen quid illud eſt, quod idem Strabo de hac etymologia ita nos incertos relinquit, ut etiam Latinam vocis originationem fuiſſe, ſerio ſuſpicetur? *Vtrum*, inquit, *ab hac cauſa* [ab abrupta ibi terra ſcil.] *nomen urbi quaeſitum fuerit, an vero ab urbis claritudine* (ὡς ἂν ΒΑΣΙΛΕΙΟΝ τῇ Λατίνῃ φωνῇ προσαγορευσάντων Σαμνιτῶν, διὰ τὸ τὰς ἀρχηγέτας αὐτῶν κοινωνῆσαι Ρωμαίοις τῆς πολιτείας, καὶ ἐπιπολὺ χρήσασθαι τῇ Λατίνῃ διαλέκτῳ) *cujus gratia Samnites* (*quorum principes tum Civitatis Romanae fuere participes, tum plurimum Latino ſermone utebantur*) *Latina voce REGIVM appellaverint* (*quod Graece fuiſſet* Βασίλειον) *aliis de eo judicium permitto*. Ineptire virum ſummum dicerem, niſi Latinae origini vetera monumenta non pauca faverent; nam in lapidibus & ſcriptis codicibus prima vocabuli ſyllaba etſi pluries aſperatur, tamen & ſine ſpiritu quam ſaepiſſime REGIVM [67] & REGINI occurrunt. Niſi quod de Samnitibus quod narrat Geographus, id multis de cauſis improbo. Vtut eſt, illud veritati magis videtur conſonum, hujus urbis nomen non eſſe aliunde arceſſendum, niſi unde & *Regium* Lepidi in togata Gallia. Nam utriq. veriſimile eſt a Tyrrhenis id nomen mere Phoenicium fuiſſe primitus inditum. *Regis* autem nomen & *Regendi* verbum a Chaldaeo *RAC* venire, quod *Regem* ſignificet, Junius ad Danielis IV. oſtendit. Praeterea Aegyptiorum dialecto, quae plurima cum Chaldaeis communia habebat, *AB-REC* [Gen. XLI. 43.] *patrem regis* deſignabat, interprete Onkelo paraphraſte. Quare vera quidem eſſe potuit Strabonis etymologia; ita tamen, ne Samnites auctores aut conſcios ejus nominis ſuſpicemur, ſed unice Tyrrhenos: quos ab Alpibus ad fretum uſque Siculum in Italia primitus dominatos, auctor eſt Livius. Ea originatio ſi vera ſit; tum vero Chalcidenſes non pro primis conditoribus, ſed pro ſubſecutis urbis jam antea fundatae acquiſitoribus accipiemus. At Graeci, cuncta vel remotiſſimae memoriae ſibi arrogare ſoliti, quo primos fundatores Graecos fuiſſe ſuaderent, plauſibilem illam a ῥήγνυμι [*rumpo*] vocis originem excogitarunt: quam uti fulcirent, fabellam de terra ibi abrupta & aequore admiſſo commenti fuere. Sed recte eſt, quod ſcriptores ipſi, qui hujus narrationis meminerunt, ei parum ſe fidere profeſſi videntur, dum uſitatum illud ἐν ἀπίστοις λόγοις (*in incredibilibus narrationibus*) inſerunt, VTI FERVNT. Vrbis hujus quondam potentiſſimae res geſtas Diodorus, Juſtinus aliique loquuntur. Ejus Graeca numiſmata ſunt plane innumera ac manibus teruntur omnium.

2. Rhegium excipit *Columna Rhegina*, & juxta Ποσειδώνιον *Poſidonium* h. e. Neptuni templum, non ſine frequenti habitatione, uti puto. Deinde *Caenys* (68) promontorium. Ac poſtremo MAMERTVM urbs

F cele-

(67) In antiquiſſimo marmore Pollae apud Grut. p. 150. 7. REGIVM Bruttiorum bis ſine ſpiritu legitur. Ad haec *Reginenſium reſp.* apud Grut. pag. 267. occurrit. Mitto cetera ex Gualteri tabulis, & aliis documenta.

(68) *Caenyos* iſtius non meminiſſem, niſi huc referendum ſuſpicarer meum fabricae pervetuſtae nummum, in cujus una parte eſt Pegaſus volans, in altera equus effrenis, cui ſubſcribitur KAINON, antique ut opinor, pro Καινων. Nam caſu patrio efferri in his nummis populi ſolent. Exſtat ejus nummi typus in Paruta Havercampi edi-

Digitized by Google

celeberrima, cujus Graeca numiſmata plurima ſunt edita juxta atque inedita: a qua SILA ſeu *Syla* incipit, ſylva picis Bruttiae proventu feraciſſima. Quae ſimul omnia, ut & *Bruttiorum* origines orientali philologia in Collectaneis aſpergemus. *Mamertum* excipit MEDAMA, haud dubie Orientale (69) nomen.

3. Poſt alia loca antiquis memorata [quae Graeci an Latini oris fuerint, non habeo dicere] ſequitur VIBO, hodie *Monte Leone*. In Comment. ad S. Reſtitutae M. acta, hanc urbem ab antiquiſſimis temporibus a Phoenicibus fuiſſe conditam docuimus: deinde a Graecis occupatam, ac detorto paullum vocabulo, Ιππῶνα ſeu Ιππῶνιον, *Hipponium* nuncupatam: cujus temporis exſtant vulgo nummi cum epigraphe ΙΠΠΩΝΙΑΤΑΝ: poſtremo Romanam eo deductam coloniam, ac vetus nomen Vibonis fuiſſe revocatum, addito altero VALENTIA. At in nummis Latinis tantum VALENTIA legitur, ſicuti & in tabula milliaria apud Pollam [Grut. p. 150. 7.] VALENTIAM, ſine alia adjectione ſcribitur. Verum de Vibone plura in Collectaneis admetiemur.

4. In proximo adjacent *Ithaceſiae inſulae* [quarum nomen Graeciſmum ſubindicat] e longinquo AEOLIAE inſulae Graecis decantatiſſimae apparent. At harum etiam primaevas origines ab Oriente repetendas in Collectaneis in fine dandis demonſtrabitur.

5. 6. In eadem ora longo a Vibone intervallo TERINA ſuccedit: quam orthographiam Stephanus & nummi inſcripti ΤΕΡΙΝΑΙΩΝ, adprobant: a qua Hipponiates ſinus, etiam *Terinaeus* audiit. Etſi apud Ioann. de Flore & Mayerum inſcriptio nummorum variat; ſunt enim in quibus ſecunda ſyllaba per H ſcribitur etiam formâ diversâ nominis ethnici, nim. ΤΕΡΗΝΕΩΝ, alibi ΤΕΡΗΝ. Tum TEMESA, quae Strabone teſte ab Auſonibus primum, mox ab Aetolis condita fuit. Ejus nummos vidi apud eosdem cum ΤΕΜΕΣΕΩΝ epigraphe. *Terinae* ac *Temeſae* nomina Phoenicia [70] fuiſſe non dubito.

7. 8. SCIDRVM in ora ſequitur, cujus Herodotus lib. VI. meminit, Sybaritarum colonia. De *Cerillis* & *Murano*, eccujus linguae fuerint, haereo. Succedit in ora LAVS eorumdem Sybaritarum colonia: quos

editus, tum tab. 66. num. 83. 84. tum etiam tab. 72. num. 166. Quem ne autem populum hoc numiſmate deſignari augurabimur, niſi *Caenos* Thraciae? de quibus videndus eſt Stephanus, & quos ibi citat Berkelius. Id quidem non improbo. Sed tamen cum is nummus in his noſtris regionibus haud raro compareat; magis eſt, ut ſuſpicer *Caenyn* promontorium oppido ejusdem aut conjugati nominis non caruiſſe, ad hos vero oppidanos hunc nummum eſſe referendum.

(69) *Medama* mihi videtur a Syro מדמא, quod *Copiam* rerum notat, ortum: ſicuti Romanis Thurios tranſnominare *Copias* placuit. Hanc urbem poſtquam Graeci occuparunt: eius navale Εμπόριον *Emporium* nuncuparunt: quo alluſum dicerem ad Phoeniciam *Medamae* notionem, niſi jam ſup. Adnot. 59. demonſtraſſem, Εμπόριον, aut Εμπορεῖον in re geographica tantumdem eſſe quod *Navale*, *portum* aut *ſtationem*.

(70) *Terinae* vox poteſt ſive ad Chaldaicum & Syrum טרן quod *tyrannum* ſive *regem* aut *principem* notat, referri; ſive ad תרן quod Heb. & Chald. *malum navis*, aut ipſam navim deſignat. At ratio nominis latet ob veterum hiſtoriarum inopiam.

Temeſa cum *Auſonum* (ex Oriente advenarum) opus fuiſſe dicatur, mirum non eſt ſi nomen orientale gerat. Chaldaicum itemque Syriacum verbum טמש *temas* eſt *mergi*; ut ſit conjecturae locus, Auſones procella jactatos, huc poſtremo emerſiſſe, ibique condito a ſe oppido nomen ab eo quod acciderat, indidiſſe. Notae ſunt illae Orientalium locutiones, *Tempeſtas demerſit me*, ac plurimae ſimiles, etiam de ſuperſtitibus uſurpatae. An potius eſt ab Heb. שמש *Shemes*, *Sol*, quaſi Ηλιόπολιν *Heliopolim* dixeris? Nam litteram *Shin* Chaldaei Syrique amant in *Tau* vertere, ita ut ex *Shemes* factum ſit *Temes*, unde TEMESA. Nomen inde forſitan ortum, quod ex *Temſano* (nam & cum ſyncopa ſcribitur) littore mane ſolem tum primum exorientem conſpicaretur vicinia. Vt alias taceam cauſas, ex quibus tum Graecum Ηλιοπόλεως, tum *Temeſae* Phoenicium oriri potuit.

Digitized by Google

quos urbe ſua Sybari exutos, *Laum* & *Scidrum* in ora Tyrrheni maris incoluiſſe, Herodoti hiſtoria VI. 21. monſtrat.

9. Horum e regione intus PANDOSIA ad amnem *Acherontem* fuit, Alexandri Epirotae fato celebris. Non tantum autem *Pandoſiae*, ſed & *Acherontiorum* apud Ioann. de Flore & Mayerum nummi exſtant: quos (71) vide. Equidem ſicuti de hujus *Pandoſiae* Bruttiae graecitate non dubito; ſic multo minus de PANDOSIA altera agri Heracleotici: quam exſtitiſſe, cap. ſeq. ex Tabulis Heracleae noſtrae docebimus.

10. Deinde BVXENTVM in eodem littore viſitur: quam fuiſſe Ἰταλιωτίδων unam, tum conditor ejus [qui Straboni fuit *Micythus Meſſanae in Sicilia princeps*] tum vocis ipſius ingenium ſatis declarat; nam Graeco more inclinatur Πύξους, πυξοῦντος.

11. Poſtea Τέλη VELIA urbs nobiliſſima occurrit, a Phocaeenſibus primum condita, auctore Herodoto. Fuit Parmenidis, & Zenonis Eleatae patria: cujus tot nummi pulcherrimi ΥΕΛΗΤΩΝ inſcripti viſuntur. Scriptura tamen nominis alia aliis temporibus fuit. Aevo Herodoti ΥΕΛΗ vocabatur: circa quod tempus cuſi ſunt nummi cum ſuperiore inſcriptione. At a poſt ſecutis Graecis ſcriptoribus oppidani vocantur Ελεᾶται, & urbs Ελέα: quo etiam Cicero uſus in III. Nat. deor. 33. *Zenonem Eleae in tormentis necatum*. Verum poſtquam municipium Romanum evaſit, tum credo, antiquiore nomine revocato, *Veliam* dici coepiſſe: quod Stephano eſt νῦν Βελέα.

12. Vltimum in ora Lucianae PAESTVM fuit, poſtea a Graecis occupatum, ac tranſnominatum Ποσειδωνία. Idem poſtremo *Paeſtum* vetere vocabulo, & *Neptunia* novo, ab Romanis coloniam deducentibus appellatum. Nummi Graeci & Latini exſtant: de quibus in Collectaneis dicam, ubi ſimul diverſas urbis hujus vices copioſe exponemus.

13. Poſtremo etiam & Picentini ſuum Graecum oppidum prope a mari habuerunt, quae PICENTIA vocabatur; eaque Picentinorum μητρόπολις Straboni in fine lib. V. dicitur. Hanc Mela inter maritimas numeraſſe videbatur. Tamen poſtea Cluverius & alii longius a mari removerunt. At recte Holſtenius p. 263. adnotat: *Inter Salernum & Ebolos tranſitur locus BICENZA dictus* [prope fluvium *Bicentino*] *VII. M. P. a Salerno*. Nec idem dubitat, *quin haec ipſiſſima ſit PICENTIA, quae . . . nomen genti dedit*. Et hanc quidem πόλιν Τυρρηνίας [*urbem Tyrrheniae*, Ciſtiberinae ſcil.] vocat Stephanus: recte quia ab initio Tyrrhenica fuiſſe videtur. At poſtea eamdem Graecos colonos accepiſſe ex Goltzii nummo, & ex tribus Mayeri conſtat. In omnibus his eadem eſt ΠΙΚΕΝΤΙΕΩΝ inſcriptio. In horum ultimo apud Mayerum piſces quatuor in orbem ſcalpti viſuntur: quod maritimis (aut certe prope a mari diſtantibus) urbibus ſymbolum familiare erat.

(71) Pandoſiae nummi apud Goltzium exſtant inſcripti ΠΑΝΔΟΣΙΕΩΝ. Verum quia Stephanus inter Theſprotiae Pandoſiam, noſtramque Italicam ſic diſtinguit, ut a Theſprotica ſit Πανδοσιώς, ab Italica vero fiat Πανδοσηνός; maluit Harduinus hos nummos ad Theſprotiae urbem referre. Quod etſi non improbo, tamen non neceſſario ſequitur. Nam Ethnicographo huic non omnia prorſus urbium Ἰταλιωτίδων gentilia (quae mire variabant) fuiſſe perſpecta, experimento Heracleae Italicae & aliis didici.

Iam vero apud Mayerum etiam AXEPΩNTAN (rectius in Goltzio cum O μικρῷ) nummi exſtant: ex quibus intelligitur apud *Acherontem* amnem fuiſſe urbem cognominem. Nec aliter accipiendus eſt Plinius in Bruttiis ſcribens: *Fluvius Acheron, a quo oppidani Acherontini*. Fuit & in mediterraneis Lucaniae *Acherontia* (hodie *Acerenza*) de cujus graeciſmo non conſtat.

Digitized by Google

Quae deinde in ora Campaniae loca Graecanica occurrunt, ea *Minorem Graeciam* componunt: de qua jam dicendum.

SECTIO VI.

De minore Graecia, quae in Campaniae ora ſuperfuit.

DVplex fuit pro diverſitate temporum Italienſis Graeciae ſtatus. Aevo antiquiore uſque ad ferme ducenteſimum ante Servatoris nativitatem annum Graecia duplex erat. Nam quae intus duobus Apennini cornibus, ad mare vero ſinu triplici Tarentino, Scylacio, & Locrenſi finiebatur, ea ſive ab Italiae, ſive potius ab ſua ipſius claritudine *Magnae* cognomen meruerat. At interim etiam per totam Superni Infernique maris littora Graecorum urbes plurimae, quas hactenus deſcripſimus, ita diſſeminatae erant, ut Supernates Graeci ab Hadria Piceni ad Leuca Sallentinorum, Infernates ab Rhegio ad Cumas, utramque oram ſerie vix uſquam interruptâ tenerent. Harum ergo civitatium diſperſarum σύστημα abſolute [72] *Graecia* vocari ſolebat: quam nos, ſi lubet, *diſſeminatam Graeciam* appellabimus.

At ultimis reipublicae Rom. temporibus, ac multo plus ſub priobus Auguſtis res variavit. Nam ſenſim ſine ſenſu omnes illae Supernatium & Infernatium Grajorum urbes, ſive quod a Romanis devictae, ſive quod ſponte ſua, dulcedine Romanae civitatis illectae, ad principis urbis inſtituta & ſermonem dilapſae fuerant; ita ut Strabonis aevo (is vero ſub Tiberio ſcripſit geographiam) ex hac tota diſperſa Hellade vix aliud praeter Neapolim & Rhegium ſupereſſet. Eum Strabonis locum pluries expoſui. Ex hoc autem licet intelligi, fere centum ante Geographum annis, ſive toto ſeptimo liberae Reipublicae ſaeculo rem paullo aliter habuiſſe. Nimirum tunc temporis duo Grajorum Italienſium συστήματα [*corpora*] ſuperabant: majus unum eorum quos priſci *Magnos Graecos* vocaverant, alterum multo minus in Campaniae littoribus. Itaque ab illo tempore ſic uſu receptum fuit, ut illa quae primitus *Magna Graecia* fuerat, *Major* diceretur (ſicuti re vera Tullianis & Auguſteis temporibus vocitabatur) haec vero altera ſive *Minor* diceretur, ſive, tacite ſaltem, *Minor* intelligeretur.

Ceterum quod dixi, in hac ora Campaniae σύστημα quoddam urbium Grajarum exſtitiſſe, id haud dubie uſque ad ultima liberae Reip. tempora verum fuit: quo tempore praeter *Cumas* atque *Neapolim*, etiam *Puteolana* civitas adeo inter Graecas excellebat, ut etiam Grajum Δικαιαρχίας vocabulum nacta fuerit; etſi ſimul eadem plurimum municipii Romani, interdum etiam coloniae jure gaviſa fuerit. Adhaec *Miſenum*, *Bajae*, *Bauli* anteactis temporibus Graeca fuiſſe oppida mihi videntur, antequam tandem a Graeciſmo deficerent. *Caprearum*, *Pitheruſarum*, *Prochytae*, *Neſidis* confeſſam graecitatem nomina ipſarum ſignigni-

(72) Argumento eſt Varro, qui in II. R. R. 1. Ἄργος Ἵππιον (aliter *Arpos*) *in Graecia* collocavit, non Elidem utique intelligens, ſed Italienſem Graeciam: de quo vide ſupra pag. 36. Adnot. 55. Adhaec Cicero in ea pro Archia quidquid Graeci nominis in Italia fuit, id totum abſolute *Graeciam* nuncupavit: de cujus loco vide ſupra pag. 22.

Digitized by Google

Digitized by Google

ad pag. 46.

DESCRIPTIO

Illius Italiæ partis cujus oram maritimam GRAECI *olim incoluerunt expressa ad effigiem Italiæ veteris quam* DOMINVS ISLAEVS *in æs incisam vulgaverat: nunc tamen locis aliquot ad auctorum veterum fidem castigata.*

MARE HADRIATICVM

Diomedeæ Insulæ

Sinus Urias

PICENUM

VESTINI

MARRUCINI

PELIGNI

FRENTANI

MARSI

SAMNIUM

DAUNIA

APULIA

PUCETIA

Cimerium Pr.
Arvona Col.
Numana Mun.
Potentia Col.
Sacrata
Fluvus Fl.
Fluana
Tenna Fl.
Firmanorum Col.
Helvinus Fl.
Cupra Maritima
Albulates Fl.
Truentum Castrum et Fluv.
Batinum Fl.
Castrum Novum Col.
Vomanus Fl.
Matrinum
Ostia Aterni
Ortona
Diomedea I.
Teutria I.
Trimathus I.
Hyrium seu Varia
Portus Garnæ
Garganum Promontorium
Merina
Pons longus
Apenestæ
Agasus Portus
Calcantis Sacellū
Dionis Collis
Metina
Atria
Anxanum
Salinæ
Aufidus Fl.
Barduli
Sipontum
Salpe
Natiolum
Turris Cæsaris
Turres Aurelianæ
Egnatia
Derimum
Sturni
Lupatia
Rhudiæ
ubi Pædiculi
Vultur Mons
Venusia
Aufidena
Anxantia
Caracemi
Samnites
Lucus Minervæ
Luceria Apul.
Arpi
Sipontum
Cerbalus R.
Herdonea
Canusium
Notium
Butuntum
Rubi
Rhudiæ
Celia
Norba
Egnatia
Turenum
Barium
Canna
Diomedis
Aquilonia
Asculum Apulum
Ausidus Fl.
Aufidena
Triventum
Gerio
Larinum
Egitium
Corinum
Dornum
Apulum
Cornelium
Pacilium
Odoaris
Lenua
Oscorius
Tifernus
Trinius
Lavernianum
Prætorium
Ulurtum
Sepinum
Decula
Æcæ
Via Egnatia
Via Appia
Via Minucia
Via Valeria
Via Claudia
Via Tiburtina
Via Salaria
Via Nomentana
Via Latina
Via Prænestina
Via Labicana
Via Ostiensis
Via Portuensis
Via Aurelia
Via Cassia
Via Flaminia
Via Amerina
Via Clodia
Via Cimina
Via Ardeatina
Via Laurentina

Digitized by Google

ad pag. 94.

DESCRIPTIO

Illius Italiæ partis cujus oram maritimam GRAECI *olim incoluerunt expressa ad effigiem Italiæ veteris quam* DOMINVS ISLAEVS *in aes incisam vulgaverat: nunc tamen locis aliquot ad auctorum veterum fidem castigata.*

MARE HADRIATICUM

PICENUM

VESTINI

MARRUCINI

PELIGNI

FRENTANI

MARSI

SAMNIUM

DAUNIA

APULIA

PEUCETIA

Diomedeæ Insulæ

Sinus Urias

Cumerium Pr.
Ancona Col.
Numana Mun.
Misio Fl.
Potentia Col.
Sacrata
Flusor Fl.
Asa Fl.
Pausulæ
Tenna Fl.
Castrum Firmanorum Col.
Helvinus Fl.
Cupra Maritima
Albulates Fl.
Truentum Castrum et Fluv.
Batinum Fl.
Castrum Novum Col.
Vomanus Fl.
Matrinum
Ostia Aterni
Ortona
Anxanum
Cluviæ
Aternus Fl.
Diomedea I.
Teutria I.
Trimæthus I.
Portus Garnæ
Hyrium Seu Varia
Garganum Promontorium
Merinæ
Pons longus
Agasus Portus
Calchantis Sacellū
Metinæ
Histra
Sipontum Col.
Anxanum
Salpe
Natiolum
Barium
Turris Cæsaris
Turres Aurelianæ
Egnatia
Ad Decimum
Rubi
Rhudiæ
Ubi Pædiculi
Vultur Mons
Aufidus Fl.
Cerbalus fl.
Via Egnatia
Via Appia
Asculum Picenum
Asculum Apulum
Aquilonia
Herculaneum
Sepinum
Bovianum
Pentri
Allifæ
Telesia
Cales Col.
Capua
Teanum Sidicinum
Suessa Aurunca
Minturnæ
Formiæ
Fabrateria Col.
Aquinum
Interamnia
Aufidena
Anxanum
Caracenæ
Samnites
Corfinium
Sulmo
Ocriculum
Lanuvium
Fucinus Lacus
Marruvium
Cerfennia
Aufina
Prifernum
Peltuinum Col.
Pinna
Hadria Col.
Matrinum
Interamnia
Picenum
Asculum
Novana
Cupramontana
Pitinum
Aesernia Col.
Venafrum
Allifæ Col.
Saticula Col.
Sipi
Teanum Sidicinum
Suessa Aurunca
Minturnæ
Formiæ
Fabrateria Col.
Aquinum
Sora Col.
Atina Col.
Arpinum
Frusino
Ferentinum
Tusculum
Tibur
Praeneste
Gabii
Roma
Ostia
Ardea
Lavinium
Laurentum
Lanuvium
Velitræ
Tarracina
Circeii
Terracina
Fundi
Formiæ
Minturnæ
Sinuessa
Volturnus Fl.
Liternum
Cumæ
Puteoli
Baiæ
Misenum
Neapolis
Herculaneum
Pompeii
Nuceria
Surrentum
Stabiæ
Salernum
Paestum
Velia
Buxentum
Consentia
Thurii
Sybaris
Croton
Locri
Rhegium
Tarentum
Brundusium
Hydruntum
Lupatia
Sturni
Venusia
Canusium
Cannæ
Aufidus Fl.
Herdoneæ
Vibinum
Ecas
Ulurtum
Luceria Apul.
Arpi
Sipontum Col.
Anxanum
Histra
Metinæ
Agasus Portus
Calchantis Sacellū
Pons longus
Merinæ
Garganum Promontorium
Portus Garnæ
Hyrium Seu Varia
Sinus Urias
Diomedea I.
Teutria I.
Trimæthus I.
Ortona
Ostia Aterni
Matrinum
Vomanus Fl.
Castrum Novum Col.
Batinum Fl.
Truentum Castrum et Fluv.
Albulates Fl.
Cupra Maritima
Helvinus Fl.
Castrum Firmanorum Col.
Tenna Fl.
Asa Fl.
Flusor Fl.
Sacrata
Potentia Col.
Numana Mun.
Ancona Col.
Cumerium Pr.
Aesis Fl.
Ad Septimum
Auximum Col.
Ricina Col.
Pollentia Col.
Fermum Col.
Falerio
Cupramontana
Novana
Pitinum
Asculum Picenum
Truentum
Batinum Fl.
Vomanus Fl.
Matrinum
Ostia Aterni
Ortona
Anxanum
Cluviæ
Aternus Fl.
Peltuinum Col.
Pinna
Hadria Col.
Interamnia
Picenum
Aquæ
Marrucinum
Surpicanum
Amiternum Col.
Aufina
Prifernum
Avia
Corfinium
Cerfennia
Sulmo
Jovis Pallenæ Fan.
Politium
Varvarium
Historium
Interpromium
Superaequum
Marruvium
Via Valeria
Fucinus Lacus
Lanuvium
Tribulum
Trivium
Triventum
Gerio
Tifernus
Larinum
Corinum
Egitium
Gerionium
Cornelium
Podedrii Vacellum
Dion Collis
Arpinum
Frusino
Ferentinum
Tusculum
Tibur
Praeneste
Gabii
Roma
Ostia
Ardea
Lavinium
Laurentum
Lanuvium
Velitræ
Tarracina
Circeii
Terracina
Fundi
Formiæ
Minturnæ
Sinuessa
Volturnus Fl.
Liternum
Cumæ
Puteoli
Baiæ
Misenum
Neapolis
Herculaneum
Pompeii
Nuceria
Surrentum
Stabiæ
Salernum
Paestum
Velia
Buxentum
Consentia
Thurii
Sybaris
Croton
Locri
Rhegium
Tarentum
Brundusium
Hydruntum
Lupatia
Sturni
Venusia
Canusium
Cannæ
Aufidus Fl.
Herdoneæ
Vibinum
Ecas
Ulurtum
Luceria Apul.
Arpi
Sipontum Col.
Anxanum
Histra
Metinæ
Agasus Portus
Calchantis Sacellū
Pons longus
Merinæ
Garganum Promontorium
Portus Garnæ
Hyrium Seu Varia
Sinus Urias
Diomedea I.
Teutria I.
Trimæthus I.
Ortona
Ostia Aterni
Matrinum
Vomanus Fl.
Castrum Novum Col.
Batinum Fl.
Truentum Castrum et Fluv.
Albulates Fl.
Cupra Maritima
Helvinus Fl.
Castrum Firmanorum Col.
Tenna Fl.
Asa Fl.
Flusor Fl.
Sacrata
Potentia Col.
Numana Mun.
Ancona Col.
Cumerium Pr.
Aesis Fl.
Ad Septimum
Auximum Col.
Ricina Col.
Pollentia Col.
Fermum Col.
Falerio
Cupramontana
Novana
Pitinum
Asculum Picenum
Truentum
Batinum Fl.
Vomanus Fl.
Matrinum
Ostia Aterni
Ortona
Anxanum
Cluviæ
Aternus Fl.
Peltuinum Col.
Pinna
Hadria Col.
Interamnia
Picenum
Aquæ
Marrucinum
Surpicanum
Amiternum Col.
Aufina
Prifernum
Avia
Corfinium
Cerfennia
Sulmo
Jovis Pallenæ Fan.
Politium
Varvarium
Historium
Interpromium
Superaequum
Marruvium
Via Valeria
Fucinus Lacus
Lanuvium
Tribulum
Trivium
Triventum
Gerio
Tifernus
Larinum
Corinum
Egitium
Gerionium
Cornelium
Podedrii Vacellum
Dion Collis

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

gnificant. Poſtremo *Herculanium* aevo ſuperiore Ηρακλεῖον fuiſſe appellatum conjicio, Grajoque ſermone & inſtitutis floruiſſe. Praeter cetera illud ſuadet, quod in proximo erat vicus *Retina* Graeco nomine Plinio juniori dictus, qui nunc *Reſina* Latino nuncupatur. Huic minori Graeciae etiam *Sinopen* adjudicandam ajo: quae tamdiu Graja (73) urbs fuit, donec evaſit Romanorum colonia, a quibus *Sinueſſa* vocata fuit.

Verum de hujus Minoris Graeciae locis, ac praecipue de ignivomis, dicam copioſe ſeorſum in Collectaneis in fine operis hujus edendis.

SECTIO VII.

Dictorum per ſumma capita repetitio.

CRedo me fere nullam earum praeteriviſſe urbium, quas ſive ex nummis ſive ex ſcriptoribus, vere fuiſſe aliquando Graecas conſtaret: niſi quod neſcio quo pacto CARCINVM in ſinu Scylaceo (quem ſupra Sect. 3. pag. 31. deſcripſi) nec opinans omiſeram: quod tamen oppidum tum Graeci oris, tum etiam in numero praeſtantiorum fuiſſe, ejus nummi graece [74] inſcripti apud Goltzium & Mayerum teſtantur. Habes inquam urbes Italiotidas ſive Hellados Italicae, ſupra ſexaginta. His ego tantum Helleniſmum ex nummis aut ex ſcriptoribus arrogare potui: de aliis nihil dum tale praeſto, donec aut nummi (75) ſinceri, aut certa auctoritas faverit.

Porro Graecanicis hiſce urbibus hoc commune fuit. 1. Maximam partem illae littorales fuere: aut ſi minus maritimae, modicum ſaltem a mari aberant. 2. Quarum fundatio ante aut ſub Iliaca tempora ponitur,

(73) Livius lib. X. cap. 21. *Placuit ut duae coloniae circa Veſcinum & Falernum agrum deducerentur: una ad oſtium Liris fl. quae Minturnae appellata: altera in ſaltu Veſcino... ubi SINOPE dicitur GRAECA fuiſſe urbs, SINVESSA deinde a colonis Romanis appellata.* Accidit hoc anno V. C. CCCCLVII. Ex quibus Sinopem Graecam fuiſſe vides, antequam colonis Romanis acceptis, Latino nomine (ſi Straboni interpretanti fides) diceretur *Sinueſſa*. Strabo enim lib. V. ἡ Σινῶσσα ἐν σύσσχιν κόλπῳ ἵδρυται, ἀφ' ἧς καὶ τοῦνομα· οἶνος γὰρ ὁ κόλπος. *Sinueſſa in ſinu Veſcino condita, unde & nomen. SINVS enim Latinis κόλπον ſignificat.* Ex quibus dubiae fidei arguuntur ii nummi, qui apud Goltzium & M. Mayerum Graecis litteris inſcribuntur ΣΙΝΤΕΣΣΑΝΩ (quos tamen nemo hominum noſtrorum vidit) quaſi vero in Romanis coloniis Graeca numiſmata cuderentur. Nonne vero, ſi quando ibi percuſſa fuere, decuiſſet ΣΙΝΩΠΕΩΝ ſcribere? Apud Goltzium quidem exſtat & apud Harduinum ex regio Pariſienſi theſauro nummus inſcriptus ΣΙΝΩΠΕΩΝ: ſed Ponticis ne Sinopitis, an Campanienſibus ſit adſcribendus, ignoro; nec enim nunc Goltzius ad manus eſt, ut ex typo judicare poſſim; nec Harduinus protulit nummi typum.

Porro ſi vera ſunt, quae ex Livio de Sinope Graeca urbe narravi; tum non tantum Cumarum tenus, uti auctor eſt Servius, Graeci aedificaverint oppida neceſſe eſt, ſed aliquanto longius uſque ad Sinueſſanum littus proceſſerint. Mitto jam Graecas de Circe, de Circaeo promontorio & oppido fabuloſas narrationes: quae etiam ſi veri aliquid continerent, eas Hellenica tempora praeceſſiſſe neceſſe erit. Quo fit, nihil inde peti poſſe, quo ultra Cumanum & Sinueſſanum littus fundationes Graecanicas adſtruamus.

(74) Duos hujuſmodi Mayerus in Calabriae tab. 15. offert, hinc cum deae neſcio cujus capite, illinc cum Jovis fulminantis effigie, & ΚΑΡΚΙΝΙΩΝ epigraphe.

(75) Nam quos nummos, ex Goltzio viri eruditi afferre ſolent, quoſque & Harduinus & copioſius M. Mayerus corraſerunt, nim. ΚΑΠΤΑΝΩΝ, ΝΩΛΑΙΩΝ, ΝΟΥΚΕΡΙΝΩΝ, ΣΤΕΣΑΝΩ, ΚΑΛΕΝΙΤΩΝ aut ΚΑΛΕΝΩ, ΑΤΕΛΛΑΝΩΝ, ΑΙΣΕΡΝΙΝΩ, &c. eos ſi ſapimus, tamdiu inter adulterinos numerabimus, donec numiſmata ipſa a viris hujuſce rei gnaris attrectentur & adprobentur. Hoc tantum ſcio Capuae nummos Tyrrhenicos exſtare quamplurimos, quos partim in Tyrrhenicis meis protuli, partim poſtea adquiſitos in loculis ſervo. *Nolam* in Etruſca inſcriptione longiſſima ſaepe memoratam, nuper ex Cl. Remondino agnovit eruditiſſ. Paſſerus. Nuceria in nummo Tuſcanico apud me peregrinis illius gentis litteris NVBKRI inſcribitur. *Sueſſanorum*, *Calenorum*, *Aeſerninorum* nummi Latinis litteris exarati paſſim feruntur, ultima ſyllaba detruncati ſic: SVESANO, CALENO, AESERNINO, aut AISERNINO: ſicuti & in Romana moneta pluries ROMANO (pro integro *Romanorum*) inſcriptum reperi: ex quo facile quis conjiciat, etiam ubi ROMA legitur, id forſan ex integro *Romanorum* fuiſſe compendifactum. Poſtremo monetam Atellanam nullus dum vidit. Scitum eſt quoque Goltzio interdum offucias fuiſſe factas ab iis, qui fictitiorum numiſmatum illi ectypa traderent: quod & aliis bonis viris uſu venit.

Digitized by Google

nitur, aut alioqui ad aetates remotiſſimas ab auctoribus Graecis refertur, eae a Chananaeorum poſteris initio conditae & habitatae fuerunt (quod & earum vocabula oſtendunt) ac ſerius tandem a Graecis occupatae. At quae aevo poſteriore a Graecis aedificatae traduntur, eas ab initio graecanici generis exſtitiſſe, non eſt dubitandum. 3. Jam vero quod littora tantum Regni Neapolitani ad Cumas uſque Graecis habitatoribus Servius tribuit; poteſt bona cum Grammatici gratia aliquanto liberalius cum Graecis agi, ac limes is ultra Cumas ad *Sinopen* uſque protendi. Sinope enim Graja fuit, auctore Livio, quamdiu certe *Sinopes* nomen retinuit: nam poſtea acceptis Romanorum colonis vetus nomen cum *Sinueſſae* vocabulo permutavit. 4. Ergo ora tantum Regni Neapolitani pleraque Graecorum fuit; dum interim mediterranea omnia Campanis, Samnitibus, Appulis, Lucanis, Bruttiis, ceteriſque antiquis Regni Neapolitani populis cederent: quod diſcrimen tum Strabo (76) haud ſemel agnovit, tum Polybius & Scriptores ceteri, qui Lucanos, Bruttios, Samnites, ceteros perpetuo diſtinguunt a Graecis Italiotis. 5. Extra vero Regnum Neapolitanum urbs nulla Italiae Graeca fuit; nam *Caere*, *Piſas*, aut quamvis aliam civitatem quidquam cum Graecis habuiſſe commune, in noſtris Tyrrhenicis abunde refutavimus. 6. Poſtremo harum omnium littoralium aut prope a mari diſtantium σύστημα urbium univerſum abſolute *Graecia* vocabatur: cujus tamen pars illa, quae ſinu triplici, nempe Locrenſi, Scylacio, ac Tarentino continebatur, ea tantum videtur ſpeciatim *Graecia Magna* ac poſtea *Major* vocata, non quod amplior Graeciâ tranſmarina fuiſſet (quod doctiſſimis Pariſienſibus Academicis neſcio cur venit in mentem) verum ob ejus praeſtantiam aliaſque rationes ſupra cap. IV. traditas.

CAPVT VI.

De antiquo Graeciae Magnae ſplendore.

EX iis quae tota hac Diatriba ediſſeruimus, ſatis de Italiotidum rerumpublicarum potentia, dignitate, praeſtantia conſtare arbitror. Vel una Sybaris exemplo eſſe poteſt: quae gentes quatuor, urbes XXV. dicto audientes habebat, & CCC. hominum millia ad praelium educebat, & quae cetera Strabo praedicat. De Locris, Crotone, Tarento finis non ſit, ſi colligere res traditas ſatagam.

At nihil majorem civitatibus hiſce ſplendorem conciliavit, quam Pytha-

(76) Strabo prope ab initio lib. VI. *Cum autem Samnites viribus aucti Chonas & Oenotros ejeciſſent, & Lucanorum Coloniam in eam regionem* (quae poſtea a Bruttiis habitata fuit) *deduxiſſent; ac ſimul etiam Graeci utrumque littus* (Superi Inferique maris) *uſque ad fretum* (h. e. ex una parte ab Hatria ad fretum, ex altera a Cumis uſque ad idem fretum) *tenerent* &c. Vides heic littoribus haeſiſſe Graecos, mediterranea ceteros Italiae populos tenuiſſe. Eodem libro, ubi ſinûs Locrenſis oram deſcripſiſſet, ait: τὴν δ' ὑπὲρ τῶν τόπων μεσογαίαν Βρίττιοι κατίχουσι. *Quae ſupra urbes haſce mediterranea ſunt, ea Bruttii tenent.* Nec pluribus opus eſt in re perſpicua.

Digitized by Google

Pythagorae diuturna inſtitutio: ex cujus ſchola milleni (77) viri ſummi tamquam ex equo Trojano gregatim prodierunt, qui non tantum Graeciam Italiotidem, ſed & univerſam, qua longiſſime patet, Italiam mirifice illuſtrarunt. Quid dico illuſtrarunt? cum potius Magnae Graeciae nomen non niſi a ſcholae Pythagoricae claritudine ſibi nomen quaeſierit? Et id quidem ſupra cap. I. mera conjectura ductus affirmaveram: nunc vero auctores ejus rei duos ſatis idoneos dabimus.

SECTIO I.

De eo quod Graeciae Magnae nomen non niſi a Schola Pythagorica profectum fuerit,

Παραλειπόμενα.

JAm ſupra cap. I. pag. 12. audacter quidem id, quod nunc mihi retractandum propoſui, mihi quaſi meo jure ſumpſeram: ſed tamen ſubveritus hominum judicia, non deſtiti ab eo tempore tigilla quaerere, quibus id firmare poſſem. Ecce autem tibi duos quantaevis auctoritatis teſtes. Ex iis enim qui Pythagorae vitam poſteris tradiderunt, Malchus (vulgo *Porphyrius*) itemque Iamblichus magnopere celebrantur. Atqui horum uterque Magnae Graeciae nomen a Pythagorae ſchola derivavit. Iamblichus quidem cap. 29. ſic poſuit: *Per haec itaque ſtudia, tota Italia philoſophis repleta fuit: quaeque antea obſcura erat* (ὕστερον διὰ Πυθαγόραν ΜΕΓΑΛΗΝ ΕΛΛΑΔΑ κληθῆναι) *poſtea Pythagorae cauſa MAGNA GRAECIA cognominata eſt, plurimis in ea philoſophis, poetis, & legislatoribus clareſcentibus.* Et quae plura de Pythagoreorum ſcriptis rhetoricis, & orationum legumque libris addit. Nihil quidem hoc loco diſertius afferri poterat: & tamen Porphyrius multo plus dixerat diu ante Iamblichum. Qui num. 20. ubi narraſſet, quo pacto Pythagoras primo in Italiam adventu hominum pluſquam duo millia oratione ſua ſibi adjunxerit; addit eo uſque illos Pythagorae concione captos, ὡς μηκέτι ὅικαδ' ἀποςῆναι, ἀλλ' ὁμοῦ σὺν παισὶ καὶ γυναιξὶν ὁμακοΐου τι (78) παμμέγεθες ἱδρυταμένους; πολίσαι τὴν πρὸς πάντων ἐπικληθεῖσαν ΜΕΓΑΛΗΝ ΕΛΛΑΔΑ ἐν Ιταλίᾳ &c. *Ita ut non amplius in ſuas domos diſcedere ſuſtinerent, ſed una cum liberis atque conjugibus, ingenti Homacoio aedificato, CONDIDERINT illam, quae ab omnibus MAGNA GRAECIA vocata eſt in Italia: leges quoque ac ſtatuta ab ipſo, tamquam divina praecepta acceperint, praeter quae quidquam facere illicitum ſibi ducerent.* Quae totidem verbis omnia Iamblichus in vitam a ſe conſarcinatam deſcripſit prope

ab

(77) Non difficile mihi fuiſſet ex Laertio, Porphyrio, Iamblicho, veteribus aliis, & ex iis etiam qui ſuperiore ſaeculo hiſtoriam philoſophicam illuſtrarunt, Pythagoreorum indicem non quidem omnium, ſed ſive ex Graecis Italiae oppidis, ſive ex aliis etiam Italis urbibus ortorum texere. Idque ad conciliandam Graeciae Italicae claritudinem opportuniſſimum crederem. Verum ne haec Diatriba longior juſto evadat; id, ſi quidem operae pretium fore judicabitur, in Collectaneis dabitur.

(78) Vocem ὁμακοΐον *homacoium* (quae ab ὁμοῦ & ἀκέω deducta, *commune auditorium* ſonat) a Pythagora aut ejus diſcipulis fuiſſe repertam ad deſignandum eum locum, quo inſtitutionis cauſa convenirent, ſatis declarat Clemens Alex. Strom. I. ubi de Pythagora, Hierocles in Comm. ad aurea carmina, Proclus l. 1. in Timaeum. Ipſi Pythagorae auditores ab eo vocabulo dicuntur Iamblicho ὁμάκοοι.

Digitized by Google

ab initio ſexti capitis: ubi & eodem quo Porphyrius, verbo Πολίζω (79) utitur, uti ſignificet, *Magnam Graeciam* tamquam communem quamdam Pythagoriſtarum coloniam fuiſſe agnitam, ejuſque coloniae conditorem habitum eſſe Pythagoram, ejuſque diſcipulos.

SECTIO II.

Elegantiſſimus de Magnae Graeciae dignitate Syneſii locus: deque legibus Xviralibus, non tantum Athenis, ſed & ex Italica Graecia petitis.

PLura dictis non addo. Tamen vix temperare valeo quin pulcherrimum Syneſii locum huc facientem adtexam. Qui ad Paeonium ita ſcripſit: Ιταλία μὲν γὰρ πάλαι τὸς αὐτὸς ἔχουσα Πυθαγόρου τε ἀκουσὰς καὶ τῶν πόλεων ἁρμοσὰς, ΕΛΛΑΣ ἡ ΜΕΓΑΛΗ προσηγορεύετο. *Quo tempore Italia eosdem habebat tum Pythagorae auditores, tum civitatum rectores, Magna Graecia vocabatur.* Hinc viri docti collegerunt, toti Italiae primitus nomen Graeciae Magnae fuiſſe quaeſitum. Equidem dabo manus, modo de Italia [80] veteris acceptionis dictum intelligant. Sequitur: καὶ μάλα ἐν δίκῃ παρ' οἷς Χαρώνδας μὲν ἐνομοθέτει, καὶ Ζάλευκος· ἐστρατήγων δὲ Αρχύται καὶ Φιλόλαοι· ὁ δὲ ἀστρονομικώτατος (81) Τίμαιος ἐπολιάρχει τε καὶ ἐπρέσβευε καὶ τἄλλα ἐπολιτεύετο... *Neque id injuria; quandoquidem, apud eas gentes Charondas (82) quidem & Zaleucus legum latores erant, Archytae (83) & (84) Philolai bellorum duces, princeps autem ille aſtronomorum Timaeus urbi praeficeretur, atque legationes obiret, aliiſque civilis adminiſtrationis muneribus fungeretur: ex quo (85) auctore Plato nobis librum de Mundi natura reliquit.* Tandem quouſque

(79) Id tum maxime locum habet, cum ad locum, ubi urbs aedificatur, id verbum refertur. Vti cum Plutarchus dixit: ἐκεῖνον ἐβούλετο πολίζειν τὸν τόπον. Quod eſt coloniae deductae verbum quaſi ſic interpretere: *Voluit in exſtructam in eo loco urbem colonos transcribere.* Pluries memini ſic ab Herodoto id verbum uſurpari; ſicuti & πολιστὴς ſaepe eſt auctor coloniae, ſive *conditor*.

(80) Quod antiquiſſimis temporibus *Chonia* prius, deinde *Oenotria* vocabatur, id poſtmodum *Italia* dicta fuit Id vero non tantum totam illam peninſulam, quae poſtea Bruttiorum fuit, continebat, ſed & latius aliquanto (plurium judicio) porrigebatur, ita ut ex una parte Tarentum pertingeret, ex altera per oram Tyrrheni maris Poſidoniam uſque ſive Paeſtum, aut ſaltem Laum uſque procederet. Ergo acceptione antiquâ *Italiae* nomen Graeciam Italicam ferme totam complectebatur.

(81) Sumptum eſt ex Platone in Timaeo: a quo Timaeus, itidem ut a Syneſio, ἀστρονομικώτατος appellatur. Vrbs vero illa cui praeerat Timaeus, & cujus legationes obibat, Locri Epizephyrii haud dubie fuerunt. Nam Timaeus patria Locrus erat.

(82) Recte. Nam quamvis Charondas domo Catanenſis fuerit, & pluribus Chalcidicis Siciliae urbibus (veluti Catanae, Callipoli, Euboeae, Himerae, Leontinis, Mylis, Naxo, Zanclae) leges tulerit; tamen ab eodem plures etiam Graecas Italiae civitates fuiſſe informatas certiſſimum eſt, praeſertim Rhegium (Chalcidenſium opus) ac Thurios. Hinc Plutarcho lib. de curioſitate p. 519. ὁ τῶν Θουρίων νομοθέτης (*Thuriorum legislator*) non alius quam Charondas ab eruditis intelligitur, quampluribus graviſſimis ſcriptoribus hoc idem teſtantibus. Merito a Theodoreto lib. IX. De curandis Graecorum affectionib. primus Italiae & Siciliae legislator is dicitur.

(83) De Archyta Tarentino Strabo: πρώτου τῶν πόλεως πολὺν χρόνον, *urbi* (Tarentinae: de qua ibi Geographus loquitur) *diu praefectus fuit*.

(84) Philolaus domo Crotoniates erat: quem tamen Heracleae vitam duxiſſe Iamblichus cap. 36. tradit. Quare haud dubie huic urbi praefuiſſe Philolaum Syneſius voluit. Haec eſt Heraclea ad ſinum Tarentinum.

(85) Obiter de Timaeo haec Syneſius ſubjicit. Vult enim, quod & veriſſimum eſt, *Timaeum* Platonis ex Timaei libro περὶ φύσιος, *De natura*, ſive περὶ τὸ παντὸς, *De univerſitate*, maximam partem fuiſſe ſumptum: quod & Timon Sillographus notatum reliquit apud Gellium III. 18. ubi docet, magno pretio Timaei libellum ſtetiſſe Platoni, qui ex eo ſuum dialogum cognominem texuit. De quo vide etiam Proclum ad Platonis Timaeum. Ac ſane debemus Proclo plurimum quod Timaei libellum integrum ſuo commentario praefixerit, nobiſque ſervarit. Qui exſtat in Thomae Gale opuſculis mythologicis ita inſcriptus: Τιμαίου τοῦ Λοκροῦ περὶ ψυχᾶς κόσμου καὶ φύσιος, *Timaei Locri de anima mundi, id eſt Natura*.

Digitized by Google

quouſque ſplendor tantus perſeveraverit, ex aliquo chronographo vetere ſic idem definit Syneſius: ταῦτ' ἄρα μέχρις ἐνάτης ἀπὸ Πυθαγόρᾳ γενεᾶς τὰ κοινὰ πιστευθέντα, εὐδαίμονα τὴν Ἰταλίαν διετήρησαν. *Cum talium fidei ad nonam uſque a Pythagora aetatem credita fuiſſet reipublicae adminiſtratio, beatam atque florentem Italiam conſervarunt.* Nona a Pythagora γενεὰ [*generatio*] quouſque pertineat, cap. ſeq. videbitur.

Haec vero tanta, quae Syneſius de Magnae Graeciae fama ſapientiae praedicat, ei me penitus affixere ſententiae, ut putarem, ne Romanos quidem, quamlibet tempore illo feros & ἀμούσους, uſque adeo ſeſe efferatos praebuiſſe, ut cum e vicino tantum emicare ſapientiae jubar conſpicarentur, non eo oculos animoſque converterent, nec dogmatibus illis doctrina refertiſſimis aures admoverent. De Numa quidem ſcio fuiſſe olim vulgatum, eum Pythagorae ſeſe erudiendum tradidiſſe: quod tamen refelli ratione temporum, Dionyſius, Livius, alii adnotarunt. At non, ſi de Numa id falſo creditum, continuo ſequitur, non plures exſtitiſſe Romanorum, quos Pythagorae & diſcipulorum fama percelleret, permoveretque ut eorum ſcita cognoſcerent; praeſertim cum diſerte Laertius Romanos [86] Pythagorae auditoribus adnumeraverit. Nec mihi quiſquam illud eripiet, quin quo tempore legati Romani ad diſcendas colligendaſque Graecorum leges miſſi fuere, hi in tranſmarinam tantum Graeciam enavigaverint, non adita interim Italica Graecia, quae ſibi ex ſapientiae gloria arrogantius illud *Magnae* nomen etiam apud exteros conciliaſſet. Imo nihil veriſimilius, quam etiam Graeciam Italicam fuiſſe ab iis peragratam, Locros in primis, urbem a Zaleuco ſapientiſſimis legibus (quas Demoſthenes, Ariſtoteles, Polybius, Strabo, Diodorus, aliiq; ſuſpiciebant) inſtitutam; nec ab adeundis tot aliis rebuſpublicis florentiſſimis fuiſſe ceſſatum, idque facile antea, quam in Graeciam ulteriorem tranſmitterent. Ipſa itineris ratio ad id legatos invitare debuit: qui cum Brundiſium ſe contuliſſent, ut ex eo portu more uſitato in Graeciam ſolverent; quanti laboris fuiſſet in vicinas Magnae Graeciae civitates divertere, earumque auſcultare doctores, legeſque & inſtituta perdiſcere? Cur non Crotona & Metapontum, in quibus diu Pythagoras ſubſtitiſſet, cur non Thurinos, Rheginoſque quos Charondas formaverat ſuis legibus, cur non Locros Epizephyrios, quibus Zaleucus leges graviſſimas ſcripſerat, ceteraſque urbes, praeſertim in vicino poſitas, circumiſſent?

Haec cum ita eſſe mihi certo perſuaſiſſem; ſane indignabar, decemviralem hiſtoriam ita paſſim, quod ſciam, fuiſſe vulgatam, quaſi treſviri ad leges petendas creati in Graeciam illam ulteriorem tantummodo adlegati fuiſſent, neglecta interim citeriore noſtrâ, ex qua Plato

(86) Diogenes Laertius in Pythagora ſegm. 14. *Atque adibant illum* (Pythagoram) *ſtudiorum gratia & Lucani*, & (Πευκέτιοι, Μεσσάπιοι τε καὶ Ῥωμαῖοι) *Peucetii, Meſſapiique & Romani*. Haec vero ex Ariſtoxeno Tarentino Ariſtotelis diſcipulo hauſiſſe Diogenem, ex Porphyrio oſtenditur. Totidem enim fere verbis Malchus in ejus vita num. 22. haec eadem ex Ariſtoxeno refert: προσῆλθον δὲ αὐτῷ, ὡς φησιν Ἀριστόξενος, καὶ Λευκανοὶ καὶ Μεσσάπιοι καὶ Πευκέτιοι καὶ Ῥωμαῖοι. Vides obiter ab utroque auctore Peucetios a Meſſapiis, qui nunc confundi ſolent, diſtingui, idque auctore Ariſtoxeno, qui utpote Tarentinus, haec ſcire debuit. Laertii interpres Πευκετίους non recte *Picentinos* interpretatur. Sicuti & perverſe in Kuſteriana editione Iamblichi, ubi haec eadem ex Porphyrio tranſcribuntur, Μεσσαπίων pro Μεσσαπίων legitur errore typographi.

Digitized by Google

ipſe plura in ſuam Rempublicam corrivaſſet. Ita certe ii nunc vulgo credunt, quos vidi obiter. Verum dum in his eſſem, in Dionyſii Halic. locum apertiſſimum incidi, quo partim in Graecas Italiae civitates, partim in Graeciam externam miſſum fuiſſe docet. Etſi vero eum locum in tanta, quae nunc eſt, litterarum luce viris doctiſſimis fuiſſe jam antea animadverſum, pro certo habeo; tamen quod ab iis, qui juris hiſtoriae epitomas ultimi protulerunt, praetermiſſum vidi, & ceteroqui is locus huc mirifice facit, nolui ad ipſos Dionyſii hiſtoriae libros [87] lectorem avidum amandare.

CAPVT VII.

De rerumpublicarum Italiotidum varia fortuna & occaſu.

RES Italiotarum Graecorum uſque ad Dionyſii tyrannidem florentiſſimae exſtiterunt: ſub quo non nihil afflictas fuiſſe, ex Iuſtino [88] Diodoro & aliis licebit cognoſcere. Revixere tamen poſt Dionyſium: ſed ita ut inter tot externos & Italicos hoſtes cervicibus imminentes, diu inter proſperam adverſamque fortunam fluctuarint. At demum nonâ, auctore Syneſio, poſt Pythagoram γενεᾷ [*generatione*] Graecorum in Italia reſpublicae ἀνομίων cum ſervitute commutarunt. Quonam id tempore acciderit, ſcire permagni intereſt, ſi nihil aliud, certe ad tabularum, de quibus commentaturi ſumus, aetatem pro virili conjiciendam.

Iam vero poſt amiſſam libertatem, protinus & inſtituta priora & ſermo Graecus ita dilabi coeperunt, ut in dies magis magiſque uſque ad Strabonis [89] aevum corrumperentur.

Porro

(87) Dionyſius lib. X. (edit. Lipſ. 1691. pag. 676.) ubi diu Romilium pro ſententia loquentem feciſſet, ita ad extremum perorantem inducit: *Quod vero ſuaſionis meae caput eſt, ita cenſeo: legatos mittendos eſſe partim* (εἰς τὰς ἑλληνίδας πόλεις τὰς ἐν Ἰταλίᾳ) *ad Graecas quae in Italia ſunt civitates, partim Athenas, a Graecis leges optimas & inſtitutis noſtris convenientiſſimas petituros.* Ac mirum eſt, nec Spartanorum (ad quos etiam miſſum fuiſſe conſtat) nec praeſtantium aliarum civitatium injici mentionem, ſed Italiotidum in primis urbium, deinde & Athenarum; quippe ad has potiſſimum ſpectatum fuit. Porro Ἰταλίαν hoc loco tantumdem eſſe quod Magnam Graeciam, infra totâ Adnotatione 105. demonſtrabitur.

At dicet aliquis, ita quidem cenſuiſſe Romilium; verum non ita factum, quippe cum Livius Athenas tantum itum fuiſſe memoret. Verum de Livio poſtea. Nunc ad Dionyſium quod attinet, is ibidem aperte declarat, ſecundum Romilii ſententiam factum fuiſſe S. C. quo legati tres (Sp. Poſtumius, A. Manlius, Ser. Sulpicius) creati fuerunt (*οἱ τὰς παρ' Ἕλλησιν νόμους κτλόμενοι*) *qui a Graecis* (tam Italienſibus ſcil. quam exteris) *leges peterent*: quibus & triremes eodem Senatus conſulto ex aerario inſtructae fuerunt, pro Romani imperii majeſtate ornatae.

Ad Livium venio: qui in creandis Xviris habitam fuiſſe trium legatorum rationem narrans, ita ſcripſit: *His proximi legati tres habiti* (ut decemviri crearentur) *qui ATHENAS IERANT: ſimul ut prolegationem tam longinqua praemio eſſet honos* (decemviralis): *ſimul peritos legum peregrinarum ad condenda nova jura* (decemviralia) *uſui fore credebant*. Illis vero verbis *Athenas jerant* non id oſtenditur, quantum terrarum trelviri circumiverint, ſed quouſque perrexerint. Nam quia remotiſſimus peregrinationis terminus Athenae fuerunt; idcirco hujus potiſſimum urbis meminit Livius, quaſi dixiſſet: Athenas uſque ierant. Accedit quod Solonis leges eo tempore erant prae aliis commendatiſſimae, ut non immerito Livius compendio ſtudens, ſatis habeat illarum meminiſſe dumtaxat, ex quibus praeſertim in jus Xvirale ſeges ampliſſima redundavit. Ceterum poſt tam diſertam Dionyſii ſententiam ſuperfluum eſt alia congerere. Merito Tacitus III. Ann. 27. *Accitis, quae VSQVAM egregia*, ita demum compoſitas XII. tabulas tradit. Pomponius, electos docet, *per quos peterentur leges a GRAECIS civitatibus*. Nec ſecus alii.

(88) Iuſtinus XX. 1. *Prima* (Dionyſii) *militia adverſus Graecos, qui proxima Italici maris littora tenebant, fuit: quibus devictis finitimos quoſque adgreditur; omneſque Graeci nominis Italiam poſſidentes hoſtes ſibi deſtinat*. Videndus etiam Diodorus, Plutarchus, & alii quam plurimi.

(89) Qui lib. VI. conqueritur, ſua aetate praeter Tarentum, Rhegium ac Neapolim, omnia ad barbariem verſa fuiſſe.

Digitized by Google

Porro nona illa Syneſiana a Pythagora generatio, quo nos uſque perducat, id tum ex Pythagorae anno emortuali pendet, tum ex uniuſcujuſque generationis modulo ſive numero annorum. A priore ordior. Mortem Pythagorae Euſebius [90] in ſeptuageſimae Olympiadis annum IV. confert: quod cum Pythagorae vitae ſcriptorum [91] calculis cohaeret, aut quam minimum diſſidet. Atqui ſi accuratiores Olympiadum putandarum rationes ſequimur, annus quartus Olympiadis LXX. cum anno Mundi 3508. (qui eſt ab V. C. 253. ante Chriſtum 496.) componitur.

Nunc quia ab obitu philoſophi, h. e. ab anno V. C. 253. nona generatio ex Syneſio occaſum hiſce Pythagoricis rebuſpublicis attulit; videndum, quiſnam generationis modulus Syneſianus fuerit. Sunt enim pro diverſitate auctorum ſpatia τῆς γενεᾶς diverſiſſima. Alii ſeptem annis definierunt, alii XXV. nonnulli XXVII. Sunt & alii quam plurimi γενεῶν moduli: de quibus videantur Herodotus, Dionyſius, Heſychius, aliique grammatici. Verum Cenſorinus cap. XVII. rationes generationum duas videtur vulgo acceptiores oſtendere, tum quae ex ternis generationibus annos admodum nonaginta, tum quae centum componeret. Videndum igitur, uter modulus magis cum hiſtoria conſentiat. Mihi quidem ex iis, quae inferne [92] adnotavi, ſa-

(90) In Euſebii Chronico ad Olympiadis LXX. annum IV. ſic adnotatur: *Pythagoras philoſophus moritur.*

(91) Non ſum neſcius, circa annum Pythagorae in Italiam appulſus, circaque commorationis Italicae diuturnitatem non ſatis inter antiquos convenire. Nam ſi Dionyſium audimus, poſt exactam Olymp. quinquageſimam Crotonem venit. Laertius ſegm. 45. in Olympiadem LX. ejus adventum confert: Diodorus in Olymp. LXI. archonte Thericle: Iamblichus in LXII. cui Tatianus & Cyrillus in Iulian. conſentiunt. Poſtremo eum Olympiade LXV. in Italia inclaruiſſe, in Euſebii chronico legitur. Haec de adventu. Ad moram quod attinet, eum Iamblichus cap. 36. ſcholae praefuiſſe annis undequadraginta docuit: qui anni ita inter Crotonienſem & Metapontinum ejus incolatum ſunt partiendi, ut ab Olympiade LXI. (qua Diodorus, cui magis credo, eum Italiam tetigiſſe, eſt auctor) ad exitum Olympiadis LXX. illi undequadraginta anni exſiſtant notati ab Iamblicho.

(92) *De Tarentinorum, Crotoniatarum, Locrenſium, Thurinorum libertatis amiſſae temporibus.*

I. De Tarento.

Strabo lib. VI. ubi Tarentinorum res florentiſſimas tum ante, tum ſub popularis ſui Archytae Pythagorici praefectura deſcripſiſſet; addit: *Sed citerioribus temporibus, uſque adeo luxus ob res ſecundas invaluit, ut plures publicas feſtivitates per annum Tarentini celebrarent, quam dies annus haberet.* Euſtathius tamen haec citans, ſenſum molliorem ita reddidit, ut plures in anno feſti dies quam faſti eſſent: cujus ſimile quiddam de Athenienſibus Xenophon prodidit. Vide Caſaubonum ad Strabonis VI. Haec obiter. Verum apud Geographum ſequitur, ex illo ſtatum reip. factum deteriorem: quod in eo praeſertim apparuit, quod peregrinis belli ducibus (ut Alexandro Moloſſo, Cleonymo, Agathocle, Pyrrho & aliis) uti coeperunt. Ac poſtremo addit: περί τε τὰ Ἀννίβεια καὶ τὴν ἐλευθερίαν ἀφῃρέθησαν. *Circa vero Hannibalica tempora ſpoliati ſunt libertate.* Porro τὰ Ἀννίβεια apud Graecos hiſtoricos totum id *intervallum* notant, quo tractum eſt bellum Punicum alterum, aut ſaltem, quo Hannibal in Italia fuit: quod nimis laxum eſt ſpatium, quippe annorum quindecim integrorum. Domum enim repetiit Hannibal anno V. C. 550. Tamen revera intra id ſpatium exuti libertate Tarentini fuere, nim. anno V. C. 544. quo a Fabio Maximo capta urbs fuit. Ex his vides τὰ Ἀννίβεια (*Hannibalica tempora*) non in nonam, ſed potius in decimam a Pythagora generationem (ſi quidem ſingulis anni triginta imputentur) cadere: qua re vera Tarentina libertas interiit.

II. De Crotone.

Crotonem anno V. C. 538. fuiſſe *adeo multis magniſque cladibus afflictam*, Livius XXIII. 30. narrat, *ut omnis aetatis minus viginti millia ſupereſſent*. Plura de ejus imminutione ab eodem referuntur XXIV. 3. ubi Hanno Bruttiorum coloniam Crotonem conatus deducere, repulſus ab oppidanis fuit; qui *morituros ſe affirmabant citius, quam immixti Bruttiis, in alienos ritus, mores, legeſque ac mox linguam etiam verterentur*. Vides obiter quantum tunc inter Graecos Bruttioſque interfuerit. At vero brevi poſt (is fuit annus ab V. C. 539.) Crotoniatis Locrenſes *perſuadent, ut traduci ſe in Locros paterentur. Ita Crotone exceſſum eſt. Locros omnis multitudo abeunt*. Livius ibidem. Is finis αὐτονομίας Crotoniatarum fuit. Poſtremo anno 559. ex Livio XXXIV. 45. Romanorum colonia Crotonem deducta fuit.

III. De Locris.

Locrenſes (ad ann. 538. ait Livius XXIII. 30.) *deſcivere ad Bruttios Poenoſque*. Is primus gradus ad ſervitutem fuit. Paullo poſt eodem anno ſe Poenis dediderunt: Liv. XXIV. 1. Deinde anno 549. (apud Livium lib. XXIX. cap. 6. & ſeq.) arx capta a Romanis fuit. Mox eodem anno (cap. 21.) libertas Locrenſibus reſtituta fuit. Quamdiu gaviſi αὐτονομίᾳ ſua fuerint, incertum eſt. Nihil etiam de colonia ulla Locros deducta traditur. Ac ſane videtur ultimis temporibus, quibus omnia Romanis ſerviebant, municipii potius quam coloniae jure ea urbs Romanis magiſtratibus paruiſſe.

IV. De

Digitized by Google

tis certum eſt, praecipuarum Italiotidum rerumpublicarum interitum in annum V. C. 540. circiter incidiſſe: niſi ſi quid forte aliud obtendere volumus, cur citius contigiſſe vulgo exiſtimaretur: quod equidem non [93] moror.

Quando igitur libertatis interitum haud citius anno 540. incidere potuit; manifeſtum eſt, generationes Syneſianas non fuiſſe hujuſmodi, ut ſingulae annos [94] tantum triginta, ſed ut ternae annos plane centum [95] componerent.

Ac nequis temere haec a me dici ſuſpicetur; mecum animadvertat velim, tam varios iſtos generationum modulos non tam ſcriptorum diſſonantiae aſſignandos eſſe, quam variae gentium conſuetudini: ex quarum gentium annalibus veteres hiſtoriarum memorias hauſere ſcriptores. Exemplo eſſe poteſt Dionyſius (96) tres diverſas γενεῶν

IV. De Thuriis.

De Thurinis haec habet Livius XXV. 1. initio: *Eodem tempore* (is erat annus V. C. 540.) *in Bruttiis ex duodecim populis, qui anno priore ad Poenos deſciverant, Conſentini & Thurini in fidem populi Rom. redierunt*. Verum non poſſum non aſſentiri Sigonio, qui pro *Thurini* heic repoſuit *Terinaei*. Idem Thurinos anno demum ſequente ad Poenos deſciviſſe docet.

Verum de varia Thuriorum fortuna praeſtiterit audire Strabonem lib. VI. *Thurii longo tempore fortuna uſi ſecunda, tandem a Lucanis in ſervitutem redacti ſunt*. Statim ſequitur: Ταραντίνων δ' ἀφελομένων ἐκεῖνοι, ἐπὶ Ρωμαίους κατέφυγον. Quod Xylander reddiderat: *Tarentiniſque eos opprimentibus, ad Romanos confugerunt*. Verum ἀφαιρεῖσθαι heic eſt *auferre*: quod interdum duplicem ſibi accuſativum adſciſcit, unum rei ablatae (qui heic ſubaudiendus eſt) alterum ejus, cui res eripitur: hîc vero τὸ ἐκεῖνοι ad Lucanos refertur, quibus urbs Thurina aufertur. Verte igitur: *Poſtea cum Tarentini* (Thurium) *illis* (Lucanis) *eripuiſſent; Thurini ſeſe Romanis permiſerunt*. Pergit: *Qui Thuriis valde imminutis colonos miſerunt, urbemque COPIAS tranſnominaverunt*. Ea colonia Latina fuit, anno 559. deducta, teſte Livio XXXIV. 53. Porro ceterarum urbium Italiotidum libertatis amiſſae tempora ignorantur.

Quid ex his colligatur.

Ex hactenus dictis vides, nullam harum principum civitatium niſi ſub annum 540. aut ſerius ſervire coepiſſe, h. e. non nonâ, ſed decima ab exitu Pythagorae generatione, ſi quidem aetates iſtae ſolis tricenis annis abſolvantur; ac proinde *geneas* Syneſianas paullo diuturniores tricenariis eſſe debere, ut tantum novem a Philoſophi morte exſiſtant.

(93) Obtendi autem prae ceteris illud poterat, circiter annum 523. (ad quem nona generatio Syneſiana duceret, ſi quidem unicuique aetati anni tantum XXX. imputentur: vide finem ſuperioris Adnot.) in annum, inquam, 523. non quidem ipſum rerumpublicarum interitum, ſed proximas ruinae cauſas incidiſſe, veluti Tarentinorum ceterarumque urbium luxum, & Pythagoricae diſciplinae languorem. At id non moror; quia quae puncto temporis accidunt, ea tantum in epocham aſſignantur, non vero quae ſenſim ſine ſenſu morum, & inſtitutorum mutationes fiunt.

(94) Nam ſi aetates Syneſianae ſingulae annos tantum XXX. continerent, ex novem hujuſmodi generationibus anni CCLXX. confierent: quae quidem ab anno V. C. 253. incipientes in annum 523. deſinerent. Atqui is annus ab interitu Pythagoricarum rerumpublicarum i. e. ab anno 540. non parum diſtat.

(95) Si ex ternis aetatibus annos centum compo-

nas, tum ex novem generationibus anni admodum trecenti colliguntur; iique ab anno V. C. 253. in annum 553. deſinunt. Nona autem ipſa generatio intra annos 520. & 553. ſpatiatur. Cum ergo Syneſius dicit, nonam aetatem Pythagoricis rebuspublicis attuliſſe exitum ἀυτονομίας, non aliud vult quam inter annum 520. & 553. eas interiiſſe reſpublicas. Ita ſibi omnia conſtant.

(96) *Tres diverſae putandarum γενεῶν rationes a Dionyſio Halic. uſurpatae: quarum tertia annos XXXIII. cum triente continet.*

Dionyſius lib. 1. pag. 2. Medorum imperium ſcribit (ἐπὶ τῆς τετάρτης κατελύθη γενεᾶς) *quarta generatione deſiiſſe*. Cumque ii ſint anni fere quadringenti; ex eo oſtendit, ſefe id ex earum gentium annalibus retuliſſe, quae aetatibus ſingulis annos centum tribuerent. At ibidem ubi ab Ilio capto ad Romae fundationem *geneas* interceſſiſſe ſedecim ait, annos vero 432. quis dubitat, quin earum gentium monumenta ſecutus fuerit, quae ſingulis aetatibus annos XXVII. darent? Nam ſi XXVII. in XVI. ducas, exſiſtet numerus annorum 432.

Poſtremo ubi lib. 2. pag. 120. diſputat, non potuiſſe Numam ex Pythagorae diſciplina proficere; id ex eo probat, quod quatuor γενεαῖς ὅλαις (*aetatibus integris*) Numas Pythagorae anteceſſerit. Has vero aetates quatuor fluxiſſe ait inter mediam Olympiadem ſextam decimam, qua Numas iniit regnum, interque exactam quinquageſimam, poſt quam Olympiadem Pythagoram in Italia docuiſſe tradit: de quo in fine. Mirari porro viros eruditos video, ecquodnam hoc genus generationum fuerit. Mihi quidem non eſt dubium, quin ſit referendum ad aetates illas, quarum Herodotus II. 142. & Clemens Alex. meminerunt, quarum ternae annos admodum centum abſolvunt. Nam Olympiades triginta quatuor ſemis (tot enim inter Numam ineuntem, & docentem Pythagoram fluxiſſe, Dionyſius traditum reperit) annos centum triginta octo efficiunt. Ex his porro quatuor illae integrae Dionyſii aetates confiunt. Quatuor, inquam, aetates & quod excurrit: nam quatuor aut quinque anni ſupra quatuor integras aetates ſuperant, qui, ut in his fit, ab hiſtorico negliguntur. Ac videtur haec putandarum γενεῶν ratio peculiaris Aegyptiorum fuiſſe, a quibus illam per Pythagoram Graeci Magni didicerunt: de quo vide ſequentem Adnot.

Antequam vero hinc abeo, notari velim, circa Pythagorae in Italia docentis initia Dionyſio non convenire cum ceteris, qui ſive ſexageſima prima ſive paullo ſerius id conſignarunt: de quo vide ſup. Adnot. 91. cum tamen Dionyſius poſt Olympiadem quinquageſimam exordia Pythagoricae cathedrae conſtituat.

Cui

Digitized by Google

νεῶν rationes ſecutus pro diverſa veterum monumentorum, quae ſequebatur, putandi ratione. Ita quoque in hac hiſtoria Syneſius videtur Magnae Graeciae ſecutus hiſtoricos; quorum in putandis γενεαῖς [*aetatibus*] conſuetudinem ex Pythagorica (97) ſchola fuiſſe profectam, haud fruſtra conjicio.

CAPVT VIII.

De ſcholarum Pythagoricarum in Italia occaſu, & renovatione.

I

De occaſu.

EX Syneſii loco, quem modo cap. VI. & VII. expedivimus, intelligi potuit, duo in Graecia Magna fuiſſe ſimul apta & conſerta, tum ſcholaſticam inſtitutionem, tum etiam rerumpublicarum adminiſtrationem. Ea quidem duo amice inter ſe conjuraſſe, etiam ex Laertio (98) & aliis, & civitatium exemplis [99] firmatur.

Haec

Cui malo ut mederetur Valeſius, pro πεντηκοσιῶν in Dionyſio ἑξηκοσιῶν reponi juſſit. Vide ejus adnotata ad Diodorum. Cave aſſentiaris. Nam quo pacto quatuor illas Dionyſii generationes expedies? ecquod aliud aetatum genus excogitabitur, ut illae quatuor ad Olympiadem uſque pertineant ſexageſimam? Erravit forſitan Dionyſius in antevertendo Pythagorae in Italiam adventu: verum & in eo habuit certe duces, quos ſequebatur; &, in quo rei caput eſt, non potuit Pythagoras quatuor tantum aetatibus poſt Numam inire Cathedram, niſi exacta tantum Olympiade quinquageſimâ auſpicatus cathedram a Dionyſio induceretur.

(97) Hanc aetatum colligendarum rationem fuiſſe Pythagoreorum & Magnae Graeciae peculiarem, ex eo conjicere poſſumus, quod duo viri ſummi (Dionyſius, de quo in ſuperiore Adnotatione, & Syneſius, in cujus loco explicando tamdiu immoror) a quibus uſurpata fuit, non niſi in Pythagorae rebus eam adhibuerunt, certe quod in Magnae Graaciae chronographis ita ſcriptum reperiſſent, aut certe in aliis, qui id ex Magnis Graecis deſcripſerant.

At eadem ratio fuerat olim Aegyptiorum propria, uti Herodotus Muſa ſecunda cap. 142. oſtendit. Ex Aegyptiis igitur eam Pythagoras imbibit, & in Graeciam Magnam intulit. Quamquam & Herodotus ipſe, qui Thuriis ſuam hiſtoriam ſcripſiſſe fertur, potuit hunc γενεῶν modulum, ceteroqui ſingularem, animis Italiotarum illorum magis infixum relinquere.

(98) Laertius ſegm. 3. Ἀπῆρεν εἰς Κρότωνα τῆς Ἰταλίας κἀκεῖ νόμους θεὶς τοῖς Ἰταλιώταις &c. *Crotonem Italiae* (*Italiam* heic ſtrictim accipi volo pro Bruttiorum peninſula, quae una primitus ſibi arrogavit hoc nomen: dixit enim *Crotonem Italiae*, ut diſtinguat a *Cortona*, ſive, uti Graeci vocabant, *Crotone* Tyrrheniae: id quia interpretem fugit, putavit *Crotonem Italiae* abſurde dici: quo circa *Crotonem in Italia* vertit: ſed pergamus) *Crotonem*, inquit, *Italiae petiit*; *ibique leges Italis* (imo *Graecis Italienſibus* dicere debuit, quia Graece eſt Ἰταλιώταις: de qua voce jam pluries diximus) *dedit*, *cumque diſcipulis inclaruit*: *qui numero ferme trecenti* (φῴκουν ἄριστα τὰ πολιτικά, ὥστε σχεδὸν ἀριστοκρατίαν εἶναι τὴν πολιτείαν) *rempublicam quam optime adminiſtrabant*, *ita ut reipublicae ſtatus tunc plane ex vero* ἀριστοκρατία (h. e. non tam *optimatium*, quam *optimorum* dominatus) *dici poſſet*. Eodem ſpectat Xenophili Pythagorici reſponſum apud Laertium ſegm. 16. Qui interroganti, quo pacto optime filium erudiret: *Si*, inquit (πόλεως εὐνομουμένης) *bonis legibus rectae civitatis fieret civis*. Nam in hoc philoſophandi genere acroaſes quidem ad rempublicam bene gerendam μελέτησις erat & manuductio, tum vero rectus reipublicae ſtatus ad Pythagoricam philoſophiam viae compendium.

Adde Malchum in vita Pythagorae ſegm. 54. *Pythagoras autem tum ipſe, tum qui ejus familiaritate uſi fuerant, diu in Italia* (illam, puto, intelligit, quae proprie *Italia* tempore philoſophi hujus dicebatur, h. e. Magna Graecia) *tantae admirationi fuerunt* (ὥστε καὶ τὰς πολιτείας τοῖς ἀπ' αὐτοῦ ἐπιτρέπειν τὰς πόλεις) *ut etiam ſingulae civitates ſuas res publicas ejus diſcipulis regendas permitterent*.

Adde haec Iamblichi cap. 7. *Illis* (urbibus Italiae Siciliaeque in ſervitutem redactis) *animum ad libertatem erexit*, *& in priſtinum ſtatum per ſuos diſcipulos illarum cives aſſeruit*. *Quare Crotonem*, *Sybarim*, *Catanam*, *Rhegium* &c. *liberas praeſtitit*, *quibus per Charondam Catanaeum*, *& Locrenſem Timaeum*, *etiam leges tulit*, *per quas ipſae rectiſſime adminiſtratae*, *etiam vicinis diutiſſime exemplo fuerunt*. Idem cap. 35. ſect. 249. *Tamen aliquamdiu* (etſi obſtrepentibus Cyloniis) *Pythagoreorum virtus inconcuſſa ſtetit*, *civitatumque in eos benevolentia manſit* (ὥστε ὑπ' ἐκείνων οἰκονομεῖσθαι βέλτιστα περὶ τὰς πολιτείας) *ita ut nec ab aliis res ſuas adminiſtrari publicas ſuſtinuerint*. Ex diſcipulis Pythagorae fuiſſe, qui πολιτικοί, qui οἰκονομικοί, quique νομοθετικοὶ dicerentur, idem Iamblichus cap. 17. & extremo 18. docet: de quo & Photium conferes. Poſtremo adde & quae idem cap. 27. totâ ſect. 129. & 130. exſequitur: quem locum luculentiſſimum, ſed longiorem, lectori cupido adeundum relinquo.

(99) Pythagoras enim Crotonienſem & poſtea Metapontinam reſpublicas dicto audientes per ſuos diſcipulos habuit: Archytam Tarentina, Philolaum Heracleenſis, in qua conſedit, Charondam Thurii, Zaleucum & Timaratum, ac poſtea Timaeum Locri rectores habuerunt. Mitto Pythagoreos Rheginorum legisla-

Digitized by Google

Haec cum ita eſſent, videri poterat utrumque horum, quae dixi, aequis uſque paſſibus proceſſiſſe, &, ubi utrumque diu viguiſſet, tandem utrumque ſimul eodem tempore concidiſſe; ita ut circiter annum V. C. 540. non tantum interitus libertatis Magnae Graeciae, ſed & ſcholarum inciderit. Verum in hoc magnae circumſtant tenebrae. Laertius enim videtur Pythagoricae ſcholae συσ῾ήματι [*corpori*] longe majorem diuturnitatem, quam quae libertati civitatium aſſignata fuit, tribuere. Sed locus is & caſtigatione & explicatione indiget: quem ſeorſum [100] tractatum vide.

At contra Malchus alia omnia videtur ſuadere, dum poſt Cylonis incendium ſimul ſcholas interiiſſe innuit. Vide [101] locum.

Verum quid diu tricamur? Si Iamblicho fides eſt, quaedam fuere in Magnae Graeciae ſcholis magiſtrorum ſucceſſiones, in aliis quidem urbibus breviores, at Crotone diuturniores. Iamblichi locum in imo [102] paginae limbo exhibemus. Quae ſi vera ſunt, diutius aliquanto

gislatores Theaetetum, Helicaonem, Ariſtocratem, Phytium apud Iambl. cap. 27. ſect. 150. & cap. 30. ſect. 172. Vide Syneſii locum quem cap. VI. adſcripſimus.

(100) *Mendoſus ac difficilis Laertii locus tentatur.*

Diogenes ſegm. 45. ſic deſinit: ἤκμαζε δὲ κατὰ τὴν ἑξηκοστὴν Ὀλυμπιάδα. *Floruit* (Pythagoras) *Olympiade ſexageſima* (ſive potius LXI. ex Diodoro, cui magis credo: vide Adnot. 91.) καὶ αὐτῶ τὸ σύσ῾ημα διέμεινε μέχρι γενῶν ἑνδεκαεικαίδεκα. *Ac fundata ab eo ſchola generationibus novemdecim manſit.* Hoc vero, quomodocumque aetates iſtas metiaris, aperte mendoſum eſt, nec cum eorum aetate cohaeret, quos ſtatim addit ultimos Pythagoreorum fuiſſe: quos Olympiade CXX. non multo ſeriores fuiſſe conſtat. Nec dubium eſt quin locus vitio laboret. Ac videbatur ſane pro ἑνδεκαίδεκα legendum eſſe ἑνδεκάδεκα, i. e. *undecim*. Verum praeſtabit ſcripturam codicis Regii Pariſienſis ſequi, quam ad hunc locum refert, nec tamen amplectitur Menagius: in quo ſcribitur diſtinctis vocibus ἐννέα ἢ καὶ δέκα, *Novem aut etiam decem.* Dixeris ne iſtud quidem pulchre componi poſſe cum eorum aetate, quos ſtatim ſubjicit ultimos Pythagoreorum fuiſſe. Verum partim harum aetatum modus multo artior quam pro tricenariarum modulo videtur accipiendus; partim etiam quos mox *ultimos* Pythagoreorum dicit, id mollius eſt accipiendum: vide infra. Aut vero hoc loco γενεὰ non tales ſunt ut ſingulae certum numerum annorum contineant, ſed tantumdem ſunt quod διαδοχαὶ ſive *ſucceſſiones* eorum, qui unus poſt alterum rexerunt Pythagoricam ſcholam.

Sequitur: τελευταῖοι γὰρ ἐγένοντο τῶν Πυθαγορείων &c. *Poſtremi enim Pythagoreorum fuere, quos & Ariſtoxenus novit, Xenophilus Chalcidenſis ex Thracia, & Planto Phliaſius, & Echecrates, & Diocles, & Polymneſtus, Phliaſii & ipſi.* Quo loco illud τελευταῖοι commodius verterim *Ex poſtremis*, ut non tam plane ultimi fuerint, quam ultimis propiores, ſive penultimi.

(101) Malchus qui & Porphyrius in vita Pythagorae (ſegm. 57. & 58.) prodidit, poſt Cyloneam coitionem, ex qua pauciſſimi Pythagorae auditorum evaſerunt, & alius alio diſperſi fuerunt, defeciſſe etiam cum eis ſectae illius corpus; imo & ſcientiam, quae arcana in pectoribus cuſtodiebatur, evanuiſſe. *Neque enim*, inquit, *ullum Pythagorae ſcriptum exſtabat. Lyſis praetera & Archippus, & quotquot forte tum peregre aberant, exiguas admodum philoſophiae illius ſcintillas conſervarunt, obſcuras & veſtigatu difficiles. Soli enim relicti & dolore ex ſcelere admiſſo exanimati, & alius alio dilapſi, humanam ſocietatem averſabantur. Verumtamen veriti ne philoſophiae nomen penitus interiret . . . commentaria quaedam ſummatim compoſuerunt, tum antiquorum ſcriptis, tum iis quorum ipſi meminiſſent, in unum contractis: quae eo, quo quiſque loco obiit, reliquerunt.* Hinc apparet, poſt Cylonium ſcelus Magnae Graeciae ſcholas penitus, aut magna ex parte diſſipatas: quod & ex Iamblichi cap. XXXV. confirmari poteſt. Quo circa ubi Laertius refert totum illud ſectae Pythagoreae σύσ῾ημα pluribus generationibus a Magiſtri obitu perduraſſe, id alibi potius quam in Magna Graecia accidiſſe, videtur intellexiſſe. Duo ipſi, quos modo Malchus memoravit, Lyſis, & Archippus, cum Tarentini eſſent, poſt illam cladem ambo Thebis ſcholas habuiſſe traduntur.

(102) *De Pythagoricarum ſcholarum ſucceſſione in Magna Graecia.*

Iamblichus cap. 36. *Et ipſe quidem Pythagoras annis undequadraginta* (ſcholae) *praefuiſſe dicitur* (partim Crotone, in qua annos XX. ſubſtitiſſe Iuſtinus ex Trogo ait, partim Metapontı) Sequitur: *Annos autem prope centum vitae abſolviſſe fertur, & Ariſtaeum ſenio jam provectum ſucceſſorem habuiſſe.* De Ariſtaeo initio capitis copioſius ſic narraverat: *Succeſſor Pythagorae confeſſione omnium Ariſtaeus agnoſcitur, Damophontis filius, Crotoniates: qui Pythagorae aequalis, ſeptem aetatibus Platonem anteceſſit:* quem Pythagoras, elocata illi Theanone filia, generum ſibi fecit.

Pergit: *Ariſtaeum excepit Mneſarchus Pythagorae filius: ſub quo Croton direpta fuit. Ei Tydas Crotoniates ſucceſſit, cum e peregrinatione quam ante bellum ſuſceperat, domum reverſus eſſet: qui propter patriae calamitatem, vitae pertaeſus ante diem ex maerore occubuit.* Quam patriae calamitatem memoret, alii viderint.

Poſt Tydae obitum cathedra intermiſſa fuit; ſequitur enim. *Poſt aliquod tempus Areſas ſchola praefuit: ad quem venit Diodorus Aſpendius, ob Pythagoreorum paucitatem in ſectam receptus.* Hactenus rectorum Crotonienſis ſcholae ſucceſſio: non quidem omnium, ut interpretor, ſed eorum, quos ſive Iamblichi ſive alterius antiquioris induſtria colligere ex vetuſtis monumentis potuit. Ex corraſis enim undeunde veterum fragmentis hanc vitam contextam alibi monui.

Sed & ibidem aliarum etiam civitatum ſucceſſionem ſcholarum, quam potuit, dedit. Sic enim ſubjicit.

Digitized by Google

quanto poſt Pythagorae abitionem ſubſtitit ejus ſchola, etſi modo intermiſſa, modo ex intervallo reſtituta, donec tandem concideret funditus. Concidit autem haud paullo antea, quam rerumpublicarum libertas interiret. Nam profecto languor ſcholarum peperit luxum, vitia, diſcordias: perditi vero mores ultimus ad ἀντεξουσιότητος interitum gradus fuit.

II

De Pythagorici dogmatis inſtauratione.

Nec tantum, in Magna Graecia, ſed & extra eam ſecta Italica poſt Epicurum (quem ultimum Laertius in prooemio recenſuit) ferme interierat, donec eam P. Nigidius Figulus aevo Ciceronis renovaſſet. Vide Tullii [103] locum in principio libri *De univerſo*. Nec poſt Nigidii tempora Pythagorei uſquam defuerunt: ex quorum numero unum Martyr Iuſtinus audivit, ſolidiora ceteris variarum ſectarum philoſophis a ſe auſcultatis ſentientem: aliis duobus in ipſa Magna Graecia Clemens Alexandrinus operam dedit. Sed Clementis locum ſane quam obſcurum, ſeorſum [104] lectori expeditum ſiſto.

Hactenus

cit. *HERACLEAE autem Clinias & Philolaus* (unus poſt alterum, ut interpretor) *ſcholae praeerant: Metaponti Theorides & Eurytus: Tarenti Archytas.* Hactenus Iamblichi eximius locus eſt.

Ceterum quod ad Crotonienſis ſcholae ſucceſſionem attinet, ei Laertius palam obloquitur, dum in Prooemio ſect. 15. a Pherecyde & Pythagora ad Epicurum ſucceſſores alios omnes recenſet hujuſmodi. *Porro Italicae* (ſectae) *haec ſeries fuit. Pherecydi Pythagoras: cui filius ejus Telauges ſucceſſit: huic Xenophanes: cui Parmenides: Parmenidi Zeno Eleates: Zenoni Leucippus: Democritus Leucippo: Democrito complures, nominatim vero Nauſiphanes, Naucydeſque: quibus ſucceſſit Epicurus:* quem ultimum Italicae ſectae recenſet. Verum hoc inter Iamblichum & Laertium intereſt, quod ille ſcholarum Magnae Graeciae ſucceſſores recenſuit: hic autem ſectae Italicae extra Magnam Graeciam profeſſores ex ordine pertexuit. Itaque poſt Cylonis incendium, Pythagoreis aliis alio dilapſis, non defuit unquam in ulteriore Graecia Pythagoreae ſectae ſchola, a Telauge conditoris filio propagata. At interim etiam in Magna Graecia, cum poſt aliquod tempus Pythagorei ad ſexaginta poſtliminio reverſi eſſent, ſcholae revixerunt, praeſertim Crotonienſis illa ab Ariſtaeo Pythagorae genero reſtituta. Hanc hiſtoriam accurate Iamblichus retulit cap. 35. ubi, miſſis ſuperioribus narrationibus, ita ſectione 263. incipit. *Poſt haec pluribus evolutis annis . . . miſericordia ac poenitentia cives ſubiit, ita ut ſuperſtites Pythagoreos in patriam revocandos eſſe cenſerent. Quocirca arceſſitis ex Achaia* (quo Pythagorei confugerant) *legatis, hiſce ſequeſtris, cum exſulibus pacem redintegrarunt . . . Fuerunt autem Pythagorei reduces circiter LX. non numeratis aetate provectioribus: inter quos erant qui medicinam profiterentur, & aegrotos certa victûs ratione curantes, diaeteticae methodi principes exſtiterunt.* Et quae plura addit.

(103) Cicero initio Timaei ſui, ſive libri *De univerſo* ſic de Nigidio loquitur: *Fuit enim vir ille cum ceteris artibus . . . ornatus omnibus, tum acer inveſtigator & diligens earum rerum, quae a natura involutae videntur. Denique ſic judico, poſt illos nobiles Pythagoreos, quorum diſciplina extincta eſt quodammodo, cum aliquot ſaecula in Italia Siciliaque viguiſſent, hunc exſtitiſſe, qui illam RENOVARET.*

(104) *Salebroſus Clementis Alexandrini de Magna Graecia locus expeditur.*

Clemens Alex. in Stromateon I. ita Μεγάλην Ἑλλάδος (*Magnae Graeciae*) mentionem facit, tamquam ſi ſuo tempore id ei eſſet uſitatum nomen. Ejus locum infra adſcripſi. Ac ſane videtur, pereruditus ſcriptor obſoletam nomenclaturam πολυτοπίας demonſtrandae cauſa revocaſſe, quam ipſe non ignoraret jamdiu deſiviſſe. Fuit hoc enim in more poſitum aevi poſterioris, ut antiquatas locorum appellationes reducerent. Sic ne longe abeam; jam inde a VII. ſaeculo paſſim ſcriptores omnes, uti ſe eruditos probarent, Neapolitanae huic urbi vetus *Parthenopes* nomen reſtituerunt, ſicuti & ejus cives vix aliter quam *Parthenopenſes* aut *Parthenopaeos* nuncupare conſueverunt. Poſſem & ex ſuperioribus Chriſtianis ſaeculis huc exempla congerere. Id credo ſecutus Clemens, primum ſuum in Hellade magiſtrum vetere nomine *Ionicum* appellat: cui ut apte opponeret eos, qui in ultimo Italiae angulo conſediſſent, eos ἐπὶ τῆς Μεγάλης Ἑλλάδος (*in Magna Graecia*) collocat. Hanc etiam a Graecis poſterioribus paſſim ita vocatam vidi. Haec obiter.

Locus vero Clementis (quem etiam Euſebius ſuae Eccleſ. hiſtoriae V. 11. inſeruit) ſic habet in I. Strom. cap. 1. poſt medium, ubi praeceptores ſuos enumerat. Τούτων ὁ μὲν ἐπὶ τῆς Ἑλλάδος (1) ὁ Ἰωνικός· οἱ δὲ ἐπὶ τῆς (2) μεγάλης Ἑλλάδος· τῆς κοιλῆς θάτερος αὐτῶν Συρίας ἦν· ὁ δὲ ἀπ' Αἰγύπτου· Ἄλλοι δὲ ἀνὰ τὴν (3) ἀνατολήν· καὶ ταύτης ὁ μὲν τῆς τῶν Ασσυρίων· ὁ δὲ ἐν Παλαιστίνῃ Εβραίων ἀνέκαθεν· Τρίτῳ (4) δὲ περιτυχὼν (δυνάμει δὲ ἕκτος πρῶτος ἦν) ἀνεπαυσάμην, ἐν Αἰγύπτῳ θηράσας λεληθότα. Eorum (magiſtrorum) *unus quidem in* (1) *Graecia, Ionicus: alii vero in* (2) *Magna Graecia: quorum alter ex Coeleſyria, alter ex Aegypto. Alii autem in* (3) *Oriente: quorum unus ex terra Aſſyria, alter vero in Palaeſtina, iſque Hebraeus origine. Cum autem in* (4) *ultimum* (Pantaenum intelligit) *incidiſſem* (*erat autem hic vi ac poteſtate primus*) *in eo tandem conquievi, cum quidem ipſum in Aegypto latentem indagaſſem.* Locus haud dubie difficilis eſt, vel ipſo Euſebio teſte; qui omnia Clementem loco a ſe laudato αἰνίττεσθαι (*aenigmatibus involvere*) diſerte teſtatur. Clavis autem aenigmatum haec mihi maxime viſa fuit, ſi a Clemente quatuor diſtinctas regiones deſignari intelligamus, in quibus ipſe

Hactenus de varia Italicae philoſophiae fortuna: quae quidem cur *Italica* dicta fuerit, ſequente capite excutiemus.

CAPVT IX.

Reliqua de Italica philoſophia, deque Magna Graecia.

PLura eſſent alia ad Pythagoricam diſciplinam, Magnamque Graeciam pertinentia, quae parum adhuc aliis animadverſa, ab argumento mihi propoſito non aliena ducerem. Sed finis huic Diatribae nullus eſſet. Itaque ſatius erit vela contrahere ac ſumma tantum hîc capita rerum proponere, retruſiora vero quaedam ſeorſum amatoribus in imo margine apponere.

I

Cur Pythagoreorum ſecta vocata ITALICA fuerit.

Non quidem ab univerſa Italia id ſibi nomen quaeſivit; verum ab ea parte Italiae, quae tunc peculiariter *Italia*, poſt adventum vero Pythagorae & coetus philoſophantium inſtitutos, *Magna Graecia* vocari coepit, ſecta illa cognominata *Italica* fuit: quae quidem, ne viae feſſos lectores extremo in itinere impediam, de via in (105) diver-

ipſe ſuos praeceptores adierit: quas regiones in Clementino textu numeris inſertis notavimus. Quae vero praeter illas quatuor notantur regiones, eae ſunt originum, unde doctores oriundi erant, non cathedrae loca. Ergo I. in ulteriore Graecia unum audivit, quem vocat *Ionicum*, nim. ex Ionia profectum. II. In noſtra hac Magna Graecia magiſtris duobus operam dedit: quorum alter ex Coele Syria, ex Aegypto alter originem duxerat. III. Per Orientem audivit item duos, unum natu Aſſyrium, alterum Hebraeum, cui in Paleſtina ipſa ſe erudiendum dedit. IV. Poſtremo quem in Aegypto latentem inveſtigavit, is ſextus & ultimus doctor fuit, at dignitate primus (haud dubie Pantaenum intellige) cui ſeſe in Aegypto noſter formandum tradidit. Atque ea mihi viſa eſt expoſitio omnium expeditiſſima: quod lector ſatis animadvertet, ſi hanc cum aliis comparaverit. In primis autem quod in Clementino loco (ubi numerus 2. inſeritur) ibi ex Euſebio V. 11. ὁ δὲ ἐπὶ μεγάλης pro οἱ δὲ (quod in Clemente ipſo legitur) Oxonienſis editor poſt alios jubet ſubſtitui; cave id ſequaris: quod facile tota oſtendit συνοχή.

Ex his vero vides, exeunte altero Chriſti ſaeculo in ea, quae olim Magna Graecia vocabatur, non defuiſſe doctores idoneos: quorum duobus Alexandrinus Clemens ſeſe erudiendum praebuit. Quae non eo dico, quaſi, ſicuti his temporibus ac multo poſtea, Athenis publicae cathedrae (θρόνοι tunc vocabant) ſophiſtarum erant, tales etiam in Magna Graecia tunc temporis exſtitiſſe neceſſe ſit: at erant tamen in his locis viri ſtrenui, qui ſi minus publice, ſaltem privatim ad diſciplinas arripiendas volentibus facem accenderent.

Poſtremo quod Valeſius ad Euſebium V. 11. ex iis verbis quae ſtatim Clemens de Pantaeno ſubjicit (Σικελικὴ τῷ ὄντι ἡ μέλιττα, *Sicula re vera apis* &c.) Pantaenum colligit ex Sicilia oriundum fuiſſe; id parum neceſſe arbitror. Nam ſicuti Ἀττικὴ μέλιττα, ſic etiam & Σικελική, proverbio de viris eloquentibus, undecumque oriundis, uſurpabatur opinor, propter mellis ſive Attici ſive Hyblaei (ſicuti & aliorum Siciliae locorum) ſuavitatem.

Haec tota Adnotatio jam compactis inter ſe formis expreſſa, prope erat ut prelo imprimeretur; cum me vir amicus admonuit, eadem fere omnia perinde a Tillemontio fuiſſe tradita: a quo etiam Euſebianam lectionem (ὁ δὲ) rejici, Clementinam vero (ὁ δὲ) potiorem haberi docuit.

(105) ΠΑΡΕΚΒΑΣΙΣ PRIMA

De anguſtis primitivae Italiae finibus. Ex quo conſectaria duo: I. unde Pythagorica diſciplina ſibi ITALICAE nomen quaeſierit: II. cur antiquorum nonnulli Magnae Graeciae nomen ad univerſam latiſſimae notionis Italiam prorogaverint.

SECTIO I.

Quouſque antiquis temporibus patuerit Italiae nomen.

Ariſtoteles in VII. Politicor. c. 10. praefatus ſe in antiquiore Italia finienda τοὺς λογίους τῶν ἐκεῖ πεποιημένων ſequi, ſcriptum reliquit, *Eam Europae oram quae ſinu Scylletico* (hodie *Golfo di Squillace*) *& Lametico* (nunc *Golfo di S. Euſemia*) *clauditur* (Ἰταλίαν τοῦτο μόνον λαβεῖν) *Italiae nomen fuiſſe conſecutam*. Ariſtotele antiquior Antiochus Syracuſanus hoc ipſum docuerat apud Dionyſium lib. I. pluries, itemque apud Strabonem lib. VI. quorum loca ſect. ſeq. dabimus.

SECTIO II.

Vtrum etiam aevo Pythagorae ea vocabuli notio in uſu fuerit, & quouſque obtinuerit.

Dixerit aliquis, de remotiſſimis temporibus Ariſtotelem & Antiochum debere intelligi, nec oſtendi poſſe, eam notionem aevo Pythagorae viguiſſe. Verum

diverticulum seorsum tractata confero. Hoc tantum fidenter praedictum volo, inquisitionem hanc universam, sicuti mihi non parvo labore stetit; sic ad pernoscendam Italiae veteris, h. e. Magnae Graeciae, nec non & ad Pythagorismi historiam, ingenti utilitati futuram: quod vel ex virorum magnorum in *Italiae* veteris accipiendo vocabulo offensionibus licebit animadvertere.

rum adhuc Pythagora philosophante eisdem plane finibus terminatam fuisse Italiam, auctores vetustissimi persuadent: quos nuper a me excussos, hîc singillatim producam in medium.

Scylax.

Scylax ille Caryandensis (cujus Periplus, aut ejus epitome, adhuc exstat) Dario Hystaspis aequalis, singulas Italiae partes in numerato habuit, ac recensuit, ita tamen recensuit, non ut *Italiae* (quam nusquam nominat) sed ut *Europae* regiones. Nam Europae partes sic numerare orditur: *Iberi*, *Ligures misti Iberis*, *Ligures . . . Latini*, *Volsci*, *Campani*, *Samnites*, *Lucani*, *Iapyges*, *Daunii*, *Umbri*, *Tyrrheni*, *Celtae*, *Veneti*, *Histri*, *Liburni*, *Illyrii*: quibus deinceps aliasque itidem Europae partes subjicit. Ergo Scylaci ignotum *Italiae* nomen tam lato significatu, ut ad Alpes usque pertineret, fuit.

Herodotus.

Ad haec ne Herodotus quidem (qui centum ferme annis posterior eo philosopho fuit) Italiam antiquâ illa latiorem usquam agnovit: quam si agnovisset, alicubi certe memorasset. Nunc terra illa quae Alpibus, & maribus Supero, Ionio, Tusco clauditur, numquam ab illo *Italia* nuncupatur. Imo nullum, quod sciam, apud eum est nomen, quo tantum terrarum designetur: qui potius quas ipse novit Italiae partes, suis singulas notat peculiaribus vocibus. Sic I. 163. Phocaeenses narrantur *suis navigationibus* (τότε Ἀδρίην καὶ τὴν Τυρσηνίην κατεδίξαντες) *Hadriam & Tyrrheniam primi Graecorum ceteris ostendisse*: qui potuisset uno vocabulo novas hasce terras *Italiam* dicere, si tam lata notio nominis tunc in usu fuisset. Idem I. 94. Lydos *in Tyrrheniam colonos duxisse* refert. Cur hanc non *Italiam* dixit, cum Tyrrheni teste Livio totam fere ab Alpibus ad fretum usque Italiam aliquando tenuerint; nisi quia Herodotea *Italia* pars exigua Livianae Italiae fuerat? Postremo quoties *Italiam* Herodotus nominat, eam non nisi finibus illis, quos sect. superiore descriptos ex antiquiorum relatu cognovimus, terminat. Nam lib. III. in Democedis medici Crotoniatae, qui sub Dario claruit, historia, sect. 136. ita scripsit: *Donec plura & celeberrima Graeciae loca contemplati* (ἀπίκοντο τὴς Ἰταλίας ἐς Τάραντα) *ad Tarentum Italiae pervenerunt.* Haec illa *Italia* primitiva est, quae (teste Antiocho mox producendo) ab illa parte terminabatur Metaponto; ita ut urbs Tarentina Italiae limitem exteriorem raderet, ac non nisi πλατυτέρως (*latiore notione*) tribueretur Italiae. Deinde lib. IV. sect. 15. sic de Metapontinis (qui ab oriente primitivam Italiam terminabant) memorat: τὰ δὲ ἄδα Μεταποντίνοισι τοῖσι ἐν Ἰταλίῃ συγκυρήσαντα &c. *Sed haec ego didici evenisse Metapontiis, qui sunt in Italia* h. e. regione illa, quam ipsi finiebant. Adhaec lib. V. sect. 43. ubi Dorieus ἐκομίζετο παρὰ τὴν Ἰταλίαν (*praetervehebatur Italiam*), non sane aliud quam solas Magnae Graeciae praeternavigabat urbes. Lib. VI. sect. 127. inter procos filiae Clisthenis bini ex *Italia* (h. e. primitiva illa) recensentur. *Ex Italia illuc se contulit Smindyrides Sybarita . . . . & Damas Samyris filius Sirites. Hi quidem ex Italia venerunt.* Nec enim solum *Sybaris*, sed & *Siris* in Magna Graecia (quae olim *Italia*) fuit: de qua rursus lib. VIII. sect. 62. κομιεύμεθα ἐς Σίριν τὴν ἐν Ἰταλίῃ, *In Sirim Italiae proficiscemur*. Mitto jam alia loca corrogare. Nec certe usquam latior ulla est Italiae apud Θούριον λογοποιὸν (*Thurium historicum*, ut olim ab horum locorum incolatu Herodotus vocabatur) acceptio. Cum ergo Pythagoras centum ferme annis Herodoto vetustior fuerit, non potuit latiorem aliam Italiae notionem usurpare.

Thucydides.

Herodoto suppar Thucydides nec aliam regionem *Italiae* nomine quam Magnam Graeciam significavit lib. I. sect. 12. ubi ait, longo post Heraclidarum in Peloponnesum adventum, Peloponnesios Ἰωνίας καὶ Σικελίας τό πλεῖστον (*Italiae & Siciliae partem plurimam*) suis coloniis frequentasse. Potes ne hîc aliud Italiae nomine quam Magnam Graeciam intelligere? Hujus certe illi maximam partem (quippe adhuc Barbaris interna obsidentibus) tenuere, non item Italiae latissime acceptae. At interpres sic Latine posuit in ultima edit. Amstel. *In Italiam & maximam Siciliae partem*: ratus historicum absurde fuisse locuturum, si *In maximam Italiae & Siciliae partem* scripsisset: certe quia interpres contra mentem auctoris sui Italiam iisdem tunc, atque hodie finibus terminatam credidit. Idem lib. VIII. sect. 2. Σικελοὶ δ' ἐξ Ἰταλίας (ἐνταῦθα γὰρ ᾤκεον) διέβησαν ἐς Σικελίην. *Siculi ex Italia* (*ibi enim habitabant*) *in Siciliam trajecerunt . . . . observato freto, si quando ventus secundus flaret.* At aliunde ex antiquis notissimum est Siculos non aliud primitus tenuisse, quam Bruttiorum peninsulam, quae & sola *Italia* vocabatur. Hinc Theocriti scholiastes ad Idyl. IV. ubi *Crotonis* mentio, sic adnotat: *Alcimus & Croton Aeaci filii fuerunt: quorum ille Corcyraeis imperavit, hic vero Crotonem* (ἐν Σικελίᾳ) *in Sicilia* (postea *Italia* & *Magna Graecia* appellata) *condidit*. Ac memini non paucas Italicae Graeciae civitates ab Stephano Siciliae tribui, sicuti & a Graecis Scholiastis: nec iis locis, aut auctorum aut scribarum incusandus est error. Nam quibus locis in vetustioribus scriptoribus Σικελίας vox pro Italia primitivâ occurrebat, ibi eadem vox ab accuratissimis grammaticis servata fuit. Ita ut non absurde nunc quoque apud scriptores nostros *Regnum utriusque Siciliae* regna duo complectatur, tum scil. Siciliam insulam, tum etiam Regnum Neapolitanum. Etsi ea nomenclatio aliorsum ab historicis Neapolitanis refertur: quo nunc supersedeo.

Antiochus.

Ac ne Antiochi quidem Syracusani aevo (qui sex saltem Olympiadibus posterior Herodoto fuit) laxiores Italiae fines erant. Is tum Siculam historiam, tum περὶ Ἰταλίας σύγγραμμα (*de Italia commentarium*) scriptum reliquerat. In eo autem opere haud laxioribus terminis Italiam illam, quam sibi tractandam proponebat, descripsit, quam quibus supra descripsimus. Itaque praestabit hîc integrum Strabonis locum producere, quo simul argumentum Antiochei operis, & duplex *Italiae* acceptio continetur. Locus is haud longe ab initio exstat libri VI. his verbis. *Antiochus in opere quod de Italia conscripsit, hanc regionem* (Bruttiorum scil. peninsulam, de qua proxi-

Digitized by Google

proxime egerat) *ait Italiam fuiſſe appellatam, ac* (περὶ ταύτης σύγγραφειν) *de ea* (his nempe artiſſimis terminis definitâ) *ſe ſcribere: prius autem dictam fuiſſe Oenotriam. Terminum autem ei conſtituit, ad mare quidem Tyrrhenum, quem & nos Bruttiis aſſignavimus, Laum flumen, ad Siculum vero pelagus, Metapontum. Tarentinam autem regionem, quae continuo agrum Metapontinum ſubſequitur, extra Italiam ſub Iapygiae nomine cenſet.* Poſt non multa. *Succeſſu vero temporis ait* (idem Antiochus) *tum Italiae, tum etiam Oenotriae nomen uſque ad Metapontinam & Sirenitidem regionem propagatum.* Quaenam iſthaec *Sirenitis* regio? Caſaubonus pro certo ponit, pro Σειρνίτιδος reponi debere Σειρίτιδος: uſque, inquit, ad Metapontinam & Siritidem regionem. De quo dubito. Nam ſi Metapontum pro termino poſuerat; inepte Sirim addiſſet, quae citerior Metaponto fuit. Ac forſitan Σειρνῖτις χώρα, *Sirenitis regio* non tantum retinenda, ſed & ultro adſciſcenda eſt: quae quidem, niſi vehementer fallor, in oppoſito latere & in mari Tuſco reperiunda fuit, ibi ſcil. ubi Leucoſia & ceterae *Sirenuſae* inſulae erant. Et quidem antiquitus tum Oenotriae tum Italiae nomen intra Bruttiorum peninſulam continebatur: at aevo Antiochi cum ex una parte Metapontum uſque prolatus terminus eſſet, etiam ex altera ad Sirenuſas uſque protenſus fuit. Adde quod & Oenotria eo uſque pertinebat; nam ubi *Sirenuſae*, ibi & *Oenotrides* inſulae celebrabantur; ac praeterea ab Herodoto lib. I. c. 167. Phocaeenſes in agro *Oenotriae civitatem Hyelam* (quae poſtea *Velia* fuit) *poſſediſſe* dicuntur. Tamen adhuc haereo.

Sed ad Antiochum redeo: quem ex Strabone conſtat, oſtendiſſe Italiae duplicem notionem: unam antiquiſſimam, quae peninſulam Bruttiorum & iſthmi anguſtias non excederet (aut forſan ex uno tantum latere excederet Metapontum uſque) deq. hac tantum Italia ſcribere Antiocho fuiſſe propoſitum: alteram vero paullo latiorem Antiochi tempore uſitatam, quo *Italia* iſthmum egreſſa, ſicuti ab uno latere Metapontum, ita ab altero Poſidoniam (hodie *Paeſtum*) uſque prorogabatur. Hanc duplicem Italiae notionem ab Antiocho clarius ſignificatam, licebit jam ex Dionyſio Halic. cognoſcere. Is lib. I. ubi Italiam olim *Saturniam* fuiſſe dictam docuiſſet, haec ſubjecit: *Proceſſu tempo is Italia vocata fuit ſub praepotente viro, cui nomen Italo fuit. Hunc Antiochus Syracuſanus ait bonum & ſapientem fuiſſe, ac . . . totam eam terram ſub poteſtatem ſuam redegiſſe, quanta Napetinum ſinum inter & Scyletinum patet.* Hoc loco viri doctiſſimi pro Νατητίνου legi jubent Λαμητίνου, ſicuti re vera ab aliis ſcriptoribus vocatur Λαμητικός. Verum quis ignorat, geographica nomina variae ſolere ſucceſſu temporis detorqueri? Itaque qui aevo Antiochi Νατητῖνος aut Νατητικὸς, is poſtea Λαμητικὸς vocari coepit ab aetate uſque Ariſtotelis. Ceterum quid Antiochus ſcripſerit, non tantum Dionyſius, ſed & Strabo teſtatur lib. VI. his verbis: ὃν (κόλπον) Ἀντίοχος Νατιτῖνον ὠνόμακε, *quem* (ſinum) *Antiochus Napitinum vocavit*. Pergit ibidem ex Antiocho Halicarnaſſenſis: ὧν δὲ πρώτην κληθῆναι Ἰταλίαν, ἀπὸ Ἰτάλου. *Atque hanc primam dictam fuiſſe Italiam temporibus Itali*. En notio prima ſtrictiſſima. At ſubſecutis temporibus Italiae nomen paullo ulterius propagatum fuit, ut hinc Paeſtum uſque, ſive, ut ex Strabone ſupra retulimus, uſque ad Σειρνῖτιδα χώραν (*Sirenitidem regionem*: nam Paeſto *Leucoſia* & *Sirenuſae* objacebant) illinc Metapontum uſque pertineret. Et haec notio non tantum Antiochi tempore, ſed & ſub Herodoto obtinebat, quippe qui Metapontum in Italia recenſuit, cujus haec urbs terminus erat, in oppoſito vero latere Veliam in agro Oenotriae conſtituit: quae Oenotria tantumdem ſemper, quantum Italia vetus patuit. Atque ea eſt notio Italiae altera, Antiochi & Herodoti, imo & ultimis (I) Itali temporibus uſurpata.

ARISTOTELES.

De Ariſtotele ceteriſque ſcriptoribus Alexandri aequalibus, qua notione *Italiae* nomen acceperint, non vacat inquirere. In illuſtri certe Ariſtotelis Polit. VII. 10. loco, quem ſupra ſect. I. indicavimus, non alia Stagiritae aetate Italia, quam vetus erat illa, quaeq. ab eo deſcribitur. Nec characteres Italiae ſui temporis in aliam quam in illam veterem & anguſtam conveniunt: Nam οἱ λόγιοι τῶν ἐκεῖ ἐνοικούντων, quibus ſeſe omnia cognoſſe dicit, non alii quam Pythagorei Magnae Graeciae ſunt: συσσίτια quae laudat, ea ſunt Pythagoreorum ſodalitia.

AVCTOR ADMIRANDORVM ITEMQVE POLYBIVS.

Vides jam uſque ad Alexandri M. aetatem non aliam fuiſſe Italiam, quam mediam illam Herodoti & Antiochi temporum. Qua vero primum aetate propagari nomen Italiae coeperit in vaſtiſſimam terram illam quae ab Alpibus ad fretum uſque pertinet, id alii viderint. In Polybii certe hiſtoria uſurpatur notione hodierna nomen Italiae: quam pridem vero ante Polybium, aut quam mox poſt Ariſtotelem, ſcrutari (II) piget. Et tamen adhuc aevo Polybii nomen veteris artioris Italiae in uſu erat. Argumento eſt illud initio Excerptor. lib. XII. ubi κατὰ τὴν Ἰταλίαν, καὶ μάλιστα τὴν παλαιὰν (*in Italia, maxime illa vetere*) plurimos porcorum greges ali teſtatur, propterea quod porcellorum eſu delectentur: id quod Magnis Graecis convenit, quibus Pythagoras porcellorum uſum prae ceteris animantibus a ſe commendatum permiſerat, ut in Iamblicho & aliis legitur. Hoc ipſum & de hodierna Bruttiorum peninſula veriſſimum eſt: quod omnes norunt.

SECTIO

(I) *Quibus imperium prorogaverat. Nam idem Dionyſius latiorem hanc Italiae finitionem ſub Morgete, Itali aequali, agnoſcit p. 59. his verbis:* Is (*Antiochus*) ait, Morgete in Italia regnante (ITALIA TVNC ab Tarento Poſidoniam uſque maritima regio erat) veniſſe ad eum *&c. Nec vero aliter haec cum ſuperioribus, quae Dionyſius ex Antiocho produxerat, ſtare poſſunt, quam ſi Italus prorogato imperio, ſimul etiam Italiae nomen ad ulteriora ſenſim poſtea produxerit.*

(II) Auctor θαυμασίων ἀκουσμάτων (Admirandorum) *diu Ariſtoteli tributus, ſcriptor perantiquus eſt, paullo tamen Ariſtotele junior. Argumento eſt, quod cum ſub Herodoto & Antiocho Poſidoniam uſque (hodie Paeſtum) Italia protenderetur, nec uſquam ipſe Ariſtoteles finierit amplioribus terminis; e contrario in Admirandis legatur:* Ἐν τῇ Κύμῃ τῇ περὶ τὴν Ἰταλίαν . . . In Cuma circa Italiam, thalamus ſubterraneus Sibyllae fatidicae oſtenditur. *Alibi* Περὶ τὴν Κύμην τὴν ἐν Ἰταλίᾳ . . . Circa Cumam, quae in Italia eſt, *Avernum locat. Nec tantum Cumas uſque, ſed & in Vetus Latium Italiae nomen prorogat his verbis:* Λέγεται δὲ περὶ τὴν Ἰταλίαν ἐν τῷ Κιρκαίῳ ὄρει . . . Fertur circa Italiam in Circaeo monte lethale venenum naſci *&c. Nec refert quod* περὶ Ἰταλίαν (circa Italiam) *ſcripſerit: hoc enim huic auctori idem quod* In Italia *eſt. Sic alibi Metapontum* (περὶ) circa Italiam *ponit, quod haud dubie intra Italiam erat. Alibi* Circa Iapygiam *h. e. in ipſa Iapygia, conflictus gigantum eveniſſe dicitur. Ergo hujus auctoris aevo ad Circaeum uſque promontorium Italia pertinebat, h. e. trans Latium Adjectum. Et ſic paullatim, ſerpebat id nomen, donec aevo Polybii (quam pridem equidem non habeo dicere) jam uſque ad Alpes prolatum fuiſſe cernitur.*

Digitized by Google

SECTIO III.

Aetate Pythagorae Italiam Magnae Graeciae fines non exceſſiſſe, imo ea duo fuiſſe regionis unius ſynonyma vocabula, peculiaribus argumentis ex Pythagorea hiſtoria petitis conficitur.

Quae hîc dicturi ſumus, iis ex Pythagorae vitis conciliabimus fidem: quarum auctores non aliter eas quam ex antiquiſſimorum ſcriptorum fragmentis contexuerunt. Horum uberrimus Iamblichus non ſemper auctores, ex quibus deprompſit, laudat. Et tamen ſi ex hoc ejus commentario fragmenta veterum (quae ob ſtyli diſſimilitudinem diverſos auctores produnt) detraxeris; pauca ſupererunt: quae facile ex orationis aſperitate biographo iſti vindicare queas. Certe hunc eundem Iamblichum plurima ex Malcho, nec nominato, totidem deſcripſiſſe verbis, jam pridem viri eruditi admonuerunt.

Ac primum quod Italiae non fuerit amplitudo major, quam Magnae Graeciae, Iamblichi locus cap. 35. extrema ſectione 150. oſtendit. Ibi poſt incendium a Cylone excitatum *Reliqui Pythagoreorum ex Italia, praeter Archytam Tarentinum, exceſſerunt: qui Rhegium coeuntes, ibi una commorati*. Mirabar cur critici hunc locum ſuis correctionibus intentatum reliquerint. Nam quo pacto Rhegium extra Italiam fuerit, cum etiam ſi ſignificatu ſtrictiſſimo ſumatur Italia, tamen Rhegium Italiâ contineri neceſſe ſit, quippe quod ſit intra peninſulam illam, cujus ambitu includebatur veterrima Italia? Tamen ex hoc loco pulcherrimo diſcimus, ſicuti Rhegium extra Magnam Graeciam vagabatur (vide ſup. cap. V. ſect. 1. pag. 26. 27.) ita & extra illam Pythagoricae aetatis notioniſque Italiam habebatur: ſicuti e diverſo licet olim Tarentum ex Antiochi finitione ab Italiae ambitu excluſum, Iapygiae tribueretur, tamen poſtquam Magnae Graeciae finibus Tarentum contineri coepit (ſicuti re vera diu poſtea Ptolemaeus id in Magna Graecia recenſuit) crediderim ab illis uſque temporibus Tarentum in Italia numerari coepiſſe, ſicuti & Herodotus in Italia ſtatuerat. Vide ſect. 2. ubi de Herodoto.

Itaque poſſumus hoc univerſe affirmare, quoties in Pythagorae hiſtoria mentio Italiae incidit, ibi totum id debere intelligi, quod poſtea Graecia Magna poſt philoſophi adventum vocari coepit. Sic ubi apud eumdem cap. 18. ſect. 88. legitur, ἀκμαζούσης τῆς Ἰταλίας, *vigente Italia* veniſſe Pythagoram, non alia capienda eſt ab ea, quam diximus, quae re vera ut cum maxime tunc florebat. Id quod aperte cap. 29. ſect. 166. declaratur: *Per haec itaque ſtudia* (a Pythagora exculta) *totam Italiam repleri philoſophis, & antea ignorabilem, poſtea Pythagorae cauſa Magnam Graeciam vocari contigit*. Huc refer & illud Origenis in I. contra Celſum ſect. 3. *Athenienſes confeſtim ſui in Socratem ſceleris poenituit, quemadmodum & alibi admiſſi in Pythagoram facinoris* (οἱ γὰρ Πυθαγόρειοι ἐπὶ πλέον τὰς διατριβὰς συνεσήσαντο ἐν Ἰταλίᾳ, τῇ καλουμένῃ μεγάλῃ Ἑλλάδι) poſt hoc enim facinus *Pythagoreï diu ſcholas in Italia* (primitiva illa ſcil.) *quae Magna Graecia dicebatur, conſtitutas habuerunt*. Poenitentiam, quam hîc tangit Origenes, Iamblichus cap. XXXV. copioſe deſcripſit: qua ſecuta, ſtudio magno civitates Pythagoreos exſules miſſis legatis revocaverunt.

SECTIO IV.

Dictorum conſectaria.

Dixerit aliquis, fruſtra me tamdiu ſpinoſioribus immoratum. Verum vel ex his ſenticetis fructum exſtiturum uberrimum, ii ſentient, qui antiquos ſcriptores legere cum cura ſatagent. Nam praeter ea loca pauciſſima, in quibus Italiam artioribus olim patuiſſe finibus, tum in hac παρεκβάσει (*Digreſſione*) tum in hac ipſa Diatriba univerſa monuimus; alia praeterea ὅσα λήμμος lectori diligenti occurrent, aliorſum accepta ab interpretibus, qui quorſum in iis locis vox Italiae pertineret, rariſſime perviderunt. In primis autem tum ad Magnae Graeciae, tum vero ad Pythagoricae diſciplinae hiſtoriam ſuperiora notaſſe mirifice proderit. Nam conſectaria plurima ex hac tota Digreſſione proceſſura auguror. Nunc ab eo conſectario ordiar, cur haereſis Pythagorica dicta *Italica* fuerit.

CONSECTARIUM PRIUS.

Cur ſecta Pythagoreorum ITALICA audierit.

Ex hactenus oſtenſis ſolutio hujus quaeſtiunculae alveo prono fluit. Nec enim ab ea Italia, quae diu poſt Magni Alexandri tempora tractu latiſſimo patuit, ſic vocari potuit, verum ab ea regione, quae tum Pythagorae tempore, tum ſubſecutis temporibus ſola *Italia* vocabatur. Id quidem eſt ita perſpicuum, ut nullis argumentis indigeat: quae ſi paullum modo quis antiquos philoſophiae Pythagoreae ſcriptores verſaverit, plurima, ſat ſcio, reperiet. Accedit illud, quod nullam philoſophicam haereſim reperire licet, quae ab amplioribus terrae partibus ſibi nomen quaeſierit; ſed pleraequae omnes ſive ab artiſſimis regionibus, ſive etiam a ſingulis civitatibus, unde exſtiterunt, cognominantur. Id facile in duabus ſectis principibus animadvertitur, Ionica Italicaque. Ergo a Thalete profecta diſciplina *Ionica* dicitur, quia Miletus patria Thaletis in Ionia fuit. Vnde & haereſis Pythagorica pari modo *Italica* eſt appellata, quia Croton, unde illa exſiluit, inter urbes illius peninſulae, quae tunc Italiae ſibi nomen peculiare fecerat, eminebat. Plures aliae a locis ſingulis invenere nomen, ſive ea gymnaſia eſſent (ut *Academici*, *Stoici*) ſive urbium nomina, uti *Cyrenaici*, *Megarici*, *Eleatici*.

Quandoquidem autem *Eleaticorum* mentio injecta fuit (quos ab *Elea*, Latinis *Velia*, Lucaniae civitate, unde Xenophanes eorum princeps exſtitit, ita dictos, nemo ignorat) ſciendum eſt, hanc veterrimarum ſectarum partitionem apud antiquos reperiri, ut una quidem ex Oriente manarit *Ionicorum* dicta, etſi alii Ionicis *Megaricos* adderent: duae vero in Heſperiis regionibus ortum duxerint, *Italica* & *Eleatica*. Graeci cujuſdam auctoris locum, in quo hoc legitur, ſchedae commiſeram: quam nunc fruſtra quaeſivi. Sed res ceteroqui obvia eſt. Nunc ſi qui ſunt, qui adhuc ab Italia, quam latiſſime nunc ea patet, Italicum genus philoſophiae cognominatum pertendant; quaero ecquodnam hoc genus partitionis fuerit, cujus pars una alteram continet? Itaque quia Elea intra Italiam (ut haec hodie accipitur) eſt; neceſſe erit Italicos philoſophos ab ea ſtrictiore Italia dictos, extra quam Elea fuerit, ut ita diviſio recto talo conſiſtat. Atque hinc intelligis *Italicae* & *Eleaticae* diſciplinae nomina tunc uſurpari coepiſſe, cum adhuc *Elea* extra Italiam cenſeretur, intra quam poſtea includi coepit.

CONSECTARIUM ALTERUM.

Quaenam Ovidii, Juſtini aliorumque erroris origo fuerit: apud quos Magna Graecia tam late, quam & hodierna Italia, patuit. Similis error Stephani notatur.

Horum auctorum loca ſupra exhibui cap. 2. pag. 13. num. I. Niſi quod ibi Athenaeus ex eo numero eximendus eſt: nec tam correctione, quam ibi adhibui, quam interpretatione indiget Dipnoſophiſtae locus, qui talis eſt: διὸ καὶ Μεγάλη Ἑλλὰς ἐκλήθη τότε σχεδὸν ἡ κατὰ τὴν Ἰταλίαν κατοίκησις. *Quapropter omnis ferme Italiae habitatio appellata eſt Magna Graecia*. Interpretatio in eo vertitur, quod non eâ amplitudine is accepit Italiam, quousque ſuo tempore porrigebatur, ſed anguſtiore illa Pythagoricae aetatis finitione. Etſi hoc quoque adhibitâ particulâ σχεδὸν emollivit. Recte: nec enim tota illa peninſula Graeciae Magnae attributa fuit; quia ejus mediterranea coepere a Bruttiis incoli. De eadem Italia intelligi debere Syneſium, ſupra dictum fuit: vide locum pag. 48. & ejus expoſitionem Adnot. 80. Adde quod ex mente

Digitized by Google

II

De Μεγίστη *sive Maxima Graecia.*

S. Joannes Chryſoſtomus Hom. I. in Joan. [quae in Monfauconii edit. eſt II.] num. 2. Pythagoram τὴν μεγίστην Ελλάδα, *Maximam Graeciam adiviſſe* dixit. Id puto argumento eſſe, ſophiſtas, quorum erant aetate Chryſoſtomi greges innumerabiles, eo uſque argutando & rhetoricando provectos, ut propter Pythagoricae philoſophiae praeſtantiam, Graeciam illam Italicam, ex qua tantum philoſophiae lumen effulſit, non quidem Μεγάλην [*Magnam*] ſed Μεγίστην (*Maximam*) vocandam eſſe contenderent. Vide Diverticulum [106] alterum.

De

te Syneſii ea Italia ſibi Magnae Graeciae nomen peperit, in qua Pythagorei civitates regerent. Atqui ſola illa Pythagoricae aetatis Italia philoſophos admovit urbium gubernaculis, ut ibidem & pag. ſeq. oſtendimus. Poſtremo Iamblichi loco (cap. 29. ſect. 166.) nihil eſt luculentius. *Per haec*, inquit, *ſtudia* (Pythagorae) *TOTA ITALIA repleta philoſophis .... propter Pythagoram MAGNA GRAECIA cognominata eſt*. Diceres haec Iamblichum ex Ovidio, aut Pompeio Trogo in Iuſtini epitome deſcripſiſſe; niſi quamnam Italiam intelligat, ſcriptor ipſe declaraſſet, eam ſcilicet regionem, quae Pythagoricâ philoſophiâ claruit: quâ tunc parte ſolâ continebatur Italiae nomen. Etſi porro hi & ſexcenti alii ſcriptores eo tempore ſcripſerint, quo ea dicebatur Italia, quae maribus & jugis Alpium ambiebatur; tamen quod eas narrationes deſcripſiſſent ex auctoribus vetuſtiſſimis, quibus *Italia* & *Magna Graecia* erant unius regionis ſynonyma; idcirco iis locis *Italiae* vox non niſi artiore illâ primitivâ notione eſt accipienda.

At ea defenſio in Ovidio & Pompeio Trogo parum valet: cum ambo non ſatis habentes *Graeciae Majoris* nomen toti Italiae tribuere, etiam eâ partium enumeratione utantur, ex qua ſequitur eos id totum quod ad juga uſque Alpium pertinet, Italiae nomine incluſiſſe. Quapropter abjecta ſuperiore defenſione, ſatis erit ſi juſtam veniam eorum errori demus. Qui cum in ſcriptores incidiſſent, qui ſimilia Athenaeo, ſimilia Iamblicho locuti, toti Italiae nomen Graeciae Magnae tribuerent, nec tamen anguſtiorem aliam Italiam ibi capiendam ſuſpicarentur; nihil propius fuit, quam ut argutando & veteres fabulas colligendo, ſuaderent, re ipſa per omnem illam ampliſſimam ſui temporis Italiam ſparſas fuiſſe urbes a Graecis conditoribus poſitas. Vide eorum loca p. 13.

Quid quod Stephanus ipſe, quem in veris geographicorum nominum notionibus eſſe oportuit verſatiſſimum, graviora Trogo Ovidioque peccavit? Sane cum Εθνικογράφος iſte ex antiquis didiciſſet, *Italiae*, *Oenotriae*, *Brettiaeque* vocabula fuiſſe unius regionis ſynonyma; ei poterat ex anguſtis Brettiae & Oenotriae finibus ſubire ſuſpicio, aliam accipiendam eſſe Italiam multo artiorem, quam pro ſuorum temporum Italiae amplitudine. Tamen is aetatis ſuae conſuetudine abreptus, quantos Italiae quae nunc eſt, pares etiam fines Brettiae & Oenotriae tribuit. Nam de Oenotria ſic incipit (III): *Oenotria*, *regio Italiae* (illius ſcilicet latiſſimae horum temporum): *nonnulli vero* (καὶ αὐτὴν τὴν Ιταλίαν ὕστω φασὶ κεκλῆσθαι) *etiam ipſam Italiam ſic appellatam tradunt*. Vbi aperte vides τὸ ὑποκείμενον (*ſubjectum*) enuntiati hujus eſſe αὐτὴν τὴν Ιταλίαν, & quidem illam latiſſimam ſuorum temporum: quam aliquando *Oenotriam* fuiſſe vocatam magno errore putavit: quem errorem facile ſuſtuliſſet, ſi illud αὐτὴν τὴν & ὕστω induxiſſet: *Nonnulli vero* (ſupple ἀπὸ κοινῆ *Oenotriam*) *etiam Italiam* (olim) *vocatam tradunt*. Idem in Βρίττος pari in errore verſatus eſt: *Antiochus vero* (τὴν Ιταλίαν) *Italiam* (hanc ſcilicet noſtri temporis, ex opinione Stephani) *ait vocatam Brettiam*, *deinde Oenotriam*. Qui invertere debuiſſet, τὴν Βρεττίαν καληθῆναι Ιταλίαν, *Brettiam vocatam fuiſſe Italiam*: modo anguſtiorem illam priſci aevi Italiam capias. Porro Antiochus ille, quem hîc Stephanus laudat, apud Strabonem lib. VI. *Brettiae* non meminit (nec poterat meminiſſe, quia *Brettium* nomen recentius Antiocho fuit) & πρότερον δ' Οἰνωτρίαν (*antea Oenotriam*) habet. Verum hoc alterum utcumque defendi poteſt; haud raro enim obſervavi, ὕστω (quo utitur Stephanus) non tam pro *Deinde* quam pro πρότερον h. e. *Antea* poni, nim. ſi ordo retrogadus fiat.

(106) ΠΑΡΕΚΒΑΣΙΣ ALTERA

De eo cur Magna Graecia Chryſoſtomo Μεγίστη Ελλὰς *vocata fuerit. Par Petrarchae locus.*

Chryſoſtomus ita concionatur laudato loco: Πυθαγόρας δὲ τὴν Μεγίστην Ελλάδα καταλαβὼν &c. *Pythagoras vero Maximam illam adiens Graeciam, praeſtigias induxit innumerabiles*. Inter praeſtigias vero numerat Philoſophi cum bobus & aquilis colloquia. Ad quem locum neſcire ſe, ubi ſermocinationes iſtae legantur, adnotat Montfauconius. Verum id copioſe ab Iamblicho in Philoſophi vita narratur: a cujus & aliorum locis, quibus tum de hac praeſtigiâ tum de ſimilibus θεωρητικοῖς artibus agitur, recitandis abſtineo. Nec enim id nunc agitur; verum id potius, cur quam alii *Magnam* Graeciam, Joannes primus *Maximam* nuncuparit. Non equidem auctorem primum mutatae ἐπικλησίας hunc ſummum oratorem arbitror: qui ſi hoc primus uſurpaſſet, ſimul rationes mutatae ἐπικλησίας attuliſſet. Non ergo *Maximam* vocavit primus, ſed veluti qui id cognomentum jam pridem a ſophiſtis ſuae & ſuperioris aetatis adhibitum ſciret: quibus cum omnia in majus augere, tum in Magna Graecia & Pythagorica diſciplina extollenda inflare buccas, & claſſicum canere familiare fuit: vel vide pag. 48. Syneſii locum, qui & ipſe ſophiſtam maxima cum laude profeſſus fuerat. Mihi quidem in

ſophi-

(III) *Locum Stephani ab adnotatis meis liberum exhibere praeſtat:* ΟΙΝΩΤΡΙΑ, χώρα τῆς Ιταλίας. Τινὲς δὲ καὶ (αὐτὴν τὴν) Ιταλίαν (ὕστω) φασὶ κεκλῆσθαι. *Quae uncis coercui, ea ſi tollas, tum locus errore vacabit; ſic enim* Italia *non ſubjectum enunciati erit, ſed attributum. Nam rectum eſt, ſi hoc dicat:* Quidam vero (*Oenotriam, de qua agitur*) etiam Italiae nomen geſſiſſe ajunt.

Digitized by Google

III

De Graeci ſermonis in vetere Magna Graecia diuturnitate.

Longo equidem fractus itinere, nec jam anxie ſcrutari ſuſtineo, nec proinde valeo decernere, utrum totum illud Graeci oris σύστημα [*corpus*] quod aevo ſequiore in iſtis regionibus erat, cujus nunc quoque non tenues reliquiae ſuperant, ab illo uſque Magnae Graeciae ἑλληνισμῷ ſit non interrupta ſerie propagatus; an vero ubi Graecitas fere omnis extincta aliquando fuiſſet, ea rurſus ſub Byzantinis Caeſaribus, quibus regiones illae ſerviebant, poſtea revixerit. De quo qui cogno-

ſophiſtis evolvendis nunc occupari non vacat, tam futili praeſertim palma unius voculae reperiundae propoſitâ. Verum nemo mihi hoc eripiet, quin id totum ex μελέταις declamatorum illius aevi prodierit. Niſi quod magna Chryſoſtomi exiſtimatio hoc forſan effecit, ut eadem appellatio in Magna Graecia uſque ad citima tempora perennaſſe videatur.

Teſtis mihi erit Franciſcus Petrarcha: ex cujus epiſtolis locum opportune ſuppeditavit mihi vir amiciſſ. Franciſcus Seraus (in hoc Regio Lyceo primarius medicinae profeſſor, doctrina atq. elegantia celeberrimus) cum ſciret me de Magna Graecia commentari. Ergo is lib. I. Epiſt. 3. cum Joanni Columnenſi iter ſuum deſcriptum iret; ab eo incipit, ut Italiam oris omnibus, etiam Graeciae, Italos vero ceteris hominum anteponat. *Niſi forte*, inquit, *nobilius eſt Graecum naſci quam Italicum. Quod ſi quis dixerit; dicat idem, & ſervum eſſe nobiliorem quam dominum. Atqui nullus hoc Graeculus, quantumlibet procax impudenſque, dicere audebit, dum meminerit, diu ante Urbem conditam, ante partum & auctum viribus imperium, denique ante*

Romanos rerum dominos gentemque togatam,
Non Italiam, ſed QVARTAM Italiae PARTEM,
eo tempore deſertam & vacuam, a Graecis habitatoribus poſſeſſam, Magnamque Graeciam nuncupatam.

Paulliſper hîc reſiſtamus. Novam enim Magnae Graeciae finitionem his verbis Petrarcha intulit, eoque Academicis Pariſienſibus (quorum ſententiam ſupra pagin. 15. refutavi) unus, quod ſciam praeluxit. Videtur enim ſic rationes ſuas iniviſſe Noſter. Perſuaſum ei fuit, quidquid Graeci oris olim in Italia fuiſſet, id univerſum Magnae Graeciae tribuendum: cui opinioni etiam Horatii (IV) ſcholiaſtae jam pridem velificati videntur. Cum ergo ſciret Piceni *Hatriam* in mari Supero, ac deinceps *Arpos* aliaque complura oppida fuiſſe Graecanica, in Inferno vero ab Rhegio Cumarum tenus totam oram illam Graecos tenuiſſe; facile ductâ ab Hatria Cumas uſque lineâ, collegit, hanc portionem abſciſſam, cum reliqua Italia comparatam, *quartam Italiae partem* conſtituere. Verum haec tantum in ora fuerunt, quae proinde ſunt mera putamina Italiae: ceterum nucleus telluris mediterraneae totus barbarus erat, a Samnitibus, Appulis, Lucanis, Iapygibus, Bruttiis, aliiſque occupatus. Itaque veriſſima eſt Pliniana & Ptolemaica finitio Magnae Graeciae, quam ſupra pag. 16. num. V. expoſui. Hactenus cur Magnam Graeciam quartam Italiae partem cenſuerit.

At interim Petrarcha in aſſignanda etymologia Magnae Graeciae cum Plinio facit: qui ab Italiae dignitate & exiſtimatione factum hoc putavit, ut Graeci ipſi, in rebus tantum ſuis glorioſi, tantulam Italiae partem *Magnam Graeciam* nuncuparint: quem Plinii locum ſupra pag. 19. expoſui. Nec enim Petrarchae argumentatio alia a Pliniana eſt.

Pergit Etruſcorum poetarum princeps. *Quae enim tunc Magna viſa eſt, quam MAXIMA, quam immenſa videri potuit poſt everſam Corinthum, poſt vaſtatam Aetoliam, poſt Argos & Mycenas ceteraſque urbes triumphatas, poſt Macedoniae reges captos, Pyrrhumque devictum, & madentes iterum Aſiatico cruore Thermopylas? Credo neminem negaturum, aliquanto clarius Italicum eſſe quam Graecum. Sed de hoc forte alibi; nunc* &c.

Haec vero ultima oſtendunt: I. eas rationes, propter quas Petrarcha contendit, quae Graecia olim in Romae infantia vocabatur *Magna*, eamdem poſt Romae partum terrarum omnium Graeci oris imperium, dici debuiſſe *Maximam*, easdem rationes & Chryſoſtomo (ſive potius declamatoribus illis, ex quibus eam appellationem eſt mutuatus) videri obverſatas: II. videri hanc totam ratiocinationem, ſive in Graecis auctoribus fuiſſe aevo Petrarchae repertam, ſive ſaltem a Barlaamo Magnae Graeciae Monacho ſatis erudito (quem Petrarcha in Graecis litteris nactus eſt praeceptorem: quemque veriſimile eſt, fuiſſe in Magnae Graeciae laudes, & quidem pro merito, effuſiſſimum) excogitatam, ac diſcipulo ſuo Franc. Petrarchae inſtillatam. Sed conjecturarum ſatis.

ΠΑ-

(IV) *Qua aetate Helenius Acron, & Pomponius Porphyrion ſcholiaſtae vixerint, incertum eſt. Tamen quis dubitat, ambos poſteriores Servio fuiſſe? Ergo quod Servius* (*uti pag. 16. num. IV. dixi*) *Magnam Graeciam a Tarento extenderat* Vſque ad Cumas (*quod & Seneca ex parte adumbraverat: nec mirum, nam, ut in ſuperiore Adnot. II. dictum, eo uſque auctor Admirandorum prorogarat veterem Italiam, quae ſemper aequis cum Magna Graecia paſſibus progrediebatur*) *quod inquam Servius in Tyrrheno, tantumdem poſtea amborum Flacci explanatorum aevo in mari Supero tentatum fuit, ut eo uſque Magna Graecia procederet, quo uſque Graeca olim oppida pertinuerant. Hinc ad illud Horatii* (Canuſini more bilinguis) *ſic Acron commentatur:* Canuſini enim, cum ſint Latinae gentes, a Diomede Graecitatis partem traxerunt, & per iſtius regionis tractum Graeca lingua in uſu fuit, unde ea pars Italiae GRAECIA MAGNA dicta eſt. *Porphyrion in hunc modum*: Bilinguis dicitur, quoniam utrâque linguâ Canuſini uſi ſunt, ſicut per omnem illum tractum Italiae, quem ex majori parte Graeci incoluerant: ex quo MAGNA GRAECIA nomen accepit.

Digitized by Google

cognoſcere vel pauciſſima volet, in Diverticulum [107] tertium, ſi tanti res viſa fuerit, digrediatur.

DIA-

(107) ΠΑΡΕΚΒΑΣΙΣ TERTIA

De Graeci eloquii in Magna Graecia diuturnitate.

SECTIO I.

Quid ultimis Romanis temporibus Graecitati Italicae acciderit.

Sicuti ultimis reip. temporibus, ſic etiam ſub primis Caeſaribus, cum plures Graecarum urbium Romanas colonias accepiſſent, aliae jure municipii viverent, omnes demum lege Julia Romanam civilitatem conſecutae fuiſſent; quis dubitat, quin pleraque locorum non modo ad inſtituta Romana conceſſerint, ſed etiam Romani ſermonis uſum non tantum in actionibus & judiciis verum etiam in pluribus actibus ſuis admiſerint? Atque hoc illud eſt, quod Strabo ſtatim a principio libri VI. conqueritur, jam tum aetate ſua in Graecia Italica, praeter Rhegium, Tarentum atque Neapolim, cetera ἐκβεβαρβαρῶσθαι (*in barbariem verſa*) quod non tantum de moribus inſtitutiſque Romanis, verum etiam de lingua eſt intelligendum. Tamen certo certius eſt, extremis reipub. temporibus, adhuc Magnae Graeciae civitates (eas praecipue, in quas nondum coloniae ſcriptae fuiſſent) quamdam ἀριστοκρατίας imaginem Graecique ſermonis uſum retinuiſſe. Tam αὐτονομίαν, quam Graecam loquelam Tarenti, Rhegii, Neapoli perſtitiſſe, ex Strabone didiceramus: quae tunc videntur rerumpublicarum foederatarum loco fuiſſe. At etiam ceterae urbes, quae erant jura municipii conſecutae, legibus partim ſuis, partim Romanis viventes, adhuc paſſim Graeco ſermone, opinor, utebantur: id quod de Heracleae noſtrae municipio fateri cogit Tullius orat. pro Archia: quem locum in Diatriba ſeq. dabimus. Ac ne in coloniis quidem ſtatim potuit Helleniſmus extingui, quamdiu certe veterum habitatorum familiae ſupererant. Ita harum coloniarum populus diu bilinguis fuerit neceſſe eſt. Haec uſque ad aetatem antiquiorum Caeſarum.

At ſecutis temporibus Graeciſmo in deterius vertiſſe omnia veriſimile eſt: niſi quod in minoribus oppidis ac vicis Graecum ſermonem diutius, uti fit, ſubſtitiſſe neceſſe eſt. Confer quae de Graeciſmo Neapolitano in Diſſertat. *de Neapolitana Cathedrali unica* commentabar Parte II. cap. II.

Verum quod ibi de Neapoli confirmavimus (nim. in ea jam inde a tertio aut ſummum IV. ſaeculo Graeciſmi uſum penitus extinctum, vix poſtea VI. ſaeculo aliqua ex parte revixiſſe, cum Graeci homines ſub Byzantinis Principibus Neapolim confluere, ibique domicilium figere variis de cauſis incepiſſent) quod, inquam, ibi ex vero de Neapoli defenſitatum fuit, vereor ut idem de Magna Graecia confirmari queat. Permultum enim inter Neapolim intereſt, & Magnae Graeciae loca: de quo jam dicendum.

SECTIO II.

Diſcrimina inter Neapolim Magnamque Graeciam: ex quibus efficitur, in hac regione Graeciſmum numquam in totum fuiſſe intermortuum.

I. Neapolis urbs erat Italiae tunc florentiſſima, nec tantum in umbilico Italiae, verum etiam in faucibus Romae poſita; in quam proinde non potuit non ſenſim lingua Italiae dominatrix irrepere: cum contra in Magnae Graeciae remotae ac ſepoſitae latebris facile ſe Graeciſmus tueri potuerit, quo minus infusâ peregrinitate excluderetur.

II. Neapolitanos Epiſcopos jam inde a quarto ſaeculo (quo cum S. Severo Neapolitano Symmachus Sanctuſque Ambroſius agitabant epiſtolarum commercium) conſtat fuiſſe Latinos: quod argumento eſt, iis plebem Latini oris obediviſſe. At in ora Magnae Graeciae, ſicuti & in Sicilia, Paſtorum plurimi uſque ad citeriora ſaecula Graeci fuerunt; a quibus proinde Graeco ſermone parvuli petebant panem: quibus invicem a Paſtoribus non niſi per Graeca alloquia frangebatur. Scitiſſimum eſt, Rhegii, Siberenae (poſtea *Sanctae Severinae*) Locris, Crotone, Hydrunti & alibi, diutiſſime uſque ad citimam aetatem Graecos Epiſcopos conſediſſe: quo factum, ut harum ſedium non nullas aperto latrocinio Patriarcha Byzantinus aliquamdiu ſibi arrogaverit.

III. In Neapolitanis monaſteriis, etſi Baſiliana eſſent, tamen, ut ex illius aevi opuſculis conſtat, Latine ſcriptitabatur: at in ultimo receſſu Italiae plurima erant Graeca Graeci ritus monaſteria (quorum adhuc multa ſuperſunt, alia ſemiruta jacent) in quibus Graeci ſcriptores claruerunt.

IV. Neapoli ſcimus a nemine libros niſi Latinos prodiiſſe: at in ultimo Italiae angulo plures Graecis a ſe editis libris innotuerunt. Nam praeter antiquos innumerabiles, etiam aevo ſequiore aliquot laudare poſſum. Vergente VIII. ſaeculo *Marcus* Hydruntinus Epiſcopus Graeca hymnographia inclaruit: cujus in Graecorum officiis plurima ejus ingenii monumenta exſtant. Exeunte X. ſaeculo *S. Nilus* monachus Roſſanenſis Graecum hymnum in laudem S. Benedicti, & plurimas Graecas epiſtolas ſcripſit: de quibus in ejus vita fit mentio. Nam hujus vitam Graece ſcriptam habemus ab ejus cive ac diſcipulo *S. Bartholomaeo* Roſſanenſi, quae Graece & Latine apud me exſtat, ex qua ſtatus Graecorum X. & XI. ſaeculo in his oris calamitoſus, cum antea floruiſſet, perſpicitur. Saeculo XII. *Nilus Doxopatrius* (ex Magna Graecia an ex Sicilia, dubitatur) *De quinque Thronis patriarchalibus* opuſculum ſcripſit: cujus exſtant apud Allatium fragmenta. Eodem ſaeculo *Nectarius* monachus Graecus ex Bruttiis, Graeco ſe ſchiſmate polluit: quod & ſcriptis & epiſtolis Graecis defenſavit. Ineunte ſaec. XIII. *Nicolaus* Hydruntinus, Graecus monaſterii S. Nicolai prope Hydruntem Abbas, copioſiſſimam in ſuo coenobio Graecam bibliothecam paravit, ex qua unicum poetae *Quinti Calabri* (nempe quia in Calabria repertus fuit, ita dict.) exemplar prodiit. Hic Nicolaus aſſecla erroris Graecorum fuit, quos & ſcriptis Graecis propugnavit, quae manu exarata exſtant. Credo & alios fuiſſe quam plurimos, quorum ſcripta incenſis Saracenorum incurſu monaſteriorum Magnae Graeciae bibliothecis perierunt. Sed & poſt Saracenica tempora ſaeculo XIV. ex Seminara oppido Bruttiorum Barlaamus monachus exſtitit, plurimis Graecis opuſculis adhuc obviis clariſſimus.

V. Neapoli nullae repertae ſunt Graecae contractuum chartae, nulla ſive Neapolis Ducum, ſive Epi-

Digitized by Google

Epiſcoporum diplomata : at in Apuliae , Iapygiae , orae Lucaniae & Bruttiorum tabulariis innumerabiles ejuſcemodi Graecae membranae reperiuntur cum notis temporum, quarum non paucas Neapolim delatas vidi : ex quibus facile arguitur , quae quibus temporibus locorum illorum lingua fuerit .

VI. Poſtremo etiam nunc in ultimo Italiae angulo, quo loco Magni Graeci fuerunt , plura ſuperſunt oppidula , in quibus ad hanc diem ſermo Graecanicus in uſu vernaculo eſt . In Sallentinis inter Hydruntum atque Tarentum haec maxime loca celebrantur : *Soleto* (quae vetuſtiſſimae illi *Sallentiae* ſucceſſiſſe creditur) *Corigliano*, *Sternatia* , *Martano* , *Calimera* (ex Graeco Καλὴ ἡμέρα) *Melpignano* , *Curſi* , *Bagnolo* , *Cotrofiano*, *Sogliano* , *Zollino* , *Martignano* . In Bruttiis , maxime ulterioribus , ac praecipue in Rhegino tractu (potiſſimum vero in dioeceſibus , Bovenſi , Neocaſtrenſi &c.) plurima paſſim ſunt Graeci oris hodie dum loca : quorum nominibus ſuperſedeo , necubi forte Albanenſium pagos pro Graecanicis accipiam . Sunt enim in Bruttiis , maxime citerioribus , ſunt in Lucania , & alibi Albanenſium loca quam plurima , Graeco ritu , at Albanenſi idiomate utentium : qui ultimis temporibus ex Albania huc tranſfretaſſe narrantur .

Sed ad Graecorum , quae modo dixi , locorum ſermonem redeo . Ejus linguae σύστημα ita Graecum eſt totum , ut tamen verba plurima Italica & Italiſmos in pleriſque locis admiſerit . At ejusdem linguae natura & ingenium magnam partem (etiam in nominum verborumque inclinationibus) ad Graecum vernaculum idioma deflectit : quod inito examine , etiam Simonis Portii vernaculâ Graecâ grammatica in conſilium vocatâ , facile deprehendi . Quod mihi quidem eam dubitationem injecit , an non ſequioribus ſaeculis non tantum Albanenſium , verum & Graecorum , qui trans mare ſunt , in Regnum Neapolitanum migrationes acciderint . Quas ſi quis re ipſa eveniſſe oſtenderit , nae is ultimum hoc nobis argumentum e manibus eripiet . Ceterum cur in pagis maxime & obſcuris locis Graeci haeſerint , age jam reddatur per me probabilis ratio .

SECTIO III.

Cur non in urbibus , ſed in locis humilibus Graecorum genus adhuc ſpiritum ducat .

Rem altius peto. Sub Byzantinis Caeſaribus littora tantum Neapolitani Regni pleraque Imperio CPolitano parebant , dum interim a Langobardis interna tenebantur . Decimo ſaeculo , etſi rebus ibi Grecorum ex Saracenorum incurſu immiſtutis , adhuc tamen *Calabriae Dux* pro Byzantiis Caeſaribus jus dicebat : quo tempore quidquid Byzantinis pareret , ſub praefectura *Calabriae* cenſebatur , quia haec ſola Byzantinis remanſerat . *Calabriae* vero nomine veterem Calabriam h. e. Iapygiam ſive Sallentinos intellige . *Sola* (inquit Conſtantinus Porphyrog. Themate X.) *Calabria a Chriſtianis tenetur* (nam pleraque a Graecis ante poſſeſſa, Saraceni jam occupaverant) *in qua etiam Rhegium eſt* (jam enim Bruttii in *Calabriae* veteris praefectura recenſeri coeperant) *& oppidulum Sanctae Cyriacae & Sanctae Severinae* (olim *Siberenae*) *& Croton & alia quaedam oppida , quibus Dux Calabriae dominatur* . Dux ergo Calabriae ſic dicebatur , quod in Calabris h. e. Sallentinis praetorium haberet , cui & Bruttii ſuberant . Tamen haud diu poſtea is praefectus ex Calabria (quippe a Saracenis occupata) in Bruttios ſe recepit : nam vita S. Nili teſtatur , exeunte X. ſaeculo praefectum Graecorum Roſſani in Bruttiis jus dixiſſe . Quandoquidem autem Bruttiorum regio ſub Calabria cenſebatur ; ex eo factum , ut poſtquam *Calabriae* thema intra Bruttios reſtringi coepit , etiam *Calabriae* nomen ab illo tempore Bruttii ſibi arrogaverint . Haec obiter , ne quis miretur , cur hodie *Calabri* vocentur qui olim *Bruttii* dicebantur .

Jam vero ad Graeciſmum pagorum redeo . Olim quidem Hydrunti, Tarenti , Thuriis , Crotone , Siberenae (vulgo *S. Severinae*) Locris , Rhegii & alibi Graece ſacra peragebantur, Graecuſq. ſermo obtinebat . At Saracenis irrumpentibus , oppidani quonam alio niſi in agros confugerent ? Hinc plura diverſis locis caſarum συστήματα exſtiterunt : quorum incolae , ab urbium & advenarum commercio ſecreti , facile antiquum ſermonem retinuerunt : qui etiam nunc Graecanicus eſt , niſi quod Italiciſmo contaminatus ,

DIA-

Digitized by Google

DIATRIBA II.

De Heraclea Italica deque Siri: adhaec de Tarento, Metaponto & Pandosia.

CLariſſimis hiſce ac vetuſtiſſimis Auſonii maris urbibus ſubtilius deſcribendis ſuperiore Diatriba cap. V. p. 33. ſuperſedimus, quippe qui id totum negotium huc loci rejecimus. Hujus quidem Diatribae ſcopus primarius HERACLEA eſt, urbs Magnae Graeciae vetuſtiſſima (quippe eadem ac SIRIS illa Trojano excidio antiquior, quae mutato ſolo ac nomine dicta *Heraclea* fuit) ad quam aeneae duae Tabulae, de quibus hîc mihi labor proponitur, pertinent. Haec tamen quia Tarentinorum colonia fuit, quae ex Siritis [uti videbimus] ſimulque ex novis Tarentinorum colonis coaluit; hinc nobis tractatio de SIRI ac TARENTO ſuboritur. Poſtremo & METAPONTVM atque PANDOSIA tam vicinitatis ſuae cauſa, quam quia conſertas cum his omnibus ſuas rationes habuere, tertias partes agent.

CAPVT I.

De HERACLEAE coloniae origine, ac deductae tempore. De ejus quadruplici populo. Loca Diodori ac Strabonis, quae perperam vulgo translata atque intellecta, errorum plurium attulere cauſam, expediuntur.

HERACLEAS, Stephanus ὁ ἐθνικογράφος tres & viginti numeravit: inter quas Heracleam hanc Italiae [h. e. Magnae Graeciae; id enim olim *Italia* ſonabat, ut ante dictum] ſexto loco cenſuit. Verum fuiſſe & alias ejusdem nominis, quae Ethnicographi fugerunt ſollertiam, non [1] eſt dubitandum. Nec facile, opinor, in tota geographia plures urbes cognomines quam *Heracleas* reperias. Martinerius in ſuo ingenti Lexico geographico plures triginta recenſuit: quarum anteſignanam hanc noſtram deſcripſit Italicam. Haud ab re ille quidem, modo ſpectetur antiquitas SIRIS illius, quae Troicis temporibus antecedit; quaeque, ut ante diximus, HERACLEA poſtea dicta fuit. Alii tamen non dubitant Ponticae primas deferre. Verum quid his immoror? nec enim noſtrum eſt urbibus ſtatuere pretia. Quin age, de noſtrae Italicae origine primâ commentemur.

Tempus

(1) Documento eſt, quod ipſo initio catalogi Heracleam Ponticam, atque Thraciam in unam conflavit. Sic enim incipit: Ἡράκλεια πόλις Θρᾴκης ἐν τῷ Πόντῳ διάσημος. *Heraclea, urbs Trhaciae in Ponto illuſtris*. Quo loco haud dubie clariſſima omnium Pontica deſcribitur, quae in Mariandynis erat. Porro quia Mariandyni apud Scylacem in quadam *Tracia Bithynica* recenſentur; hinc Stephanus Heracleam τὴν διάσημον (omnium *clariſſimam*) *Thraciae Ponticae* (ab uſu ſermonis temporis ſui recedens) attribuit: quo facto incogitans *Heracleam* alteram vere Thraciam (quippe quas in Thracia proprie dicta fuit, alioque nomine *Perinthus* vocabatur (cujus Antiſtiti Epiſcopus Byzantinus ſuffragabatur) iple aut ejus breviator praeterivit.

Digitized by Google

Tempus exſtructae urbis Siculo Diodoro debemus: qui Archonte Apſeude, conſulibus vero T. Menenio, Proculo Geganio Macerino, conditam Heracleam docuit h. e. Olympiadis LXXXVI. anno IV. at ab V. C. anno (ſi faſtis Capitolinis a Sigonio correctis credimus) CCCXIII. quo ii conſules prodiere; ab Orbe vero condito anno 3572. ante Chriſtum anno 428. eopte demum anno [ſi Diodoro fides] quo Meton Athenienſis decaënneteridem reperit. Ergo Diodori locus lib. XII. c. 36. ſic habet: Ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησιν Ἀψεύδους Ῥωμαῖοι κατέστησαν ὑπάτους Τίτον Μενήνιον καὶ Πρόκλον Γεγάνιον Μακερῖνον. Ac pluribus interjectis, ſic deſinit: Κατὰ δὲ τὴν Ἰταλίαν Ταραντῖνοι τὰς τὴν Σῖριν καλουμένην οἰκοῦντας μετοικίσαντες ἐκ τῆς πατρίδος, καὶ ἰδίους προσθέντες οἰκήτορας, ἔκτισαν πόλιν τὴν λεγομένην Ἡράκλειαν. Qui locus tum brevitate ſua, tum quia male ab interpretibus habitus, in errorem graviſſimum traxit veteres novoſque geographos. Nam Plinius lib. III. cap. XI. ſic ipſe ſe in ſpeciem explicat, quaſi ſi ubi *Siris* ſteterat, ibidem *Heracleam* fuiſſe crediderit. *Similiter*, inquit, *eſt inter Sirin & Acirin* (fluvios) *Heraclea*, *aliquando Siris vocitata*. Quod vulgo recentiores paſſis ulnis amplexi ſunt, impellente ad id quoque Diodori loco minime intellecto. Nam is locus etiam in ultima Weſſelingiana editione ſic prave vertitur: *Porro in Italia Tarentini Siris oppidi incolas alio migrare cogunt*, *& coloniâ ſuorum ILLUC DEDUCTA*, *urbem*, *cui nunc Heracleae nomen eſt*, *condunt*. Ex hac interpretatione ortus eſt error, ibi Heracleam conditam effutientium, ubi antea Siris ſteterat. Martinerius, qui haec ultimus attigit, etſi in Heracleae ſitu minime erravit, tamen hunc Diodori locum abſurde (2) eſt interpretatus. At caligo omnis cito diſpellitur, ſimul atque illud προσθέντες ſic vertas, ut verti debere nec pueri ignorant, *& proprios ADDENTES colonos*. Iſtud autem *Addentes* idcirco uſurpavit, quia in coloniam Heracleam, quam in vicino condituri erant Tarentini, Siritarum ad unum omnium multitudo tranſcripta fuerat. Haec autem cum futurae urbis metatae magnitudini minime ſuffectura videretur; Tarentini de ſuo alios colonos in ſupplementum addiderunt. Etiam ſuperius illud μετοικίσαντες parum eſt, ſi *Alio migrare cogentes* vertatur, ſed eo loco tantumdem eſt, quod ex urbe in novam coloniam μετοικίζειν, *traducere*. De μετοίκοις videatur Harpocration & H. Stephani Theſaurus. Cui vocabulo maximam lucem accendet illud IVLIA (3) TRADVCTA, quod in Auguſti

(2) Is in Heraclea Magnae Graeciae Diodori locum ſic refert ac porro exponit. *Diodore de Sicile... dit, qu' en Italie les Tarentins forcerent les habitans de Siris petite ville d' aller s' etablir AILLEVRS* (non *alibi*, quocumque eos fortuna impelleret, verum ad habitandum novum oppidum Heracleam transductos Siculus docuerat) *& qu' aïant mis en tet endroit* (quem vacuum Siritae reliquerant) *une colonie de leurs gens, ils y batirent une ville nommée Heraclee*. Hoc vero poſterius totum mendoſum eſt, & a mente Diodori totis paraſangis aberrat: vide quemadmodum ſuperne nos haec ex vero expedivimus. Jam vero his lexicographus ſubjicit expoſitionem hujuſmodi. *Ce paſſage fait voir, qu' il y eut deux villes de Siris: l' une que les habitans cederent aux Tarentins, & ou fut placée une colonie venue de Tarente* (quae ſcil. tranſnominata *Heraclea* fuerit)... *l'autre fut l'endroit ou les anciens de Siris s' allerent etablir*. Hunc Martinerii (qui tamen ſtatim poſtea a Diodoro male intellecto diſcedit) locum, non criminandi ſtudio, ſed ſpeciminis loco adſcripſi; ut ex uno homine, qui ceteros ante ſe tot nuperos geographos vidit, appareat, quantopere ipſos haec antiquorum de Siri & Heracleâ βραχυλογία tranſverſos egerit.

(3) Nam in colonia iſta, quae ex *Tingi* & *Zele* Mauretaniae, additis Romanis colonis, in Baeticam transducta fuit, τὸ TRADVCTA tantumdem eſt quod Μέτοικος aut μετοικισθῆσαι: quo verbo utitur Strabo ubi de hac colonia loquitur proxime ab initio lib. III. cujus locum, quia Diodori verbis perſimilis in omnibus eſt, libens huc afferam. *Fuit &* (Ζέλης) *Zeles vicina Tingi urbs* (in Mauretania). Statim ſequitur:

Digitized by Google

nummo legitur. Μέτοικοι ergo non exigebantur ex urbe ut vagaturi, ac ſibi ſedes incertas quaeſituri, ſed in certam coloniam tranſcribebantur. Pari ratione Siritae ita ejecti ex ſua patria fuerunt, ut tamen in novam coloniam Heracleam traducerentur. Nec aliam vim habet illud ἐντεῦθεν οἰκισθείσης apud Strabonem, perperam ab interprete expreſſum.

Geographus enim lib. VI. ubi de Heraclea & Siri incipit, haec poſuit: ἐφ' ὃ (Σίριος) πόλις ἦν ὁμώνυμος Τρωϊκή· χρόνῳ δε τῆς Ηρακλείας ΕΝΤΕΥΘΕΝ ΟΙΚΙΣΘΕΙΣΗΣ ὑπὸ Ταραντίνων, ἐπίνειον αὕτη τῶν Ηρακλεωτῶν ὑπῆρξε. Quae interpres ſic tranſtulit: *Superque eo* (Siri amni) *urbs Trojanæ cognominis: quae poſtmodo, Heracleâ IBI a Tarentinis conditâ, navale Heracleotarum evaſit.* Quaenam vis eſſet particulae ἐντεῦθεν, potuitne ignorare Xylander vir tantus? Et tamen cum ex antiquis male intellectis eam antecepiſſet opinionem, nim. Heracleam non alibi fundatam, quam ubi Siris ſtetiſſet; eam ob cauſam τὸ *Ibi* poſuit loco τῦ INDE. Quare ſic verte: *Quae* (Siris) *poſtmodum, Heracleâ* (futura ſcilicet coloniâ) INDE (ex oppido Siri) *a Tarentinis traductâ, navale ipſa Heracleotarum evaſit*. Atque hoc illud eſt, quod idem geographus poſt non multa ſcripſit, *Sirin* (quo nomine non urbis muros & aedificia, ſed *Siritas* ipſos decet intelligere) *locum ſimul ac nomen mutaſſe* tunc temporis: de quo jam videndum.

Nam hic alter Strabonis locus [ſive potius Antiochi a Strabone in pauca contracti] ut qui nos ſcitu digniſſima doceat, haud temere tranſmittendus eſt. Φησὶ δ' Αντίοχος τὸς Ταραντίνους Θυρίοις καὶ Κλεανδρίᾳ τῷ στρατηγῷ φυγάδι ἐκ Λακεδαίμονος πολεμῆσαι περὶ τῆς Σειρίτιδος, συμβῆναι, καὶ συνοικῆσαι μὲν κοινῇ, τὴν δ' ἀποικίαν κριθῆναι Ταραντίνων· Τ'στερον δ' Ηράκλειαν κληθῆναι, μεταβαλὸντας καὶ τὸνομα καὶ τὸν τόπον. *Antiochus auctor eſt, Tarentinos cum Thuriis, cumque Cleandria Spartano exſule, de Siritide decertantes, pepigiſſe, ut Siris quidem aequo ab utriſque* (Thuriis, Tarentiniſque) *jure incoleretur, verum ea colonia Tarentinorum cenſeretur: at eam poſtremo Heracleam vocatam, cum nomen juxta locumque commutaſſet*. Qui locus maxime illuſtris eſt, non tantum quia Antiochum Syracuſanum illum Herodoto ſupparem auctorem habet, verum etiam quia duas colonias continet, unam *Sirin* (Tarentinis quidem adjudicatam, etſi communiter ex Tarentinis & Thuriis eo coloni ſcripti fuiſſent) *Heracleam* alteram, ex Siritis eo traductis & [quod ſupra ex Diodoro didicimus] ex Tarentinorum ſupplemento compoſitam.

Ergo, ſi verum fateri volumus, Heracleae origo proxima duo-

bus

quitur: ἀλλὰ μετῴκισαν (hoc illud verbum μετοικίζω eſt, quod diximus non eſſe *ſibi ſedem quaeſituros ejicere*, ſed *in deſtinatam coloniam transducere*) μετῴκισαν ταύτην εἰς τὴν περαίαν Ρωμαῖοι, καὶ ἐκ τῆς Τίγγιος προσλαβόντες τινὰς, ἔπεμψαν δὲ καὶ παρ' ἑαυτῶν ἀποίκους, καὶ ὠνόμασαν Ιυλίαν Ιόζαν τὴν πόλιν. *Sed hanc Romani in ulteriorem* (Baeticae) *oram traduxerunt, additiſque a Tingi aliquot, etiam a ſe ipſis alios colonos miſerunt* (tantumdem Tarentini apud Diodorum fecerant) *novam vero illam urbem, IVLIAM IOZAM nominaverunt*: ſive potius *nominari* a traductis *ſiverunt*. Nam quid eam ipſi Romani vocaverint, ex Auguſti, itemque ex Caji & Iulii Caeſarum nummis patet, in quibus ea colonia *IVLia TRADucta* vocatur. At interim quia pleraque illius coloniae pars Poeni h. e. Phoenices erant (vel Mela, qui inde domo fuit, ſic teſtante: *In quam tranſvecti ex Africa Phoenices habitant*) ea de cauſa illi ſeſe hoc vocarunt, quod τῷ TRADVCTA ſermone ſuo reſponderet. Atqui Ιόζα non aliud eſt quam participium יצא i. e. *egreſſa* ſive *traducta*. De hoc nummo videantur Noriſius ad Cenot. Piſana, Vaillantius in coloniis, Harduinus ad Plinium, Cellarius in Hiſpania pag. 91. aliique plures.

Digitized by Google

bus ex populis, nim. ex Siritis univerſis, & ex Tarentinorum ſupplemento, repetitur. Factum id uti diximus Olympiadis LXXXVI. anno IV. At vero quia Siritae ipſi trium fuerant generum [nam, ut ex ultimo Strabonis loco oſtenditur, alii ex priſtinis Siritis habitatoribus erant, alii ex adventitiis colonis partim Tarentinis, partim Thuriis ortum duxerant] ea de cauſa ſi ſubtilius rem, uti par eſt, acceperimus, Heraclienſis colonia Tarentinorum quidem colonia fuit, verum a populo quadruplici incolebatur, nim. a Tarentinis recentibus in ſupplementum miſſis, a Tarentinis Siritis, a Thuriis Siritis, ac poſtremo a priſcis Siritis, quos ſive aborigines, ſive [ſi fabulis credimus] Trojanos excidio ſuperſtites vocare licebit.

CAPVT II.

De Siris oppidi vetuſtiſſimi originibus.

SIRIM cum ego dico, ipſam HERACLEAM, de qua mihi propoſitus in hac Diatriba ſermo fuit, profecto dico. *Siris* enim & *Heraclea* tempore tantum & loco differunt: re minime differunt; quia quae *Siris* primitus dicebatur, eadem ad ultimum mutato loco, dicta *Heraclea* fuit. Ergo tota haec de Siri πραγματεία (*tractatio*) urbis Heracleae origines remotiſſimas continet, eo uſque pertinentes, quamdiu priſtinum *Siris* nomen ſervavit, ad cognominis amnis ripam ſiniſtram ſedens.

SECTIO I.

De SIRIS urbis originibus primis nominibuſque diverſis Lycophronis loca duo afferuntur & explicantur.

POſt Herodotum, qui ſemel tantum *Siris* meminit (cujus locum alibi adſcribam) nihil antiquius ac ſimul locupletius locis duobus Lycophronis reperire potui. Apud quem verſu 856. ſic Caſſandra vaticinatur.

Ἥξει δὲ Σίριν, καὶ Λακινίας μυχούς.
SIRIMque adibit, & Lacinios ſinus.

Lacinios reddidi, monente Stephano: apud quem in Λακίνιον legitur in hoc ipſo verſu Λακίνιους μυχούς: multo ſane rectius quam Λακινίας. Ad hunc verſum Scholiaſtes ſic adnotat: *SIRIS flumen & urbs eſt Italiae*. Veterem Italiae acceptionem more antiquorum & grammaticorum ſequitur. Pergit: *Vrbs autem Siris* (νῦν Πολίειον λέγεται) *nunc POLIIVM dicitur*. Haec ultima mihi videtur Tzetzes ex antiquiſſimis Scholiaſtis, quorum Stephanus (4) & alii meminerunt, mutuatus.

(4) Clemens Alex. in V. Strom. auctor eſt, Lycophronis Caſſandram grammaticis propoſuiſſe palaeſtram, in qua ingenia ſua certatim exercerent. Ex his laudatur in Magno Etymologico *Dection* in Ἥριος, & *Orus* in Ἐλαυία: a Stephano vero in Αἴνεια & Κύτινα citatur *Theon*. Ab Euſtathio ſaepe Lycophronis uti-

tus. Nam aevo Tzetzae illud, *NVNC Polieum vocatur*, non convenit, quando nulla dum ejus urbis vel levia vestigia superabant: quae tamen urbs sub antiquis enarratoribus adhuc stabat. Infra Noster ad v. 978. his contraria affert; quippe de suo ibi nugatur.

At plura his & uberiora vates eadem canit a versu 978.

978. Πολλοὶ δὲ Σῖριν ἀμφί, καὶ Λευταρυίαν
Ἄρουραν οἰκήσασιν, ἔνθα δύσμορος
980. Κάλχας, ὀλύνθων Σισυφεὺς ἀνηρίθμων
Κεῖται, κάραν μάσιγι γογγύλη τυπεὶς,
Ῥείθροισιν ὠκὺς ἔνθα μίρεται Σίνις,
Ἄρδων βαθεῖαν Χωνίας παγκληρίαν.
Πόλιν δ' ὁμοίαν Ἰλίῳ δυσδαίμονες
985. Δείμαντες, ἀλγυνοῦσι Λαφρίαν κόρην,
Σάλπιγγα, δηώσαντες ἐν ναῷ θεᾶς
Τὰς πρόσθ' ἔδεθλον Ξανθίδας ὠκηκότας.
Γλήναις δ' ἄγαλμα ταῖς ἀναιμάκτοις μύσει,
Στυγνὴν Ἀχαιῶν εἰς Ἰάονας βλάβην
990. Λεῦσσον, φόνον τ' ἔμφυλον ἀγραύλων λύκων·
Ὅταν θανὼν λήταρχος, ἱερεῖας σκύλαξ,
Πρῶτος κελαινῷ βωμὸν αἱμάξῃ βρότῳ.

Quae totidem verbis in ima (5) ora habes: nam non plane totidem sunt quae versiculis hîc inclusa subjicimus.

978. *Multique circa Sirin, & Leutarniam,*
Terram incolent: Calchas ubi miser jacet,
Grossorum inire calculum haud satis valens,
Caestuque glandibusque tunsus tempora:
Strepit fluentis quâ fugacibus Sinis,
Gleboſa rura Choniae terrae rigans.
Illi struentes oppidum instar Ilii,
985. *Dolore pectus Laphriae urent Virginis*
Tubicinae, adorti ad ipsum altare numinis
Xuthi nepotes incolas primos loci.
At illa nictans obserabit lumina,
Noscens Achaeos inferentes funera
990. *Ritu lupino Ionibus tribulibus:*
Tunc & minister, ceu catellus flaminae,
Primus nigrante tinguet aram sanguine.

Paucis hisce versibus quidquid in Siris [postea Heracleae] originibus vetustissimum est, continetur: nisi quod poeta tenebricosissimus

ὑπομνηματισταὶ memorantur, sicuti & ejus παράφρασις a Pindari Scholiaste. Tzetzes ipse antiquiores hujus poetae σχολιαστὰς haud raro reprehendit. At saepissime ex iis, etsi minime a se laudatis profecit: quod facile acutis lectoribus licebit animadvertere.

(5) Verba verbis sic licuerit appendere:

978. *Multi vero circa Sirin, & Leutarniam*
Terram habitabunt, ubi Calchas,
980. *Infelix grossorum conjector innumerabilium,*
Jacet, flagello caput rotundo ictus,
Velox fluentis ubi perstrepit Sinis,
Rigans alte gleboſam Choniae universitatem.
Urbem vero similem Ilio miseri
985. *Condentes, dolore afficient Laphriam virginem,*
Tubicinam, mactantes in templo deae
Xuthidas, qui sedes (illas) ante habitaverant.
At simulacrum pupillis incruentis connivebit,
Simul ac tristem Achaeorum in Ionas cladem
990. *Animadvertet, caedemque congenerem agrestium*
luporum:
Quando moriens flamen, antistitae catulus,
Primus nigro cruentabit aram sanguine.

Digitized by Google

mus enecat, dum ſepiae in modum ſpargit atramentum, ne capiatur: adeo non tam ſuopte ingenio obſcurus, quam latendi ſtudio importunus eſt, ut ego interpretor; putavit enim hanc ſtyli effigiem vaticiniis convenire. Eo fit, ut non ingratum fore lectori putem, ſi ſingula breviter enodare ſatagam, ut quaeque remorari lectorem poſſunt. Ante omnia autem Scholiaſtae verba ad verſum 987. itemque Strabonis adſcribam; ex iis enim interpretatio hujus univerſae vaticinationis pendet. Ergo Scholiaſtes ad v. 987. ſic commentatur. *Iones* (ſive *Athenienſes*, quia Athenienſes ἀνίκαθεν Iones fuerunt) *ante Troica tempora profecti in Italiam* [antique dictam, quae poſtea Magna Graecia fuit] *circa Sirim habitaverunt. Poſt autem Iliacam vaſtitatem cum & Trojani in Italiam profugiſſent, Crotoniatae* [*quos Poeta Achaeos vocat*] *profugis hiſce Trojanis laturi ſuppetias, junctim cum his bellum in Sirim parant: quo bello Ionas omnes* [primos Siris colonos] *ad Minervae templum confugientes contrucidarunt: cum quibus etiam antiſtitae Minervae filium, nomine Letarchum, muliebri ornatu amictum ſuſtulerunt: quibus Minerva* [h. e. Minervae ſimulacrum] *irata oculos occluſit, ne videret.* Haec ibi Tzetzes appoſite ad Poetae mentem ex aliquo antiquiore ſcholiaſte adnotat.

At Strabo lib. VI. rem aliter narrans, unde ſua deprompſerit, haud liquet. Is ubi ad amnem Sirim, *Urbem amni cognominem* [6] *origine vero Trojanam* recenſuiſſet; cur Trojanam vocarit, his verbis oſtendit: *Trojanae vero coloniae indicium afferunt Minervae Iliadis ſimulacrum ibi dedicatum: quod elauſiſſe oculos fabulantur, cum Iones* [advenae] *urbe capta* [colonos priores] *ſupplices ab eo ſimulacro avellerent.* Scholiaſtes cum ſuo poetâ Ionas primos fuiſſe colonos, tradiderat, eosdemque a Crotoniatis & Trojanis ad Minervae aram trucidatos: quibus contraria docet Geographus: qui ſic pergit: *Hos enim* [Ionas] *ſupervenuiſſe ad habitandum ferunt, cum Lydorum imperium fugerent, & vi urbem cepiſſe* (ἀντοχθόνον ἔσται: at in MSS. Χώρων) *a Chonibus habitatam, eamque vocaſſe Polijum: ſed & hodieque monſtrari connivens ſimulacrum.* Haec ibi affert contraria Lycophroni.

Age vero curſim luſtremus Poetae verſus. Ac principio v. 978. Πολλοὶ illi, quos circa Sirim & Leutarniam habitaturos ait, Trojani ſunt; quia ab his eisdem poſtea pollutum Ionum (priorum ſcilicet incolarum) caede ſimulacrum canit. De *Siris* & *Leutarniae* nominibus infra commentabimur.

Ad v. 980. De Calchante iſto obtundit plane ſcholiaſtes. Calchanti praedictum fuerat, tunc moriturum, cum in vaticinando inferior deprehenſus fuiſſet: id quod in caprifico accidit, nec enim divinando aſſequi valuit, quot ea groſſos gereret. *Flagellum rotundum* illud (μάστιγι γογγύλῃ poeta ſcripſit) quo ictus occubuit, non aliud mihi forſan videtur quam caeſtus glandibus armatus; aut [ſi quidem cum Scholiaſte vatem hunc ab Hercule percuſſum ſtatuas] clava teres Herculea fuerit. Accuſat porro Poetam Scholiaſtes, quod

ab

(6) Graece ſic auctor: ἀφ' ἧς πόλις ἦν ὁμώνυμος, *perque eo* (amni) *urbs Trojanae cognominis*; quippe Τρωϊκή. Vbi cave interpreti credas ſic vertenti: *Sa- Τρωϊκῇ* legit. At vertendum fuit, ut ſupra poſui.

Digitized by Google

ab Hercule [qui longe antiquior fuit] Calchantem occiſum canat : etſi, ut animadvertit Canterus, nuſquam id Lycophroni excidit. Σισυφεὺς idem quod aſtutus, catus, prudens; ex eo quod Siſyphus vater ac ſapiens fuerit. Hîc tamen quia ad divinationem refertur, *conjectorem*, puto, ſignificat. Et quia Calchantem tunc ars μαντικὴ defecit; idcirco illud δώμορος ad Σισυφεὺς retuli. *Infelix groſſorum conjector.*

Ad v. 982. Valde notandum eſt, Poetam qui ſupra v. 856. & 978. Σῖρις ſcripſerat, hîc mutatâ liquidâ, Σῖνις poſuiſſe. Nec audiendi ſunt, qui vulgo heic quoque Σῖρις reponunt, reclamantibus ſcriptis. Nam in Σῖρις prior producitur, in Σῖνις corripitur. Atque equidem ſic ſtatuo, hujus fluminis nomen dupliciter fuiſſe ſcriptum : id quod in locorum nominibus fuiſſe uſitatiſſimum, ex nummis, lapidibus & ex ſcriptoribus conſtat. At διττολογουμένων conſuetudinem parum viri docti attendentes, ut quiſque antiquorum a trita ſcribendi ratione recedit, hunc ſtatim non tam corrigunt, quam corrumpunt. Ceterum hunc amnem antiquitus non tantum cum R, ſed & cum N fuiſſe notatum, fidem facit hodierna ἐπιχλησία, qua vulgo hodie *Lo Sinno* vocatur. Nec aliter olim circa Theodoſii tempora ſcribebatur, quandoquidem in Peutingeri Tabula hoc ordine loca recenſentur : *Turis* . . . *Semnum* . . . *Heraclea* IIII. Vbi ex numero IIII. oſtenditur *Semnum* non aliud eſſe quam *Sinim* fluvium (oppidum enim ejusdem nominis tunc non ſtetiſſe videtur) qui ab Heraclea quatuor milliaribus aberat. Poſtremo, ut ad Lycophronem redeam, iſtud Σῖνις poeta noſter ſi non aliunde, certe ex vulgari accolarum appellatione, quae jam tum trecentis ferme ante Chriſtum annis in uſu populari erat, didiciſſe videtur. Nec enim dubito, quin diu multumque in his locis verſatus Lycophron fuerit; quippe qui Lyci (7) Rhegini filius adoptione fuerit. Ac certe hanc regionem ab eo luſtratam fuiſſe univerſam, frequens & accurata locorum deſcriptio oſtendit.

Ad v. 983. παγχληρία eſt as totus hereditarius : at in re agraria non aliud mihi videtur eſſe, quam quod agrariae rei ſcriptores *Perticam* aut *Vniverſitatem* vocant; quo ipſe vocabulo in interpretatione proſaica ſum uſus. Ergo quia *Choniae* παγχληρία ſive agri univerſitas, ſi poetae credimus, amni Siri irrigabatur; Siritide tantum regione olim Chonia continebatur. Verum de his infra, ubi de *Chonia* copioſe. Ibi & *Chones* ab Hercule, vel potius a Saturno ſic dictos oſtendam.

Ad v. 985. Minerva etiam ſup. v. 356. λαφρία vocatur. Λάφρια vero quaſi λαφυρία, a ſpoliis hoſtium dicta fuit, quippe bellatrix. Hinc quoque eadem Σάλπιγξ (*tuba*) verſu ſequente appellatur, quia tubarum inventrix, uti quidam arbitrantur. At Scholiaſtes ad v. 915. [ubi itidem Σάλπιγξ Minerva nuncupatur] ſic poſuit : Σάλπιγξ καὶ πολεμικὴ (*Tuba i. e. bellica*) nam quia tubâ bellum ſignificatur, tantumdem fuit *Tubam* aut *Tubicinam* hanc deam vocare quod *Bellicam*. Ac fortaſſe in hoc Pal-

(7) Auctor Suidas in Λύκος ſic ſcribens : *Lycus, qui & (Βυθήρας) Butheras Rheginus, hiſtoricus, pater Lycophronis tragici*. Ceterum non naturâ ſed adoptione patrem exſtitiſſe, idem dicit in Λυκόφρων. *Lycophron*, inquit, *Chalcidenſis ex Euboea, filius Socis, (θέσει δὲ Λύκου τοῦ Ρηγίνου) adoptione vero Lyci Rhegini*. Hinc fuiſſe olim aliud Poetae nomen, idque poſt adoptionem ita fuiſſe immutatum, ut a Lyco patre *Lycophron* vocaretur, non inepta virorum eruditorum conjectura fuit.

Digitized by Google

Palladis nomine latet retrusius aliquid, quod ad *Siris* & *Leutarniae* significatûs ex Oriente petitos [de quibus infra dicam] alludat.

Ad v. 987. non Ξυθίδος (uti passim in scriptis & editis scribitur) sed Ξυθίδας fuisse legendum, Canterus ex egregia emendatione J. Aurati monuit. *Xuthidae* non alii sunt, quam Iones, ita dicti, quod Ion filius Xuthi fuerit.

Ad v. 990. Quod Achaei *Lupi* vocantur, & quod v. seq. antistitae filius dicatur *Catulus*, id perpetuum huic poetae est: cui verbi causa feminae, *juvencae* aut *columbae*, viri bellicosi, *leones* aut *accipitres*, similiumque animalium nominibus vocantur. Exempla quibusvis paginis occurrunt. Est vero hoc ex temporum heroicorum phraseologia studio a Poeta petitum, uti constat non tantum ex Pindaro aliisque antiquis, verum etiam ex Sacrae Scripturae libris poeticis, ex Prophetis, ac praecipue ex Jacobeis vaticiniis.

Ad v. 991. λήταρχος, ut admonet scholiastes, est *publicus* sacerdos; nam λήιτον idem quod δημόσιον *publicum*. Idem addit, id ὄνομα κύριον [*proprium nomen*] antistitae filio esse potuisse.

SECTIO II.

Quatuor urbis hujus vices, partim jam intellectae, partim alibi mox explicandae, uno sub aspectu ponuntur.

I. AEtas prima ad initia pertinet urbis Siris ab *Ionibus* (ii sunt Noae nepotes per *Javan*, qui Graecis *Ion* audit, Japheti filium) conditae diu ante Troica tempora. Nec enim Strabonem audio, qui Trojanis primum coloniae hujus conditum tribuit (ecquem secutus, incertum) sed Lycophronem Lyci Rhegini filium, quem necesse est diu in his locis fuisse versatum.

II. Altera ad id tempus refertur, quo Trojani post patriae cladem profugi, junctim cum Crotoniatis h. e. Achaeis, urbem occuparunt, trucidatis Ionibus. Hanc totam historiam sect. superiore a Lycophrone descriptam & a nobis explicatam habes.

III. At vero conversio tertia plena est spissae caliginis, eaque brevissimi temporis, illius scilicet quo Thurii cum Tarentinis post Olympiadem LXXXIII. in commune Sirim incoluerunt, sed ita ut rerum summa penes Tarentinos esset. Hanc ferme duodennalem administrarionem cap. seq. sect. 3. declarabimus: ad id enim tempus illa nondum intellecta *Tarantis* & *Heraclii* nomina referam.

IV. Vltima conversio ea fuit, qua Siritae, quotquot fuere omnes, junctim cum supplemento Tarentinorum, ad dextram Aciris ripam migrare jussi, urbem Heracleam tunc temporis a Tarentinis conditam incoluerunt. De hac migratione cap. I. diximus. Ab eo tempore Siris illa, qua vix aliud antiquius oppidum ostendi potest, mansit quidem, sed ita ut in navale cederet Heracleensibus.

CA-

Digitized by Google

CAPVT III.

De diverſis diverſo tempore tum Siris urbis, tum circumjectae regionis nominibus.

HUjus urbis nomina fuere aliis temporibus alia: *Chone*, *Siris*, *Leutarnia*, *Poliium*, *Sigium*, *Taras*, *Heraclium:* donec ad dextram Aciris ripam translata gens univerſa, ſtabile ſibi Ηραακλείας *Heracleae* nomen adſcivit. Ac ſane nihil difficilius quam temporis ordinem hiſce aſſignare nominibus, praeſertim cum de antiquitatis ordine inter veteres ſit magna diſſenſio. Verum ordo nominum a colonorum antiquitate, ni fallor, pendet. Nos cap. ſuperiore ſecuti Lycophronem horum locorum apprime gnarum, ac Strabone tantiſper valere juſſo, Ionas primos habitatores huic oppido dedimus: deinde poſt Trojae excidium Trojanos cum Crotoniatis genere Achaeis: poſtremo Tarentinos junctim cum Thuriis. Itaque Ionibus nomina *Chones*, *Leutarniae* & *Siris*, tribuemus: Trojanis *Polieï* & *Sigei*: Tarentinis *Tarantis* & *Heraclii* appellationes ceu auctoribus vindicabimus.

SECTIO I.

De CHONE deque SIRI & LEVTARNIA.

ANtiquiſſimum omnium hujus urbis vocabulum non aliud mihi videtur fuiſſe, quam Χώνη *Chone*: cujus incolae Χῶνες vocabantur. De hoc vero nomine commodior mihi dicendi locus erit extremâ ſect. IV. de ejusdem autem veriloquio ſect. V. diſputabitur.

Siris & *Leutarniae* nomina jungimus, quippe quae junctim a Lycophrone producuntur v. 978.

Πολλοὶ δὲ Σῖριν ἀμφὶ καὶ Λευταρνίαν
Ἄρουραν οἰκήσουσιν.
Multique circa SIRIN & LEVTARNIAM
Terram incolent.

Ad quem verſum confer dicta cap. ſuperiore. Et quidem haec duo vocabula urbis unius aut duarum, non regionum hîc eſſe nomina, oſtendit particula ἀμφί. Nam ſi regiones eſſent, inepte dixiſſet, *Incolent agros, qui ſunt circa hanc illamve regionem*, ſed potius *Qui ſunt in regione illa*: at contra ſi urbes intellexerit, recte *Circa illas urbes* uſurpaſſe reperietur. Ad haec *Sirin* oppidi nomen fuiſſe, nemo dubitat [cui circumjecta regio Σιρῖτις *Siritis* vocabatur] pari modo igitur etiam *Leutarniam* urbem fuiſſe neceſſe erit.

At cave credas ſic quaſi duarum nomina urbium haec eſſe accipienda; cum potius unius ejusdemque duo ſint nomina diverſis temporibus uſurpata. Quamquam diverſa ſunt ſono nomina, non ſignificatu. Nam utrumque vocabulum orientali ſermone *Canticum* ſignificat. Ergo quod in Tyrrhenicis originibus oſtenſum fuit, locis plurimis

diver-

Digitized by Google

diversa fuisse eodem significatu nomina [id quod & in Collectaneis in fine hujus operis de *Paesto*, *Posidonia*, & *Neptunia*, tribus ejusdem urbis synonymis vocabulis, itemque in locis aliis demonstrabitur] hoc idem & in hac urbe antiquissima valet: quae ante quidem cladem Iliacam vocata mihi videtur *Leutarnia* a primis colonis, quos Lycophron *Ionas* vocat Ionis posteros, nos autem *Javanitas* [8] dixerimus, *Javanis*, sive [si cum aliis vocalibus legas] *Ionis* nepotes, statim a communi διασπορᾷ huc profectos. At successu temporis sive iidem primitivi Iones, sive Iones novi in tribulium suorum coloniam sese adjungentes, eam transnominavere *Sirin*, eodem quidem significatu, sed dialecto diversâ. Ac de horum biga nominum vide etymologias in ima [9] ora subjectas.

SECTIO II.
De POLIIO ac de SIGEO.

I. SIrim nemo dubitat a Minerva *Poliade* sibi POLIEII nomen peperisse. Vide Stephanum in *Siris*. Cumque *Poliadis* Minervae cultus Athenis [10] maxime viguerit, & Athenienses ὠνέκαθεν Iones fuerint; non temere suspicabar, hoc Siri nomen ab ipsis Ionibus fuisse inditum, non quidem ab initio, quando Iones illi primitivi orientalem dialectum usurpabant, verum ab eorum nepotibus, postquam apud eos Ἰὰς διάλεκτος [*Ionica lingua* sive Graeca] paullatim formari coepit. Adde quod Iones videntur Minervam Poliadem primi in urbe Siri dedicasse. Quod inde ostenditur, quod Crotoniatis ac Trojanis Sirim irrumpentibus, Iones primi urbis incolae ad Minervae (nempe illius Poliadis) simulacrum confugerint, ibique connivente deâ mactati fuerint, uti cap. superiore ex Lycophrone animadvertimus. Postremo auctor Admirandor. Polieei nomen Ionibus colonis & eorumdem temporibus assignat: vide sect. seq.

Tamen uti Trojanis potius auctoribus id nominis tribuatur, Stephanus in Σίρις suadet. Μετωνομάσθη δὲ καὶ Πολίειον ἀπὸ τῆς ἐν Ἰλίῳ Πολιάδος Ἀθηνᾶς. *Vocata etiam Poliium fuit a Minerva Poliade quae in Ilio erat.* Suadet etiam Lycophronis scholiastes, quem mox, ubi de *Sigeo*, proferam. At Strabo lib. VI. ubi de Siri, contraria loquitur: Τῆς δὲ τῶν Τρώων κατοικίας τεκμήριον ποιοῦνται τὸ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Ἰλιάδος ξόανον ἱδρύμενον αὐτόθι. *Quod vero* [Siris] *a Trojanis inhabitata fuerit, ex eo indicium faciunt,*

quod

(8) Ex *Javan* scil. cui Gen. X. 2. *Japheth* pater, *Noe* avus fuisse scribitur. Porro vox Hebraica *Javan* si cum diversis vocalibus scribatur, *Ion* evadet (qua mutatione vocalium nihil est apud hebraice peritos tritius) ille inquam *Ion*, a quo *Ionum* propago apud profanos scriptores manavit.

(9) Vox *Siris* haud dubie est a שיר *Shir*, quod Hebraice, & in cognatis dialectis est *Canticum*, & ad quaslibet cantiones, celebritates atque festivitates pertinet. Hinc & *Sirenibus* nomen fuit.

Nec secus vox *Leutarnia* est a verbo Syro לטרד *Latrad*, quod est *canere* & *celebrare*: ex quo fit לוטרדא *Leutrada*, i. e. *Encomium*, *Paean*, & quodlibet jubili, ovatûsque genus. Ex *Leutrada* isto, paucis in fine mutatis, ortum est *Leutarnia* nostrum.

(10) Meminit *Poliadis* Athenienssium Herodotus Musa V. 82. ubi Epidaurii ea lege oleas ab Athenienssibus impetrant, ἐπ' ᾧ ἀπάξουσι ἔτεος ἑκάστου τῇ Ἀθηναίῃ τε τῇ Πολιάδι ἱρὰ . . . *Si sacra afferrent quotannis tum Minervae Poliadi, tum Erechtheo.* Eadem & Πολιὰς θεὰ & absolute Πολιὰς vocabatur. Lucianus in Lapith. ὠμοσα κατὰ τῆς Πολιάδος.

Digitized by Google

quod ibi Minervae Iliadis ſimulacrum dedicatum exſtiterit. Hactenus videbatur Trojanis dedicationem *Deae Poliadis* tribuiſſe, quia Stephano teſte Minerva Iliaca, eadem & *Polias* fuit. Tamen in iis quae mox addit, ab Ionibus urbem *Polieum* vocatam diſerte teſtatur. Sic enim apud eum ſtatim ſequitur: *Quod* [ſimulacrum] *conniviſſe ferunt eum ab Ionibus urbe capta, ſupplices* [a ſimulacro] *avellerentur, Ionas enim iſtos eo colonos perveniſſe, cum Lydorum imperium fugerent, urbemque, quae Chonum fuerat, vi cepiſſe, eamque Polieum nuncupaſſe*. Sed facile ſecum ipſe Geographus conciliabitur, ſi Poliadem quidem Trojani advexerint, Iones vero [quos poſteriores Trojanis facit] a *Poliade* illa urbem *Polieon* vocarint. At equidem a Trojanis, an ab Ionibus inditum hoc Siri nomen fuerit, aliis judicandum relinquo.

Minervae Poliadis ſimulacrum, quod Siri colebatur, aut ipſum, aut quam ſimillimum poſtea Heracleae fuit, uti conſtabit ex aenea noſtra Heracleenſi tabella altera, in cujus principio ΑΘΑΝΑ ΠΟΛΙΑΔΙ legitur. Minerva porro non aliunde πολιὰς dicebatur, quam quia ſervatrix atque cuſtos πόλιος i. e. urbis eſſet, quae & πολιοῦχος vocabatur.

II. Inter cetera nomina, teſte Auctore Admirandorum mox producendo, Σίγειον *Sigeum* etiam, vocata fuit: quod tum accidit, quando Trojani extorres hanc urbem, ejectis aut etiam mactatis incolis, occupaverunt. *Sigeum* fuit Troadis promontorium: ac nemo ignorat, conſueviſſe antiquos illos μετοίκους [*tranſmigratores*] eadem nomina novis locis imponere, quae in ſuis patriis reliquiſſent. Scholiaſtes ad Lycophronis v. 978. Σῖρις καὶ Λευταρνία, πόλεις Ἰταλίας &c. *Siris & Leutarnia urbes Italiae ſunt, ubi profugorum ex Ilio reliquiae habitaverunt, ibique omnia ad Trojae imitationem fecerunt, urbemque Trojae ſimilem condiderunt: quae principio* (Πολίειον) *Poliium vocabatur, poſtea* (Ηρακλέειον) *Heraclium, deinde* (Σῖρις) *Siris*. De *Sigei* nomine tacet, cujus teſtem luculentiorem Ariſtotelem, ſive quisquis eſt, Sect. ſeq. dabimus: ſed tamen hoc ipſo, quod omnia ad Trojae imaginem facta docet, de *Sigei* nomenclatione fidem facit. In ordine appellationum tradendo portentoſa in hoc Scholiaſte ſunt ὕστερα πρότερα: quam perturbationem nos & ex nominum natura, & ex incolarum ſucceſſione, nec non ex auctoribus melioribus ſuſtulimus refinximuſque.

SECTIO III.

De TARANTIS & HERACLII nominibus communi Tarentinorum ac Thuriorum coloniae inditis.

DE communi iſta colonia, quam propoſui, prius commentabimur: cui mox ſua hactenus incomperta nomina vindicabimus.

I.

De Tarentinis Thuriiſque Sirim communiter incolentibus ejuſque coloniae tempore.

Strabo lib. VI. ex Antiocho mutivit potius de hac colonia quam elocutus fuit verbis iis, quae cap. I. adduximus, nunc vero etiam ite-

Digitized by Google

iterabimus. *Antiochus auctor eſt Tarentinos cum Thuriis & Cleandria imperatore, qui Sparta exſulabat* (πολεμῶντας περὶ τῆς Σειρίτιδος, συμβῆναι, καὶ συνοικῆσαι μὲν κοινῇ, τὴν δ' ἀποικίαν κριθῆναι Ταραντίνων) *de Siritide regione bellum gerentes, his pactis conventis pacificatos, ut ab utriſque communiter incoleretur, Tarentini tamen juris ea cenſeretur colonia: hanc vero poſtea Heracleam vocatam, poſtquam ſcilicet mutato loco, ſimul permutavit & nomen.* Hujus loci totius genuinam ſententiam, vulgo perverſe intellectam, cap. I. jam declaravimus. Hic vero plura adhuc inferne damus, quibus quam ob cauſam Thurii [11] de condenda Siri tantopere contenderint, detegatur veriſſima ratio: adhaec quis iſte dux [12] Cleandrias fuerit, cujus modo Antiochus meminit.

(11) *Quae cauſa Thuriis fuerit, cur de acquirenda Siri laboraverint.*

Cum Thurios ego dico, profecto Athenienſes dico; nam qui Thuriam coloniam condiderunt, ii Athenienſes fuerunt. Atqui jamdiu Athenienſes ad Sirim condendam conſilia verterant, oraculo ad id excitati. Teſtis ejus hiſtoriae Herodotus VIII. 62. quo loco Themiſtoclem ita cum Eurybiade Graecorum adverſus Xerxem duce agentem inducit: *εἰ δὲ ταῦτα μὴ ποιήσεις, ἡμεῖς μὲν ὡς ἔχομεν, ἀναλαβόντες τοὺς οἰκέτας, κομιούμεθα ἐς Σῖριν τὴν ἐν Ἰταλίῃ, ἥπερ ἡμετέρη τέ ἐστι ἐκ παλαιοῦ ἔτι, καὶ τὰ λόγια λέγει, ὑφ' ἡμέων αὐτῶν δέειν κτισθῆναι. Niſi vero hoc feceris* (quod ſuadeo: ſuadebat autem Themiſtocles, ne ad Iſthmum, ſed potius ad inſulam Salaminem cum Rege dimicaretur) *nos e veſtigio receptis domeſticis, ad Sirim quae in Italia eſt* (hoc ultimum addit diſcriminis cauſa; quia altera fuit in Paeonia Siris, cujus idem Herodotus eod. lib. VIII. c. 115. meminit) *ad Sirim*, inquit, *quae eſt in Italia proficiſcemur: quae & noſtra ab antiquo eſt* (recte hoc ait, quia Siris, ut cap. 2. & 3. oſtendimus, Ionum diu fuit: Athenienſes autem iidem qui Iones erant) *& oracula monent, a nobis ipſis eam condi oportere.* Haec vero Themiſtocles orabat ſub ipſam Salaminiam pugnam, quae Olympiadis LXXV. anno I. commiſſa fuit, octava ferme Olympiade, antequam Siris a Thuriis ſimul ac Tarentinis incoleretur.

Ex his vides, ubi ad Sybarim condendam (quae poſtea *Thuria* eſt appellata) invitati Athenienſes fuerunt, hos libenter id in ſe recepiſſe, nimirum eo conſilio, ut Sybarim adepti, ſtatim poſtea ex vicino Sirim invaderent. Id quod accidit. Verum haec juvabit ex Thuriae Coloniae conditu, prout a Diodoro lib. XII. refertur, illuſtriora facere. *Sybaritae*, inquit, *qui ſecundo jam e patria exacti profugerant, miſſis legatis in Graeciam, a Spartanis & ab Athenienſibus petierunt, ut ſui reditûs adjutores, & coloniae participes eſſe vellent. Lacedaemoniis petitionem illorum non admittentibus, contra Athenienſes decretis auxiliis, naves decem hominibus onuſtas Sybarim mittunt: quarum Lampon & Xenocritus praefecti fuerunt. Adhaec & praeconibus circa urbes Peloponneſi miſſis, denuntiant, liberam ſe facere omnibus copiam, quicumque ſe novae coloniae aggregare vellent. Numerus voluntariorum haud exiguus dedere nomen.* Ceteris recitandis ſupersedeo. Unum ex his voluntariis Herodotum Muſarum ſcriptorem fuiſſe ſciebamus. At ex eodem quoque numero haud dubie Cleandrides Spartanus fuit ille, de quo Adnotat. ſequent. dicam: qui repetundarum reus in exſilium actus, libenter in hanc coloniam (quae cur *Thuria* a fonte quodam dicta fuerit, a Diodoro expoſitum habes) profectus eſt. Exſulum in colonias proficiſcentium exempla ſunt ubique obvia. Cur enim eam occaſionem negligerent, quibus, amiſſâ patriâ nihil optatius eſſe poterat, quam patriam nanciſci novam, in qua praeſertim & agros ſortito acciperent, &, ſi quidem viri ſtrenui eſſent, etiam honoribus augerentur. Id quod huic Cleandridae ſive Cleandriae evenit. Nam Thuriis (h. e. Athenienſibus) in jamdiu praeconceptam Siritidem coloniam profecturis adjunxit ſeſe Cleandrides, facile dux eis belli cum Tarentinis gerendi, mox & coloniae, datus. Fuit enim, excepta avaritia, ſtrenuus ceteroqui dux Cleandrides, quantum ex Plutarcho diſcimus.

(12) Mihi videtur plane idem ille fuiſſe Spartanus *Cleandrides* Gylippi pater, qui avaritiae vitio laborans, exſilio ſolum vertit: cujus meminit Plutarchus, tum in Pericle p. 164. (his verbis: *ὑφ' ἧς καὶ αὐτὸς αἰσχρῶς ἐπὶ κακοῖς ἔργοις ἁλὼς, ἐξέπεσε τῆς Σπάρτης; Cujus* (avaritiae) *impulſu, compertus foedorum facinorum, ejectus Sparta fuit*) tum etiam in extrema Niciae vita, ubi Gylippi ſordes, tamquam vitium paternum deteſtans, ſubjicit: *ὑφ' ᾧ καὶ Κλεανδρίδης ὁ πατὴρ αὐτοῦ δώρων ἁλὼς ἔφυγε, ob quod vitium etiam Cleandrides pater ejus repetundarum damnatus, exſilii cauſa ſolum vertit.* Sed & tempora apte congruunt. Nam ſi a Gylippi temporibus (qui Lyſandro duci notiſſimo aequalis fuit) retro tot annos numeres, quot ſolet pater antecedere filio; fane in id tempus incides, quod inter Olympiadem 83. & 86. h. e. inter deductam Thurios coloniam, interque Siritas in Heracleam ad Aciris ripam traductos, medium fuit. Nec, quia in ſcriptione nominis paullum eſt diſcidii, continuo ſive Antiochus a Strabone laudatus ex Plutarcho, aut hic ex illo emendandus eſt. Sunt plurima in hominum locorumque vocabulis διττολογούμενα, quorum varietas, locorum temporumque diverſitati eſt adſcribenda. Ceterum ſi tempora, patriam, exſilium reputes; haud dubie Antiochi Cleandrias non eſt alius quam Plutarchi Cleandrides.

Accedit illud quoque, quod qui exſulare a patria cogebantur, ii aut ab ipſa patria ad deducendam coloniam mittebantur (ut cap. ſeq. de Phalantho & Partheniis exſulibus ad deducendam coloniam miſſis dicam) aut certe conſulebant ipſi ſibi, ac ſicubi de colonia deducendâ conſilia caperentur, nomina ſua dabant. Vide Adnot. ſuperior. Itaque cum ab Athenienſibus edictum fuiſſet, ut qui ad coloniam Thuriam vellent dare nomen praeſto eſſent; libens ſeſe adjunxit colonis Athenienſibus.

Hic idem vero Cleandrides, ubi adverſus Tarentinos copias Thuriorum duxiſſet, videtur poſtea finito bello Thuriis iſtis, qui ad coloniam cum Tarentinis incolendam dedere nomina, ſe ducem praebuiſſe. Nam cum duo populi in unam coibant coloniam,

Digitized by Google

Duas autem hîc unius coloniae vices ab Antiocho, qui tempore eopte floruit, deſcriptas vides: brevem unam, quando ad Sirim coloniam incolendam unâ Thurii ac Tarentini coiverunt, cum eo tamen ut ſumma poteſtas penes Tarentinos eſſet: alteram, quando Tarentini oppidum ad dextram Aciris ripam condiderunt, in quod Siritas omnes [h. e. Thurios, Tarentinoſque Siris incolas] addito inſuper novo Tarentinorum ſupplemento, commigrare juſſerunt, oppido vero illi *Heracleae* nomen indiderunt. Poſterioris coloniae initium cum Olympiadis LXXXVI. anno quarto concurrere (quo Diodorus Heracleam quae ad Acirim eſt, conditam docuit) oſtendimus cap. I. At prioris coloniae, ex Thuriis atque Tarentinis conflatae, exordium Thuriis ipſis non potuit eſſe vetuſtius. Coloniam autem Thurios ab Athenienſibus fuiſſe deductam conſtat Olympiadis LXXXIII. anno tertio: cui coloniae, ut ante dixi, ſocium ſeſe Herodotus, quamvis domo Halicarnaſſenſis, praebuit. Ergo coloniae hujus Siritidis, ex Thuriis ac Tarentinis, permixtae tempus inter utramque deductionem [Thuriam ſcilicet & Heracleenſem] intermedium fuit. Cumque inter utrumque terminum anni non amplius tredecim interceſſerint; ejus permixtae coloniae brevitas ingens fuit, annos tredecim non excedens, vel ſi a Thuriorum conditu numeretur.

Ad hoc vero duodennale coloniae a duobus permixte populis habitatae tempus pertinent duo, de quibus acturi ſumus, *Tarantis* & *Heraclii* nomina. Sane quidem inter pacta conventa fuit, ut rerum ſumma Tarentinis adjudicaretur. Ergo non aliis quam Tarentinis, quibus coloniam adjudicari placuit, & nomen imponere jus faſque fuit: niſi ſi vero parti alteri cauta fuiſſet ὀνομαθεσία (*impoſitio nominis*) de quo vide quae in ima [13] pagella adnotamus. Ergo quia pleno jure colonia Tarentinis adjudicata fuerat, ne exceptâ quidem ὀνομαθεσία; *Tarantis* nomen ex more recepto imponi debuit. Imo cum videretur pertimeſcendum, ne quo tempore, conventorum intercidente memoria, ad ſe aliquid Thurii de adminiſtratione ſumma traherent; id praecavere Tarentinis curae fuit, dum duo impoſuere nomina, quorum utrumque Tarentinorum jus ſummum oſtenderet. De Tarante confeſſa res eſt. At etiam Ηραχλεῖον (*Heraclium*) Tarentinam dominationem prae ſe ferebat. Nam quia Tarentini genere Lacones erant, & ad Heraclidas genus ſuum referebant; idcirco hoc potiſſimum nomine ſuum jus in eam coloniam oſtentare voluerunt. Age vero

niam, utrique dux ſuus erat: id quod ſexcentis exemplis oſtendi poteſt. Nec abnuerim, eumdem Cleandridem, reditu in patriam (de quo nihil uſquam proditur) deſperato, ſive in hac paucorum annorum colonia diem ſuum obiiſſe, ſive cum Siritis Olympiade 86. extremâ ad Aciris ripam traductis una commigraſſe, & Heracleae vita functum. Niſi ſi quid forte aliud oſtendatur.

(13) In Cumarum Campaniae noſtrae conditu vetuſtiſſimum exemplum traditur duorum populorum in unam ἀποικίαν coeuntium, quorum uni colonia adjudicata fuit, alteri nominis impoſitio. Nam cum ex una Euboea inſula Cumaei & Chalcidenſes, Hippocle Cumaeo nec non Megaſthene Chalcidenſi ducibus, ad condendam coloniam profecti fuiſſent; Cumas in ora Campaniae condiderunt, ut ait Strabo lib. V. apud quem ſic ſequitur: *Inter eos convenerat* (τῶν μὲν ἀποικίαν εἶναι, τῶν δὲ τὴν ἐπωνυμίαν) *ut juris alterius populi colonia eſſet* (hoc illud eſt κριθῆναι, quod in recitato Strabonis loco de Tarentinis legitur) *alter nomen imponeret: unde urbs nunc Cuma appellatur: condita autem a Chalcidenſibus exiſtimatur*. Idem paullo ſuperius *Omnium Siculorum & Italiotidum coloniarum antiquiſſimam* Cumam vocat. Haec igitur colonia quia ita Chalcidenſibus decreta fuerat, ut ἐπωνυμία Cumanis exciperetur, ita prorſus eſt obſervatum. At ubi Tarentinis ſine exceptione colonia eſt adjudicata, penes eosdem & ὀνομαθεσία manſit.

Digitized by Google

vero utriuſque nominis teſtes in medium producamus.

II.

De TARANTE: cujus nominis teſtis Auctor Admirandorum profertur: qui locus multo, quam ante fuerat, illuſtrior redditur.

Auctor θαυμασίων ἀκουσμάτων (*mirabilium auſcultationum*) diu Ariſtoteli tributus: quem tamen alterius [14] ſane elegantis & antiqui ſcriptoris eſſe volunt, ſic narrat. Ἐν Τάραντι ἐναγίζειν κατά τινας χρόνους φασὶν Ατρείδαις καὶ Τυδείδαις καὶ Αἰακίδαις καὶ Λαερτιάδαις· καὶ Αγαμεμνονίδαις δὲ χωρὶς θυσίαν ἐπιτελεῖν ἐν ἄλλῃ ἡμέρᾳ ἰδίᾳ, ἐν ᾗ νόμιμον εἶναι ταῖς γυναιξὶ μὴ γεύσασθαι τῶν ἐκείνοις θυομένων. Ἔστι δὲ καὶ Αχιλλέως νεὼς παρ' αὐτοῖς. Λέγεται (15) δὲ μετὰ τὸ παραλαβεῖν (16) τοὺς Ταραντίνους, Ηράκλειαν τὸν τόπον καλεῖσθαι, ὃν νῦν κατοικοῦσιν· ἐν δὲ τοῖς ἄνω χρόνοις τῶν Ιώνων (17) κατεχόντων, Πλεῖον (cor. Πολίειον) ἔτι δὲ ἐκείνων ἔμπροσθεν ὑπὸ τῶν πρώτων κατιχόντων αὐτὴν Σίγειον ὠνομάσθαι. *Tarenti* (ſive *Tarante*) *certis temporibus parentari perhibent Atridis & Tydidis & Aeacidis & Laertiadis: Agamemnonidis vero ſeorſum die alio peculiariter ſacrificari, quo ſacrificio mulieribus immolata tangere, lege interdictum. Eſt & Achillis apud eos templum. Ferunt autem, poſtquam* (in alium locum) *aſſumerentur a Tarentinis, eam quam nunc habitant ſedem, Heracleam fuiſſe appellatam. At ſuperioribus temporibus, Ionibus obtinentibus, Polieum vocatum. Ceterum jam inde remotius a primis incolis nuncupatum fuiſſe Sigeum.*

Spiſſa hîc caligo circumſtetit eruditos viros. Quo enim pacto Tarenti fieri dixit, quae non niſi in Sirin conveniunt? Nam non niſi de Siri narratur fuiſſe aliquando Polieum vocatam, & quod poſtea mutato loco, nomen priſtinum in Heracleae nomen tranſmutarit. Suſpicabar equidem pro Τάραντι poſſe Ταραντίνῃ legi (Ταραντίνη enim ſicuti & Φρυγίνη ſunt regionum vocabula) quaſi ſi Tarentina regione etiam Sirim complexus fuerit. Sed cur haec ſcriptura ſtare non poſſit, inferne (18) reperies. Eſt ergo perſpicuum, *Tarantem* hîc vocari id oppi-

(14) Nam etſi adhuc non pauci pro Ariſtotele pugnent; in eam tamen partem viri eruditi ſeſe hodie inclinatiores produnt, ut alii tribuatur incerto. Videatur Voſſius locis pluribus, & Jo. Alb. Fabricius in Ariſtotele. Mihi quidem hic auctor Ariſtotele paullo recentior ex eo videtur, quod (ut Diatr. I. παραβάσει I. p. 58. Adn. II. expoſui) parum habens, quod Italiae nomen ad Silarum uſque fluvium promoverit, etiam *Circacum* promontorium περὶ Ιταλίαν, *Circa Italiam* poſuerit, eoque Italiae fines in Vetus protenderit Latium. At verus Ariſtoteles VII. Polit. 10. cum antiquis Italiae fines multo anguſtiores tradiderat.

(15) In his quae hinc ſequuntur, interpres, qui in edit. Baſileenſi latus hujus auctoris obſidet, ordinem conturbavit, ſic reddens: *Ferunt hunc locum olim Ionibus obtinentibus Plion vocatum eſſe. Verum poſtquam a Tarentinis inhabitari coeptus eſt, Heracliam. Ceterum jam inde remotius a primis incolis Sigium appellatum.* Praeter ordinis perverſionem, totum illud (*Poſtquam a Tar. inhab. coeptus eſt, Heracliam.*) a mente ſcriptoris aberrat, cetera egregius interpres.

(16) Si παραλαβεῖν ab auctoris manu ſit; erit eod. ſignificatu, quo in Evangelio legitur, *Tunc aſſumpſit* (παρέλαβεν) *eum diabolus in ſanctam civitatem:* qua notione τὸ Παραλαμβάνω tum in N. F. ſaepius, tum etiam apud profanos aevi melioris ſcriptores uſurpatur. In quorum locis *Aſſumere in . . .* eſt ex uno loco in alium traducere. Idque ſum in interpretatione ſecutus. Ceterum quod Baſileenſis editor margini adlevit (*Fort.* παραβαλεῖν) id utpote expeditius, magis probo. Παραβαλεῖν eſt trajicere ſeu transfretare, ac de mari uſurpari ſolet. Tamen non moror, quin & ἁπλῶς de quavis translatione uſurpetur. Inter utramque lectionem hoc intereſt, quod ſi παραλαβεῖν legas, *Tarentini* non alii erunt quam Tarenti metropolis cives, qui Tarantis incolas h. e. Siritas traduxerunt Heracleam. Quod ſi παραβαλεῖν placeat; tunc Ταραντίνους de novi *Tarantis* colonis ſive Siritis capias neceſſe eſt.

(17) Quod hoc loco quidam pro Ιώνων reponit Χώνων, non probo. Vel vide quae cap. II. de Ionibus ex Lycophrone adnotavi. Ceterum quod hic auctor nomen *Sigium* antiquius *Polieo* facit, id tantumdem eſſet, quod Trojanos colonos priores Ionibus conſtituere: quod quidem cum Strabone facit, ſed eſt contra Lycophronem & quosdam alios.

(18) *Tarentina regio* hic locum non habet: I. quod vel ſi de regionibus ageretur, *Siritis* nominanda erat, quae a Tarentina diverſiſſima fuit: II. nunc vero nullus regioni locus, quia quae ſequuntur, omnia ad certam urbem referuntur, quae profecto non alia a *Siri* (quae aliter *Polieum*) fuit.

Digitized by Google

oppidum quod olim *Polieum* & *Siris*, quodque poſtea mutato loco *Heraclea* vocata fuit. Quod autem nemo alter nominis hujus meminerit, id fecit brevitas temporis, quo ea colonia perennavit: quod & argumento eſt *Tarantis* nomen nulli melius, quam illius breviſſimi temporis coloniae convenire, quae communiter a Thuriis ac Tarentinis incolebatur: quae cum pauciſſimis annis manſerit, ex eo eſt ſilentium aliorum ſcriptorum. Quod *Taras* non niſi hujus duodennalis coloniae nomen fuerit, illud etiam indicio eſt, quod hic auctor ſtatim μετοικίας illius meminerit, quam nos ex Antiocho apud Strabonem cap. I. deſcripſimus, quando Siritae mutato loco etiam nomen commutaverunt. Ergo antequam ea migratio fieret; ei coloniae [quae quidem antea & *Siris*, & *Polieum* & *Sigeum* vocata fuerat] *Tarantis* nomen factum a Tarentinis fuerat.

Atque haec de *Tarantis* nomine ſatis erant; niſi hoc etiam monendum videretur, ἐναγισμὸς iſtos nec Ionibus primitivis colonis tribui auctoribus poſſe, ut qui Atridis & ceteris illis anteceſſerunt; nec Trojanis, quibus curae fuiſſet ſuis potius heroibus honores deferre, quam Graecis. Ac nihil aliud reſtat, niſi ut haec ſollemnia a mixta illa colonia ex Thuriis & Tarentinis [quippe utriſque ex Graecia profectis] inſtituta fuerint.

III.

De HERACLII nomine.

Lycophronis Scholiaſtes ad v. 978. de Siri ſic memorat: ἡ πρῶτα μὲν ἐκαλεῖτο Πολίειον, εἶτα Ηράκλειον, εἶτα Σῖρις. *Quae primum Polieum, deinde Heraclium, poſtea Siris vocata fuit.* In quibus ſatis eſt quod de *Heraclii* nomine fidem faciat: ceterum ordo perverſus eſt, ſic refingendus: primum *Siris* & *Leutarnia* (quae duo idem ſignificant) deinde *Polieum*, poſtea *Heracleum*. Vtinam auctores nominis Heraclii prodidiſſet. At nullus teſtis Scylace luculentior inveniri poteſt, qui dum aetate ſua *Heraclii* nomen uſurpatum oſtendit, ſimul & tempus ei appellationi ſtatuit. In ejus Periplo hae tantum Graecorum Italienſium urbes recenſentur: Ἐν δὲ Ιαπυγίᾳ (19) οἰκοῦσιν Ἕλληνες, καὶ πόλεις εἰσὶν αἵδε· Ηράκλειον, Μεταπόντιον, Τάρας, καὶ λιμὴν Ὕδρους. *In Iapygia Graeci habitant, quorum hae ſunt urbes, Heraclium, Metapontum, Taras, & portus Hydrus.*

Hîc a me lector exſpectet, ut ex Scylacis hujus, quem nunc habemus aetate, nomini *Heraclii* aevum aſſignem. Verum Scylacis hujus tempora haud ſatis (20) ſunt explorata. Hoc tantum prae-

(19) Magnae Graeciae nomen nec Scylax, nec Herodotus, nec Thucydides uſquam uſurpat: quod nomen credibile eſt ſive eopte tempore recens exortum, ſive non multo poſt Herodoti tempora. In recenſione non dignitatis urbium, ſed poſitûs ordinem ſervat, pro Peripli ratione.

(20) Herodotus IV. 44. cujusdam Scylacis Caryandenſis meminit, quem Darius Hyſtaſpis ad Indum fluvium miſerit oramque maritimam illam luſtrandam, unde menſe trigeſimo redierit. Tamen Voſſii pater & filius negant hunc, cujus Periplus teritur, illum ipſum fuiſſe Hyſtaſpidae aequalem, ſed juniorem alium Scylacem Caryandenſem. Mitto quod Dodwellus Suidam ſecutus, Polybii coaevum putarit: quod ferri non poteſt non tantum propter eximiam in hujus opuſculo vetuſtatis effigiem, in cujuſvis oculos incurrentem, ſed vel ex iis, ſi cetera deſint, quae de Italia refert, de quibus in fine Diatr. I. παρεκβ. I. ſect. 2.

Nec ignoro in hoc Periplo reperiri quaedam Olympiadi LXXXIII. h. e. huic duodennali coloniae parum convenientia. Nam pluribus in locis corruptum, alibi vero interpolatum ad nos perveniſſe, non eſt dubium. Ceterum vox Ηράκλειον corruptionis ſuſpicione vacat. Nulli enim venire in mentem potuit, ut pro Ηρακλείᾳ notiſſima ignotum iſtud Ηράκλειον ſubſtitueret.

Digitized by Google

praestare possum, haud paullo antiquiorem Herodoto fuisse [id quod in Europae periplo statim incurrit in oculos] aut saltem auctori huic Herodotum non plane parem fuisse, sed supparem. Verum quid moror? Quidvis potius patiar, quam ut duos Scylaces ejusdem patriae ejusdemque professionis admittam: ad quod tum demum confugium est, ubi temporum tanta diversitas evincitur, ut non possint non duo diversi exstitisse. Atqui fingamus Scylacem prima aetate ab Hystaspide ad obeundam Indiam fuisse dimissum; non video quin idem adhuc minor septuagenario Periplum, qui prae manibus est, a se dare potuerit. Nam ab exitu Hystaspidae ad Olymp. 83. (sub quod tempus colonia illa ex Thuriis & Tarentinis coaluit, & *Heraclium* dicta) Olympiades decem sunt. Cuilibet calculos inire per me licebit: sane reperiet nihil fuisse facilius quam ut Periplus iste, qui sub Scylacis nomine circumfertur, illa dodecaëteride scriptus fuerit, quae inter Olymp. 83. & 86. media fuit, ac proinde Scylaci illi qui Hystaspidae aequalis fuit, sit tribuendus.

Hinc porro etiam intelligitur, cum Siritae ad Aciris ripam traducti fuerunt, eos non tam novum nomen adeptos fuisse quam vetus Ηραχλεὶς [21] vocabulum in usitatiorem tunc temporis τῆς Ηραχλείας formam deflexisse.

SECTIO IV.

DE SIRITIDE & CHONIA duobus ejus regionis vocabulis: de CHONE obiter.

I. CIrcumjectam *Siri* regionem, Σιρῖτιν SIRITIN [supple χώραν] vocari consuevisse, tum ex Strabone locis plurimis ostenditur, tum ex aliis quibuslibet Graecis scriptoribus. Nisi quod in Aristotele ea Siritis, tanquam si *Syrtis* esset, periculum ingens creavit librariis: de quo loco dicam in *Chonia*, quae jam sequitur.

II. De *Chonia* ergo videndum: quam tam late patuisse quam ipsam Oenotriam, hactenus viris doctis persuasum fuit: quod tamen falsissimum esse ajo. Nam *Choniam* fuisse Siritidos regionis peculiare nomen, testatur Aristoteles VII. Polit. 10. ubi de Italo rege locutus [a quo quae *Oenotria* vocabatur, *Italia* dici coepit] de Oenotriae sive Italiae habitatoribus sic pergit: Ὤκουν δὲ &c. *Habitabant autem eam partem, quae ad Tyrrheniam vergit, Opici, qui quidem & olim & nunc quoque Ausones cognominantur* [τὸ δὲ πρὸς Ἰαπυγίαν τε καὶ τὸν Ἰόνιον, Χῶνες τὴν καλουμένην Σύρτιν· ἦσαν δὲ καὶ οἱ Χῶνες Οἰνωτροὶ τὸ γένος] *Qua vero parte ad Iapygiam & mare Ionium acceditur, Chones eam, quae Syrtis appellatur, incolebant. Nam etiam Chones genere Oenotri erant.* Ex ultimo inciso vides, *Choniam* partem esse Oenotriae, non Oenotriam universam. Itaque *Chones* quidem

(21) Ηραχλεῶν significationem templi Heraclei exhibet. A templis hujusmodi oppida circum coalescentia saepe ortum & nomen traxerunt. Huc ergo & *Heraclii* hujus & aliorum ejusdem flexionis oppidorum origo referenda est; sicuti & Herculanium in Campania videtur antea Graecis oram hanc obtinentibus Ηραχλεῶν fuisse dictum.

Digitized by Google

quidem omnes Oenotri erant: at non contra, qui Oenotri, continuo etiam Chones. Ex praecedentibus vero verbis, & illud liquido conſtat, Chonas ad illud latus pertinuiſſe, quà Oenotria attingebat Iapygiam. Itaque nihil facilius, quam ibi *Choniam* ſtatuere, ubi Siris erat. Et tamen hoc ipſum diſertiſſimis verbis Stagirita expreſſerat, niſi librarii ad inſolitam vocem illam Σειρῖτιν tamquam ad ſcopulum expalluiſſent. Itaque maluerunt in Σύρτιν, infamem quamvis & inhoſpitalem, at nautis tamen notiorem, commutare. *Siritis* igitur, ſi Ariſtoteli credimus, Chonibus aſſignata fuerat ad colendum, ſane opimus ager ac fertiliſſimus, Aciri Sirique amnibus irrigatus.

Ariſtoteli Lycophron ſuffragatur verſu illo, quem ſupra recitavi, quo Siris amnis dicitur

Ἄρδων βαθεῖαν Χωνίας παγχληρίαν,
Profunda rura Choniae terrae rigans.

Ergo *Choniae* agri univerſitas [ut agrarii ſcriptores loquuntur] eo tantum pertinebat, quod Siri amni irrigabatur; nec *Choniae* vocabulum ad Oenotriae latiſſimas regiones ceteras ſe porrigebat, quas Siris non madefaceret.

Accedat his ad ultimum Antiochus, cui primae deferendae fuerant, niſi loci obſcuritas a duobus, quos praemiſimus, mutuari lucem debuiſſet. Strabo igitur lib. VI. ubi ex Antiocho docuiſſet, Italiae & Oenotriae nomen primitus intra peninſulam, quae poſtea Bruttiorum fuit, ſe continuiſſe; ita ſubjicit: *Succeſſu vero temporis ait* [idem Antiochus] *Italiae & Oenotrorum nomen fuiſſe propagatum* (μέχρι τῆς Μεταποντικῆς καὶ τῆς Σειρηνίτιδος) *uſque ad Metapontinam & Sirenitidem regionem*. Ibi non dubitavit Caſaubonus illud Σειρηνίτιδος mutare in Σειρίτιδος. At equidem in Parecbaſi I. pag. 58. ubi de Antiocho, Σειρηνίτιδος retinebam, hanc rationem ſecutus, quod poſt *Metapontum*, ineptum fuiſſet *Siritin*, quae citerior Metaponto eſt, addere. At nunc lectis quae ibidem ſtatim ſequuntur; non dubito, quin Σειρίτιδος ex Geographi manu fuerit. Sequitur enim ex eodem Antiocho: οἰκῆσαι γὰρ τοὺς τότους τούτους Χῶνας, Οἰνωτρικὸν ἔθνος καταχοσμούμενον, καὶ τὴν γῆν ὀνομάσαι (22) Χωνίην. *Habitaſſe enim ait haec loca Chonas, gentem Oenotricam ſatis compoſitam, ac territorio Choniae nomen feciſſe*. Vbi per illud γὰρ rationem affert, cur praeter Metapontum [ulteriorem finem] etiam *Siritin* (terminum Choniae citeriorem) adjecerit. Nam *Siritis* non potuit non *Oenotria* vocari; propterea quia Siritin *Chones* tenuerant, eamque a ſe *Choniam* nun-

(22) Ad hunc locum Heſychius ac Stephanus digitum intenderunt: in quo tamen ipſi Χώνην duabus ſyllabis legerunt. Heſychius: ΧΩΝΗΝ, τὴν Ἰταλίαν ὅτως τέλαι ἔλεγον, ὡς φησὶν Ἀντίοχος ὁ Ξενοφάνης ἐν τῷ (Calaub. corrigit, ἐν τῇ: male: nec enim ſubauditur βίβλῳ, ſed συγγράμματι; ut paullo ſuperius a Strabone citatur) ἐν τῷ περὶ Ἰταλίας. *CHONEN olim vocabant Italiam* (illam veterem) *ut ait Antiochus Xenophanis F. in commentario de Italia*. Sed & Χώνην affert indidem Stephanus: cujus locum ſuperne adſcriptum habes. Sane non dubito, quin uterque in exemplaria Geographi inciderint, in quibus Χώνην pro Χωνίην legeretur. Verum ſi quaerimus, quid Geographus ſcripſerit; putem Χωνίην ſcriptum reliquiſſe, quippe ipſiſſimam Antiochi vocem: apud quem Ioniſmi plurimi reperiebantur, ut ex ejus fragmentis apud Dionyſium lib. I. conſtat. At exſtitit criticus aliquis, quem cum illud Ionicum Χωνίην offenderet, utpote Straboni inſolitum; vocalem penultimam ſuſtulit. Tales profecto codices Stephanum & Heſychium nactos fuiſſe oportet. Sic idem Heſychius Ξενοφάνης ſcripſit; cum tamen ipſe Antiochus apud Dionyſium Ξενοφάνους Ionice uſurpaverit.

Ceterum qui Stephani & Heſychii auctoritate freti, *Choniae* regionis vocabulum reperiri negant, inſcite agunt, cum Χωνίης diſertim Lycophron verſ. 983. meminerit.

Digitized by Google

nuncupaverant: qui *Chones* genere Oenotri fuerunt. Habes igitur ex Antiocho, hanc qua de agimus, regionem initio *Choniam*, postmodum *Siritin* vocatam.

Et quidem ficuti *Siritis* ab urbe *Siri*, ita & *Chonia* regio ab urbe *Chone*, antiquiſſimo Siris urbis nomine, ſibi nomen quaeſivit. De hoc urbis vocabulo initio Sect. I. dicturus eram: niſi tunc ingens rerum copia ſuaſiſſet, hanc de *Chone* tractationem huc tamquam in opportuniorem locum differre. Ergo de *Chone* haec habet Stephanus: ΧΩΝΗ, πόλις Οἰνωτρῶν, ἧς Στράβων μέμνηται ἐν ἑβδόμῃ (cor. ἐν ἕκτῃ) Καὶ τὴν χώραν ὀνομάσαι Χώνην. *CHONE, urbs Oenotrorum, cujus Strabo in ſexto meminit* (his verbis): *Locumque Chonem vocaſſe*. Ex quo vides pro Χωνίην lectum in Strabone Χώνην a Stephano fuiſſe; ſicuti & Heſychius legerat. Vide Adnot. ſuperiorem. Cetera quae addit, confuſa (23) ab eo qui Stephanum in epitomen contraxit, fuerunt, ut nihil ſupra.

Praeter hanc *Chonem* (quae eadem ac *Siris* fuit) altera etiam *Chone* in Crimiſa promontorio Crotoniatidis regionis, in eadem Oenotria ſcilicet, ſtetit: cujus meminit Apollodorus de navibus apud Strabonem eodem lib. *Apollodorus*, inquit, *in Commentario de navibus, facta Philoctetae mentione, quosdam perhibere ait* (ὡς εἰς τὴν Κροτωνιάτιν ἀφικόμενος, Κριμίσαν ἄκραν οἰκῆσαι (for. ὦκησε) καὶ Χώνην πόλιν ὑπὲρ αὐτῆς· ἀφ' ἧς οἱ ταύτην Χῶνες ἐκλήθησαν) *eum, cum in Crotonienſem agrum perveniſſet, incoluiſſe Crimiſam promontorium, ſuperque eo urbem Chonen: a qua incolae vocati ſint Chones*. Ex quibus manifeſtum eſt, hoc Oenotrorum genus, quibus *Chonibus* nomen fuit, non tantum Siritidem, ſed etiam Crotoniatidis partem, quâ *Crimiſa* fuit, inſediſſe. *Chones* porro urbis, & *Choniae* regionis antiquitas nominum ingens profecto eſt: de qua proinde non ſine operae pretio ſeorſum agemus.

SECTIO V.

De τῆς Chones deque Choniae veriloquio: ubi & remotiſſimae regionis hujus origines per occaſionem panduntur.

I. Veriloquium primum a CHONE Herculis Aegyptii nomine.

VArinus Favorinus ſub Leone P. X. lexicon perutile condidit: in quo plura ex MSS. eruit non alibi obvia. Is in Χῶνες ſic affert: Χῶνες, ἔθνος Ἰταλικόν· Τὸν Ἡρακλῆν φασι κατὰ τὴν Αἰγυπτίων διάλεκτον Χῶνα λέγεσθαι· παραγενέσθαι δὲ εἰς Ἰταλίαν, καὶ ἀπ' αὐτῆς Χῶνας ὀνομασθῆναι τὸ ἔθνος· *Chones gens Italica. Porro Herculem ajunt Aegyptiorum lingua Chonem vocari: perveniſſe vero hunc in Italiam* [illam nempe veterem anguſtiorem: in quam re vera Herculem veniſſe in fabulis narratur] *& ab eo Cho-*

L *nas*

(23) Statim enim ſic ſequitur: Καὶ Χώνη πόλις ὑπὲρ αὐτῆς, ἀφ' ἧς οἱ ταύτην Χῶνες ἐκλήθησαν. Haec vero non ex Antiocho ſunt, ſed ex Apollodori loco, quem ſuperne adſcriptum reperies. Vterque locus in VI. Strabonis eſt. Pergit: ἡ δὲ χώρα, Χώνη· Λυκόφρων· Ἀβδων βαθέων Χωνίας παγκληρίαν. ὠκῶν καὶ Χώνιος. *Regio, Chone. Lycophron* &c. At in Lycophronis verſu non *Chone* legitur, ſed *Chonia*. Quae ergo breviatori mens fuit? Dicam. Lycophronis verſus non ad confirmanda ſuperiora pertinet, ſed ad quae ſubjicit. Sic enim infert; ὠκῶν καὶ Χώνιος. *Ergo etiam adjectivum* Χώνιος *uſurpatur*: nempe quia in Lycophronis vocabulo Χωνίας ſubaudiri vult γῆς.

Digitized by Google

eius nomen reperisse. Vtinam hic lexicographus auctorem unde haec hausit, indicâsset: quae quidem ex antiquo & idoneo scriptore petita fuisse, quantolibet ipse mercarer. Nec Γιγῶνα, quod apud Hesychium [24] Aegyptii Herculis nomen est, tantumdem fuisse quod Varini Χῶνα, praestare queo: tametsi ceteroqui scio apud Graecos aspiratas Orientis litteras haud raro cum Γ permutari. Nihil igitur malim, quam in Χών [quod quidem ab Hesychii Γιγών minimum differt] latêre Aegyptium Herculem. Quid ita? Quia si verum hoc sit, minus profecto mirabimur, si, quae urbs ab initio *Chone* dicta fuit, secutis temporibus a Graecis *Heraclium*, ac tandem mutato urbis situ *Heraclea* vocari coeperit; cum *Heraclium* & *Heraclea* mera sint *Chones* urbis & Aegyptii Herculis interpretatio. Ac merito cum Siris urbis antiquitate tanta, ut Troica tempora longissimo intervallo superet, Herculis Aegyptii par vetustas consentit. Ex heroibus enim qui id gessêre nomen, Aegyptio primae deferuntur, quod jam inter viros eruditos convenit: qui in id quoque consentiunt, Aegyptium Herculem haud plane alium ab Hercule Phoenice [sive *Chananaeum* vocare malis] habendum esse: quem & Cadmi Phoenicis fuisse ex Io filia nepotem volunt, & vocatum *Melicertam* sive *Melicartum* [ex מלך *Melech*, *Rex*, & ex קרתא *Karta*, *civitas*] quasi dixeris regem urbis, πολιοῦχον. Hunc Graeco sive Thebano Hercule longe antiquiorem esse nemo dubitat: nec alium postremo fuisse quam Iosuam, haud pauci suaserunt. Quando igitur Χών haud alius erat ab Hercule Chananaeo [cujus origo ab Aegypto proditur, unde profectus & Iosua fuit in terram Chanaan]; illud nunc etiam atque etiam considerandum, an non in voce Χών lateat *Chananaei* nomen; sicuti & altero monosyllabo Χνᾶ terra *Chananaea* apud Stephanum designatur. Nec te illud turbet, quod vocalis littera τῦ Χών a *Chananaei* vocabulo discrepat; quod enim in Syro sermone fit, ut A (sive *Kamets*) τῦ O sonum reddat, id reor olim etiam a Syrophoenicibus factitatum.

Hactenus dicta sola Favorini auctoritate superstruebantur. At sero (postquam scilicet superiora ista formis composita, jam prelo tradenda erant) animadverti, superiorem Favorini locum verbis totidem in Etymologico M. reperiri. Ergo etymologia ista & antiquitate pollet; nec potest alia plausibilior *Choniae* originatio excogitari.

II. Veriloquium alterum a Chiun sive Chon, Phoenicio Saturni vocabulo: ex occasione vero de Oenotrorum sive Chonum coloniis, ex Oenotria h. e. vetere Italia profectis in Latium, agitur.

EST illud extra controversiae aleam positum, Amosi cap. V. v. 26. *Saturnum* vocari כיון *Chiun* sive *Chion*. Nec dubium est, quin Saturno nomen id Chananaei sive Phoenices fecerint. Nam & in Punica Poenuli Plautini scaena *Ciun* pro Saturno sibi reperire visus est Sam. Petitus Miscell. II. 2. Idem Saturno nomen, quo Amosus propheta utitur, etiam a Persis & Ismaelitis tribui, Aben Ezra testatur.

(24) Hesychius in Γιγών haec habet: Γιγῶν (alii ex ordine alphabetico Γιγγῶν malunt) ἀ δὲ, Γιγῶν· Παπιῖκὸς (ἀπὸ Παπιῖκὸς, τραπέζιος) ἀ δὲ, Αἰγύπτιον Ἡρακλέα. In quem locum videbis virorum eruditorum symbolas, quas in unum coegit Cl. Joannes Alberti in nupera elaboratissima Hesychii editione.

Digitized by Google

ſtatur. Hinc merito illa antiquorum perſuaſio apud Plutarchum in de Iſide occurrit, *Anubin* [quippe qui Κύων *Cyon* a Graecis vocatur] haud alium a Saturno fuiſſe: etſi, quia Κύων *Canem* Graece notat, eumdem canino capite fingi placuerit. Ex *Cion* autem vulgatiſſimo per Orientem Saturni nomine, loco prioris vocalis inſerto R, puto Κρὸν [*Cron*] i. e. Κρόνον, Graecum Saturni nomen effectum: apud alios autem, vocali abſorpta, τὸ *Chion* in CHON evaſiſſe: Nec vanam hanc eſſe hariolationem ex eo oſtenditur, quod regio illa, quae primitiva artiſſimis finibus *Italia* fuit, antequam id nomen conſequeretur, Σατορνία (*Saturnia*) ab indigenis vocabatur, uti Dionyſius [25] ex antiquiſſimis ſcriptoribus teſtatur. Qui quidem Χωνίαν dicere debuit [veriſſimum regionis nomen ab indigenis uſurpatum] ſed quia Graeci Italiotae id vetus nomen in Κρονίαν, Latini in *Saturniam* jam pridem interpretando mutarant; idcirco maluit uſitatis aetati ſuae vocabulis uti. Ergo terrae angulus ille, in quo Graecia Magna conſedit, ſola primitus *terra Italia* vocabatur; ante vero quam vocaretur ita, *Oenotria* & *Chonia* dicta fuerat. Hoc vero ultimum Graeci interpretati ſunt Κρονίαν, Latini vero *Saturniam*.

Hactenus ex eo quod primitiva Italia [ſive Dionyſiii illa Σατορνία] *Choniae* nomen obtinuerit, collegimus id regioni nomen non niſi a Saturno quaeſitum, quem Phoenices ſive Chananaei *Chion* aut *Chon* appellarint. Quid quod diſertis verbis hoc Dionyſius memoraverat? Sed locus a deſcriptoribus foede inquinatus fuit. Locus is lib. I. pag. 30. exſtat, ita conceptus: *Nil igitur mirum ſi antiqui Saturno ſacram putaverunt hanc terram* (Italiam) *qui putarint id numen felicitatis omnis datorem atque conſummatorem fuiſſe mortalibus* (εἴτε Κρόνον αὐτὸν δεῖ καλεῖν, ὡς Ἕλληνες ἀξιοῦσιν, εἴτε Χρόνον, ὡς Ῥωμαῖοι) *ſive Cronus is eſt vocandus cum Graecis, ſive Chronus cum Romanis.* Haec ultima ante [26] foedata, ſic exhibui, uti jam pridem Lapus emendaverat. At ubinam, rogo, hoc ſcriptum fuit, Saturnum a Romanis ſive *Chronum*, ſive [ſi edita lectio magis arrideat] *Cronum* fuiſſe appellatum? Nec tamen temere Dionyſius haec chartae illevit. Sane quaecunque poſt prooemium de remotiſſimis Romae originibus Dionyſius ſcripſit, in iis hoc perpetuo peccat, quod quaecumque apud antiquos de vetere Italia ſive Oenotria [quae primitus vix paullum extra Bruttiorum peninſulam progreſſa fuerat] ſcripta reperit, ea ad Italiam ſui temporis rapiat, imo & ad Latium Italiae caput, atque adeo ad Romam ipſam Italiae metro-

 polim.

(25) Dionyſius lib. I. pag. 27. *Quin & univerſa ora, quae nunc vocatur Italia, huic deo* (Saturno) *dicata erat, & ab incolis* (Σατορνία) *Saturnia vocabatur, ut ex Sibyllinis carminibus, aliiſque oraculis licet animadvertere.* Sibyllina quae vocat carmina, quod eſſent antiquiſſima, *Italiam* haud dubie illam primitivam ſignificare voluerunt.

Idem locupletiſſimus auctor, haud pluribus interjectis, pag. 28. ſic teſtatur: *Antiquiore vero aetate* (quam *Italia* vocaretur, quidquid Italo regi obtemperaret) *Graeci quidem Heſperiam & Auſoniam eam appellabant* (unde & ad ultima tempora manſit, ut ſinus Tarentinus ille qui duabus peninſulis includitur, *Mare Auſonium* vocaretur) *indigenae autem* (Σατορνίαν) *Saturniam, ut jam ante a me dictum fuit.* Ex quibus vides, non tantum *Saturniae*, ſed & *Auſoniae* & *Heſperiae* vocabulum, quod utrumque primitivae tantum Italiae fuerat, poſtea cum Latio, imo & cum cetera Italia recentiore fuiſſe communicatum.

(26) Nam in editis nunc ordine inverſo legitur: εἴτε Χρόνον . . . ὡς Ἕλληνες, εἴτε Κρόνον, ὡς Ῥωμαῖοι, ſive *Chronum cum Graecis, ſive cum Romanis Cronum.* Quod quis ferat? Aſperanda igitur in poſteriore membro conſonans fuit, eademque in priore lenienda. Aut ſi quid amplius tentari libeat; ex poſteriore inciſo ſuſtulerim liquidam, ac Χόνον ſive Χώνον repoſuerim, potius certe quam cum Sylburgio Σάτορνον.

Digitized by Google

polim. In iſtud ſummi originum Romanarum ſcriptoris ἁμάρτημα [*peccatum*] in quo Catonem alioſque Romanos duces habuit, mox in conſectariis inquiremus. Hoc igitur intellecto, neceſſe eſt, Dionyſium in vetuſto aliquo ſcriptore Graeco [cujuſmodi Antiochus, aliuſve ejus aetatis fuerit] reperiſſe ſcriptum, in *Italia* [nim. artiore illa, quam παρεκβάσει I. deſcriptam habes] vocari *Chronum* ſive *Choonum*, qui Graecis *Cronus* nuncupatur. Quod cum de primitivis Italis intelligendum fuiſſet; ipſe tamen ad Italiam ſui temporis, imo ad Italorum dominos Romanos tranſtulit. Quare, niſi Dionyſium ineptiviſſe volumus, fatendum erit, ab Italis primitivis [qui poſtea Magni Graeci fuere] Saturnum ſive *Chronum* ſive potius *Choonum* fuiſſe nuncupatum, idque a Phoenicio *Chion* (aut contractius *Chon*) fuiſſe detortum, ab eo vero regioni illi *Choniae* inditum nomen: quae poſtmodum a Latinis pro Latio accepta, ac *Saturnia* traſnominata fuit.

SECTIO VI.

Qua proxime expoſitorum quaedam conſectaria proferuntur.

I. In quamnam Italiam primitus Oenotri appulerint.

Dicat fortaſse aliquis, quae in proxime expedito *Choniae* verilo-quio tradidimus, ea narrationibus totis, imo & ſcopo Dionyſii ex diametro opponi. Atqui equidem in Dionyſio ſummam eruditionem admiror: at in eodem ἀγχίνοιαν & acumen, quibus Romanorum ſcriptorum errata detegeret refelleretque, deſidero. Qui quidem ex recitatis a ſe locis Antiochi Syracuſani ſcriptoris veraciſſimi & antiquiſſimi [qui σύγγραμμα περὶ Ἰταλίας, *commentarium de Italia* illa primitiva conſcripſerat] deprehendere debuit, primam illam Italiam non fuiſſe aliam, quam quae poſtea *Magna Graecia* dicta fuit: hanc vero primitus *Oenotriam* itemque *Choniam* fuiſſe dictam: de quo plenius παρεκβάσει I. pag. 58. diſſerui. Haec ille cum ſciret, debuit ſibi a Romanis ſuarum originum venditatoribus praecavere. Tamen nimium ſe credulum Romanis ſcriptoribus praebuit. Nam cum Porcius Cato Cajuſque Sempronius [qui praeter alios, ab eodem Dionyſio laudantur] ea aetate floruiſſent, qua jam Italiae nomen ad totum illud telluris, quod maribus & jugis Alpium ambiebatur, fuerat propagatum, eaque jam tota tellus Romae dominae ſerviebat; nihil facilius fuit, quam ut, quaecumque de Oenotri Arcadis coloniis ſcriptum invenerant, ea omnia ad Italiam illam ſuo tempore ampliſſimam, imo & ad Latium, cui jam tota parebat Italia, raperent. Neque id porro Catoni aut Sempronio ſuccenſeo: nam quotum quemque non modo recentium ſcriptorum, verum etiam antiquorum in *Italiae* acceptione, aliter aliis temporibus uſurpata, non offendiſſe, ſupra παρεκβάσει I. pag. 59. & ſeq. demonſtratum fuit? Non tam ergo Catoni Sempronioque, quam Halicarnaſseo ſubiraſcor: quem lectione tanta ſuffarcinatum, tamen in hoc negotio vis διακριτικὴ deſtituit, cetera κριτικώτατον.

Ergo

Digitized by Google

Ergo, si me audis, Oenotrus atque Peucetius filii Lycaonis, illi in peninsula, quae postea Bruttiorum fuit, hic in Iapygia (aliter *Peucetia*) regnavit, terrasque illas a se vocarunt; sed ita ut *Oenotriae* pars, quae a Siritide Crimisam usque pertinebat, praeter commune Oenotriae nomen, etiam *Chonia* [quod nostri homines *Saturniam* interpretati fuerunt] peculiariter vocaretur. Eadem Oenotria deinde sub Italo rege vocari *Italia* coepit: cujus vocabuli minorem majoremque pro temporibus amplitudinem eâdem Παρεχβ. I. illustravimus. Quae cum ita sint; jam quae apud eumdem Dionysium ex Romanis scriptoribus referuntur de Oenotrorum in Latium adventu, ea sive falsa erunt, sive ita vera esse largiemur, modo Oenotri illi non ex Arcadia αὐτόχθονες in Latium venerint, sed potius ex Oenotria (h. e. ex eo tractu, cui postea fuit Italiae & Magnae Graeciae nomen) ex illa inquam Oenotria, quae mater secutis aetatibus exstitit totius Oenotrici nominis, suas in Latium colonias scripserint. Idque tanto facilius fuit, quod qui Oenotri totam Lucaniae oram ad Silarum usque sui juris fecissent, & *Oenotriam* nuncupassent, quam minimo labore penetrare inde etiam in Latium valuissent. Haec quidem carptim delibavimus: quae si paullum modo amplificare velim, facillimum sit, integrum ejus argumenti libellum conscribere: quo Romanarum originum enarratores in hoc negotio falsi redarguantur. Verum nunc non id agitur.

II. In quanam Italiae aurea Saturni regnum vigerit.

Res ubi tantae antiquitatis, quanta Saturno tribuitur, a scriptoribus omnium vetustissimis referuntur, regionum nomina eâ notione accipi necesse est, qua tunc accipiebantur. Quare ubi Saturnus in *Italia* regnasse traditur, hoc de ea angustiore Italia est capiendum, quae primitus *Chonia* dicta fuit h. e. *Saturnia*, ut jam ante suasimus. At Romani scriptores in iis narrationibus *Italiam* hodiernam, imo & hujus provinciam principem h. e. Latium, intellexerunt. Quod quidem uti *Saturnia*, utque *Latium* (quae est Saturni (*) nominis interpretatio) diceretur, hoc verisimillime ab *Oenotris* & *Chonibus* [qui quondam ab vetere Oenotria Choniaque in Latium usque imperium protulerunt] secutis temporibus sibi arrogavit.

Ac ne audaciae intolerandae arguar; ad ipsum Dionysium provoco. Is lib. I. ubi de Herculis adventu docuerat, ita subjicit. *Etiam ante adventum Herculis in Italiam* (illam scilicet quam paullo inferius cum Antiocho intra peninsulam Bruttiorum terminat) *sacer erat Saturno is locus* (quinam rogo locus? Nimirum eadem, qua de loquitur, Italia) *SATVRNIVS ab incolis dictus, quin & universa ora, quae nunc vocatur Italia* (istud ἡ νῦν καλουμένη Ἰταλία ex antiquo aliquo ante Alexandrum M. scriptore descriptum fuit, ac proinde non potest in Mari Tyrrheno ultra Silarum extendi) *dicata erat huic deo, & a cultoribus SATVRNIA vocabatur, ut licet videre in Sibyllinis.* Ac statim postea eamdem istam *Saturniam* sub Italo rege nomen *Italiae*

(*) *Saturnum* enim tantumdem Hebraice est, quod Latine est *Latens*, quotus quisque ignorat?

Digitized by Google

liae conſecutam tradit. Fateor. Eccujus autem amplitudinis ſub Italo Italia fuit, niſi quatenus ejus imperium patuit? de quo plura in dicta παρεκβάσει. Quid plura? quouſque illa tunc Italia [quae ſcilicet etiam *Saturnia* dicta fuit] patuerit, ibidem Dionyſius Antiochi verbis oſtendit, docentis ſub Italo rege (qui genere Oenotrus fuit) intra peninſulam Bruttiorum Italiam fuiſſe coercitam.

III. De eo utrum Chones & Oenotri Graecae originis fuerint, an vero αὐτόχθονες *ſive Aborigines.*

Cluverius cap. ultimo pag. 1323. Strabonem duplicis erroris peragit reum: *Primum*, inquit, *quod Oenotros a Graecis, dein quod Chonas ab Oenotris alienos facit*. Locus duplicis offenſionis ſtatim ab initio lib. VI. occurrit his verbis: πρὶν δὲ τὸς Ἕλληνας ἐλθεῖν, οὐδ' ἦσάν πω Λευκανοί (27)· Χῶνες δὲ καὶ Οἰνωτροι τὸς τόπους ἐνέμοντο· *Antequam vero in Italiam Graeci veniſſent, nulli dum Lucani* [27] *erant: ſed Chones & Oenotri haec loca incolebant*. At inſons eſt ab utroque crimine Geographus.

I. Nam, ut poſteriore ordiar, quia praeter Chonas (quos quidem priores nominavit, quod eſſent inter Oenotros nobiliſſimi ac vetuſtiſſimi, ac facile generis Oenotrici conditores) alii plures eſſent Oenotrici nominis, non item Chonici, participes, idcirco tum hîc, tum ſtatim poſtea utroſque junctim expreſſit. Sicuti licuit ſemperque licebit cum Romanis, quamvis in Latio fuerint, Latinos jungere; nec non cum Samnitibus Lucanos, cum Lucanis Bruttios copulare, quamquam poſteriorum genus ex prioribus repeteretur.

II. In priore vero multo minus peccavit; nihil enim minus Oenotri quam Graeci fuerunt: id quod pluribus argumentis oſtendimus. I. Nam quod Oenotri ex Arcadia Oenotro duce coloni veniſſent, id non alio nititur, quam Pherecydis Athenienſis teſtimonio [28] quem tum hoc tum alia plura Graecorum auribus [jam tum magnifice de ſeſe exiſtimantium] dare ſtuduiſſe, ex eo patet quod vir natu Lerius, tamen Athenienſis haberi meruerit. Vide Voſſium in de Hiſt. Graec. lib. IV. cap. quarto. II. Pherecydis narratio ab Antiocho Syracuſano refellitur, compertae fidei ſcriptore (cui, quamvis eſſet Pherecyde paullo junior, tamen viciniae cauſa res exploratior eſſe potuit) qui cum Italiae veteris illius, quam toties artiſſimis peninſulae terminis finitam ab eodem diximus, habitatores primos Oenotros prodiderit, horum genus ex Arcadia prorſus ignoravit, ſed potius pro indigenis habuit. Antiochi dicta in ima [29] pagi-

(27) Cur venerit in mentem monere, nondum exſtitiſſe Lucanos, hoc inquam, & totius loci hujus intelligentia ex priorum & poſteriorum συνεχείᾳ pendet: quae talis eſt. Nam ubi Lucanorum oppida ad mare Tyrrhenum ab amne Silaro ad Laum fluvium recenſuiſſet; ſic pergit. *Atque ad Tyrrheni quidem maris littus haec ſunt Lucanorum oppida, qui olim ad mare alterum* (Ionium) *non pertigerunt: ſed ibi Graeci obtinebant, qui Tarentinum incolebant ſinum*. Ob injectam autem Lucanorum mentionem, eos non niſi poſt Graecorum colonias in Magna Graecia conditas, ab Samnitibus miſſos in haec loca colonos admonet his verbis, quae ſtatim ſepuuntur: *Antequam vero in Italiam* (primitivam) *Graeci veniſſent, nulli dum Lucani erant* (quippe a Samnitibus poſtea proſeminati) *ſed Chones & Oenotri ea loca poſſidebant. Ubi autem Samnites admodum aucti viribus Chonas & Oenotres ejeciſſent, & ad relictam ab his regionem Lucanorum colonias deduxiſſent; cum ſimul etiam Graeci utrumque littus uſque ad fretum tenerent; diu inter ſeſe Graeci ac Barbari bello dimicaverunt*. Et quae porro addit.

(28) Ad quem unum auctorem Porcii Catonis atque Sempronii referenda eſt opinio, qui Aborigines ſuos ex Graecia, nullo auctore laudato, adſciverunt. Pherecydis narratio apud Dionyſium lib. I. exſtat, ex opere *Genealogiarum* petita: quae vel ex eo fabuloſa proditur, quod ſubtiliſſimis rerum geſtarum circumſtantiis ſcateat, nullo vadeantiquiore dato.

(29) Dionyſius lib. I. antequam ex Pherecyde depromeret, pauca ex Antiocho affert ex libro, quem Ita-

Digitized by Google

pagina adſcripſi, quae apud Dionyſium lib. I. pag. 10. exſtant; III. Quid quod ne Dionyſius quidem ipſe Pherecydis hiſtoriae multum fidens, eam in [30] ancipiti ponit? IV. Jam vero, Oenotri adeo non fuere Arcades, ut eos, ac praecipue Chonas, fuiſſe ἀυτόχθονας, infra ſim. demonſtraturus. V. Poſtremo vel ſi hoc largiamur, Oenotros ex Arcadia profectos: at quia migratio iſta aetatibus ſexdecim h. e. annis CCCCLIX. (ex Dionyſii calculis) anteceſſiſſe bello Trojano a Pherecyde traditur; tunc procul dubio terra illa, quae poſtea Graecia fuit, erat mera barbaria; ut merito Oenotricum genus univerſum Strabo a Graecis alienum fecerit: quod a Cluverio non intellectum, ab eodem perperam reprehenditur.

IV. De Aboriginibus primis Latii colonis.

Vbi plura Dionyſius de *Aboriginibus* diſputaviſſet, ad quos Romani genus ſuum tamquam ad conditores primos, referebant, eo tandem labitur, ut fateatur, Aborigines eosdem plane ac Oenotros exſtitiſſe. Quod ei libens aſſentior, ea tamen lege, ne ex Arcadia Oenotros iſtos in Latium arceſſat, verum ex Oenotria finitimâ Latio: quae quidem Oenotria ubi ab initio intra peninſulam illam, quae fuit poſtea Bruttiorum, ſe continuiſſet; ſenſim deinde in ora Etruſci maris ad Silarum uſque amnem prorepſit. Ab Silaro autem, tranſmiſſa tantum Campania, ad Latium proferre imperium quanto Oenotris facilius fuit, quam ſi ab Arcadia uſque [in qua nulla unquam Oenotrici nominis haeſerunt ſignata veſtigia] profecti Oenotri, trajectis maribus, Latinam regionem tenuerint?

At inquis, cur iidem in Latio dicti fuere *Aborigines*? Mitto illud quod Aborigines dictos quaſi *Aberrigenes* memorant, & id (31) genus alia, quae ſunt aberrationes merae caſcorum hominum, a quibus id hauſit Halicarnaſſeus. Nam meo quidem judicio *Aboriginum* vox Latina eſt, e regione reſpondens Graeco ἀυτοχθόνων vocabulo. Oenotri autem in ſua illa, quam modo dixi, Oenotriâ, idcirco ἀυτόχθονες vocabantur, quod cum eorum aliunde adventus ignoraretur (nam illa Oenotri ex Arcadia expeditio, quae praeter Pherecydem nullum alium auctorem habuit, fidem apud priſcos acutae naris non invenit) merito pro γενάρχαις (*generis auctoribus*) habebantur, qui & ἀυτόχθονες, quaſi in eapte terra ab initio ſati, vocitabantur. Ac tales certe Oenotri fuerunt, quibus priorem populum nullum noſſe Antiochus [32] potuit. His adde Strabonem, cui iidem nuncupantur

Ἰταλίας οἰκισμόν (h. e. primas Italiae illius primitivae colonias) inſcripſerat, ubi Oenotros omnium antiquiſſimos agnoſcit. Ejus libri exordium hujuſmodi fuit. Ἀντίοχος Ξενοφάνους τάδε ξυνέγραψε περὶ Ἰταλίας ἐκ τῶν ἀρχαίων λόγων τὰ πιστότατα καὶ σαφέστατα· Τὴν γῆν ταύτην, ἥτις νῦν Ἰταλία καλεῖται, τὸ παλαιὸν ᾤκουν Οἰνωτροί. *Antiochus Xenophanis filius haec ex priſcis monumentis fide digniſſima & exploratiſſima de Italia* (illa ſcil. vetere anguſtiſſima) *conſcripſit. Terram hanc, quae nunc Italia vocatur, primitus Oenotri tenuerunt.* Quos quidem ex Arcadia olim veniſſe ignoravit Antiochus, homo Siculus, qui Pherecydis aetati ſuccreverat. Ac ſane mirer, ni hic in ipſo ſtatim exordio Pherecydem tacite taxare voluerit, in eo quod iſtius infidis narrationibus ſua πιστότατα καὶ σαφέστατα oppoſiturum ſe promiſit.

(30) Qui Pherecydis loco a ſe producto ea ſtatim ſubjicit, quibus adhuc dubitare ſe dicat, utrum Aborigines, quos Oenotros fuiſſe vult, Graeci generis fuerint.

(31) Veluti quod, ab ὄρος deducto vocabulo, ſic dicti ſint quaſi *Montigenae*, quia ſcil. Oenotri montibus delectabantur.

(32) Vide Antiochi luculentiſſimum locum, quem Dionyſius Halic. attulit, quem & nos Adnot. 29. produximus. Sed & Strabo prope ab initio libri VI. ſic ex antiquis pronuntiat: *Antequam in Italiam* (veterem) *Graeci veniſſent, nulli dum in ea Lucani erant, ſed Chones & Oenotri ea obtinebant loca.*

Digitized by Google

tur [33] αὐτόχθονες. Poſtremo non hinc longe abit, quod quidam apud Dionyſium pag. 8. ſic definiunt Aborigines: Αβοριγῖνας . . . inquit, οἱ μὲν αὐτόχθονας Ιταλίας, γένος αὐτὸ τὸ καθ' ἑαυτὸ γενόμενον, ἀποφαίνουσιν . . . *Aborigines . . . quidam Italiae indigenas fuiſſe oſtendunt, eorumque genus* (non aliunde repeti, ſed) *a ſe ipſo ſtare* . . . . . Recte quidem quod Aborigines interpretatur αὐτόχθονας Ιταλίας, *indigenas Italiae*. Hoc tamen de Italia primitiva illa anguſtiſſima, ſive de Oenotria, capiendum erat, ſi antiquos ſequimur. At Dionyſius abreptus conſuetudine ſui temporis, in iis quae ſtatim addit, illam Italiam interpretatur, quae ad Alpes uſque pertingebat.

Hinc porro perſpicitur quam fuerit hoc Magnae Graeciae, in qua verſamur, glorioſum atque magnificum, quod olim ea regio, quo tempore *Oenotria* vocabatur, colonos a ſe primos Latio dederit: qui cum in ſua patria a Graecis advenis dicerentur αὐτόχθονες, iidem in Latio poſtmodum καθ' ἑρμηνείαν (*traducto in Latinum nomine*) vocati *Aborigines* fuerint. Nam & *Oenotriae*, & *Italiae* nomina indidem in Latium Heſperiamque manarunt. Indidem & Saturni cultus, & ab eo profecta *Choniae*, *Saturniae*, & *Cameſenes* vocabula, ab Oenotris cum Latio primum, mox a Latinis cum tota Italia, quae ad Alpes uſque pertinet, communicata: de quibus nominibus nolo amplius lectorem obtundere. Ea qui cupit, ima in (34) pagella reperiet.

CAPVT IV.

De TARENTO, ejuſque variis diverſo tempore vicibus.

SE-

(33) Strabonis locus exſtat lib. VI. p. 264. ubi de Siri loquitur: *Hos enim* (Ionas) *in eam urbem perveniſſe, cum Lydorum imperium fugerent* (καὶ βίᾳ λαβεῖν τὴν πόλιν αὐτοχθόνων ὄντων) *urbemque vi cepiſſe, quam autochthones* (i. e. Aborigines ſive Indigenae) *tunc obtinebant*. Pro αὐτοχθόνων laudatur quidem ſcripta lectio Χθόνων. Sed manu ſcriptorum & editorum conſenſus retineri illud αὐτοχθόνων jubet.

(34) *Oenotros ex primitiva Italia in Latium profectos, non tantum Saturni cultum, ſed & plura regionis nomina a Saturno derivata illuc intuliſſe.*

De Saturni cultu ab Oenotris in Latium advecto jam plura diximus: qui, quia *Chon* primitivis Italis vocabatur, inde Graeci ſuum fecere Κρόνον. Nam antiquos Italos Rhotaciſmo delectatos, tum ex noſtris Tyrrhenicis Romae olim editis, tum etiam *Crimiſae* exemplo, de quo mox, doceri poteſt.

Adhaec quia a *Chon* (is eſt Saturnus) pars primitivae Italiae *Chonia* vocabatur, hinc eadem Graecis poſtea inſerto R, Κρονία dicta fuit, Latinis vero *Saturnia*: quae nomina, ut ex Dionyſio oſtendimus, a primitiva Italia manarunt in Latium. Mitto *Saturion* prope Tarentum: de quo cap. ſeq. dicam.

Verum quid moror? Quot fuere Saturni vocabula, totidem nomina Italiae, tum illi primitivae, tum latiori alteri, ſive Latio quaeſita fuerunt. Hinc quia Latium ut *Camiſene* aliquando diceretur, a quodam Camiſe indigena derivatum traditur; haud temere crediderim *Camiſen* iſtum (de quo antiqui certant, quid hominis fuerit: vide Macrobium I. Sat. 7. Athenaeum XV. cap. 13. & ad eum locum Caſaubonum) ipſum fuiſſe *Saturnum*. Nomen certe eſt idem: nam ſicuti a סתר *Satur* fit *Saturnus*, id eſt *Latens* (a quo & *Latio* nomen quaeſitum, nim. ibi *Latente deo*, ut ille canit) ſic a כמוש *Camus* (quod in Cantico Deuter. cap. XXXII. 34. idem quod *Latens*) eſt *Camiſes* ille, quem ego Saturnum interpretor; & *Camiſene* dicebatur Italia adjecta i. e. Latium. Quid quod etiam *Chonia* aliquando *Camiſa* videtur dicta? Certe illi promontorio, quod inter Crotonem & Roſcianum interjacet, cui urbs *Chone* inſidebat, *Crimiſae* nomen fuiſſe proditur: quod facile videtur (plane ſtudio Rhotaciſmi ejusdem, quo Χών in Κρόνον tranſiit) ex *Camiſa* factum. Sed jam horum ſatis.

Digitized by Google

SECTIO I.

De Tarento Antiochi Syracusani, Ephori, Pompeii Trogi, Pausaniae, aliorum narrationes producuntur.

De Tarenti antiquitate non aliud praestare possum, quam quod de Heraclea ostensum fuit. Nam hujus aetas si inde tantum colligatur, cum Heraclea ab urbe Siri ad Acirim amnem transducta fuit, haud vetustior Olympiade LXXXVI. reperietur: contra vero si a prima oppidi Siris origine calculos ineamus, ea bello Trojano pluribus haud dubie aetatibus antecedet. Haud vero secus si Tarenti amplificationem spectes, quam ei Partheniarum Laconum colonia peperit; quis dubitat, quin Messeniaco bello posterior fuerit, nec antiquior; ut infra ostendam, Olympiade XXI? At contra si in *Tarantis* primordia intuearis; origo prima sine controversia sive Noachicis sive saltem heroicis temporibus inferetur. Hoc mihi dolet, quod sicuti coloniae Laconicae tempora in aprico sunt; sic prioris Tarenti fortuna sit plane obscurissima. Quocirca recte me facturum duco, si dum Spartanae coloniae Tarentum deductae narrationes ex antiquis auctoribus profero, eâdem simul operâ, quae pauca ab eisdem de oppido priore inspersuntur, ea digito intento adnotanda lectori tradam.

Ac sane prae ceteris omnibus Strabo in medium producetur, tum quod rem copiose narrat, tum in primis quod duorum longe vetustissimorum scriptorum nobis narrationes servavit. Interim si cubi alii ab hoc Geographo dissident, de eo lector in ima pagella commonefiet. Is lib. VI. pag. 278. sic ex Antiocho refert. *De conditu urbis hujus sic narrat Antiochus: Messeniaco bello* [a Spartanis fuscepto] *qui cives Lacedaemoniorum castra secuti non fuissent, lata sententia servos judicatos, Heloteſque* (35) *appellatos: quicumque vero Spartanis durante bello procreati essent filii, eos Parthenias ab his vocatos & infamia notatos. Hos* [Parthenias] *iniquissime rem ferentes, cum numero valerent, populo insidiatos fuisse: id ubi populo suboluit, submisisse quosdam, qui simulata cum illis* (Partheniis) *amicitia, insidias patefacerent. Inter conspiratos fuit etiam Phalanthus . . . Ita Partheniae delatam indicio conspirationem intelligentes, alii fuga dilapsi, alii cum supplices veniam postularent, bono animo esse jussi, in custodiam traduntur. Phalanthum autem* [Spartani] *misêre Delphos, ad oraculum de colonia deducenda quaerendum: quod tale fuit:*

(Σατύρειον (cor. Σατύριον) τοι δῶκα, Τάραντα τε πίονα δῆμον
Οικῆσαι, καὶ πῆμα Ιαπυγίεσσι γενέσθαι)
Satyrium tibi do, pagum pinguisque Tarenti
Incolere, infestis & sternere Iapygas armis.

Ex his vides, duo loca Laconibus Partheniis a Pythio fuisse promissa,

(35) Servos cur Spartani ἕλωτας vocarint, habes antiquorum etymologias in H. Stephano tom. V. Thesauri. Videndum tamen an non Εἵλως, ἕλωτος, irregulare participium perfecti fuerit, a verbo Αἱλωμι, Capio, dialecto Laconica formatum. Itaque Εἵλως tantumdem quod bello captus.

Digitized by Google

miſſa, Satyrium ac Tarantem: de quibus infra. Pergit ex eodem Antiocho Geographus. *Eo igitur profecti cum Phalantho Partheniae, a barbaris itemque a Cretenſibus* [36] *qui loca iſta occupaverant, recepti fuerunt. Hi fuiſſe feruntur, qui cum Minoe in Siciliam navigaverant: qui poſtmodum, ubi Minos Camici apud Cocalum vita functus eſſet, e Sicilia ſolventes, eo adacti ſunt tempeſtatibus: quorum aliqui Adria* [37] *terreſtri itinere peragrato, in Macedoniam uſque proceſſerunt, ac Budeiorum* [38] *nomen tulerunt. Iapyges autem dictos tradunt omnes, qui haec loca ad Dauniam uſque incolebant, ab Iapyge dicti, quem ferunt a Daedalo ex Creſſa muliere ſuſceptum, Cretenſium fuiſſe ductorem. Vrbi autem Taranti* [Lat. Tarento] *a Tarante quodam heroe nomen quaeſitum fuit.* Hactenus ex Antiocho.

Sequuntur ſtatim ea quae apud Ephorum [39] idem reperit: quae ſunt hujuſmodi. *Ephorus autem de urbis conditu haec memorat: Lacedaemonios bellum intuliſſe Meſſeniis, quod ipſorum regem Teleclum Meſſenam ſacrificii cauſa profectum* [40] *occidiſſent: ob id ſe ſacramento obſtrinxiſſe, ſe non ante domum reverſuros, quam Meſſenam cepiſſent, ſin ſecus in oppugnatione morituros: interim minimos maximoſque natu cives ad urbis cuſtodiam reliquiſſe. Porro decimo expeditionis anno, Laconum uxores facta coitione quasdam de ſuo coetu ad viros adlegarunt conqueſturas, haud aequis conditionibus cum Meſſeniis bellum geri: quippe hos interim liberis operam dare, ipſos autem, viduis uxoribus domi relictis, in boſtico caſtra habere: itaque imminere periculum, ne patria vacua virorum reddatur. Ibi Lacedaemonios, tum jurisjurandi tum legationis uxorum habita ratione, robuſtiſſimum quemque atque aetate minimum ex militari juventute delectos* [*quos adeo a jurisjurandi religione immunes noſſent, ut qui adhuc pueri cum adultis olim ad bellum profecti fuiſſent*] *domum remiſiſſe, iiſque permiſiſſe, ut cum omnibus omnes virginibus promiſcue rem haberent, ita copioſiorem rati ſubolem naſcituram: itaque qui ſic procreati fuiſſent, Partbenias* [41] *appellatos . . . Ceterum Spartanos ad ſua tandem reverſos, Partheniis non eumdem ac aliis civibus honorem detuliſſe* [42] *ceu qui ex non juſtis nuptiis nati eſſent. Itaque Partbenias cum Helo-*

(36) Hanc Cretenſium Tarentinam coloniam a Diodoro (qui in Cretenſibus in Siciliam advectis multus eſt) praetermiſſam, huic Antiochi loco debemus. De hac Cretenſi colonia nos infra Sect. III.

(37) Notanda eſt hoc loco τὸ Ἀδρίᾳ acceptio. Nam *terreſtre iter* notat, *Adriam* hîc non pro mari, ſed, opinor, pro ora Hadriatici maris accipi: quae vocabatur, puto, *Hadria* ob eam cauſam, quod & mari cognomine alluereturr, & duo vetuſtiſſima ejusdem nominis oppida haberet, in Piceno unum, in Venetia alterum. Herodotus videtur eâdem notione, atque hîc Antiochus, uſurpaſſe lib. I. cap. 163. ubi Phocaeenſes dicuntur *ſuis navigationibus* (τότε Ἀδρίην καὶ τὴν Τυρσηνίην κατάδεξαντες) *Hadriam & Tyrrheniam primi Graecorum ceteris oſtendiſſe*. Vbi cum Tyrrhenia ſit terrae nomen, etiam *Hadria* talis fuerit neceſſe eſt.

(38) Graece eſt Βυδεῖνς προσαγορευθῆναι. At Meurſius in Creta IV. 5. & 6. non Βυδεῖνς, ſed Βοττιαίους hîc ſuadet eſſe legendum: niſi forte duo potius fuerint eorumdem diverſa nomina.

(39) Antiochus, ex quo hactenus Strabo narraverat, Herodoti, at Ephorus Iſocratis (cujus & diſcipulus fuit) aetate vixit. Ita alter non modo multo recentior Antiocho fuit, ſed nec fide, nec accuratione & φιλαληθείᾳ cum priore comparandus. Vide Voſſium in Graecis hiſtoricis.

(40) In belli cauſa ab Ephoro recedit Juſtinus III. 4. *Propter ſtupratas*, inquit, *virgines ſuas* (Lacaenas ſcilicet) *in ſollemni Meſſeniorum ſacrificio*. In ceteris ſatis cum Ephoro concors.

(41) Apud ſcriptores antiquos quaevis innupta, quamvis non integra, παρθένος vocabatur. Idcirco quivis e promiſcuo cum virginibus illis concubitu procreatus dicebatur παρθενίας aut παρθενίης; tamquam qui matrem tantum (ea Laconibus ſcilicet dicta παρθένος) non item patrem monſtrare poſſet. Vide Servium ad Geor. IV. 126. Porro Heſychius hos eosdem formâ diversâ παρθενίους nuncupavit.

(42) Hinc uſque ad finem narrationis hujus quaedam ex Trogo Juſtinus paullo aliter deſcribit, ſed & plura inſuper de Phalantho addit: *Qui*, inquit (Parthe-

Digitized by Google

Helotibus communicato consilio, struxisse Spartanis insidias . . . Sed rei indicio ab Helotibus quibusdam facto . . . edixisse Spartanos, ut conjurati solum verterent . . . eisque porro persuasisse, ut aliquo in coloniam abirent . . . Sic profectos Partheniας incidisse in Achaeos cum barbaris bellum gerentes; cumque se adjunxissent Achaeis, postremo Tarentum condidisse.

Huic historiae Pausanias lepidam fabellam ex veterum traditione (43) adjecit. Servius etiam quaedam ad Aen. III. vers. 551. habet, quae, ubi usus erit, haud segniter adscribemus. Nunc enim variae Tarentinorum fortunae filum ab origine prima exorsis retexendum videtur. Ex hactenus autem dictis perspicitur, ante quam Laconica colonia Tarentum deduceretur, duos urbis illius fuisse status. Nam ante Spartanos, Cretenses Tarentum obtinuere, si Antiocho tam vetusto scriptori, cujus locum modo ex Strabone descripsimus, fides est. Ante Cretenses vero eumdem locum barbari tenuerant ii, quibus & Τάραντος (*Tarenti*) nomen & fundatio prima debetur.

SECTIO II.

De primo Tarenti exordio sub Noachica aut heroica tempora.

ERgo ab oppidi conditu incipiamus, quem Taranti heroi Strabo assignavit in fine narrationis Antiochi. Ceterum is heros Neptuni an Herculis filius fuerit, incertum. Neptuni filium vocat Servius ad Aen. III. 551. *Delatique* [Partheniae] *ad breve oppidum Calabriae, quod Taras Neptuni filius fabricaverat, id auxerunt.* Ante Servium Pausanias id prodiderat in Phocicis ajens: Τάραντα τὸν ἥρω Ποσειδῶνος φασὶ καὶ ἐπιχωρίας νύμφης παῖδα εἶναι . . . *Tarantem fuisse heroem tradunt, Neptuni ex nympha indigena filium: ab eo vero nomen & urbi & amni impositum; eodem quippe fluvius, quo urbs nomine, Taras* (44) *vocatur.* Accedit

 postre-

theniae) *cum ad annos XXX. pervenissent, metu inopiae (nulli enim pater exsistebat, cujus in patrimonium successio speraretur) ducem Phalanthum assumunt filium Arati, qui (Aratus) auctor Spartanis fuerat juventutis ad generandam sobolem domum remittendae: ut sicuti dudum patrem ejus nascendi auctorem habuissent, sic ipsum spei ac dignitatis suae haberent. Itaque nec salutatis matribus, e quarum adulterio infamiam collegisse videbantur, ad sedes inquirendas proficiscuntur: diuque & per varios casus jactati, tandem in Italiam* (veterem illam, quam in Παρεκβασει I. pag. 56. descripsimus) *deferuntur, & occupata arce Tarentinorum, expugnatis veteribus incolis, sedes ibi constituunt. Sed post annos plurimos dux eorum Phalanthus per seditionem in exsilium proturbatus, Brundusium se contulit, quo expulsi sedibus suis veteres Tarentini concesserant. His moriens persuadet, „ Ut ossa sua postremasque reliquias conterant, & tacite spargi in foro Tarentino„ rum curent, hoc enim modo recuperare illos patriam „ suam posse, Apollinem Delphis ceciniisse. „ Illi arbitrantes eum in ultionem sui, civium fata prodidisse, praeceptis parere. Sed oraculi diversa sententia fuerat. Perpetuitatem enim urbis, non amissionem hoc facto promiserat. Ita ducis exsulis consilio, & hostium ministerio possessio Tarentina Parthenis: in aeternum fundata: ob cujus beneficii memoriam Phalantho divinos honores decrevere.*

(43) Pausanias in Phocicis. *Tarentum coloniam deduxere Lacedaemonii, duce Phalantho Spartano. Huic coloniam deducturo Delphis oraculum redditum est „ Cum „ sub aethra pluviam animadvertisset, tunc se agri & „ urbis compotem fore. „ Sed cum neque per se, quid illud responsum innueret, satis considerasset, neque omnino quemquam interpretum consuluisset; classe in Italiam applicuit. Ibi cum barbaros vicisset, neque tamen vel urbe ulla vel agro potiri posset; oraculi in mentem ei venit: ac plane sibi, quod fieri nullo modo posset, dei voce significatum suspicari coepit: quod scil. numquam eventurum esset, ut puro serenoque caelo (αἴθραν Graeci vocant) plueret. Hunc uxor animum despondentem . . . solabatur. Et ejus aliquando caput genibus sustentans, dum pediculos legit, lacrymae prae mariti amore ob ejus adversos casus & spem irritam, mulieri obortae. Atque effusius flens, viri caput perfundit. Tunc primum evolutae sunt oraculi ambages. Nam Aethra nomen uxori erat. Itaque nocte consecuta Tarentum urbem barbarorum maritimam, maximam & opulentissimam cepit.*

(44) Tarantis fluvii Stephanus meminit. ΤΑΡΑΣ, πόλις Ἰταλίας, καὶ ποταμὸς ὁμώνυμος. *TARAS, urbs Italiae cum cognomine fluvio.* Ejusdem *Tarantis* omnes meminit & Appianus in V. ἐμφυλίων. De ejus situ vide Cluverium p. 1234. v. 7.

Digitized by Google

poſtremo & Probi grammatici diſertus locus, quem infra invenies ſect. V.

At Herculis filium videtur voluiſſe Virgilius Aen. III. 551. canens:

Hinc ſinus Herculei, ſi vera eſt fama, Tarenti.

Nam cum navigatio a Marone deſcripta ſtatim ab Iliaca calamitate acciderit, non videtur eo ſpectaſſe poeta, quo commentatores volunt [quaſi ſcil. *Tarentum Herculeum* dixerit, quia Phalanthus octavus ab Hercule fuerit, & quia antiqui Laconum reges Heraclidae fuerunt] non eo inquam reſpexit, quia Partheniarum colonia multo recentior Troico caſu fuit. Quocirca videtur Maro Tarantem Herculis voluiſſe filium: quod ne Servius quidem diſſimulavit: *Quidam*, ait, *Tarentum, ante Satyrium dictum tradunt* [hoc quidem falſum, nam Satyrium a Tarento urbe infra diſtinguemus] *& ab HERCVLIS FILIO TARENTO poſt Tarentum dictum*.

Sed accuratius putanti mihi rationes videtur Virgilius non niſi κατὰ πρόληψιν (*per anticipationem*) qua ſcriptores paſſim ſolent ſuorum temporum vocabulis uti, Tarentum vocaſſe [*] *Herculeum*. At vero is Maronis verſiculus poſtea grammaticis fraudi fuit, ex eo occaſionem arripientibus comminiſcendi, Tarantem Herculis fuiſſe filium. Nec enim praeter commentatores quiſquam alius Tarenti conditorem Herculis filium dixit. Servius ipſe initio commentarii ad hunc verſum, & ad Georg. IV. verſ. 126. ἀναμφισβήτως [*ſine ulla haeſitatione*] Tarantem *Neptuni filium* fecit; ſicuti & Pauſanias & alii prodiderant.

Cave tamen hanc de Tarante heroe conditore narrationem inter fabulas amandaveris. Ejus quidem Strabo commeminit in fine prolixae narrationis, quam ex Antiocho [quantae antiquitatis ac fidei auctore!] deſcripſerat: cui famae ceteri omnes ſcriptores adſtipulantur. Nihil igitur, mihi crede, in eo eſt fabuloſum, modo Heroes iſtos urbium conditores pro Noachidis accipias, aut ſaltem pro Chananaeorum aevo Ioſuae extorrium ductoribus. Sane quidem, ſi ſapimus, ethnicorum *Taras* haud profecto alius quam *Tiras* Iapheti filius [vide Gen. X.] fuiſſe videbitur. Prioris vocalis diſcrimen non nauci faciendum eſt, cum in Orientis linguis vocales, quippe ad vocum ſubſtantiam haud pertinentes, ſint facillime permutabiles. Idem ergo Hebraeis *Tiras*, qui Graecis [45] Italienſibus *Taras*. Id vero quis ibit inficias, qui utriuſque genealogiam ſpectet? Taras enim non Herculis [nam haec opinio, ut ante dixi, reperta a grammaticis fuit, ut illius *Herculei Tarenti* apud Virgilium rationem afferrent] non ergo Herculis ſed Neptuni filius fuit, teſtificante id Pauſania, Servio pluribus locis, Probo, imo & Horatio, qui ſic uſurpavit: *Neptunoque ſacri cuſtode Tarenti*. Nec enim videtur alia exſtitiſſe cauſa cur Tarentum Neptuno *ſacrum*, & ſub ejus tutela fuiſſe canat, quam quia a Tarante Neptuni filio conditum. Porro autem Neptunum fuiſſe αὐτόχθονον Iapheturn

Noae

(*) Non quia ſcilicet *Herculeum* ab origine prima fuiſſet, ſed quod, ſcribente Poeta, jampridem fuiſſet *Herculeum* i. e. Laconicum oppidum.

(45) Italienſes Graeci, praecipue Tarentini, Doricâ dialecto utebantur: quae vocali A ſummopere delectabatur. Notum eſt illud Theocriti, πλατυσμὸς ὁσσαις ἄνδρασι, de Siculis mulieribus, immodice abutentibus A vocali, dictum. Ibi ſcholiaſtes illud πλατυσμὸς ὁσσαις exponit διαρίζουσαι, quia, inquit, οἱ Δωριεῖς πλατύζουσι, τὸ Α πλουνίζοντες: *Dores patulo ore loquuntur, dum vocali* A *ſupra modum utuntur*.

Digitized by Google

Noae filium; nemo hodie poſt ingenioſa Bocharti, & aliorum argumenta dubitat. Ergo Moſaicus *Tiras*, & Italienſium Graecorum *Taras*, & ejusdem fuere nominis, & eumdem habuere patrem.

Dicent, Moſaicum *Tiras* Thraciam frequentaſſe coloniis, non vero Italiam. Age, receptae id opinioni de Tiraſo Thraciae parente demus. Verum quid impedit, quo minus ex priſcis *Tiraſi* nepotibus aliquis ex Thracia in Calabriam caſu aliquo delatus, ibi oppido a ſe condito nomen a primo ſtipite ſui generis fecerit? Sexcenta ſunt generis hujus exempla. Medeam narrant in Ponto regnantem, ibi loca tranſnominaſſe omnia, ut paria faceret patriae quam reliquerat.

Accedit hoc etiam, quod ſexcenta in his locis ſunt orientalium vocum veſtigia. *Calabria*, ut alibi dicam, aeque ac *Brettia* a piceis arboribus ſic appellantur, vocabulis ex Oriente ductis. *Iapygia* cur a *fugiendo*, ita dicta fuerit, alibi ex orientali ſermone expediam. *Satyrion* [Tarento [46] vicina regio, ſive oppidum, ſive omnino locus Tarento proximus] ab Hebraico *Latendi* verbo nomen habuit, quia latebram Saturno praebuit, ſive forſitan iis qui *a facie Ioſuae* fugerunt: unde& Italia illa vetus, quae tantumdem ac vetus Oenotria patuit, appellabatur teſte Dionyſio *Saturnia*, nempe a *latendo*. *Galeſus* Tarento proximus amnis eodem orientali ſermone ad *migrationes* ſive Noachidarum ſive Chananaeorum refertur.

Hactenus prima aetas Tarenti fuit, qua a Noachidis ſive barbaris [ut Graeci appellant] incolebatur. Ac ne Cretenſes quidem, qui ante Trojanum bellum Tarentum incoluere, minus barbari procul dubio dicendi erunt: ac fallitur haud dubie Strabo (qui nempe ſolus horum Cretenſium Tarentinam coloniam certo ex Antiocho adumbravit) dum Cretenſes iſtos barbaris prioribus oppoſuit (*). Tamen nolo nunc de voculae uſurpatione dimicare.

SECTIO III.

De Cretenſium colonia Tarentum deducta.

HUjus coloniae notitiam unice debemus Antiocho, ex quo ea Strabo deſcripſit, quae hujus cap. ſectione I. in priore narratione

(46) Memoratur id in oraculi verſiculo, quem Strabo affert in Antiochi narratione: v. ſupra Sect. I.

Satyrion tibi do, pinguis pagumque Tarenti.

Id vero quidam apud Servium ad Aen. III. 551. idem ac Tarentum ſomniarunt. *Quidam Tarentum antea Satyrium dictum tradunt.* Atqui non ipſum Tarentum ſed prope Tarentum regio id nomen habuit. Stephanus: ΣΑΤΥΡΙΟΝ, χώρα πλησίον Τάραντος· τὸ ἐθνικὸν Σατυρῖνος καὶ Σατύριος. *SATYRIVM, regio prope Tarentum: gentile Satyrinus & Satyrius.* Porro cum vocalem Graecanicam Latini in V permutaſſent, hinc illud Maronis in II. Geor.

Saltûs & Saturi petito longinqua Tarenti.

Saturi enim (uno I longiore) pro *Saturii* poſuit: quod tritiſſimum eſt. Servius: *Saturi Tarenti: Aut ſecundi: aut quod eſt juxta oppidum Saturum* (imo *Saturium*). *Tarentum enim & Saturium vicinae ſunt Calabriae civitates. Horatius* (locus eſt I. Satyrâ 6.) *me Satureiano vectari rura caballo.* Ad eumdem Virgilii locum Probus grammaticus ſic commentatur: *In finibus Tarentinorum eſt locus, quem Saturium vocant, unde etiam paludem Saturam, cujus etiam in VII. mentio eſt, cum ait Virgilius: Quâ Saturae jacet atra palus. Saturi ergo Tarenti, a Saturio loco, vel a Satura palude dixit.* Mox idem a *Saturo loco* Tarentum a Virgilio *Saturum* dictum putat. His adde Cluverium. *Eſt hodieque locus* (verba ejus ſunt pag. 1237. v. 54.) *VIII. millibus paſſuum ab Tarento diſſitus, vulgari vocabulo Satûro.*

(*) Vbi ex Antiocho refert, Parthenias *a Barbaris itemque a Cretenſibus* Tarentinis exceptos fuiſſe (locum vide ſupra ſect. I.) quaſi ſcilicet Cretenſes illi alii a barbaris Eteocretibus fuerint. Sed danda eſt viro maximo venia in re tam abſtruſae originis.

Digitized by Google

ne produximus. Et tamen quae mens Cluverio fuit, qui in Sicilia pag. 33. poſt recitatum Strabonis locum, graviter accuſat Geographum, quaſi qui auctore nullo, contraria Diodoro Siculo, contraria Herodoto ſcripſerit? Nec recte ibidem verſ. 30. *neſcio quos auctores ſecutum* Strabonem queritur; cum hic in ejus narrationis, quam ſect. I. protulimus, principio omnia ſe ex Antiocho Syracuſano (illo ſcilicet, qui Herodoti aetati ſuccrevit, paullo junior) deſcripſiſſe fateatur, ſicuti & ex Ephoro ſequentem narrationem. At enim (inquit v. 44.) *contraria ejus narratio Diodoro* & aliis fuit. Age videamus quid antiquis auctoribus Strabo contrarium attulerit.

Duas Cretenſium in Sicaniam [id enim tunc inſulae nomen] expeditiones apud antiquos reperio: unam ſub ipſius Minois Daedalum inſequentis ductu, alteram poſt Minoem a Cocalo nefarie extinctum multo maximam, quippe ex omnibus Cretae populis ad ſcelus ulciſcendum inflammatis conflatam. Haſce duas expeditiones, utpote ab eisdem inſulanis eâdem de cauſa & ſub idem ferme tempus ſuſceptas, in unam (quod ſcriptores omnes compendio ſtudentes aſſolent) Antiochus [47] apud Strabonem commiſcuit, itemque Diodorus [48] Siculus. At amans λεπτολογίας Herodotus unam ab altera accurate diſcrevit: cujus proinde locum huc adſcripſiſſe non poenitebit. Is Muſa VII. cap. 170. hanc totam de Minois nece & Cretenſium erroribus hiſtoriam ex occaſione tractans, haec longe alterius narrationis filo interponit. *Siquidem fertur Minoem, cum Daedalum inveſtigans, in Sicaniam, quae nunc Sicilia dicitur* [49] *perveniſſet, violenta morte occubuiſſe: interjecto poſtmodum tempore Cretenſes univerſos, exceptis Polichnitis & Praeſiis, divinitus impulſos, cum ingenti claſſe in Sicaniam trajeciſſe, & quinquennio obſediſſe Camicum, quam aetate mea Agrigentini incolunt: ad extremum cum neque illam expugnare poſſent, neque permanere; fame compulſos relicta urbe abiiſſe. Porro dum circa Iapygiam curſum tenerent, ingentem eos tempeſtatem adortam in terram ejeciſſe,*

(47) Antiochi locum ex Strabone a me Sect. I. productum, nunc iterabimus, ne lector alio ſe rejici inique ferat. *Eo igitur* (Tarentum ſcilicet vetus) *profecti cum Phalantho Partheniae, a BARBARIS* (h. e. Noachidis primitivis incolis) *itemque a CRETENSIBVS, qui loca iſta occupaverant* (tunc ſcil. cum poſt Hyriam conditam, *alias urbes* inſuper Iapygiae occuparunt teſte Herodoto, inter quas utique Tarentum) *recepti fuerunt. Hi* (Cretenſes) *fuiſſe illi ferunter, qui cum Minoe* (aut paullo poſtea, necis Minoiae ulciſcendae cauſa) *in Siciliam navigaverant: qui poſtmodum ubi Minos Camici apud Cocalum vita functus eſſet, e Sicilia ſolventes, eo* (in Iapygiam) *adacti ſunt tempeſtatibus: quorum aliqui Hadria terreſtri itinere* (quod eorum claſſem procella quaſſaverat) *peragrato, in Macedoniam proceſſerunt . . . Iapyges autem dictos tradunt omnes, qui haec loca ad Dauniam uſque incolebant, ab Iapyge vocatos, quem ferunt a Daedalo ex Creſſa muliere ſuſceptum, Cretenſium fuiſſe ductorem.* Haec ultima de Iapyge ridet Cluverius: nos in Antiochi auctoritate conquieſcere malumus, quam tam gravi & antiquo ſcriptori dicam ſcribere.

(48) Diodori verba lib. IV. non ab initio totius narrationis repetam, ſed a cap. 79. nim. a Minoiae claſſis in Siciliam appulſu. *Expoſitis* (Minos) *copiis, nuntiis ad Cocalum miſſis, Daedalum ad ſupplicium expoſcit. Ibi Cocalus Minoi ad colloquium vocato omnia ſe facturum pollicitus, hoſpitalibus eum demulcet officiis: quem lavantem, Cocalus nimium diu in thermis detentum, caloris aeſtu ſuffocavit: redditoque Cretenſibus cadavere, hanc morti ejus praetexuit cauſam, quod ex lubrico in fervidas aquas lapſu mortem oppetiiſſet.* Poſt non nulla. *Cretenſes autem a Minoe traducti in Siciliam, poſt ejus mortem, rege deſtituti tumultuabantur. Cumque naves a Sicanis Cocalo ſubditis incenſae fuiſſent, deſperato in patriam reditu, habitare in Sicilia decreverunt. Pars ergo urbem condunt a regis ſui nomine Minoam vocatam: pars mediterraneis peragratis, nacti munitum locum, oppidum, a fonte ibi ſcaturiente Engyum appellatum, aedificarunt. Poſtea vero ſub Troiae excidium, Merionem Cretenſem in Siciliam cum popularibus ejectum, quod gentiles eſſent, in civitatis communionem ſuſceperunt. Interim ex urbe munita eruptionem faciendo, & finitimos ſubigendo, non mediocrem regionis tractum ſibi comparavarunt.*

(49) Et quidem δύναμιν ἀξιόλογον (*claſſem inſtructiſſimam*) ad id Minoem comparaſſe, & poſt appulſum *copias expoſuiſſe*, Diodorus IV. 79. narravit. Id vero Herodotus tacuit, neminem ratus ſuſpicaturum potuiſſe regem ad expeditionem ſine copiis proficiſci.

Digitized by Google

ejeciſſe: cum vero quaſſatis navibus, nullus in Cretam receptus oſtenderetur, illic urbem Hyriam condidiſſe, quam inſidentes, mutato nomine, pro Cretenſibus Iapyges Meſſapios, proque inſulanis, continentis incolas evaſiſſe: ac porro poſt urbem Hyriam alias praeterea tenuiſſe. Quas diu poſt Tarentini evertentes, in offenſionem belli maximam inciderunt. Mitto cetera, inter quae illud illuſtre cap. 171. inſeritur: τρίτῃ δὲ γενεῇ μετὰ Μίνεω πλευτήσαντα, γενέσθαι τὰ Τρωϊκά, *Tertia ab exitu Minois aetate bellum Trojanum incidiſſe.* Quae extrema verba libuit adtexere, ut tempus Tarentinae Cretenſium coloniae intelligas. Nempe ſi Cretenſes illos priores Minois commilitones incoluiſſe Tarentum ſtatuas; tertia id ferme aetate h. e. annis trecentis ante Troica tempora contigiſſe neceſſe eſt: ſin poſteriores; ne ſic quidem Cretenſium iſta colonia multo recentior tertiâ ante Iliacum excidium aetate fuerit.

Verum mihi non eſt dubium quin ad poſteriores potius Cretenſes deductio Tarentina pertineat, ſive, ſi mavis, ad eosd. poſteriores cum prioribus junctos. Omnia certe quae de poſteriore expeditione narrat Herodotus, in illos Cretenſes Tarentinos ab Antiocho memoratos congruunt. I. Cretenſium in Iapygiam appulſus Herodoteus cum Antiocheo conſentit. II. Illud Herodoti συναραχθέντων τῶν πλοίων (*quaſſatis navibus*) pulchre cum eo convenit, quod eos Antiochus terreſtri itinere oram Hadriatici ſinus circumiviſſe & in Macedoniam uſque perrexiſſe refert. III. Accedit illud ejusdem Herodoti, ἀτὸ δὲ Τρίτης πόλιος τὰς ἄλλας οἰκῆσαι (*poſt urbem Hyriam alias praeterea tenuiſſe* Cretenſes): harum ſiquidem *aliarum urbium*, quas obtinuere, complexu Tarentum etiam fuiſſe contentum, Antiochi narratio ſuadet. IV. Nec tantum Antiochi, ſed & Herodoti locus fateri id cogit. Nam cum in hoc Cretenſium facinus cauſam Tarentinorum veterum adverſus Cretenſes belli Auctor Muſarum conferat; id aperte declarat non alia de cauſa bellum tantum [quod fuiſſe cruentiſſimum [50] idem in ſequentibus queritur] exarſiſſe, quam quia Cretenſibus proturbare e Tarentinis ſedibus barbaros, i. e. Noachidas veteres poſſeſſores, nitentibus, Tarentini Rheginis in belli ſocietatem tractis diu multumque reſtiterint. Ad ultimum tamen ſic inter utroſque conveniſſe, ut Tarentum aequo jure a barbaris ſimul & Cretenſibus junctim incoleretur, Antiochi apud Strabonem verba illa ſuadent [v. Adnot. 47.] ubi Lacones Parthenias Tarentum appulſos a barbaris aeque atque a Cretenſibus benigne exceptos ſignificatur. Nam illi *barbari* haud alii ſunt quam primi Tarenti conditores, qui tam diuturno cum Cretenſibus aggreſſoribus bello attriti, eos tandem in urbis ſocietatem adſciverunt. Atque haec altera eſt colonia, quam Cretenſem vocabimus: quae a tertiâ ante Trojanum bellum aetate incipiens ad Olympiadem uſque XXI. perducitur: qua Laconum Partheniae in eamdem ſocietatem admiſſi fuerunt: de quo jam pauciſſima addemus.

SE-

(50) Eo ſpectant illa, quae ibidem ſubjicit Herodotus eam nim. fuiſſe maximam omnium, quae innotuerit, caedem, tum Rheginorum tum in primis Tarentinorum. Nam, ut addit, Tarentinorum amiſſorum numerus iniri non potuit.

Digitized by Google

SECTIO IV.

De Partheniarum Tarentina colonia.

PArtheniarum migratio cur in XXI. Olympiadis annum primum ſit conferenda, Petavius Rat. temp. lib. II. cap. 12. demonſtravit; Hanc Partheniarum coloniam Graeciſimum, tum primum intuliſſe Tarento, cum adhuc Tarentini barbari eſſent, certiſſimum (51) habeo

(51) *De eo quod Tarentini uſque ad Partheniarum adventum barbari fuerint, utpote partim indigenae, partim Eteocretes. Quod Eteocretes non ſint aliud quam Veri Cretenſes h. e. primi Cretae habitatores barbari. Quando & qua occaſione id nomen inceperit, ex collatis inter ſe Strabone & Herodoto (quibus & lux affunditur) opportune aperitur. Homeri locus cum Herodoto comparatur.*

Ajo Tarentinos uſque ad Olympiadem XXI. h. e. uſque ad Partheniarum adventum fuiſſe barbaros i. e. lingua & moribus a Graecis alienos. Id quidem de primitivis illis Tarentinis, quos ex Iapheto per *Tiras* duxiſſe genus oſtendi, non eſt dubium. At etiam Cretenſes illi, qui tertia ante Trojae excidium aetate eum conditoribus Iaphetidis Tarentum incoluerunt, nihilominus barbari fuerunt: id quod ita demonſtratur.

Κρῆτας (*Cretenſes*) primitivos a *Cerethaeis* (hi genus Philiſtinorum fuere in S. Scriptura celebre, e regione inſulae Cretae in ora Palaeſtinae habitantes) tum nomen tum & ortum traxiſſe, non eſt dubium. Vide Bochartum in Chanaan lib. 1. c. 15. Ergo uſque ad Minois aetatem Cretam Philiſtini ſive Palaeſtini incoluerunt. At poſtquam illa inſulanorum omnium expeditio ad Minois necem ulciſcendam facta fuit (tertia ante Trojam captam aetate id accidit) ex primis illis inſulae indigenis non alios quam *Polichnitas* & *Praeſios* domi remanſiſſe, Herodotus VII. 170. docuit. Itaque in exhauſtam habitatoribus inſulam tum primum Hellenas ſive Graecos immigraſſe, idem vetuſtiſſimus auctor ex Praeſiorum, qui in inſula remanſerant, relatu tradit ibidem cap. 171. his verbis: Ἐς δὲ τὴν Κρήτην ἐρημωθεῖσαν, ὡς λέγουσι Πραίσιοι, ἐφοικίζεσθαι ἄλλους τε ἀνθρώπους καὶ μάλιστα Ἕλληνας. *In Cretam igitur deſolatam tum homines alios, tum maxime Hellenas fuiſſe deductos, Praeſii teſtantur.* Ergo non niſi poſt exhauſtam ex Sicula expeditione inſulam, Cretae incolae coeperunt ex Palaeſtinis Graeci fieri ac vocari. Quare cum Cretenſes Tarentini ex eorum numero fuerint, qui diutule ante Graecorum in inſulam adventum Siculam expeditionem ſuſceperant; eos neceſſe eſt tum ſermone tum moribus fuiſſe barbaros, h. e. ut interpretor, non tam ſimiles Cretenſibus illis, qui poſtea per omnia Graeci fuerunt, quam *Eteocretas*: de quibus jam pauca injiciam.

Meminit Ἐτεοκρήτων Homerus Od. T. v. 176, cujus hexametros in fine Adnot. hujus adſcribam. Ibi Euſtathius, poſtquam fuerat id nomen interpretatus ἀληθεῖς Κρῆτας (*veros Cretenſes*) ſive αὐτόχθονας, *indigenas*, & γνησίους τῆς χώρας i. e. *regionis ingenuos* atque germanos; ſcite addit: λεχθέντες ἐτεόκρητες, ὡς πρὸς τοὺς ἐπήλυδας: *Veros-Cretenſes fuiſſe dictos comparate ad externos advenas*. Hoc jam antea Diodorus docuerat lib. V. *Qui Cretam*, ait, *incolunt, vetuſtiſſimos apud ſe exſtitiſſe ajunt eos, qui Eteocretes vocantur, quaſi indigenas*. At qua occaſione aut tempore vox *Eteocretum* ceperit, viam ad inveſtigandum Strabo unus attendentibus aperit lib. X. p. 475. ex Staphylo ſic adnotans: Τὸ δὲ κότινον Ἐτεόκρητας (κατέχειν) ὧν ἴδιος πολίχνιον Πρᾶσον, ὅπερ τὸ τῷ Δικταίῳ Διὸς ἱερόν. Qui locus multiplici malo laborans, mihi ante emaculandus eſt, quam Latine vertatur. Vitium autem duabus illis voculis haeret, πολίχνιον Πράσον, quas *Urbeculam Praſum* vulgo interpretantur. Nec enim prius nomen appellativum, ſed proprium eſt urbis illius, a qua ſunt illi *Polichnitae*, quos Herodotus VII. c. 170. cum *Praeſiis* junxit. Eadem, ut puto, Stephano Πολίχνη dicitur, quia rectum utroque modo terminabatur. Poſt Πολίχνιον autem (majuſcula primore littera inſigniendum) addenda eſt copula καὶ: quam inſcite librarii obelo jugularunt, rati πολίχνιον appellativum eſſe. Poſtremo quia in Strabone ſolo Πράσος A ſimplici legitur; is ex Herodoto, Athenaeo, Stephano corrigendus eſt, ut cum diphthongo ſcribatur. Lege igitur Πολίχνιον καὶ Πράσον. Tum facile erit interpretari: *Auſtrinam inſulae plagam ab Eteocretibus teneri: quorum eſt Polichnium & Praeſus*. Mox idem Geographus addit, & *Eteocretes* & *Cydones* (amborum Homerus meminit) *fuiſſe αὐτόχθονας indigenas, at reliquos advenas e Theſſalia*. Porro ſi hanc e Strabone hauſtam notitiam (nim. in urbibus duabus Polichnio, & Praeſo *Eteocretum* genus ſuperfuiſſe) cum Herodoto lib. VII. cap. 170. jungas; horum appellationis tum notionem, tum occaſionem tempuſque tenebis. Nim. eo loco ſcriptor vetuſtiſſimus docuit, ab illa Cretenſium univerſorum ad vindicandam Minois necem expeditione Polichnitas Praeſioſque ſolos abfuiſſe, domi relictos. Hoc tertia ante Ilium captum aetate accidit. At poſt idem tempus *Hellenas* (ex Theſſalia, uti ex Androne docet Strabo) ad frequentandam inſulam tum primum immigraſſe docuit Herodotus idem cap. 171. Graeci autem poſtquam inſulam tenuere totam, ſoli Praeſii & Polichnitae ex antiquioribus *Cretibus* ſupererant: quos ea de cauſa fuiſſe dictos ἐτεόκρητας manifeſtum eſt, *comparate* ſcilicet (quod Euſtathius adnotat, ante a Strabone adumbratum) *ad Graecos* (ἐπήλυδας) *advenas*: qui non germani Cretenſes erant.

Haec eo dixi, ut appareat Cretenſes Tarentinos fuiſſe ex Eteocretum genere, eorum ſcilicet, qui ad Cerethaeos illos in divina Scriptura memoratos originem ſuam referebant: proinde haud minus fuiſſe barbaros, h. e. a Graecitate alienos, quam primitivos Tarentinos, qui a *Tiras* (qui Graecis *Taras*) filio Iapheti (qui profanis *Neptunus*) ortum traxerant. Atque ea cauſa fuit cur Strabone excepto (qui Graecos Parthenias a *barbaris*, itemque a *Cretenſibus* benigne exceptos ſcripſit) ceteri in eadem narratione unice *barbaros* memorant. Quid mirum, cum tam primitivi illi Tarenti conditores, quam Cretenſes novi coloni, perinde utrique barbari fuerint?

Poſtremo Cretenſes qui Tarenti conſederunt, ejusdem σόλου (*claſſis*) pars erant, ac ii qui per *Iapygiam* ſparſim habitarunt, ut Herodotus ibidem diſerte tradit, addens eos pro *Cretenſibus* fuiſſe poſtea *Iapyges* appellatos: ex quo *Iapygum* origo panditur.

Iapy-

Digitized by Google

beo. Eamdem Laconica inſtituta diu fuiſſe [52] ſecutam, non eſt dubitandum: quo factum ut ab eo tempore urbs & amplitudine & imperio mirifice creverit, in primis Archytae ſtudio: de quibus vide Strabonem lib. VI. in Tarento. Et adhuc quidem floreſcebat Olympiade LXXXVI. qua (ut cap. I. diximus) in conditam ad Acirim amnem Heracleam ab eisdem colonia celeberrima tranſcripta fuit. Poſtremo Archytae Pythagorei temporibus h. e. circiter centeſimam Olympiadem urbs eadem ad miraculum viguit, quamdiu certe στρατηγῶντι (53) philoſopho *civitas* obtemperavit.

Tamen ſubſecutis temporibus ita diffluere luxu coepit, ut ad bella gerenda exteros duces adſciſcere ſint coacti, quorum tamen imperia detrectantes, eosdem infenſos ſibi fecerint. De his vide [54] Strabonem & alios. Itaque in pejus quotidie ruens, tandem circa

Iapyges orientali dialecto *profugos* ſignificare, alibi a me docebitur. Ergo Cretenſes tum Tarentini tum ceterae *Iapygiae*, ejusdem prorſus generis erant. Cum igitur Iapygas cuncta antiquitas pro barbaris habuerit; idem prorſus & de Cretenſibus Tarentinis omnino cenſendum erit.

Ad ultimum Homericos de Creta verſus, quos initio promiſi me rejecturum ad calcem Adnot. hujus, non invitus adſcribam ex Od. T. v. 175.

Ἄλλη δ' ἄλλων γλῶσσά μεμιγμένη· ἐν μὲν Ἀχαιοὶ,
Ἐν δ' Ἐτεόκρητες μεγαλήτορες, ἐν δὲ Κύδωνες,
Δωριῆς τε Τριχάϊκες, δῖοί τε Πελασγοί.
Lingua aliis alia eſt permixte: ſunt & Achaei,
Magnanimique Eteocretes, ſunt atque Cydones,
Doricesque Trichaices, clarique Pelaſgi.

Ex his Eteocretes tantum & Cydones fuiſſe αὐτόχθονες (*indigenas*) Strabo ibidem ex antiquis docuit. Quod ita intelligendum eſt, ut Eteocretes vere indigenae fuerint, h. e. incolae primi: at Cydones incolae ſecundi poſt inſulam exhauſtam advenerint, qui ob antiquitatem ipſi quoque αὐτόχθονες audierunt. Haec ita eſſe, ſuadet Herodotus lib. VII. cap. 171. ubi Cretenſes illos qui ad Trojanam expeditionem profecti fuerant, poſtea fame peſtilentiaque correptos narrat: *quo circa iterum deſolatam fuiſſe Cretam*, ſubdit, *eamque* (Τρίτους νῦν νέμεσθαι Κρῆτας) *a tertiis nunc* (h. e. aevo Herodoti) *Cretenſibus habitari*. Eteocretes ergo primi erant, Cydones ſecundi, tertii Achaei, Dores & Pelaſgi: quorum Homerus in ſuprascriptis verſibus ſimul omnium meminit.

(52) Partheniarum Laconiſmus ex Heracleenſium (qui Tarentinorum coloni fuerunt) Laconiſmo, cujus veſtigia plurima in Tabulis infra explicandis deprehendemus, aperte conſtabit. Inter cetera *Ephororum* crebra in iis tabulis mentio aperte docet, ad Heracleam Ephororum magiſtratum non niſi a Spartanorum republica per Tarentinos Heracleae conditores jam ab initio fuiſſe tranſmiſſum. Adhaec ab Herodoto Musâ III. c. 136. memoratur quidam Ἀριστοφιλίδης τῶν Ταραντίνων ὁ βασιλεύς, *Ariſtophilides Rex Tarentinorum*: quod cave ſic accipias, quaſi talis iſte Rex fuerit, quales in regnis habentur illi, quorum arbitratu cuncta domi militiaeque temperantur: verum rex erat cujuſmodi Spartani reges fuerunt, quorum auctoritas ſenatûs & Ephororum poteſtate coercebatur. Huc accedit quod Tarentini Dorica dialecto juxta cum Laconibus utebantur. Exſtat Archytae Tarentini ad Platonem epiſtola Dorice ſcripta, exſtant & alia ejusdem Dorica opuſcula, aut operum fruſta in Stobaeo & aliis. Eodem ſpectat, quod videntur Partheniae locis finitimis ita immutaſſe nomina, ut eadem plane eſsent ac quae in patria reliquerant. Nam qui *Galaeſum* amnem *Eurotam* tranſnominaſſent (quod teſtatur Polybius) idem eos & in aliis nominibus immutandis feciſſe neceſſe eſt: imo & re ipſa id in aliis molitos, idem Polybius affirmat lib. VIII. his verbis . . . παρὰ τὸν ποταμὸν, παρὰ μέν τισι Γαλαῆσον, παρὰ δὲ τοῖς πλείοσι προσαγορευόμενον Εὐρώταν, ὃς ἔχει τὴν ἐπωνυμίαν ταύτην ἀπὸ τοῦ παρὰ Λακεδαίμονα ῥέοντος Εὐρώτα. Πολλὰ δὲ τοιαῦτα κατὰ τὴν χώραν, καὶ κατὰ τὴν πόλιν ὑπάρχει τοῖς Ταραντίνοις, διὰ τὸ καὶ τὴν ἀποικίαν καὶ τὴν συγγένειαν ὁμολογουμένην αὐτοῖς ἔνια πρὸς Λακεδαιμονίους . . . *Ad flumen, quod quidam Galaeſum, plurima vero pars Eurotam appellant, ab Eurota illo, qui Lacedaemona urbem alluit, ſic nuncupatum. Ac ſunt talia multa tum in agro tum in urbe Tarentinorum* (ſic immutata nomina) *propterea quod hos & Spartanorum fuiſſe coloniam, & cum eisdem cognatione junctos, nemo hominum dubitat.*

(53) Strabo lib. VI. in Tarento: *Amplexi ſunt* (Tarentini) *Pythagoricam diſciplinam, prae reliquis Archytas, qui urbi illi longo tempore praefuit.* De eodem Laertius: *Septies civibus* (ἐστρατήγησε) *praefuit, cum ceteri plus anno imperare lege prohiberentur.* At Aelianus Var. hiſt. VII. 14. ſexies praefuiſſe ſcribit. Ex Syneſio pulcherrimum attuli Diatr. I. locum. Suidas multo plus ait, eum non tantum a ſuis ſed & a communi Graecorum Italiotarum electum fuiſſe αὐτοκράτορα *Imperatorem*. Τὸ κοινῇ δὲ (inquit) τῶν Ἰταλιωτῶν προῖστο, στρατηγὸς αἱρεθεὶς αὐτοκράτωρ ὑπὸ τῶν πολιτῶν καὶ τῶν περὶ ἐκεῖνον τὸν τόπον Ἑλλήνων. Quem Suidas vocavit στρατηγὸν αὐτοκράτορα (quaſi ſummum ſine provocatione magiſtratum dicas, cujuſmodi Romae dictator erat) hunc eumdem philoſophum auctor ῥητικῆς, qui Demoſtheni tribuitur, ait κύριον αὐτῆς (Ταραντίνων πόλεως) καταστάντα. Conſtitutum Κύριον dixit: quod item αὐτάρκειαν in ſummo magiſtratu deſignat.

Quando autem huc ſermone delapſi ſumus, proderit ex Plutarcho de educ. lib. pag. 10. haec afferre: *Ille* (Archytas) *cum a bello, in quo exercitum duxerat, reverſus* (γῆν καταλαβὼν κεχερσωμένην) *agrum offendiſſet incultum atque deſertum, arceſſito procuratore* (Ὤμωξας ἄν, ἔφησεν, εἰ μὴ λίαν ὠργιζόμην) *vapulares*, inquit, *niſi ira me effuſior occupaſſet*. Cui ſimile illud Platonis ad Speuſippum ſubjicit: *Hunc tu* (ſervum) *verbera, ego enim ſum valde commotus.*

(54) Strabo in Tarento illuſtre infenſi erga Alexandrum Moloſsum (quem ipſi Tarentini arceſſiverant) animi ſpecimen affert, quod cauſa omnis rei ab Alexandro male geſtae ad ipſorum Tarentinorum iniquitatem conferebatur. Καὶ δὴ ἡ συμβᾶσα αὐτῷ κακοπραγία, διὰ τὴν ἐκείνων ἀγνωμοσύνην ἀπαντῆσαι λέγεται.

Digitized by Google

Hannibalica tempora αὐτονομίαν amisit: quod maxime anno V. C. DXLIV. factum est, quo a Fabio Maximo capta fuit.

Porro quid ab eo tempore usque ad coloniam a Romanis acceptam Tarento evenerit, ex monumentorum inopia ignorare cogimur. Hoc tantum affirmare universe possum, quae res putabatur exitio Tarentinis futura (nempe quod in Populi Romani potestatem venerint) hanc eis saluti fuisse, propterea quod scriptâ tandem Tarentum Romanorum coloniâ, ab eo tempore summa tranquillitate frui coeperint, uti Strabo monet: cujus locum seq. Sectione excutiemus.

SECTIO V.

De duabus ultimis Tarentinae urbis conversionibus, per quas primum Romana colonia, deinde Municipium evasit.

QUarta Tarentinorum periodus ab eo tempore incipit quo Romana illuc colonia deducta fuit. Meminit ejus coloniae Strabo, haud tamen adscripto tempore. Qui de illius exitio praefatus his verbis (Περί τε τὰ Αννίβεια καὶ τὴν ἐλευθερίαν ἀρπρέθησαν: *Circa vero Hannibalica tempora etiam libertate spoliati fuerunt*) de colonia sic subjicit: Τέτερον δὲ ἀποικίαν Ρωμαίων δεξάμενοι, καθ' ἡσυχίαν ζῶσι, καὶ βέλτιον ἢ πρότερον. *Postremo Romanorum coloniâ in suam urbem recepta, quiete atque commodius quam olim, vivunt*. Diceres Geographum, verbo praesenti usum [ζῶσι, inquit] significare voluisse, suo tempore adhuc jure coloniae usos fuisse Tarentinos. At equidem cur malim eos aevo Strabonis jura municipii honori coloniae antetulisse, post paullo dicam.

Nunc enim annum deductae coloniae praestabit ex Paterculo, cui unice accepto est referendus, adnotasse. Vellejus lib. 1. cap. 15. *Cassio autem Longino & Sextio Calvino . . . consulibus Fabrateria deducta est . . . & post annum Scylacium, Minervium, Tarentum, Neptunia, Carthagoque*. Contigit hoc anno V. C. DCXXX.

Nunc venio ad tempus illud, quo Tarentum ex colonia municipium Romanorum evasit. Quando id potuerit accidere, prius dicam, deinde (ὕστερον πρότερον) id re vera accidisse. Post bellum Italicum id contigisse suspicor. Et eo quidem bello Tarentinos non Italicorum, sed potius Romanorum (cum & ipsi jam cives Romani essent) fovisse partes, non est dubitandum. At finito bello, ac civitate Romana cum populis Italicis communicatâ, tunc maxime Tarentinos crediderim coloniae dulcedini qualemcumque municipii αὐτονομίαν praetulisse, ne qua parte scilicet ipsi populis Italicis inferiores viderentur. Nam tunc temporis maxima finitimorum pars communi municipiorum conditione utebatur. Etiam Heracleam nostram fuisse municipium Neapoli simile, dicam infra cap. ultimo.

At re ipsa Strabonis aevo Tarentum jure municipii fuisse censitum, Strabo ipse statim ab initio lib. VI. significavit, ubi expostulat, in Graecis olim Italiae civitatibus suo tempore Graecitatem deletam,

Digitized by Google

letam, atque omnia jam ἐκβεβαρβαρῶσθαι [*evasisse barbarica.*] *Tarento*, *Rhegio*, ac *Neapoli* exceptis. Hic jam quaero, de lingua ne Grajâ abolita conqueritur, an de institutis? Non de sermone tantum dolet; hujus enim exstabant adhuc in oppidis illis vestigia; nam & *Canusini* adhuc Horatio *bilingues* dicebantur, & maximo post intervallo (ut cetera taceam) Clemens Alex. Graecos professores in Magna Graecia audivit, ut in Diatr. I. dictum. Ergo tum de lingua, tum maxime de institutis a Graecitate alienis Strabo queritur. Tarentinos autem, Rheginos, Neapolitanosque ideo excipit, quod jure municipii gaudentes, non tantum sermonem vulgo Graecum, sed & legibus & moribus Graecis viverent, & imaginem Graecae reipublicae adhuc servarent. Adhaec Cicero XIII. famil. 30. Neapolim [cui Strabo Tarentum comparat] aperte *Municipium* vocat: cujus locum cap. ult. proferam. Confer cum his, quae in Dissert. *de Cathedrali Neap. unica* Parte 2. ubi de Graecitate Neapolitana copiose disseruimus: quae magnam partem & Tarento conveniunt.

Accedit & Probi grammatici locus ad illud Virgilii, *Saturi Tarenti* (de quo supra) qui talis est: *Dicitur autem, Tarantem Neptuni filium, Lacedaemoniâ civitate, ex Saturia Minois Cretensium regis filiâ procreasse filium. Hunc projectum naufragio facto, delphinus in Italiam* (illam veterem ac primitivam) *evexisse dicitur. Cujus hodieque testimonium manet: nam in MVNICIPIO TARENTINORVM* (vides hîc Tarentum diserte *Municipium* dici: quod in antiquioribus libris grammaticus certe repererat) *in Municipio*, inquit, *Tarentinorum hominis effigies in delphino sedentis est.* Vltima haec verba ad illustrandos Tarentinorum nummos valent, in quibus *Tarantis* ille filius (nisi sit Taras ipse) Delphino vehitur. Eadem Pompeius Sabinus ex Probo totidem fere verbis exscripsit.

CAPVT V.

De METAPONTO, ejusque origine & etymologia, variaque fortuna.

METaponto nomen, ubi primum a barbaris h. e. ab Orientalibus advenis habitari coepit, Μέταβον [*Metabum*] fuit, teste Antiocho apud Strabonem his verbis: Δοκεῖ δ' Ἀντίοχος τὴν πόλιν Μεταπόντιον εἰρῆσθαι πρότερον Μέταβον, παρωνομασθῆναι δ' ὕστερον. *Antiochus existimat urbem Metapontum, primitus Metabum fuisse dictam, idque nomen in Metapontum postea fuisse detortum.* Eustathius quidem ad Dionysium, *Metabum* Herois conditoris fuisse nomen prodidit. κληθῆναι δέ, inquit, ὅτω λέγεται ἀπὸ Μεταπόντου τοῦ Σισύφου, ὃν οἱ βάρβαροι Μέταβον ἔλεγον. *Sic appellata dicitur a Metaponto Sisyphi filio, quem barbari vocabant Metabum.* Laudo quidem quod *Metabum* pro voce barbara agnoscat: at id heroi conditori fuisse nomen, non est necesse, cum id sit potius *sedis*, sive *habitaculi*

Digitized by Google

vocabulum . Vſitatum enim fuit Noachicis Phoeniciiſque temporibus generalia nomina coloniis ab ipſis conditoribus quaeri. Hinc, *Carthaginis*, *Cortonaeque* nomina *Civitatem* univerſe ſignificant. Nec ejus rei exempla cumulabo, quae ſunt ὅσα κώμης. Ergo uti inceperam, *Metabum* eſt ipſiſſimum מותב *Motab* Chaldaicum (ex quo antiqui mutata vocali fecere *Metab* . O enim quam creberrime in E tranſmutari, Voſſius in de Litterar. permut. demonſtrat). aut, ſi forte mavis, eſt ipſiſſimum מתיבא *Metiba*: quorum utrumque apud Chaldaeos *Sedium* ad habitandum, ſive oppidi nomen eſt. Syri pro ſua dialecto paullo aliter, ſed ſignificatu eodem id nomen efferunt . At poſtquam Graeci ibi habitare coeperunt, curam nullam ſibi priorem duxerunt, quam ut id nomen ita flecterent ac temperarent, ut Graecam originem prae ſe ferret. Idque ſibi Antiochus voluit, ubi παρονομασθῆναι poſtea *Metabum* dixit, ita ut *Metapontum* evaderet. Quo loco quid παρονομάζω ſit, obſcurum non eſt ſcientibus, quid ſit *Paronomaſia* . Certe παρονομάζειν hoc loco tantumdem eſt, quod nomen leviter aliorſum deflectere: quod Graeci plerumque in barbaris fecere nominibus, ut Graeci juris evaderent. Ergo *Metabum* ab Orientalibus colonis conditum fuit, & quidem diutiſſime ante cladem Iliacam.

At poſt Troica tempora Pyliorum colonia huc deducta narratur. Strabo: Πυλίων δὲ λέγεται κτίσμα τῶν ἐξ Ιλίου πλευσάντων μετὰ Νέστορος . . . *Opus Pyliorum fuiſſe dicitur, huc ab Ilio cum Neſtore tranſnavigantium: quos tanto ſucceſſu terram coluiſſe ferunt, ut auream meſſem Delphis dedicaverint. A Pyliis urbem fuiſſe conditam, ex Neleidum exſequiis colligunt.*

Poſtremo ubi Metapontum a Samnitibus deletum fuiſſet, iterum ab Achaeis habitatum fuit. Quae quemadmodum geſta ſint, praeſtabit ex Antiocho apud Strabonem cognoſcere: qui iis, quae proxime adſcripſi, haec ſtatim ſubnectit. Ηρανίσθη δ' ὑπὸ Σαννιτῶν· Αντίοχος δέ φησιν, ἐκλειφθέντα τὸν τόπον, ἐποικῆσαι τῶν Αχαιῶν τινας (μεταπεμφθέντας (55) ὑπὸ τῶν ἐν Συβάρι Αχαιῶν) μεταπεμφθῆναι δὲ κατὰ μῖσος τὸ πρὸς Ταραντίνους τῶν Αχαιῶν, τῶν ἐκπεσόντων ἐκ τῆς Λακωνικῆς, ἵνα μὴ Ταραντῖνοι γειτνιῶντες ἐπιπηδήσαιεν τῷ τόπῳ· Δυοῖν δ' ὄντων τῶν πόλεων, τῶν Μεταποντίων (καὶ (56) τῶν Σιριτῶν) ἐγγυτέρω τὸ Τάραντος, πεισθῆναι τοὺς ἀφιγμένους ὑπὸ Συβαριτῶν, τὸ Μεταπόντιον κατασχεῖν . . . . *A Samnitibus poſtea urbs deleta fuit. Antiochus vero narrat, locum illum tunc incolis deſtitutum Achaeos occupaſſe quosdam (ab Achaeis Sybaritis arceſſitos) evocatos vero fuiſſe ob Achaeorum, qui ex Laconica pulſi fuerant, in Tarentinos inimicitiam; ne ſcilicet hi, utpote vicini, in locum illum inſilirent. Cum vero urbes duae eſſent, Metapontiorum una (Siritarum altera) Tarento viciniores, a Sybaritis perſuaſum fuiſſe iis, quos evocatos diximus; uti Metapontum occupare mallent. Quo ſi potirentur, Siritidem quoque eſſent habituri: contra vero ſi in Siritin ſe verterent, fore ut Tarentini, a latere imminentes, Metaponto potirentur. Succeſsu vero temporis* (eosdem Sy-

(55) Haec quae interpoſui, ex MSS. eruta, in margine ultimae editionis reperiuntur: quae Strabonis eſse non dubito. Nam ſine his praeviis, quo pacto poſtea τοὺς ἀφιγμένους ὑπὸ Συβαριτῶν memoraſset?

(56) Hoc vero neceſſitate ſententiae adactus addendum duxi. Aut, ſi vero nihil ſit addendum; tum ſtatuendum erit, nomine τῶν Μεταποντίων tam *Metapontum* ipſum, quam etiam *Sirin*, aevo Antiochi ex aequo veniſse: de quo cap. VII. in fine ſect. I. uberius diſputabimus.

Digitized by Google

Sybaritas) *bellum cum Tarentinis, ſupraque adjacentibus Oenotris gerentes, accepta agri parte, quae tunc fuit Italiae & Iapygiae terminus, pacem compoſuiſſe.* Vtinam graviſſimi Syracuſani ſcriptoris σύγγραμμα περὶ Ἰταλίας [*Commentarius de Italia* primitiva] exſtaret: magna nos certe harum Diatribarum cura liberaſſet. Nunc vero haec quae nobis Strabonis induſtria fragmenta ſervavit, ſitim magis accendunt, quam ut quidquam ſatis explorati doceant. Vel ſic tamen ex ultima hujus fragmenti periocha diſcimus, Sybaritas Metaponto fuiſſe potitos, ac poſtea cum Tarentinis ea conditione pacificatos, ut agri pars tota, quae tunc Iapygiam ab Italia vetere divideret, Sybaritis cederet: itaque Sybaritas, quantum telluris inter Sybarim ipſam & Bradanum amnem [qui terminus Italiae & Iapygiae fuit] interjacet, ab ea parte poſſediſſe. Haec ſunt illa Sybaritarum latifundia, quae Strabo praedicat, ubi de Sybari agit. Haec vero cognoviſſe proderit ad ea quae cap. ultimo de Synodis dicturi ſumus.

CAPVT VI.

De PANDOSIA duplice.

VNicam uſque ad hunc diem geographi Pandoſiam agnoverant in Lucanis ſitam non longe a Conſentia; etiamſi fuiſſe & alteram Pandoſiam prope Heracleam, Plutarchi in Pyrrho auctoritas cogeret. At nunc demum cum praeter Plutarchi locum (cui fruſtra inferre manus Cluverius eſt adniſus, ut ejus vim declinaret) etiam Tabulae Heraclienſes accedant teſtes locupletiſſimae; profecto duplicem admittamus Pandoſiam neceſſe erit, quarum altera prope Heracleam fuit.

SECTIO I.

De Lucanorum Pandoſia.

HAnc prae alterâ celebrem plura faciunt. I. quod teſte [57] Strabone regia Oenotrorum fuit: II. quod poſtea: ſi Scylacis corrupto [58] loco credendum eſt, videatur Plataeenſium fuiſſe colonia: III. quod

(57) Strabo lib. VI. φασὶ δὲ βασιλεῖσθαι ποτε γενέσθαι τῶν Οἰνωτρικῶν βασιλέων τὴν Πανδοσίαν. *Regiam aliquando fuiſſe regum Oenotriae Pandoſiam ferunt.*

(58) *An Pandoſia Plataeenſium colonia aliquando fuerit. Ex occaſione, Scylacis Lucania percurritur & illuſtratur: inter cetera pluribus indiciis oſtenditur, Scylacem, vſi Herodoto majorem natu, tamen poſt Muſas ab Herodoto elucubratas operam Periplo impendiſſe.*

In Lucanis Scylax inter cetera *Eleae* (quae Latinis *Velia*) *Pandoſiam* ſubjicit hiſce verbis: Ἐλέα Θουρίων ἀποικία, Πανδοσία, Πλαταιεῖς. *Elea Thuriorum colonia, Pandoſia, Plataeenſes.* Ibi Cluverius pro Πλαταιεῖς reponit Πλαταιῶν, ita ut ſicuti *Elea Thuriorum*, ſic *Pandoſia Plataeenſium* Boeotorum colonia fuerit. Ac ſane neutrius coloniae fit apud antiquos mentio. Et tamen fieri poteſt, ut utraque colonia tunc recens deducta fuerit. De *Elea Thuriorum* colonia infra dicam. Nunc de Pandoſia Plataeenſium pauca. Fieri ergo poteſt, ut ſicuti in vicino Pandoſiae *Thebas Lucanas* (a Boeotis utique conditas) aliquando exſtitiſſe, Cato apud Plinium III. 11. memorat, ſic Plataeenſes Boeoti aliquando Pandoſiam (quae olim regum Oenotriae regia fuerat) immigrarint. Id qui-

Digitized by Google

III. quod ad hanc Pandoſiam Alexander Epiri rex in Acherontis amnis trajectu jaculo transfixus [59] occiderit. Ad ſitum quod attinet, ea nec intra Bruttiorum fines, nec in confinio Bruttiorum Lucanorumque fuit, ut falſo (60) Cluverius credidit, verum intra Lucaniae [61] terminos. Et quidem ita limitem Lucanum radebat, ut a Conſentiâ (quae haud dubie Bruttiorum fuit) prope abeſſet. Strabo lib. VI. *Temeſae proxima eſt Terina. Inde ſequitur Conſentia Bruttiorum Metropolis.* (μικρὸν δ' ὑπὲρ ταύτης Πανδοσία, φρούριον ἐρυμνὸν . . .) *Paullum ſupra hanc ſita eſt Pandoſia, munitum caſtellum, circa quam Alexander Moloſſus periit.*

quidem fieri potuit. Tamen nihil neceſse eſt in textu mutari quidquam. Haud raro vox eadem urbis ſimul ac populi nomen fuit, ut *Locri*, *Thurii* & ſexcenta id genus. Itaque nihil prohibet, quo minus aliquando Boeoti in vicino Pandoſiae tum *Thebas*, tum etiam Πλαταιεῖς, *Plataceas* condiderint; ac veriſimile eſt neutram diu perduraſſe, idque in cauſa fuiſſe, cur antiquitas de utraque ſiluerit, Catone & Scylace (cujus aetate *Plataeae* ſtabant) exceptis.

Quando autem huc ſemel ingreſſi ſumus, proderit univerſam Scylacis Lucaniam quam leviſſime percurrere. Sic incipit: Λευκανοὶ Σαννιτῶν ἔχοντες μέχρι Θουρίας. *Lucani Samnitibus ſuccedunt Thuriam uſque.* Vbi vides, oram totam quae a Paeſto Thurios uſque pertinet, Lucaniae tribui; cujus tamen tractûs quae pars intra iſthmum erat, Bruttiis aſſignanda fuerat. Verum hoc, ſi nihil aliud, ſcriptoris antiquitatem arguit. Nam quia aetate illa non dum Bruttii exorti fuerant; idcirco horum non meminit; ſicuti ne Herodotus quidem Bruttios uſquam nominat. Ac ſane etſi Herodotus videtur Scylace junior; tamen idem omnino Muſas ante Scylacem ſcripſit, & antequam in Thuriam coloniam nomen ſuum daret. Nam ni ita ſit; cur Thuriorum nuſquam meminit? cur ubi de Sybaritis agit, non verbo ſaltem uno monet, eos ſuo tempore *Thurios* vocari, ſeque unum ex colonis eo veniſſe? Id non inſolens Herodoto fuiſſet. At contra Scylax poſt deductam Thuriorum coloniam, periplo operam dedit; nam numquam Sybaritarum, Thuriorum autem pluries mentionem facit: imo & *Heraclii* meminit (quod nomen non ante Olymp. LXXXIII. oriri potuit, uti cap. III. ſect. III. praediximus) & *Eleae Thuriorum coloniae*, quae, ut infra notabitur, poſterior Herodoto fuit. Haec monuiſſe proderit. Sequitur: Ἐν τούτῃ πόλεις εἰσὶν ἑλληνίδες αἵδε· [Ποσειδὼν, καὶ καὶ Ἐλέα] Θουρίων ἀποικίαι. *In hac* (Lucania) *hae ſunt Graecae urbes:* [*Poſido*, *iae & Elea*] *Thuriorum colonia.* Id quod uncis incluſimus, ita refinxit Cluverius: Ποσειδωνία καὶ Ἐλέα, *Poſidonia & Elea.* Quod *Eleam* potius quam Τέλην (*Hyelam*) nuncuparit, id etiam indicio eſt, haec ultimâ ſenectute ſcripſiſſe Scylacem, quo tempore neglecto Τέλης nomine, *Elea* uſitatius vocabatur. At Herodotus, qui adoleſcens hiſtorias in ſua patria ſcripſerat, Τέλην appellaverat: quod nomen etiam plerique nummorum praeferunt. Sed & quod *Eleam Thuriorum coloniam* Scylax dicat, id etiam ignoravit Herodotus, qui a Phocaeenſibus eam conditam ſcripſerat. At potuit ea poſtmodum a Thuriis occupari, a quibus conditoribus poſtremo videtur Τέλη in Ελέαν fuiſſe tranſnominata. Id totum extremâ Scylacis aetate accidit.

Pergit: Πανδοσία, Πλαταιεῖς (nam hoc retinendum eſſe jam ante monuimus) Τερίνα, Ἱππώνιον, Μέσα (imo Μέδμα) Ρήγιον ἀκρωτήριον καὶ πόλις. *Pandoſia, Plataeae, Terina, Hipponium, Medma, Rhegium promontorium & oppidum.* Poſt Rhegium haud ſecus maritima omnia non Bruttiis, qui nondum erant, ſed Lucanis attribuit. Sic enim ſequitur. Ἀπὸ Ρηγίου πόλεις εἰσὶν αἵδε· Λοκροὶ &c. *Ab Rhegio hae ſunt Graecae urbes: Locri, Caulonia, Croton, Lacinium, Templum Junonis, & Calypſo inſula, amneſque Crathis & Sybaris, & urbs Thuria. His ſunt in Lucania Graeci.* Thuriorum nomen, ut ante dixi, Herodoto ſcribente hiſtorias nondum exortum fuerat, quippe cui ea urbs non aliter quam *Sybaris* dicitur: at Scylax, cui *Thuria* memoratur, eopte tempore deſcripſiſſe Periplum proditur.

Sequitur: *Poſt Lucaniam vero ſequuntur Iapyges, quorum gens uſque ad Arionem montem, qui in Hadria ſinu eſt, pertingit. In Iapygia etiam Graeci habitant: quorum hae ſunt urbes: Heracleum, Metapontium, Tarentum, & portus Hydrûs.*

(59) Copioſiſſime narrat hanc hiſtoriam Livius VIII. 24. Huic addi poſſunt Strabo lib. VI. Juſtinus XII. 2. Plinius III. 11. Hujus ultimi haec ſunt verba: *Praeterea interiiſſe Thebas Lucanas, Cato auctor eſt. Et Pandoſiam Lucanorum urbem fuiſſe, Theopompus, in qua Alexander Epirotes occubuerit.* Cave tamen Harduino credas, qui τὸ *Fuiſſe* eâdem notione dictum, qua ſuperius *Interiiſſe* (quia τὸ *Fuit* de extinctis uſurpatur) falſo adnotat. Nam vix potuiſſe aliter Plinium ſcribere, ſtatim intelliges, ac ejus verba ordine ſuo recitaveris. *Et urbem*, inquit, *in qua Alex. Epir. occubuerit, fuiſſe* (quis non videt hîc *fuiſſe* quam *eſſe* auribus accidere gratius?) *Pandoſiam Lucanorum, Theopompus eſt auctor.* Jam vero quod idem Harduinus in Emendationib. ejus libri, in omnibus ſcriptis pro *Pandoſiam* ſcriptum reperiri *Mardoniam* teſtatur, non continuo plus auctoritatis errori manifeſto accedit, quam quod apud Plutarchum extremo lib. de Romanor. fortuna legitur, eumdem regem cecidiſſe ad *Pandaeſiam*, librariis ſcilicet diphthongum pro O ſubrogantibus. Nec quod Harduinus addit, quo ſuam lectionem fulciat, Alexandrum ad Pandoſiam vulneratum, indeque *Mardoniam* traductum, ibi exhalaſſe animam; id ſtare cum Livio poteſt, qui veruto transfixum regem in ipſo amnis trajectu extinctum refert. *Lapſum inde cum inhaerente tela corpus exanime detulit amnis in hoſtium praeſidia. Ibi foeda laceratio corporis facta . . .*

(60) Cluverio impoſuit, quod ex Livio VIII. 24. affert: *Haud procul Pandoſia urbe IMMINENTE Lucanis ac Bruttiis finibus tres tumulos . . .* (Alexander) *inſedit.* Verum quas vidi probatiſſimas editiones, eae IMMINENTES exhibent, ut ad *tumulos* referatur, unus tamen Stephanus Bruttiis tribuit: Πανδοσία φρούριον Βρεττίων ἐρυμνὸν καὶ τριχόρυφον. *Pandoſia Bruttiorum Caſtellum munitum tres vertices habens:* quo pertinere ait illud oraculi apud Strabonem, Πανδοσία τριχόλωνε &c. Nimirum hoc limitaneis locis uſuvenit, ut facile ſit ea intra alienos fines includere.

(61) Scriptores omnes in Lucanis Pandoſiam ſtatuunt, aut in Lucanis cecidiſſe Alexandrum narrant. Videantur, quos Adnot. 59. laudavi, ac praetetea plures alii, qui de Pandoſia agunt. Etiam Pauſanias in Atticis ſcripſit regem hunc ἐν Λευκανοῖς, *In Lucanis extinctum.*

Digitized by Google

periit. Cujus ſtatim fata recitat. Ac ſane eo loco fuiſſe Pandoſiam, cui nunc *Mendicino* nomen eſt, & Proſper Pariſius Conſentinus ante oſtenderat, & id poſtea Holſtenius adprobavit. Id certe probabilius, quam quod Barrius eamdem in *Caſtro-franco* indicaverat. Ac de celebriore Pandoſia tantum: cujus gentilia ex (62) Stephano diſces.

SECTIO II.

De Heracleenſi Pandoſia.

PRaeter ſuperiorem Pandoſiam, fuiſſe alteram in Siritide regione inter Acirim Sirimque amnes, Plutarchus in Pyrrho luculenter oſtendit pag. 392. ubi Pyrrho a Tarentinis adverſus Romanos arceſſito, ac vix Tarentum ingreſſo, dum delectui & comparando exercitui operam daret, imparato adhuc ad bellum tantum, nuntiatur Laevinum conſulem Romanorum cum exercitu prope abeſſe. Sed Chaeronenſem ipſum hiſtoricum audiamus. Ἐπεὶ δὲ Λαιβῖνος ὁ τῶν Ῥωμαίων ὕπατος ἠγγέλλετο πολλῇ στρατιᾷ χωρεῖν ἐπ' αὐτὸν, ἅμα τὴν Λευκανίαν διαπορθῶν, ἐδέπω μὲν οἱ σύμμαχοι παρῆσαν αὐτῷ· δεινὸν δὲ ποιούμενος ἀναστέχθαι καὶ περιδεῖν τὰς πολεμίους ἐγγυτέρω προσιόντας, ἐξῆλθε μετὰ τῆς δυνάμεως . . . προελθὼν κατεστρατοπέδευσεν ἐν τῷ μεταξὺ πεδίῳ ΠΑΝΔΟΣΙΑΣ ΠΟΛΕΩΣ ΚΑΙ ΗΡΑΚΛΕΙΑΣ· πυθόμενος δὲ τοὺς Ῥωμαίους ἐγγὺς εἶναι, καὶ πέραν τοῦ Σίριος ποταμοῦ καταστρατοπεδεύειν, προσίππευσε τῷ ποταμῷ θέας ἕνεκα, καὶ κατιδὼν τάξιν τε καὶ φυλακὰς καὶ κόσμον αὐτῶν καὶ τὸ σχῆμα τῆς στρατοπεδείας, ἐθαύμασε . . . *Poſtquam nuntiatum eſt Laevinum Romanorum conſulem ingenti cum exercitu in ipſum vadere, ſimulque evaſtare Lucaniam, cum interim nondum ſocii ad eum convenisſent; rem indigniſſimam ratus, ſi hoſtes propius accedentes patiens circumſpectaret, ſigna movit, praemiſitque ad Romanos caduceatorem, placeret ne antequam congrederentur, ut ſe judice & diſceptatore Graeci Italienſes* (Gr. Ἰταλιῶται: quod non recte interpres ubique *Italos* interpretatur) *ſatisfacerent; ac reſpondente Laevino, Romanos Pyrrhum nec arbitrum deligere, nec hoſtem reformidare, progreſſus, caſtra campo medio inter VRBEM PANDOSIAM interque HERACLEAM metatur. Mox audito, in propinquo adeſſe Romanos, jamque trans Sirin amnem caſtra ponere, adequitavit amni ſpeculaturus; eorumque ordinem, cuſtodias, ornatum, figuramque caſtrorum contemplatus, obſtupuit*. Quae porro ſequuntur, plane ſuadent in ea planitie, quae citra Sirin amnem eſt, pugnam fuiſſe conſertam: quod & ſcriptores [63] alii teſtantur. An igitur eſſe dubium poteſt,

(62) Stephanus in Πανδοσία Italiae, duo ejus gentilia affert. Τὸ ἐθνικὸν Πανδοσῖνος ἀλλὰ καὶ Πανδοσιανός. *Gentile Pandoſinus, ſed & Pandoſianus*. Deinde addit: Ἔστι καὶ πόλις Θεσπρωτίας· τὸ ἐθνικὸν Πανδοσιεύς. *Eſt & Theſprotiae oppidum, cujus gentile Pandoſienſis.* Quo fit, nummos ΠΑΝΔΟΣΙΕΩΝ inſcriptos, qui vulgo ad Lucaniae Pandoſiam referuntur, ad Theſprotiae urbem cognominem eſſe rejiciendos. Hanc Theſprotiae Pandoſiam Eleorum fuiſſe coloniam, ex Demoſthenis orat. de Haloneſo oſtenditur.

(63) In primis Florus lib. I. cap. 18. *Itaque apud Heracleam & Campaniae fluvium Lirim Laevino conſule, prima pugna: quae tam atrox fuit, ut Frentanae turmae praefectus Obſidius* (is Plutarcho Ὄπλακος, *Oplacus* vocatur) *invectus in Regem, turbaverit, coegeritque projectis inſignibus praelio excedere.* Niſi quod dupliciter a librariis peccatum fuit. Nam primo exſcriptor aliquis pro ignoto *Siri* ſubrogavit *Lirim*; deinde is gradus ad alium errorem fuit, ut *Campania* in locum Lucaniae ſuccederet. Ac mirum ni uterque error, aut ipſi Floro incurioſe haec tractanti irrepſerit, aut, ſi amanuenſium fuit, certe ſit bene vetus; nam etiam Oroſius ſcripſit, *Apud Heracleam Campaniae urbem, fluviumque Lirim* fuiſſe pugnatum, itemque Jornandes & alii.

Digitized by Google

poteſt, quin altera a ſuperiore quaedam Pandoſia, inter Acirim Sirimque fluvios, haud procul ab Heraclea fuerit? Et tamen quae mens Cluverio, viro ceteroqui incomparabilis diligentiae, fuit (quem videſis in urbe Siri pag. 1276.) ut ubi diu aeſtuaſſet, ſeque in partes omnes, animi dubius convertiſſet, eo tamen labatur, ut Plutarchi locum, ejus judicio mendae manifeſtum, ita corrigat, ut ne litterula quidem utrique lectioni communis ſit? Nam confer quaeſo ſupra ſcripta Plutarchi verba cum Cluveriana emendatione, quam ipſemet his verbis exornat: *Nihil igitur certius, quam ſcripſiſſe Plutarchum*, ἐν τῷ μεταξὺ πεδίῳ ΑΚΙΡΙΟΣ ΠΟΤΑΜΟΥ [nempe Ακίριος ποταμῦ pro Πανδοσίας πόλεως ſubſtituit jure ſuo] καὶ πόλεως Ηρακλείας, *Medio inter Acirim amnem & urbem Heracleam campo*. Sed παρορθώσει miſſa, quis illud deinde ferat, quod, cum Heraclea Aciri proxime adſideret, haud ſatis ſpatii ad Caſtra metandum eſſe potuiſſet inter Acirim & Heracleam? An non ſaltem ſcribendum [*Ad Acirim non longe ab Heraclea*] fuerat?

Verum age, tantâ licet cognominum urbium copiâ obruatur geographia; tamen, ſi ſic Noſtro collibitum fuit, accuſemus ſive Plutarchum ἀνισορησίας, ſive oſcitantiae tantae librarios, ut pro Ακίριος ποταμῦ [quod Cluverio rectum eſt] ſcribere Παυδοσίας πόλεως ſuſtinuerint. At quid tabulis Heraclienſibus fiet, in quas commentaturi ſumus? in quarum priore, quae Dionyſio ſacra eſt, verſu ſexto ſic legitur, επι τω αντομω τω παρ Παυδοσιαν, *In antomo* (ἄντομος vox eſt agrimenſoria, de qua in loco dicetur) *qui ad Pandoſiam eſt*. Ibidem verſu 16. επι τας ὁδω τας αγωτας εκ τε πολιος και εκ Παυδοσιας δια των ἱαρων χωρων, *In via quae ducit ex Vrbe* (*Heracleam* intellige) *& ex Pandoſia per ſacros agros*. Haec eadem paullo aliter mox repetuntur verſu 22. Item v. 65. τον πρατον χωρον . . . τὸν παρ τον αντομον τον ὑπερ Παυδοσιας, *Primum agrum . . . qui eſt juxta illum antomum, qui eſt ſupra Pandoſiam*. Et in fragmento Britannico ejusdem tabulae, apud Clariſs. Mattaire verſu 12. συνεμετρησαμες δ αρξαμενοι απο τω αντομω τω ὑπερ Παυδοσιας αγοντος τω διαταμνοντος τως τε ἱαρως χωρως και των ϲιδιων γαν, *Commenſi vero fuimus facto initio ab antomo qui ſupra Pandoſiam ducit, dirimens ſacros agros a privatorum praediis*. Haec nimirum eſt urbs illa Pandoſia, inter quam & Heracleam Pyrrhus caſtra locavit, teſte Plutarcho. Haec vero eadem cum ex allatis Tabulae locis agro, qui Dionyſio ſacer erat, contermina fuerit; quis negare auſit, quin juris Heracleenſis reipublicae fuerit?

Poſtremo ſi quis de vero Pandoſiae hujus poſitu doceri cupiat; monebimus, non alibi nunc ab incolis monſtrari Pandoſiae locum, quam in colle illo, cui *Anglona* oppidum epiſcopale [64] dirutum inſidet, quod a mari circ. ſeptem at quatuor ferme paſſuum millibus ab vetere Heraclea diſtat. Et quidem in eo colle veterum aedificiorum rudera adhuc viſuntur, ibidem nummi veteres & monumenta, itemque oſſa duplo triploque majora quam pro modulo hodierno, eruun-

(64) Nunc quidem ex oppido nihil aliud quam exigua Eccleſia cum domo adjacente ſupereſt; qua de cauſa ſedes Epiſcopalis anno 1546. Turſiam (quae XII. millibus ab Anglona meridiem verſus abeſt) translata fuit. Adhuc tamen Epiſcopi ſeſe *Anglonenſes* inſcribunt.

Digitized by Google

eruuntur. Exſtant & vetuſtae arcis veſtigia. Haec tum ex illius regionis incolis, cum quibus miſcere ſermones licuit, tum in primis ex Vghello (65) didici initio Anglonenſium Epiſcoporum. Et ab hujus quidem diligentia haud certius aliud hujuſce rei argumentum produci potuit, quam quod *exſtet etiam nunc apud indigenas ejus rei per manus tradita memoria*. Nunc autem recte eſt quod haec incolarum perſuaſio cum Plutarchi narratione, cumque Tabula Heraclienſi priore apprime conſentit: Itaque donec edocti fuerimus meliora, in hac de ſitu oppidi παραδόσει conquieſcamus. Cave tamen eisdem incolis credas, hanc illam fuiſſe Pandoſiam, juxta quam Alexander rex fato conceſſerit (quod in ſuperiore Adnot. diſſlavimus) aut vero Acheronta ſive, ut alii vocant, *Acheruſiam* aquam haud aliam ab Aciri amni fuiſse, quaſi facile fuerit tenuem K cum aſpera X permutari. Illud quoque ad fidem inveniendam tradunt, Anglonae collem tricipitem eſſe, qualis Pandoſia illa Alexandro fatalis deſcribitur, Stephano τριχόρυφος, oraculo τριχόλωνος dicta. Verum haec parum me movent, cum ex Strabone & ex aliis conſtet, Pandoſiam illam, ad quam Moloſſus oppetiit, prope Conſentiam fuiſse, ac proxime a Bruttiorum finibus.

CAPVT VII.

Vrbis HERACLEAE Παραλειπόμενα.

CApite I. de *Heraclea* colonia ſic egi, ut ejus origine declaranda, & ab erroribus pluribus vindicanda contentus, ceteris, ſive nondum animo proviſis, ſive minutioribus ac nullo inter ſe nexu communi vinctis, tunc quidem ſuperſederem. Quae nunc ſic quaſi per ſaturam lectori apponam: cui ingratum non erit, ſi, quae Diatriba exorſa ab Heracleae conditu fuit, ad ejusdem παραλειπόμενα [*reliqua*] exponenda revertatur.

SECTIO I.

De Magnae Graeciae conciliis Heracleae primum celebrari ſolitis, deinde ab Alexandro in Thuriorum fines translatis, locus Strabonis non intellectus exponitur: ex quo utilia plura eliciuntur.

I. *Strabonis locus eo pertinens explicatur.*

STrabo lib. VI. p. 280. hoc primum Tarentinis vitio vertit, *quod peregrinis in bello uſi ſunt ducibus*, praecipue Alexandro Moloſſo,

(65) Duo tamen in Vghello caſtiganda reperio. Primum quod Anglonam VIII. milliariis ab Heraclea removeat, cum me contra incolae docuerint, inter *Anglonam* & *Polichorum* (in quo Heracleam fuiſſe ajunt) circiter quatuor millia paſſuum intereſſe. A mari quidem Anglona VII. aut VIII. forſan millibus diſtinetur (idque Vghellus dicere voluit) at ipſa Heraclea paullo a mari reducta erat. Deinde

Digitized by Google

cum ipſi *adverſus Meſſapios atque Lucanos bellum gererent*: deinde & iſtud, ὃδ' ἐκείνοις δ' εὐπειθεῖν ἠδύναντο, ὡς ἐπεκαλοῦντο, ἀλλ' εἰς ἔχθραν αὐτοὺς καθίσαν: *Nec externis iſtis imperatoribus ſeſe dicto audientes praebuerunt, ſed ipſos ad inimicitiam provocaverunt*. Acceptae vero relataeque invicem injuriae haec documenta affert. Ὁ γοῦν Αλέξανδρος τὴν κοινὴν Ελλήνων τῶν ταύτῃ ΠΑΝΗΓΥΡΙΝ, ἣν ἦθος ἦν ἐν Ηρακλείᾳ συντελεῖν τῆς Ταραντίνης, μετάγειν ἐπειρᾶτο εἰς τὴν Θουρίαν, κατὰ ἔχθος. Εκέλευσε δὲ κατὰ τὸν Ακάλανδρον ποταμὸν τειχίζειν τόπον, ὅπου ἔσοιντο αἱ ΣΥΝΟΔΟΙ. *Ideoque Alexander communem Graecorum Italienſium conventum ſollemnem, qui de more HERACLEAE Tarentinorum agebatur, in Thuriorum fines ex odio in Tarentinos transferre adnitens, ad Acalandrum amnem locum communiri juſſit, in quo ea concilia haberentur.* Huic Alexandri in Tarentinos injuriae, hanc ab his viciſſim in ducem repenſam ſubjicit. Καὶ δὴ ἡ συμβᾶσα αὐτῷ κακοπραγία, διὰ τὴν ἐκείνων ἀγνωμοσύνην ἀπαντῆσαι λέγεται. *Ideoque quae ei mox calamitas accidit* (cum a Lucanis oppetiit) *ea Tarentinorum malignitati accepta refertur*.

II. *De Heraclienſi Graeciae Magnae concilio.*

1. In hoc porro loco plura ſunt obſervatu digna. Ac primum conventus illi Heracleae celebrati, Straboni tum πανηγύρεις tum etiam σύνοδοι vocantur: certe quia ſunt συνώνυμα vocabula, quorum utroque coetus omnes ſignificantur illi, qui ſive ſtati ſacrificii cauſa, ſive ad feſta, ludos, mercatum, aut publicum epulum, ſive inprimis de communibus negotiis conſultandi gratia cogebantur. Ac ſane plerumque ita fiebat, ut poſt ſacrificium aliaque ſollemnia, conſulere in medium penſi haberetur. Hinc diſcimus igitur, commune Italienſium Graecorum concilium Heracleae certis temporibus coiviſſe, ſaltem uſque ad Epirotae Alexandri aetatem: nam quid poſtea his conventibus acciderit, nemo veterum prodidit.

2. Id vero concilium *Graecis omnibus in vicino poſitis* [id enim Strabonis illud, Ελλήνων τῶν ταύτῃ, notat] inſtar Amphictyonici fuiſſe videtur. Ibi in commune conſultabatur, civitatium & populorum cum finitimis controverſiae dirimebantur, aliaque, opinor, fiebant omnia, quae in Amphictyonico ſynedrio fieri mos fuit.

3. Atq; Amphictyonicus conventus ſive ad Amphictyonem Deucalionis filium, ſi Pauſaniam audimus, ſive ad Acriſium Argivorum regem, ſi Strabonem ſequimur, auctorem referebatur. At in Magna Graecia quis id inſtituerit, ignoro. Si quis tamen ſuaſerit, inter Archytae Tarentini πολιτικὰ κατορθώματα id poſſe numerari, non gravate feram; is enim tum Tarentinae reip. prora puppiſque fuit, tum etiam aliquando Πανελλήνων Italienſium communis (66) imperator. Atque haec tantum de Heraclienſibus Magnorum Graecorum conventibus conjectaſſe ſufficiat. Nunc porro ad alia digrediamur, quae ex ſupra adſcripto Strabonis loco aſsequi certo aut conjecturâ licebit.

III. *He-*

de & illud non recte habet, quod Anglonam modo veteri *Pandoſiae*, modo *Aquiloniae* illi, quam L. Papirius Curſor oppugnavit, ſucceſſiſſe tradit: quae duo ſimul ſtare non poſſunt; praeſertim cum *Aquilonia* illa Papiriana in Hirpinis fuerit, eique hodierna *Cedogna* reſpondeat. Nam illud taceo, quod Pandoſiam, cui Anglonam ſucceſſiſſe vult, illam intelligat, ad quam Alexander Moloſſus occiderit: quod antiquorum narrationibus evertitur; ex quibus manifeſtum eſt Moloſſum in ea parte Lucaniae cecidiſſe, quae Bruttiis erat proxima.

(66) De Archyta vide quae huc pertinere queant, jam ante dicta pag. 97. Adn. 53. praeſertim illud quod aliquando communis Magnorum Graecorum imperator fuerit.

Digitized by Google

III. *Heraclea quandonam ſui juris evaſerit.*

Ac primum uſque ad Alexandri Moloſſi aetatem [qui quidem V. C. anno CCCCXXVII. aut 428. Olympiadis vero CXIII. anno tertio occiſus creditur] Tarentinis Heraclea parebat. Id namque illud ſibi vult, quod adhuc Epirotae iſtius aetate eam *Tarentinorum coloniam* Livius [67] lib. VIII. c. 24. vocavit: qua nomenclatione abſtinuiſſet, niſi adhuc obnoxia Tarentinis fuiſset. Idem vero porro & Straboniana loci hujus locutio innuit, Ηράκλεια τῆς Ταραντίνης: in quo ἐξουσίας potius quam χώρας ſubaudierim, ut ſit, *Heraclea Tarentinae ditionis*; nam *Heracleam Tarentinae regionis* minus apte dixeris, cum Heraclea in Siritide, non in Tarentino agro fuerit. Accedit illa apertiſſima ratio, quod ea de cauſa Moloſſus dux conventus ab Heraclea ſuſtulit, non quidem eo conſilio, ut ipſis Heracleenſibus, ſed ut Tarentinis, in quorum poteſtate Heraclea eſſet, aegre faceret. Imo quod idem Heracleam cepit (vide Adn. 67.) in eo mihi videtur tum Tarentinos, quibus illa parebat, moleſtia afficere voluiſſe, tum & Heracleenſibus gratificari. Id enim forſitan Heracleae poſtea ἀυτεξουσιότητα peperit: quod quando & quemadmodum acciderit, conjectare potius quam certo docere poſſumus. Sic vero conjicimus.

Poſt Moloſſi necem videtur Heraclea in medio fuiſſe poſita, praeda populo victori futura. Nam ad hoc tempus equidem haud aegre retulerim, quod Strabo [68] narrat, nim. Tarentinos auxiliantibus Dauniorum & Peucetiorum regibus cum Meſſapiis de Heraclea armis dimicaſſe. Vtri tunc Heraclea ceſſerit populo, ignoratur. Sed ſive tunc temporis ſive non diu poſtea, aliquid incidiſſe videtur, cur ei tandem ἀυτεξουσιότης quaeſita fuerit. Quo id tempore accidiſſe videatur, de eo alibi (*) plura dicam. At Hannibalicis certe temporibus [h. e. plus centeſimo Moloſſi exitum anno] Heraclea ipſa ſibi rebuſque ſuis conſulebat. Vide Appianum in Hannibalicis: cujus maxime ultimis [69] verbis Heracleenſibus, ſegregata fuiſſe a Tarentinis conſilia, ſignificatur. Atq; ad ἀυτονομίας tempora nummi Heracleenſes pertinent, de quibus infra ſect. 2. ſeorſum; ubi & de eo dicam, quod civitas foederata, ſive [quod idem temporibus Romanis erat] Romanum municipium fuerit.

IV. *De Acalandri ſitu, & Thuriorum finibus. Doctorum in ea re hallucinationes.*

Adhaec quod de Acalandro ſcripſit Geographus, id cum ſitui fluminis ejus non congruere videretur, tranſverſos egit viros doctiſſimos. *Alexander*, inquit Strabo, *conventus . . . qui Heracleae agebantur*,

(67) Livius VIII. 24. de Alexandro: *Cum Heracleam Tarentinorum coloniam . . . cepiſſet.*

(*) Infra hoc cap. ſect. 2. num. II. & Diatr. III.

(68) Strabo pag. 281. de Tarento ſic definit: Πρὸς δὲ Μεσσαπίους ἐπολέμησαν περὶ Ηρακλείας, ἔχοντες συνεργὸς τότε τῶν Δαυνίων καὶ τὸν τῶν Πευκετίων βασιλέα. *Adverſus Meſſapios bellum iis* (Tarentinis) *de Heraclea fuit, uſique ſunt Dauniae & Peucetiae regum auxiliis.*

(69) Appianus in Hannibalicis pag. 333. oſtendit, jam diu Tarentinos Hannibali ſe tradidiſſe, cum adhuc Metapontini & Heracleenſes Romanis ſtuderent. *Ac Metapontini quidem*, inquit, *poſt praeſidii partem a praefecto Tarentum traductam, paucos, qui e praeſidio relicti erant, interfecerunt, ſeque Hannibali dediderunt*: (προσέθετο δὲ καὶ ἡ μεταξὺ Μεταποντίνων τε καὶ Ταραντίνων Ηράκλεια, δέει μᾶλλον ἢ γνώμῃ) *dedidit ſe vero etiam Heraclea, inter Metapontinos Tarentinoſque ſita* (in Heracleae ſitu fallitur Appianus) *id vero metu potius quam voluntate.* Ex ultimis verbis perſpicitur, Tarentinis Poeno ſtudentibus, Heracleam quidem a Tarentinorum conſiliis abhorruiſſe, at tandem metu potius quam ſuapte ſponte Hannibali ſe dedidiſſe.

Digitized by Google

tur, in Thuriorum fines transferre volens, ad Acalandrum amnem locum muro ſaepiri juſſit, in quo haberentur concilia. An poteſt quidquam Alexandri conſilio aeque contrarium fingi ? Nam quia Thurius ager ad auſtrum Heracleae patebat; debuiſſet Alexander Sybarim aut Crathim amnes ad ſynodos cogendas munire, aut certe paullo citeriorem Cyliſtarnum, ſi quidem Thuriis gratificari curae fuerat. Nunc vero quae mens duci Moloſſo fuit, ut ad Acalandrum, qui Heracleae latus borêum tenebat, locum concilio permuniret, tanto longius a finibus Thuriorum ? Hanc difficultatem tum Strabonis enarratores, tum etiam geographi praeterivere ſecuri, exceptis Cluverio & Domino Islaeo viris doctiſſimis : qui tamen non idem ambo ſentiunt, ſed alter alteri contrarias ſunt ingreſſi vias. Islaeus enim, quandoquidem Acalandro Thurios fines admovere ſe poſſe deſperabat, maluit Acalandrum ex borêo cardine in auſtrinum tranſponere, ita ut intra Thurium territorium flueret. Itaque in ſua veteris Italiae Tabula hunc in modum orae maritimae loca diſpoſuit: *Aciris fl. Heraclea, Siris oppidum, Siris fl. CYLISTARNUS fl. ACALANDRVM fl. Ad viceſimum, Sybaris fl. Thurium oppidum, Crathis fl. Roſcianum* &c. Pulcherrime ſane res ei procederet, modo vel unum ex antiquis laudare pro ſe poſſit. At contra ei Plinii aperta [70] obſiſtit auctoritas. Hactenus adverſus Islaei Italiae tabulam. De Cluverio nunc videamus : qui non aliter ſe difficultatem, quae ex ſuperiore Strabonis loco oboritur, ſe diluturum ſperavit, niſi aut in Strabonem ipſum aut potius in amanuenſes culpam derivaret, qui videlicet pro Κυλίσαρνον ποταμὸν *Cyliſtarnum amnem* [ſic enim legi imperat jure ſuo] Ακάλανδρον ποταμὸν ſubrogaverint. At neutrum verum eſt : nec enim librariis in tanta nominum diſſimilitudine unum potuit pro altero irrepere; nec Strabo niſi certo conſilio *Acalandrum* a Moloſſo permunitum ſcripſit. Quem profecto amnem, etſi quam longiſſime disjunctum a Thurio, intra Thuriorum fines fluere ſciebat: de quo jam videndum.

V. *De Sybaritarum, qui poſtea Thurii fuerunt, ingenti potentia, regionis vero amplitudine tanta, ut non ſolum ad Acalandrum, ſed & ad Iapygiam uſque fines protulerint.*

Quam ingens olim Sybaritarum potentia fuerit, jam ante Diatribâ I. ex Strabone docuimus : quae & hîc refricabimus. Nimirum *Tanta*, inquit Strabo, *proſperitate urbs* [Sybaris] *excelluit, ut quatuor* [71] *gentibus finitimis imperaverit, urbes vero XXV. dicto audientes habue-*

(70) Plinius III. cap. 11. a Thuriis boream verſus loca maritima hoc ordine recenſet : *Inter Sirin & Acirin* (amnes) *Heraclea, aliquando Siris vocitata* (tunc ſcilicet cum laevae Siris amnis ripae inſideret). *Flumina, ACALANDRVM, Caſuentum: oppidum Metapontum.* Ac ſane quatuor ea flumina eodem nunc ordine, atque iisdem nominibus in mare ſe exonerant. *Io Sinno* & *Agri* veteribus Siri & Aciri : *Salandra* ſive *Salandrella* Acalandro : *Baſiento*, aut *Vaſento* veteri Caſuento reſpondent. De quibus in Prologo pauca diximus.

(71) In Diatriba ſuperiore pag. 33. Adnot. 47. de gentibus hiſce quatuor ſic conjecimus, ut in eo cenſu fuiſſe viderentur *Graeci Italienſes, Bruttii, Lucani, Meſſapii.* Nunc autem me ipſe revocans, duas priores gentes ex eo quaternione eximo: *Graecos* quidem *Italiotas* ideo, quia ex numero ἐθνῶν τῶν πλησίον (*finitimarum gentium*) dici nequibant, cum ipſimet Sybaritae ex Graecis Italienſibus eſſent: *Bruttios* vero, quia quamdiu Sybariticum nomen exſtitit, Bruttii nondum ex Lucanis orti fuerant ; Bruttiorum enim nomen poſt *Thurios* exortos exaudiri coepit. Ergo Bruttiorum loco ſubrogandi ſunt *Oenotri*, & pro Graecis Italienſibus *Peucetii*. Nam qua parte Sybaritarum fines ad Bradanum uſque (uti dicam) pertingebant, ea parte tum *Meſſapios*, tum etiam & *Peucetios* habuere finitimos, quibus ex parte aliqua imperaſſe videntur Sybaritae. *Oenotros* vero quis ignorat ibi antea fuiſſe, ubi poſtea gens Bruttiorum conſedit ?

Digitized by Google

habuerit, ac trecenta [72] *hominum millia adverſus Crotoniatas eduxerit, urbs vero ipſa Crathi amni impoſita, ambitu ſtadiorum quinquaginta circumierit*. Hae quidem Sybaritarum fuere vires. Thurium autem, quod Sybari ſucceſſit, artiore quidem circuitu fuiſſe habitatum, ex eodem Strabone conſtat; qui tamen de imminutis imperii finibus nihil memorat. Itaque de regionis ὑπηκόου amplitudine, quam antea Sybaritae poſſederant, nihil aut parum admodum Thuriis deceſſiſſe arbitror; maxime cum Alexandri factum [ad Acalandrum communientis locum] fines Thuriorum laxiores arguat.

Nunc Sybariticae ditionis fines verſus alios quidem caeli cardines non curo exquirere: at ejus limitem ſeptem Triones & Iapygiam verſus age videamus. Quem quidem ex Antiochi apud Strabonem loco haud facillimo expiſcabimur; quem locum jam ante a me cap. V. ſect. 1. recitatum, nunc iterare & enucleare cogor. Ηφανίσθη δ' ὑπὸ Σαννιτῶν. Αντίοχος δέ φησιν ἐκλειφθέντα τὸν τόπον ἐποικῆσαι τῶν Αχαιῶν τινας (μεταπεμφθέντας (73) ὑπὸ τῶν ἐν Συβάρι Αχαιῶν) μεταπεμφθῆναι δὲ κατὰ μῖσος τὰ πρὸς Ταραντίνους τῶν Αχαιῶν, τῶν ἐκπεσόντων ἐκ τῆς Λακωνικῆς· ἵνα μὴ Ταραντῖνοι γειτνιῶντες ἐπιπηδήσαιεν τῷ τόπῳ. *Vrbem eam* [Metapontum] *delevere Samnites. Scribit autem Antiochus, locum illum* [ubi Metapontum fuerat] *incolis deſtitutum Achaeos quosdam* [*ab Achaeis* (73) *Sybarim incolentibus arceſſitos*] *incoluiſſe* (74): *arceſſitos vero fuiſſe, quod Achaeos illos, utpote ex Laconica pulſos, odio in Tarentinos* (quippe qui & ipſi genere Lacones eſſent) *ſuapte ſponte animatos* [Achaei Sybaritae] *ſcirent:* [quo facto id maxime Sybaritae praecavebant] *ne Tarentini* (Metaponto) *vicini, in eum locum inſilirent*. Conſulto quaedam diverſo charactere interpoſui, uti locus, ceteroqui obſcurus, fieret illuſtrior.

Pergit ex Antiocho Geographus: Δυοῖν δ' ὑστῶν τῶν πόλεων τῶν Μεταποντίων ἐγγυτέρω τῆ Τάραντος (ex ſequentibus oſtenditur, hîc excidiſſe *Siritarum* nomen, ac proinde ſic eſſe legendum, τῶν τε Μεταποντίων καὶ τῶν Σιριτῶν, ἐγγυτέρω &c. niſi ſi vero aliud (75) placeat) πεισθῆναι τὸς ἀφιγμένους ἀπὸ Συβαριτῶν, τὸ Μεταπόντιον κατασχεῖν· τῦτο μὲν γὰρ ἔχοντας, ἔξειν καὶ τὴν Σειρῖτιν· οἱ δ' ἐπὶ τὴν Σειρῖτιν τράποιντο, προσθήσειν τοῖς Ταραντίνοις τὸ Μεταπόντιον ἐν πλευραῖς ὄντι.

Cum

(72) Id in primis memorabile; multoque admirabilius quam quod Appianus Praefatione ad ſuas hiſtorias pro magno refert, ex rationario imperii Ptolemaei ejus, qui Alexandro M. in Aegypti regno ſucceſſit, ſe didiciſſe Aegypti reges aluiſſe *ducenta peditum millia*, praeter ceterum terra marique bellicum apparatum.

(73) Quae uncis interpoſita vides, ea ex meliorum editionum margine, & ex manu exaratis, in textum recepimus: quae legitima eſſe, oſtendit paullo poſt iterata Sybaritarum, qui Achaeos illos arceſſiverant, mentio.

(74) Sive potius *Condidiſſe*. Nam ſaepiſſime ubi ἐποικίζω fuerat, librarii verbum ἐποικέω ſibi notius reposuerunt. Aut vero iis locis ἐποικέω tantumdem valet, quod ἐποικίζω, ut alicubi a me obſervatum.

(75) Nimirum aliquando mihi placuit, nihil hîc deſiderari, ſed tantum aevo Antiochi τῶν Μεταποντίων ambitu tum ipſum Metapontum veniſſe, tum etiam Sirin. Nec enim de nihilo illud eſt, quod Stephanus in Metaponto tradit his verbis: ΜΕΤΑΠΟΝΤΙΟΝ, πόλις Ιταλίας, ἣ πρότερον Σῖρις. *Metapontum, urbs Italiae, quae antea Siris vocabatur*. Sic etiam Euſtathius ad Dionyſium: Μεταπόντιοι, ὧν πόλις τὸ Μεταπόντιον, ἣ ποτε λεγομένη Σῖρις. *Metapontini, quorum urbs Metapontum, quae quondam Siris dicebatur*. Fallor? an haec grammatici iſti ex male intellecto Antiochi apud Strabonem loco hauſerunt? Nam ſi in Strabone nihil deeſt; tum ſane dicemus, aevo Antiochi Μεταποντίους bifariam fuiſſe diviſos, ita ut alii eſſent urbis *Metaponti* incolae, alii vero *Siritae*, utrique vero Communi Μεταποντίων nomine cenſerentur. Hoc nempe illud eſt quod in Strabone Antiochus ait: Δυοῖν δ' ὑστῶν τῶν πόλεων τῶν Μεταποντίων ἐγγυτέρω τῆ Τάραντος, *Cum duae eſſent Metapontinorum prope Tarentum urbes* &c. Has vero duas haud alias fuiſſe quam *Metapontum* & *Sirim* (ſive, uti ſcripſit Antiochus, *Siritin*) ex ſequentibus ſatis intelligitur. Ita textus integer erit; a Stephano tamen & Euſtathio aliorſum acceptus, quaſi ſi urbs ſingularis *Metapontum*, alio nomine *Siris* aliquando vocata fuerit: quod eſt falſiſſimum.

Digitized by Google

Cum autem duo eſſent viciniora Tarentinis oppida, Metapontinorum unum, Siritarum alterum; a Sybaritis fuiſſe perſuaſum iis, quos avocatos diximus, uti Metapontum potius occuparent; quod eo potiti, Siritin quoque eſſent habituri: ſin ipſi ſe primo ad Siritin contuliſſent, fore ut Tarentini a latere imminentes Metapontum ſuam facerent. En qua viâ Achaei Sybaritae, ſuis & tribulium Achaeorum, qui ex Laconica pulſi fuerant, viribus, in Metaponti poſſeſſionem venerint: quae urbs non modo Acalandro (de quo quaeſitum initio fuit, utrum Sybaritarum ac poſtea Thuriorum fuerit) verum etiam Caſuento amne ulterior, in Septemtrionem recedit.

Dixeris hoc quidem conſilium Sybaritis fuiſſe: quod quis praeſtabit tunc fuiſſe perfectum? Verum quod ſtatim addit ex Antiocho Strabo, id multo ulterius, quam trans Acalandrum, fines Sybaritarum fuiſſe promotos declarat. Nam ſequitur: Πολεμῶντας δ' ὕστερον πρὸς τοὺς Ταραντίνους καὶ τοὺς ὑπερκειμένους (76) Οἰνωτρούς, ἐπὶ μέρει διαλυθῆναι τῆς γῆς· ὅπερ γίνεσθαι τῆς τότε Ἰταλίας ὅριον, καὶ τῆς Ἰαπυγίας. *Succeſſu vero temporis eosdem* (Achaeos) *ubi cum Tarentinis & qui ſupra adjacent* [76] *Oenotris geſſiſſent bellum, accepta agri parte, pacem compoſuiſſe: qui ager tunc fuerit Italiae & Iapygiae terminus.* Non alibi hic ager fuit quam ad dextram Bradani fl. ripam; nam poſt haec tempora Bradanus Italiam illam veterem ab Iapygia diſterminabat. Ergo Sybaritarum poſſeſſio, in quam poſtea Thurii ſucceſſerunt, non tantum ad Acalandrum [in quo Alexander concilia cogi juſſit] ſed & ultra Caſuentum, ad Bradanum uſque pertingebat.

SECTIO II.

Reliqua ad Heracleam pertinentia in unum collecta faſciculum.

I. Heracleae ſitus ſpecialis oſtenditur. De Polychoro & Meſochoro.

AD Aciris dextram ripam inſediſſe Heracleam cap. I. liquido demonſtratum fuit: niſi quod non ad ipſum Aciris oſtium, ſed paullo a mari remotius. Is poſitus quamquam aliis pluribus [77] indiciis firmari poteſt, is tamen ſupervacuus eſt labor, cum aperte id Strabo teſtetur, ubi de Heraclea incipit his maxime verbis: Εἶθ' Ἡρακλέους πόλις (78) μικρὸν ΥΠΕΡ ΤΗΣ ΘΑΛΑΤΤΗΣ· καὶ ποταμοὶ δύο πλωτοί, Ἄκιρις καὶ Σῖρις, ἐφ' ᾗ πόλις ἦν ὁμώνυμος . . . *Sequitur Herculis* [78] *civitas, paullum SUPRA*

(76) Iis ſcilicet Oenotris Tarentinorum finitimis, quos in Iapygia fuiſſe, hinc & aliunde colligimus.

(77) Duo prae ceteris ejus rei argumenta habeo. I. Qui ſunt in antiqua geographia verſati, ſatis animadvertere potuerunt, urbium paullo a mari reductarum hoc fuiſſe peculiare, ut ſejunctis ἐπινείοις (*navalibus*) uterentur. Quod igitur Siris urbs in Heracleenſium navale ceſſerit, hoc ab eo fuit, quod Heraclea, utpote intus poſita, ipſa ſibi navale eſſe non poterat.

II. Plutarchus in Pyrrho narrat, hunc ducem inter Pandoſiam (cujus ſitum in hodierna Anglona cap. ſuperioremonſtravimus) & Heracleam caſtra poſuiſſe. Plutarchi locum vide cap. ſuper. Sane ſi Heraclea mari adſidebat; nae is aptius ad legentium intelligentiam dixiſſet, *Inter Pandoſiam & Mare.* Nunc quia ea deſignatio laxior fuiſſet (cum Pandoſia VIII. aut amplius milliaribus a mari abeſſet) ſtrictiore uſus eſt, *Inter Pandoſiam & Heracleam*: quarum altera duobus tribuſve millibus a mari aberat, paullo plus a Pandoſia.

(78) In ſcriptis & editis Ἡρακλεόπολις, *Heracleopolis* junctim legitur. Verum eſtne veriſimile, Geographum ubi primum ejus urbis nomen uſurpat, fuiſſe a trito nomine receſſurum, ita ut *Heracleopolim* diceret, quae vulgo ab omnibus *Heraclea* vocabatur?

At

Digitized by Google

PRA MARE posita, amnesq. duo navigabiles, Aciris, nec non Siris, & huic urbs ejusdem nominis adsidens : quae [Siris] *postquam inde urbs Heraclea a Tarentinis* (79) *traducta fuit, navale* [80] *Heracleotarum evasit. Abest* (Siris) *ab Heraclea stadiis XXIV. a Thuriis circiter CCCXXX.*

Heraclea igitur non ad mare, sed paullo a mari reducta, ad dextram Aciris ripam stetit, & quidem tanto ab Anglona (h. e. vetere Pandosia) intervallo, ut satis spatii campestris ibi Pyrrhus ad metandum castra repererit. Haec omnia si sequimur, verissimum id reperiemus esse, quod vetus incolarum persuasio perhibet, ibi Heracleam stetisse, ubi nunc *Polichorum* vulgo dicitur: qui locus duobus ferme millibus a mari distat. Cumque *Polychorum* [Graece τὸ πολύχωρον] *Campi amplitudinem* notet; suspicor id nomen vetus esse, quo significabatur spatiosissimus ille campus, qui ante maritimam Heracleae portam explicabatur: in quo campo juventus equitando, currendo, aliisque palaestricis aut militaribus laboribus sese exercebat. In omnibus Graecis urbibus campus ante portam patebat ad hujusmodi exercitamenta comparatus: de quo dixi quaedam in *De Cathedrali* Neapol. pag. 206. itemque in De SS. Episc. Neapol. pag. 378. Itaque nihil verisimilius est, quam Heracleam, quà mare spectabat, illuc desivisse, ubi nunc *Polychorum* dicitur: a quo ad mare usque immensa planities patet tum ad exercendam juventutem, tum ad excipienda Graeciae Magnae [81] concilia [quae Heracleae convenisse sect. superiore ostendimus] accommodatissima.

Ac sane quod dixi, in hodierno Polychoro olim Magnorum Graecorum coacta concilia, id ex *Mesochoro*, nominis cognati loco, mirifice illustrari potest: quem locum Ravennas anonymus inter Tarentum & Metapontum (h. e. circa amnem Acalandrum) recensuit. Quae observatio mihi non levem suspicionem injecit, Alexandrum Epirotam, quando ad Acalandrum fl. ἐτείχισε (muro sepsit) conciliis locum, priorem *Polychori* vocem de industria in *Mesochorum* (h. e. Graeciae Italicae *meditullium*) transmutasse: quo plane significaret, locum a se communitum longe opportuniorem Italiotarum synodis fore, utpote in medio positum, quam ante fuerat Polychorum, in orà extrema

At si distinctis vocibus Ηοακλέος πόλις scripseris; apte locutus reperietur. Nempe hoc indicare voluit, eam, quam omnes & ipse mox Ηράκλειαν vocat, ex eo Heracleae nomen adeptam, quod *urbs Herculis* haberetur. Confer quae supra cap. 3. de Χὼν Herculis Aegyptio vocabulo scripsimus. Ad summam Ηρακλέος πόλις non nomen est, sed nominis definitio: at Ηρακλεόπολις, quod in editis est, nominis formam habet, quod tamen huic nostrae non convenit. Nam Ηρακλεόπολις cum dicitur, non potest intelligi nostra, sed ea quae in Aegypto triplex nominis hujus erat, ut ex Stephano patet.

(79) Huic loco egregiam lucem affudimus c. I. p. 66.

(80) Επίνειον hîc & alibi vulgo *Navale* reddunt: quod cave pro loco tantum navium construendarum aut subducendar. & custodiendar. accipias; nam etiam portum, imo, & emporium plerumque notat. De portu accipienda est Suidae etymologia, nominis definitionem continens: Επίνειον, παρὰ τὸ ἐν αὐτῷ νήχεσθαι τὰς ὁλκάδας καὶ ὀκείλειν· Επίνειον dicitur a νήχεσθαι (Natare) *quod ibi onerariae natent, remosque inhibeant, cessim euntes*. Tametsi quod ὁλκάδων tantum meminit, non tam quemlibet portum, quam *Emporium* designare voluit. Ac sane si usum scriptorum attendimus, ea vox passim pro *Emporio* accipitur, quod & a me alicubi in superiore Diatriba observatum fuit. Confer in eamdem sententiam H. Stephanum in Thes. & Thucydidis Scholiasten non uno loco, unde pleraque sua hîc descripsit Suidas. Ergo Siris Heracleae tum portus, tum navium officina, tum potissimum nobile emporium exstitit.

(81) Nec enim dubium est, quin hujusmodi Synodi non alibi quam sub dio in quam latissimo campo celebrari consueverint, in quemcumque finem conveniretur, sive ad sciscenda jura & ad ἀρχαιρεσίας, sive ad festa ludosque, seu quidvis aliud. Is vero campus muro, uti par est, saepiebatur: quod Strabo (sup. pag. 106. productus) τειχίζειν dixit, quod proprie est *muro cingere*.

Digitized by Google

trema ſeductum. Ac de *Meſochoro* iſto pauca adhuc in hujus Diatribae fine, ubi Ravennatis locus recitabitur, diſſeram.

II. De vero ἀυτεξουσιότητος Heracleae tempore. Ad id nummi referuntur. Quo pacto Heracleae hujus numiſmata a cognominum urbium nummis diſtingui poſſint. Romanorum urbem foederatam, Romanumque municipium Heracleam fuiſſe.

De Heracleenſium ἀυτεξουσιότητι praeter alia documenta, quae ſect. ſuperiore num. III. protuli, nummi civitatis hujus nos certos efficiunt: de quibus in ima paginae (82) ora agimus. De aetate vero acqui-

(82) *De Heracleae Tarentini ſinus numiſmatibus.*

§. I. *Stephani in recenſendis gentilibus indiligentia: a quo & inſignis menda ſubmovetur. Heracleae Tarentinae gentilia ab urbium aliarum cognominum ἐθνικοῖς ſedulo diſtinguuntur.*

Vrbes plurimas huic noſtrae fuiſſe cognomines jam tum ab initio Diatribae hujus dictum fuit: quo minus mirari convenit, ſi tanta numiſmatum Heracleae copia circumferatur: ſed eccui ſingula ſint tribuenda, ubi non adſint diſcriminantia adjuncta, difficile dictu videtur. Διακριτικὰς (*diſcriminantes*) adjectiones eas voco, quae a loco aut a dignitate petuntur, ut ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ (in aliis ΗΡΑΚΛΕΙΑC) ΕΝ ΠΟΝΤΩ i. e. *Heracleotarum* ſive *Heracleae Ponticae*. Sic alibi Ηρακλεωται Μητροπολιται, *Heracleotarum Metropolitarum*; aut Ηρακλειας μητρος αποικων πολιων, *Heracleae matris cognominum coloniarum*. Nam Heraclea Pontica ſe ceterarum Metropolim jactitabat. Eſt etiam in aliquot nummis ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ ΤΡΑΧινίων. Aut ſiqua ſunt adjuncta ſimilia. Porro autem ubi deſunt adjectiones hujuſmodi, tum vero ad nominis gentilis formam unicuique Heracleae peculiarem eſt recurrendum.

Sane cum Stephanus in ceteris ἐθνικοῖς inter ſe diſtinguendis ſuam probaſſet induſtriam; in Heraclea tamen ejus diligentiam deſidero. Nam qui debuiſſet pro ſui inſtituti ratione ſingulis Heracleis ſua gentilia ſubnectere, is nunc, ubi tres & viginti Heracleas unico ſpiritu recenſuiſſet, ita gentilia permixte ſubjecit, quaſi ea fuerint omnibus perinde communia: quam σύγχυσιν, ſi lubet, Hermolao epitomatori tribuamus. Ejus gentilium catalogus ita nunc habet: Τὸ ἐθνικὸν, inquit, Ηρακλεὺς καὶ Ηρακλεώτης, καὶ Ηρακλεώτης, καὶ Ηράκλειον, καὶ Ηρακλεωτικόν, *Gentile, Heracleenſis, & Heracliotes, & Heracleotes, & Heraclium, & Heracleoticum*. In his praeterquam quod, uti dixi, gentilia miſcet, nec ſingula unicuique tribuit; videtur etiam ἐθνικὰ omiſiſſe quaedam in nummis obvia. Nam in Heracleae Siculae nummis ΗΡΑΚΛΗΤΩΝ inſcribitur, quod ἐθνικὸν praeterivit; ſicut & gentile Ηράκλειος, quod in aliis nummis paſſim occurrit. Accedit quod in duobus ultimis Ethnicographus fallit. Quid enim inter gentilia Ηράκλειον, quod nomen eſt urbis, facit? aut Ηρακλεωτικον (κτητικὸν, *poſſeſſivum* nomen neutrius generis) quo pertinet? Verum haec duo non Stephani nec forſitan Hermolai, ſed librarii ſomnolentiae adſcribenda reor. Nec dubium eſt quin ab auctoris manu fuerit καὶ Ηράκλειος, καὶ Ηρακλεωτικός. Quorum hoc alterum eſt poſſeſſivum ab Ηρακλεώτης derivatum (nam etiam τὰ κτητικὰ interdum ἐθνικοῖς Noſter adnectit) at illud prius in nummis Caeſarum complurium apud Vaillantium eſt gentile Heracleae illius, quae in Lydia fuit, in qua lapis repertus qui ferrum attrahit, a loco dictus *Lapis Heracleius* (vulgo *Herculeus*) itemque *Magneſius* aut *Magnes*, propterea quod haec *Heraclea*, aliter *Magneſia* cognominabatur. Sub imperatoribus igitur nummi ΗΡΑΚΛΕΙΩΝ inſcripti ad hanc Lydiae Heracleam referuntur, forſan quod tunc alia nulla hoc a ſe gentile inflecteret; jam diu enim Heraclea Magnae Graeciae aut ſtare aut cudere nummos deſierat. At rebus Graeciae Magnae florentibus gentile nomen Ηράκλειος peculiare noſtrae Heracleae ad Acirim fuerat, uti conſtat & ex plurimis noſtrarum Heracleenſium Tabularum locis (in quibus non aliud gentile aut poſſeſſivum nomen occurrit quam ΗΡΑΚΛΕΙΟΣ, idque per ſuos caſus, atque numeros inclinatum) & ex nummis, quos hic mox deſcribemus. Apud auctores tamen (1) eſt ubi ΗΡΑΚΛΕΩΤΗΣ uſurpatum de hujus noſtrae civibus reperias.

Eſt & aliud illuſtre diſcrimen, ex quo noſtrae Heracleae nummos ab aliis diſtinguas, nim. nota ſpiritûs aſperi (⊢): quae in eisdem Tabulis Heraclienſibus infra explicandis tum in ⊢ΗΡΑΚΛΕΙΟΣ, tum & in aliis aſperatis vocibus tamquam una ex litteris ſcalpitur: ut non ſit penitus dubitandum, quin ii nummi, in quibus ⊢ΗΡΑΚΛΕΙΩΝ inſcribitur, ad noſtram Heracleam pertineant. Interim eos quoque, qui ΗΡΑΚΛΕΙΩΝ inſcripti, tamen illâ δασείᾳ litterâ carent, modo perantiqui ſint, noſtrae adjudicabimus.

§. 2. *Nummorum Heracleae Magnae Graeciae deſcriptio.*

Sed jam ad nummos ipſos venio, quos equidem nanciſci quiverim: quos non tantum in tabula ſcalptos exhibebimus, verum etiam eosdem hîc deſcribere penſi fuit.

I. Nummus aereus apud me eſt, in cujus adverſa parte eſt caput muliebre nonnihil detritum, & in ejus ſiniſtro latere thyrſus. In averſa parte tropaeum & inſcriptio ⊢ΗΡΑΚΛΕΙΩΝ. Nummus perantiquus eſt, formas litterarum ſimillimas Tabulis Heracleenſibus exhibens. In primis autem elementum (⊢) praepoſitum, & gentile nomen in ΕΙΟΣ deſinens, dubitare vetant; quin ad Heracleenſes Tarentini ſinûs pertineat. Tropaeum victoriam aliquam, ac ſimul belli paciſque ἀυτεξουσιότητα deſignat.

II. In eodem muſeo noſtro exſtat alter aereus nummus, hinc Minervam ſacrificantem exhibens, illinc nudos juvenes duos, attritu evanidos. Inferne eamdem prorſus inſcriptionem gerit, cui & litterula (⊢) etſi ſenio abſumpta, praeit. Litterae valde

(1) *Documento eſt Strabonis locus in* VI. *ubi de Heraclea Magnae Graeciae locutus, de Siri ſic narrat:* ἐπίνειον ἄυτη τῶν Ηρακλεωτῶν ὑπῆρξε. Ipſa (*Siris*) navale HERACLEOTARVM evaſit. *Ac facile aevo Auguſteo gentile* Ηρακλεώτης *coepit promiſcue de omnibus Heracleis uſurpari.*

Digitized by Google

acquiſitae libertatis dixi quaedam eâdem ſectione. Quorum ſumma huc volo redeat. Sub Alexandro Epirota [qui anno V. C. 428. occubuit] adhuc ea obnoxia Tarentinis erat, ſed ita ut jam tum illi munita ad ἀυτονομίαν via videretur. Deinde medio ſexto urbis Romae ſaeculo h. e. Hannibalicis temporibus jam ipſa ſibi, injuſſu Tarentinorum, tamquam libera conſulebat. Nec ſecus in his tabellis, populus Heracleenſis liber ſuique juris oſtenditur. Cumque alioqui haec duo Graeca epigrammata videantur diu Hannibale vetuſtiora; haud aegre crediderim, prope ab Alexandri nece Heracleam ſui juris evaſiſſe. De quo copioſius Diatr. ſeq. ediſſeram [nam haec nunc Diatriba nolo mihi ſpiſſior juſto procedat] & ita diſſeram, ut ante Pyrrhi tempora Heracleam ſui juris evaſiſſe, pulcherrimo Tullii loco, quem nunc demum animadverti, ſim planiſſime demonſtraturus.

Jam vero ſi quaeras, ſtantis reipub. Romanae temporibus, quonam Heraclea noſtra jure uſa fuerit comparate ad populi Romani majeſtatem; ajo inter foederatas civitates [nec quovis foedere ſed aequiſſimo] fuiſſe numeratam; de quo plura Tullii loca dubitare vetant. Locus unus eſt in ea pro Archia cap. 4. hujuſmodi: *Quae* (Heraclea) *cum eſſet civitas aequiſſimo jure ac foedere:* ubi cave Fulvio [83] Vr-

P

ſino

valde confertae, nec ſatis illis ſimiles quae in Tabulis infra dandis apparent, nummum paullo recentiorem ſuperiore oſtendunt.

III. Apud Excellentiſs. Equitem Hieroſol. Carolum Guevaram (cujus hortatu hic Commentarius editur) vidi olim argenteum nummum, in cujus una parte eques dextrâ adverſum porrectâ cernebatur, in altera vero Taras Neptuni filius delphino vectus, ſiniſtra tridentem, dextra vas gerens. Hic typus in Tarentinis nummis argenteis pluries occurrit. At quem Eques Guevara mihi contemplandum praebuit, in eo ſub delphino legebatur ⊢HP h. e. ⊢HPAKΛEIΩN.

IV. Quod dixi, hunc eumdem typum in argenteis Tarentinis eſſe tritiſſimum, id apparet, ex meo argenteo, in quo eadem omnia, ac in ſuperiore exhibentur: in quo tamen delphino Tarantem gerenti ſubſcribitur TAPAΣ, equiti vero ſuperne ET, inferne ⊢IΣTIAP inſcribitur. Ex quibus vides elementum (⊢) Heracleenſibus cum Tarentinis conditoribus ſuis, ac forſitan cum vicinis (II) aliis, fuiſſe commune. Idem porro elementum in alio apud M. Majerum numiſmate Tarentino comparet, cujus deſcriptionem (III) inferne habes.

V. Ac porro hujuſmet aſpirationis indicio nummos non paucos (quos viri docti Heracleae Siciliae tribuerant) ad Heracleam Tarentini ſinûs, ceu fugitivos, non injuria retraxerimus. Sane Parutae Siculos nummos accuratione ſumma ab Havercampo illuſtratos recognoſcere lectorem jubeo. Ibi in Heracleae Minoae numiſmatibus Tab. CXIX. num. 10. nummus argenteus exſtat, hinc Minervam exhibens, illinc Herculem in leone ſtrangulando conni-

tentem cum epigraphe IHPAKΛHTΩN. Sed mihi non eſt dubium, quin primum illud I in ⊢ ſit refingendum; in penultima vero pro HT, in nummo EI fuerit. Id multo magis verum eſt in argenteo nummo, qui ibid. tab. CXX. num. 15. proſtat, eisdem ferme figuris utrinque ſcalptus: in cujus poſtica parte FHPAKΛEIΩN ſcribitur. At tu ne dubita pro digammate (F) aſperatam litteram (⊢) reponere. Ita nummus uterque ad Heracleam noſtram jure ſuo revocabitur. Eſt & in muſeo meo nummus argenteus ejusdem typi & inſcriptionis: niſi quod illud elementum (⊢) initio extritum doleo.

VI. Poſtremo ibidem eâd. tab. CXX. n. 12. & 14. duo ſunt nummi (quorum prior ejusdem typi ac ſuperior eſt; alter vero hinc Cereris ſpicâ ornatum caput, illinc ingentem ſpicam, ut in Metapontinis nummis, prae ſe fert) in quibus ſine ulla ab initio τῦ ⊢ detriti ſuſpicione HPAKΛEIΩN ſcribitur. Quos equidem Heracleae Minoae abjudico (in hujus enim nummis ηραχλΗτων ſcribendum fuiſſet) & ad noſtram Heracleam revoco, cujus gentile nomen in EIOΣ terminatur. Forſitan aevo poſteriore percuſſi ſunt, quo uſus τῦ ⊢ eliminatus fuerat.

Atque hos noſtrae Heracleae nummos, & ſiqui ſunt porro alii, antiquiores lege Julia judicandos, infra Adn. 84. num. IV. obſervabimus.

(83) Ex eo, opinor, Siculam Heracleam jubet Fulvius intelligi, quod proxime Orator Siciliae meminerat. *Interim*, inquit, *cum* (Archias) *eſſet cum L. Lucullo in Siciliam profectus, & cum ex ea provincia cum eodem Lucullo decederet, venit Heracleam: quae cum eſſet civitas aequiſſimo jure ac foedere, adſcribi ſe in*

eam

(II) *Nam huc referri poteſt nummus Hydruntinorum* (*quem p. 40. in fine ſect. IV. protuli*) *inſcriptus* ⊢TΔPΩNTINΩN.

(III) *Apud M. Majerum in Regni Neap. nummis, in Tabulis prioribus Tab. 13. num. 22. nummus argenteus exſtat hinc Tarantem Neptuno inſidentem praeſeferens cum* TAPAΣ *ſubſcripto, illinc vero equitem & inferne ſcalptum* ⊢I: *quod ad* ⊢IΣTIAP *numiſmatis mei referri poteſt, aut certe ad nomen alterum, quod initio* I *aſperatum haberet. At bonus Majerus in ſua explicatione elementa duo in unum conflavit, tamquam ſi pro* ⊢I, *vocalis* H *ſcalpta eſſet, &* (*quod multo deterius*) *putavit* Hλιος (ſol) *ibi intelligi oportere. Quid* Sol *ibi faciat, de eo conſulendus eſt Oedipus.*

Digitized by Google

ſino ad eum locum commentanti credas, de Heraclea Siciliae ea verba accipienti. Alter vero Ciceronis locus eſt in ea pro Cornelio Balbo cap. 8. his verbis: *Qui fundi populi facti non eſſent* (quid *populi fundi* ſint, ad Tabulam Heracleenſem Latinam dicetur) *civitatem* (Romanam) *non haberent. In quo magna contentio Heraclienſium & Neapolitanorum fuit, cum magna pars in iis civitatibus FOEDERIS ſui libertatem civitati anteferret.* In eadem Balbiana cap. 22. *ſingulare foedus* (h.e. ſupra cetera *aequiſſimum*, ut equidem accipio) vocatur illud quod a Romanis cum Heraclea ictum fuit: de quo in ſeq. Diatriba. Fuere igitur Neapolis & Heraclea in foederatarum urbium numero; & quidem earum quae aequiſſimo foedere, non iniquo ut plures aliae, utebantur. Id vero non impedit, quin Heraclea etiam inter Romana municipia referretur. Etſi non eodem ſemper municipii jure uſa fuit. Nam niſi vehementer fallor, ante ſociale bellum erat Heraclea municipium ſine ſuffragio, ſuiſque interim vivebat legibus: at poſt idem bellum populus Heracleenſis in leges pleraſque Romanas fundus factus eſt, coepitque inter municipia cum jure ſuffragii numerari. Quam totam diſcuſſionem levibus nunc quidem lineamentis in ſubjecto [84] Schediaſmate adumbramus, longe plura in commentario ad Heraclienſem inſcriptionem Latinam infra daturi.

III. *De*

eam civitatem voluit: idque, cum ipſe per ſe dignus putaretur, tum auctoritate & gratia Luculli ab Heraclienſibus impetravit. At animadvertere debuiſſet, Archiam non in Sicilia commorantem, ſed ex ea *decedentem* (h. e. in eo itinere, quo ex provincia Sicilia cum Lucullo decedens, in portum Heraclienſem, qui ut ſaepe dixi, *Siris* erat, appulit) ab Heraclienſibus civitate donatum. His ſi addas quae eodem capite ſequuntur, jam nullus dubitationi locus relinquetur. Nam poſt Luculli & ipſorum Heraclienſium teſtimonium, Archiam fuiſſe Heracleae adſcriptum, affirmantium, ita ſubjicit: *Hic tu tabulas deſideras Heraclienſium publicas, quas Italico bello, incenſo tabulario, interiiſſe ſcimus omnes?* Atqui ex illo *Italico bello* nihil flammae, nihil caedium aut ullius incommodi in Siciliam redundavit: in Lucania autem ut cum maxime incendiis arſiſſe omnia neceſſe fuit.

Jam vero alter ex Balbiana locus ſuperne adſcriptus, quin unice de Heraclea Magnae Graeciae ſit accipiendus, non eſt ambiguum. Nam in Siculam Heracleam jam pridem ante bellum Italicum (cujus tempora ibi Tullius in animo habuit) deducta colonia fuerat, nempe a Rupilio, anno ante Chriſtum CXXXII. Quî potuiſſent igitur Siculi homines ſui foederis libertatem civitati Romanae, quam jamdiu conſecuti fuerant, anteferre? aut quis, rogo, locus altercationi a Tullio deſcriptae fuiſſet?

(84) *SCHEDIASMA de jure Municipiorum univerſe: item de ſtatu Heraclienſis populi ante & poſt bellum Italicum.*

I. *Quo intellectu Heraclea foederata fuerit, & quidem aequiſſimo foedere.*

Italia Romanis temporibus ad Rubiconem amnem in mari ſupero, in Tyrrheno Lucam uſque pertinebat: nam cetera ad Alpes Gallia ciſalpina erant. Loca autem Italiae quinûm fuere generum, uti ex Tabula Heraclienſi Latina oſtenditur: I. *Municipia*: II. *Coloniae*: III. *Praefecturae*: IV. *Fora*: V. *Conciliabula*. Qua in recenſione *Socias* & *foederatas* civitates cave praetermiſſas ſuſpiceris, quippe nec nominatas; quia ſolent ſub *Municipiorum* vocabulo contineri. Sicuti contra cum Heracleam urbem *foederatam* Romanorum dico, tantumdem eſt ac ſi *ſociam*, aut ſi *Municipium* dixero. Ac de *Municipii* notione ac generibus num. ſeq. loquar.

Nunc de foedere videamus, cujus qui participes eſſent, hi modo *foederati*, modo *ſocii* dicebantur, Graecis autem τὸ ἴσοσπονδον, aut ὑπόσπονδον, itemq. φίλοι aut σύμμαχοι vocabantur. Jam vero *Foedus* duûm generum fuit: *aequum* unum, in quod ex aequo & pari dignitate coibat uterq. populus foederatus: *iniquum* alterum, in quod non pari gradu duo populi conveniebant, ſed major erat Romani populi dignitas & reverentia. Ad hoc alterum foedus Teatini pervenerunt, quibus decretum fuit (apud Livium IX. 20.) *Vt foedus daretur; neque ex AEQVO tamen foedere, ſed ut IN DITIONE populi Romani eſſent.* Ergo *iniquum foedus* ditionem unius populi, ſubjectionem alterius notabat. Eodem illud Proculi ICti *l. 7. D. de Captiv.* pertinet. *Sive aequo foedere* (populus) *in amicitiam* (alterius) *venit, ſive foedere comprehenſum eſt, ut is populus alterius majeſtatem comiter conſervavet.* Mox: *Vt intelligatur, alterum populum SVPERIOREM eſſe, non ut intelligatur alterum non eſſe LIBERVM.* Vide plura apud Spanhemium in Orbe Romano Exerc. II. cap. 10.

II. *An Heraclea municipium Romanum fuerit: & utrum cum ſuffragio an ſine: itemque utrum cum αὐτονομίᾳ an ſine. Locus Strabonis illuſtratur, & cum Tullii Balbiana conciliatur.*

Heraclea cum civitas foederata fuerit, ſimul etiam Romanum municipium exſtiterit neceſſe eſt; propterea quod quaecumque per Italiam foederatae ſociaeve urbes erant, eaedem continuo municipiorum loco habebantur. Quod & exemplis Tarenti & Neapolis num. ſeq. firmabitur; & ex Tabulae Heraclienſis Latinae auctoritate, in qua Heraclea haud

Digitized by Google

haud dubie uti municipium habetur, liquet.

Atqui municipia duûm fuiſſe generum, ſatis hodie ſcitum eſt: unum ſine ſuffragio, ſed cum libertate priſtinarum legum: alterum cum plena civitate Romana h. e. cum adſcriptione in tribum, cum latione ſuffragii, jure magiſtratûs Romae capiundi, admiſſis interim a municipio pleriſque Romanis legibus, in quas ſcilicet populus municipalis fundus factus fuiſſet. Et ante quidem ſociale bellum pleraque Italiae municipia prioris generis fuerant: at bello confecto eadem (pauciſſimis exceptis, quae ſuarum legum libertatem civitati Rom. praetuliſſent) poſterioris generis evaſerunt: in quorum cenſu & Heraclea fuit.

Ergo poſt illud tempus Heraclea inſtar aliorum municipiorum fuit: quae ſuffragii lationem, & jus magiſtratûs capiendi aſſecuta, interim priſtina ἀυτονομία (etſi non in totum) abſtinuit, inque Romana inſtituta legeſque illas transfugit, in quas ejus populus fundus eſt factus (*de populis fundis*, in commentario ad Tab. Heracl. Latinam diſſeretur) non pauca interim ex jure ſuo priſtino municipali conſervans.

Dixi, poſt legem Juliam ſimul cum ceteris pleriſque Heracleam evaſiſſe poſterioris generis municipium. At enim, inquis, contrarium ex Tullii Balbiana oſtenditur cap. 8. Ibi de lege Iulia, plenam civitatem ſociis promittente, praefatus, ſubjicit. *In quo magna contentio Heraclienſium & Neapolitanorum fuit, cum magna pars in iis civitatibus foederis ſui libertatem civitati* (Romanae plenae) *anteferret*. Vides, in idem Heraclienſes atque Neapolitanos fuiſſe conniſos, uti ſcilicet ἀυτονομίαν ſuam civitati anteponerent. Quare cum Neapolis uſque ad priorum Caeſarum tempora (quibus demum evaſit Rom. colonia) municipium prioris generis fuerit; idem prorſus erit & de Heraclea ſentiendum.

At prona eſt reſponſio. In utroque quidem populo (Heraclienſi & Neapolitano) diu multumque diſceptatum fuit, dum hinc *Magna pars in iis civitatibus* (ſic enim orator loquitur) pro ἀυτονομίᾳ, illinc pars cetera pro plena civitate Romana dimicaret: at ejus certaminis non idem eventus utrobique fuit. Nam apud Neapolitanos ea factio vicit, quae ἀυτονομίαν praeferebat: at apud Heraclienſes potior contraria ſententia fuit. Idque veriſſimum eſſe, tum locus orationis pro Archia oſtendit, tum in primis tabula Heraclienſis Latina, quae legum Romanarum ab Heraclienſi populo acceptarum veluti pandecten complectitur.

Atque hinc loco Strabonis, quem tum in Diſſert. *de Cathedr. ſemper unica*, tum in hiſce Diatribis quam ſaepiſſime aut recitavi aut expoſui, lux mirifica, quanta numquam antea, affunditur. Geographus prope ab initio lib. VI. de Magna Graecia olim florente praelocutus, ſic ſtatim expoſtulat: *At nunc Tarento, Rhegio, Neapolique exceptis* (ἐκβεβαρβαρῶσθαι συμβέβηκεν ἅπαντα) *in barbariam omnia deſciverunt*. Vides ut breviter Tarenti, Rhegii ac Neapolis conditionem a ceteris Graecorum oppidis diſtinguat. Non enim de lingua, nec de ſcientiarum cultu hîc *barbaria* accipitur, ſed de inſtitutis & legibus. Nam quia nec Tarentinus, nec Rheginus, nec Neapolitanus populus in Romanas leges fundus fieri voluit; hinc hae tres tantum Graecorum urbes poſt legem Juliam municipia ſine ſuffragio, ut etiam ante fuerant, & cum ἀυτονομίᾳ ſua (quam plenae civitati Romanae praetulere) remanſerunt. Hae inquam tres tantum in barbariam non defecerunt, quia ab Hellenicis moribus (praeter quos Graecis nihil non barbarum habebatur, ne Romani quidem) non deſciverunt. At cetera Graecorum oppida (inter quae etiam Heraclea) ubi ſemel leges Romanas pleraſque admiſiſſent, ac veterem vivendi moribus ſuis libertatem cum ferendi Romae ſuffragii, & magiſtratûs capiundi dulcedine permutaſſent, h. e. municipia generis alterius evaſiſſent; ſimul omnia protinus in barbariem verſa, Geographus indignatur. Abjecto autem Helleniſmo, quid iis factum fuerit, ſtatim exponit: *Alioque nunc a Lucanis* (uti Heraclea) *& Bruttiis* (ut tot Graeca oppida, quae fuere intra peninſulam) *alia a Campanis* (ut Cumae cum aliis orae Campaniae civitatibus praeter Neapolim) *obtinentur: & ab his quidem verbo, re autem ipsâ a Romanis, quia & hi ipſi* (Lucani, Bruttii, Campani) *jam omnes Romani ſunt*: poſtquam ſcilicet lege Julia plenam civitatem Romanam aſſecuti ſunt populi Italici, municipia generis alterius facti.

III. *Tarentinum, Heracleenſe ac Neapolitanum municipium comparantur. Obiter de eo, quod diu ante legem Juliam Neapolitani fuerint Romani cives.*

Cum num. ſuperioris initio ad exempla Tarenti & Neapolis provocaverim; nunc pauca de utroque dicam. Tarentum Probus grammaticus, & alii *Municipium* vocaverunt, uti ante a me pag. 99. dictum. Similiter & Neapolis (quam foederatam fuiſſe urbem, ab omnibus traditur: de quo vide Ciceronis locum in ea pro Corn. Balbo ſuperne num. II. adſcriptum) quae tamen haud ſecius a Tullio ad Famil. XIII. 30. *Municipium* diſerte vocatur. Cujus locum, cum praeter voluntatem ſuo loco (nim. in Diſſert. *de Cathedr. Neap. ſemper unica* Par. 2. ubi de Graeciſmo Neap. agitur) praetermiſiſſem; hîc libens adſcribam. Sic incipit: *L. Manlius eſt* (cognomine) *Soſis. Is fuit Catinenſis: ſed eſt una cum reliquis Neapolitanis civis Romanus factus, Decurioque Neapoli. Erat enim adſcriptus in id MVNICIPIVM ante civitatem* (lege Julia) *ſociis & Latinis datam*. Vides igitur, & ante & poſt bellum Italicum Neapolim inter Municipia numeratam, ejuſque Municipes fuiſſe Romanos cives, ſed ſine jure ſuffragii, ſuiſque interim vixiſſe legibus.

Haud ſecus igitur & Heraclea Municipium jamdiu fuerat: in qua proinde pariter ac Neapoli aliquando de ſua ἀυτονομίᾳ decertatum fuit, teſte Cicerone pro Corn. Balbo cap. 8. Etſi poſtea Heracleam ſuae ἀυτονομίᾳ veteri praetuliſſe jus plenae civitatis Romanae (cum ſuffragio ſcilicet, & jure magiſtratûs capiundi conjunctae) modo ex Strabone docui, & copioſius ad Latinam inſcriptionem oſtendetur.

IV. *In quibuſnam Italiae municipiis jus feriendae monetae obtinuerit.*

Memini legiſſe apud neſcio quem ex iis, qui ad nummos populorum illuſtrandos incubuerunt, in Italiae municipiis non fuiſſe jus percutiendae monetae. At id, niſi vehementer fallor, dumtaxat poſt bellum ſociale valuit: poſt quod cum municipia fere omnia alterius generis evaſiſſent, ita ut & in tribus adſcripta eſſent, & ſuffragium in tribubus ſuis ferrent, & Romanis legibus viverent; conſequens fuit, ut a cudenda moneta abſtinerent, & Romae (quae altera municipiorum *major patria* dicebatur) percuſſis nummis uterentur. At quamdiu haec eadem oppida fuerant prioris generis municipia, in iis auri, argenti, aeris flandi feriundi jus fuiſſe, ex eo oſtenditur, quod plerorumque Italiae oppidorum numiſmata circumferuntur: & quidem ita antiquae fabricae, ac veteribus ductibus litterarum ut facile ante bellum Italicum ea cuſa fuiſſe, animadvertas. Hujuſcemodi ſane numiſmatum Graecorum, Latinorum, Tyrrhenicorum, Oſcorum, aut aliis peregrinis notis exaratorum copia opprimimur: quae quidem lege Juliâ antiquiora ſunt.

At vero Neapoli, Rhegii, Tarenti, & ſiqua ſunt alia oppida, quibus ſua ἀυτονομία potior civitate fuit, in iis videntur nummi & ante & etiam poſt legem Juliam aliquandiu fuiſſe percuſſi. Neapoli-

Digitized by Google

III. *De urbis Heracleae ſcholâ Pythagoricae diſciplinae.*

Livius I. 18. ubi Numam Pythagora multo antiquiorem ſtatuit, fatetur interim philoſophum aut Heracleae aut in vicino docuiſſe. *Quem* (Pythagoram) inquit, *Servio Tullo regnante Romae, centum amplius poſt* [Numam] *annos, in ultima Italiae orâ circa Metapontum HERACLEAMQVE* (85) *& Crotona, juvenum, aemulantium ſtudia, coetus habuiſſe conſtat.* Verum utrum dux ipſe dogmatis Pythagoras Heracleae aut Siri ludum aperuerit, in incerto relinquimus: at Cliniam certe & Philolaum Pythagoreorum nobiliſſimos [86] Heracleae philoſophiam Pythagoricam docuiſſe, alioſque [87] nonnullos ejusdem ſectae illuſtres philoſophos ex Heraclea prodiiſſe, non eſt dubitandum; quamvis Italienſium philoſophorum parciorem quam pro ingenti atque infinita multitudine ad nos perveniſſe notitiam vehementer dolemus.

IV. *Quamdiu Heraclea ſteterit.*

Anno V. C. DCXCII. adhuc Heraclea non tantum ſtabat, ſed & cum maxime dignitatem ſuam tuebatur [quo anno vocata a Cicerone fuit oratione pro Archia, *Civitas aequiſſimo jure ac foedere*] ita ut jus civitatis ejus Archias ambiverit. Longo poſt intervallo Strabo, ſuam geographiam ſub Tiberio ſcribens, Heracleae tamquam exſtantis meminit: quam tamen Mela (haud aliunde, ut interpretor, quam quia in urbibus recenſendis parciſſimus) praeterivit. Tandem ne Plinius quidem [qui ſuam Hiſtoriam naturalem Tito Imper. obtulit] eam praetermiſit, nihilque interim addidit, quo eam jam deſiviſſe ſignificaret, ſicuti in ceteris urbibus intermortuis ſolet. Itaq. hoc tantum praeſtare poſſum, anno V.C. 830. [Chriſti LXXVII.] quo Tito Caeſari Plinius Hiſtoriam naturalem dicavit, Heracleam inter urbes ἀξιολόγους numerari meruiſſe: cum interim ab anno Vrbis CCCXIII. [quo ea condita a Tarentinis fuerat] ad ſupraſcriptum annum DCCCXXX. non plus quam anni DXVII. evoluti eſſent. Hoc quidem praeſtare valeo: nam quamdiu poſt Plinium ſteterit, juxta cum ignariſſimis ſcio.

Nam

politana certe & Rhegina numiſmata plurima hujuſmodi terimus, quorum ingenium & litterarum tractus ad citeriora tempora facile accedunt.

(85) Imo potius *circa Sirin* dixiſſet: quae urbs poſtea non niſi Olympiade 86. extremâ, loco ſimulque nomine tranſmutato, *Heraclea* eſt appellata, ut cap. I. hujus Diatribae diximus. Ac difficile eſt Pythagoram ultra Olymp. 86. vixiſſe, ita ut Heracleam viderit: etſi non deſunt, qui hujus philoſophi vitam adhuc ulterius prorogent: parum recte tamen meo judicio.

Sed facile crimen ἀνισορροπίας a T. Livio amoliemur, ſi hunc κατὰ πρόληψιν (*per anticipationem*) locutum ſtatuerimus. Nempe *Heracleam* cum dicit, eam urbem (*Sirin* ſcilicet) intelligit, quae poſt Pythagorae fatum mutato loco ſimul priſtinum *Siris* nomen cum novo *Heracleae* vocabulo permutavit.

(86) Scholae Pythagoricae Haeracleenſis notitiam Iamblicho debeo: qui in vita Pythagorae cap. 36. ſect. 266. poſt ſcholae Crotonienſis ſucceſſionem expoſitam, meminit & harum minorum: περὶ μὲν Ηράκλειαν, Κλινίαν καὶ Φιλόλαον· ἐν Μεταποντίῳ δὲ, Θεωρίδην καὶ Εὔρυτον· ἐν Τάραντι δὲ Αρχύταν. Ubi ex ſuperioribus ſupplendum eſt, ἀφηγήσασθαι τῆς σχολῆς (*ſcholae praefuiſſe*) ac proinde vertendum: *Heracleae quidem Cliniam & Philolaum: Metaponti Theoriden & Eurytum: Tarenti Archytam ſcholae* (Pythagoricae) *praefuiſſe*. Non ſimul quidem Clinias cum Philolao, nec Theorides cum Euryto docuit, ſed ita ut alter alteri in ſchola ſucceſſerit.

Porro ex Heracleae doctoribus Clinias domo Tarentinus fuit, Philolaus autem Crotoniates. Ac fuere ambo ingentia philoſophiae Pythagoricae lumina: de quibus plura qui ſcire volet, eos adeat, per quos philoſophorum hiſtoriam illuſtratam diligentiſſime habemus.

(87) Fuit quidam *Amyclas Heracleotes*, quem Proclus l. 2. in Euclidem inter claros geometras refert: quem Laertius IX. 40. Pythagoricum diſerte vocat, & cum Clinia illo nobili ſic jungit, quaſi ſi ambo Platonem Democriti commentaria combuſturum ſint dehortati.

Fuere omnino & alii ex Heraclea noſtra Pythagorici, parum noti. At *Euxenus* ille *Heracleotes*, Apollonii Tyanei praeceptor, dogmatis Pythagorici peritiſſimus, ſed qui praeclara praecepta moribus inquinaret (de quo videndus Philoſtratus lib. I. c. 7.) ad Heracleam Ponticam, teſte eodem Philoſtrato, pertinebat.

Digitized by Google

Nam quod Ptolemaeus, qui ſub M. Aurelio geographiam a ſe dedit, Heracleam ſilentio praeterivit, id ſilentium pluribus modis poſſumus interpretari: ſive quod ſub M. Aurelio ea urbs aut everſa, aut in vicum redacta cerneretur: ſive quod inter Μεγάλης Ελλάδος oppida [quae unice recenſenda Ptolemaeus ibi ſuſceperat] numerari non poſſet, quippe quae jam inde a confecto ſociali bello Romanam civitatem cum jure ſuffragii adepta, ad Romana inſtituta transfugiſſet, nec dum jam ſuis legibus, ſed Romanis moribus viveret: quod argumentum copioſe Adn. 84. tractavimus. Itaque utrum ſub M. Aurelio Heraclea ſubſtiterit, incertiſſimum habeo.

Ac forſan aliquis ex injecta ab Anonymo Ravennate hujus Heracleae [88] mentione nitatur elicere, aevo [89] auctoris hujus adhuc ſpiritum duxiſſe Heracleam. Sed nemini id perſuaſum fiet reputanti, Ravennatem iſtum non ea tantum recenſuiſſe loca, quae ſuo tempore ſtarent, ſed quorumcumque notitiam ipſe ex ſuperioris aevi geographis hauſiſſet, ut ipſemet initio lib. primi (90) praefatur.

At cum inter epiſcopatus Italiae antiquatos (quos Vghellus tomo ultimo collegit) nulla prorſus in Lucaniâ [91] Heraclienſis cathedrae memoria ſuperſit; facile adducor ut credam, mature admodum Heracleam interiiſſe; ita ut poſt pacem Eccleſiae redditam, cum magis magiſque in dies Epiſcopi oppidatim ordinarentur; nulla tunc temporis in ora Lucaniae maritimâ urbs Heraclea fuerit, cui daretur Epiſcopus. Aut ſi quid adhuc ex ea forte ſupererat, vicus erat magis quam oppidum ſede Epiſcopali dignum.

(88) *Ravennatis Geographi locus enucleatur. De Meſochoro amplius.*

Ravennas anonymus lib. IV. capite 31. extremo maritimam oram ita deſcribit: TARENTVM: MESOCHORVM (de hoc infra dicam) METAPONTVM: HERACLEA. Ad Heracleam hanc noſtram uſque ordo locorum ſibi conſtat: at in ſequentibus turbat, quippe a Scylacio in ima peninſula poſito incipit, ac retro perturbate progreditur. Sequitur enim: SCINASIVM (*Scylacium* interpretare) TVRRIS (hi *Thurii* ſunt) PELIA (i. e. *Petelia*) CROTONA: PACENIO (quod non aliud accipio quam Antonini *Paternum*, medio ferme inter Thurios & Crotonem intervallo ſitum) ANNIBAL. Hoc ultimum *Caſtra Hannibalis*, prope a Scylacio, interpretaberis.

Nunc de *Meſochoro* pauca. Hoc ſupra pag. 111. ad Acalandrum amnem poſui, ac de loco quem ad eum amnem Moloſſus Alexander ad celebrandas Graeciae Italicae ſynodos permunierat, accepi. Nam cum antea Heracleae in loco dicto *Polichoro* ſynoditae coirent; is Tarentinis infenſus ad Acalandrum in ſaeptum a ſe paratum Italiotas convenire juſſit, idque μεσόχωρον (immutato paullum vocabulo) vocari voluit, uti notaret id eſſe illius tunc Graeciae meditullium. Ceterum ubi circa id ſaeptum celebrari locus frequentibus habitationibus coepit; ab eo tempore inter oppida numeratum fuit.

At ubi haec pag. 111. commentatus fueram; animadverti iſtud *Meſochorum* non fuiſſe ab eruditiſs. Islaeo in accuratiſſima veteris Italiae Tabula neglectum. Niſi quod loco prorſus alieno illud poſuit, nim. in iſthmo Meſſapiae, non longe a Tarento Brunduſium verſus eunti: quidnam in eo fuerit ſecutus, ignoro. Ad me quod attinet, ἰσσοχος an ἄσοχος conjector fuerim, arbitrium lectori permitto.

(89) Septimo ſaeculo haec orbis deſcriptio prodiiſſe creditur.

(90) Nam ipſo ſtatim initio, ſe nullas peregrinationes ſuſcepiſſe, nec luſtraſſe terras fatetur (quod ei faciendum fuiſſet, ſi loca tempore ſuo exſtantia recenſere in animo habuiſſet) verum ex libris geographorum, tam veterum ſcilicet, quam poſteriorum, ea corraſiſſe quae affert.

(91) Refert quidem Vghellus tomo ult. inter ſuppreſſas ſedes epiſcopales *Heracleenſem*: verum haec, de qua ibi loquitur, in Venetis fuerat.

DIA-

Digitized by Google

DIATRIBA III.

De ingenti Graecorum Heracleae epigrammatum ſenio: de ſingulari Doriſmo, & inſolitis elementorum formis: deque eorumdem aetate conjicienda.

QVas Graecas Heracleae tabulas propoſitum mihi fuit obrodere, earum vetuſtas ex peculiari Doriſmo, & ex inſolitis litterarum figuris, in primis autem ex novis duobus infra explicandis elementis, quanta maxima oſtenditur: quocirca de Doriſmo primum, tum de characteribus agam. At his interim perſolutis, non tamen deſiſtent cupidi quaerere, quoto ante Chriſtum anno eaedem ſcalptae videantur. In quorum gratiam ad ultimum de earum aetate conjectionem qualem poſſumus, ſubjiciemus.

CAPVT I.

De Vetere Novoque Doriſmo, quodque hae tabulae veterem potius exhibeant.

HEracleae, Tarenti, & in majore Magnae Graeciae parte Doricam dialectum viguiſſe, tum Pythagoreorum fragmenta (1) tum etiam urbium earum nummi oſtendunt: quam dialectum pretio & antiquitate ceteris omnibus anteceſſiſſe, Iamblichus haud inſcite (2) ſuaſit. Duplicem autem τὴν Δωρίδα διάλεκτον fuiſſe, veterem atque novam, ex cujusdam antiqui Grammatici (3) ſcholio diſcimus, in quo ita de Theocrito adnotatur: Κέχρηται δὲ Ιαδὶ διαλέκτῳ, καὶ Δωρίδι τῇ νέᾳ· δύο γάρ εἰσι (παλαιὰ καὶ νέα) καὶ ἡ μὲν παλαιὰ τραχεῖα τίς ἐσι καὶ ὑπέρογκος (4) καὶ ἐκ εὐκόη-

(1) Etſi eorum opuſcula aut fragmenta, prout nunc apud Stobaeum aut alibi proſtant, ad communem dialectum reficta, alia in totum alia ex parte, putantur.

(2) Iamblichus in vita Pythagorae cap. 34. ex Metrodoro Epicharmi filio tradit, *Pythagoram dialectorum optimam cenſuiſſe Doricam . . . eamque ad harmoniae modulos compoſitam, utpote (συνεσηκυῖαν ἐκ τῶν φωνηέντων γραμμάτων) ex litteris maxime vocalibus conſtantem. De ejusdem vero antiquitate etiam fabulas teſtari. Nerea enim duxiſſe Dorida Oceani filiam, ex qua filias quinquaginta natas . . . Alios porro dicere, Dorum ex Prometheo & Pyrrha natum, ex Doro Hellenem, ex Hellene Aeolum. In ſacris autem Babyloniorum libris doceri, ex Jove natum Hellenem, ex quo Dorus, Xhuthus, & Aeolus: hiſque narrationibus Herodotum accedere . . . Itaque ex qualibet recenſione confici, Doricam dialectum fuiſſe omnium antiquiſſimam: huic proximam Aeolicam, ab Aeolo ſic dictam: tertiam ſequi Ionicam ab Ione Xhuthi filio cognominatam: quartam eſſe Atticam, ita dictam a filia Creuſae Erechthei filiae; hancque ultimam dialectum prioribus poſteriorem tribus ſaeculis exſtitiſſe. Ab Orpheo demum antiquiſſimo poetarum Doricam dialectum fuiſſe uſurpatam.* Haec ex Metrodoro Epicharmi Pythagorei filio Iamblichus.

(3) Incertus is auctor praefixus Theocriti editioni Aldinae anni 1495. reperitur, qui *De genere Poetae* inſcribitur. Eadem verba paullo uberiora Andreas Schottus in vetuſto Theocriti MS. reperit, ac lib. II. cap. 50. Obſervationum humanarum exhibuit. Quae uncis interpoſui, ea ex Schotto ſunt, nam in Aldo deſiderantur.

(4) Iſtud ὑπέρογκος expoſui, *Supra modum turgens*, ut vulgo ſonat. Ceterum ſi Doriſmi ſpectes ingenium, interpretari poſſis, *Craſſior* aut *Corpulentior*. Ea enim eſt hujus dialecti indoles, tum propter frequentem uſum vocalis A, tum & aliis de cauſis: quod Theocritus Πλατυάσδειν (*patulo ore loqui*) vocavit. At Ionica delicatior eſt, ut Attica comptior & elegantior.

Quam craſſitudinem & robur Doricae dialecto peculiaria dixi, ea in architectonicis etiam rationibus in ordine Dorico atque Tyrrhenico cernuntur. Sicuti contra mollitudo & gracilitas aeque in Ionica dialecto ac in ſymmetria Ionica ſe commendant.

Digitized by Google

ἀϋνότητος· ἡ δὲ νέα, ἣ καὶ Θεόκριτος χρῆται, μαλθακωτέρα, παρά τε Ἐπιχάρμου καὶ Σώφρονος· Οὐ μὲν ἀπολιμπάνεται καὶ Αἰολίδος. Quae [quia in fine quaedam non prona ad intelligendum habent, nec Schottus verterat] ſic reddimus. *Vſus eſt Ionica dialecto* (ut in Idyll. 12.) *itemque Dorica recentiore. Duûm enim generum eſt, Dorica vetus & nova. Ac vetus quidem ſubaſpera eſt ac turgens* (4) *ſupra modum: at nova, qua & Theocritus utitur, mollior, ab Epicharmo & Sophrone uſque profecta. Ac ne Aeolicam quidem* [Theocritus] *dialectum neglexit*. Eſt autem obiter animadvertendum, cum Siculus Epicharmus [ſectâ Pythagoreus, poeta phyſicus atque comicus] Olymp. LXXXIV. floruerit, Sophron vero Syracuſanus circa Olymp. LXXV. mimos ſcripſerit; inter hos novae inventores & Theocritum (qui Olymp. CXXX. eamdem recentiorem uſurpavit) ducentos ferme annos interceſſiſſe.

Hîc ego ineptus videar, ſi Doricae dialecti judex ſedere auſim, ac poſt bis mille circiter annos ex quo hae Tabulae exaratae fuerunt, atque in tanta monumentorum Doricorum penuria decernere, veterem ne an novum Doriſmum hae Tabulae complectantur. Tamen eo magis inclinat animus, ut ad veterem Doricam haſce inſcriptiones pertinere malim: idque his maxime de cauſis. Tres enim characteres grammaticus iſte veteri Doriſmo tribuit. I. Horum primus eſt ἀσαφεία *obſcuritas* (ἐκ ἰωνότητος, criticus id appellavit) quam quidem obſcuritatem utinam in hiſce Tabulis lector non perſentiſceret: parum profecto negotii explicaturo mihi faceſſerent. Nunc multo nos major in ambabus hiſce remoratur caligo, quam quantam Pythagoreorum commentarios ex Doriſmi difficultate contraxiſſe, Porphyrius [5] conquerebatur. Prior ergo veteris Doriſmi character obſcuritas fuit: quae tamen [quid enim diſſimulo?] magna ex parte non tam dialecto ſuapte ſponte abſtruſiſſimae, quam agrimenſurae veteris aevi remotiſſimi ignorationi eſt imputanda. II. Alter vero *aſperitas* quaedam atque inſolens ſive tumor ſive craſſitudo habebatur. Haec vero mirum quanta in utraque tabulâ in aures delicatiores offendat. Ejus rei [6] ſpecimina animadvertere per ſe quiſque in indice vocum poterit, qui inſcriptionibus ſubjicietur. Ad aſperitatem praeter cetera etiam illud pertinet, quod nulla ferme vocula in his tabulis ſit, quae pluribus aut uno ſaltem peculiari Doriſmo vacet: cum interim in libris & marmoribus Dorice ſcriptis rari atque infrequentes Doriſmi ſint, nec niſi uſu tritiſſimi. Hanc vero mollitudinem in Siculis potiſſimum titulis animadverti, idque, ut interpretor, duplici de cauſa: primum quod ab uſque Sophronis & Epicharmi Siculorum temporibus [qui quod veterem Doricam emolliverant, novae auctores a grammaticis habebantur] in Sicilia universâ vetus abjici dialectus,

eique

(5) Porphyrius in vita Pythagorae ſect. 53. cauſas extinctae Pythagoricae diſciplinae has affert. *Primum quidem quod aenigmatibus eſſet involuta: deinde quod Pythagoricorum commentaria Dorice ſcripta eſſent* (ἰχνός τι καὶ ΑΣΑΦΕΣ τῆς διαλέκτου, καὶ μηδὲν διὰ τοῦτο ὑπονοεῖσθαι) *cum ea dialectus* (antiqua ſcilicet cujuſmodi a Pythagoricis prioribus uſurpabatur) *non parum obſcuritatis haberet, eâque de gratia nihil eorum dogmatum vulgo perciperetur*.

(6) Verbi cauſa, eccui dativi illi ποιοντασσι, πρασσοντασσι pro ποιῦσι, πράσσουσι, non craſſum quiddam ac ſimul aſperum ſonant? Sed nolo in exemplis divagari.

Digitized by Google

eique nova ſubſtitui coeperit: deinde quod epigrammata Sicula, quae apud Gruterum, Gualterum & alios occurrunt, tabulis Heraclienſibus ſint re vera longe recentiora.

Ergo ſi quis cum Theocrito, ſi quis cum Pythagoricis aevi recentioris, quorum fragmenta ſuperſunt, ac ſi quis maxime cum antique ſcalptis marmoribus noſtras tabellas conferat; facile animadvertet, quid utrinque interſit; nec aegre inducet animum credere, illa quidem ad novam Δωρίδα, has vero tabulas duas ad veterem dialectum referri debere.

Ex dictis autem [de novo vetuſtoque Doriſmo, & quod hae Tabulae veteris potius effigiem prae ſe ferant] etiam de harum inſcriptionum remotiſſima vetuſtate aliquid decernere poſſumus. Nolim tamen quiſquam ex modo dictis ita ſecum ſtatuat, quaecumque veteri Doriſmo a nobis tribuuntur, ea continuo Sophrone & Epicharmo vetuſtiora credi oportere. Nam poſt poetas Siculos Sophronem & Epicharmum novae Δωρίδος repertores, in Sicilia quidem recens ille Doriſmus mire ſe omnibus commendavit, non item in ceteris ſermonis Dorici regionibus, praeſertim in Magna Graecia: in qua ſane videtur antiqua Δωρὶς perennaſſe aliquanto diutius, maxime ob ſcholae Pythagoricae celebritatem. Itaque quamvis hae tabulae Doriſmum antiquiorem complecti mihi viſae fuerint; tamen fieri poſſet, ut non tantum Sophrone & Epicharmo poſteriores, verum etiam Theocrito pares aut recentiores fuerint; niſi alia quaedam mirae vetuſtatis indicia in tabulis eisdem ſe proderent, quae ad non paullo anteriora Theocrito tempora tabellas haſce retrahere prorſus videantur: de quibus indiciis jam cap. II. & III. acturi ſumus.

CAPVT II.

Heraclienſium duorum epigrammatum ſcripturae effigies & antiquitas.

SECTIO I.

De Graecis litteris univerſe non nulla delibantur.

LItteras non niſi ab Oriente fuiſſe primum Occidentis regionibus importatas, ſicuti exploratiſſimum eſt; ſic diu ante Cadmum, nec niſi per illos facile gentium omnium antiquiſſimos [7] Pelaſgos fuiſſe tum iis, qui poſt Hellenis aetatem *Hellenes* ſive *Graeci* audierunt, tum etiam Tyrrhenis (qui & ipſi de genere Pelaſgico prodiiſſe

(7) *Pelaſgos* cum dico, Noachidas Phalegici temporis intelligi volo: id quod & Pelaſgorum nomen (quod a *Phaleg*, quod *diviſionem* ac mutuam ſeceſſionem notat, deducitur) oſtendit, ac praeterea eorumdem illud τὸ πολυπλάνητον (*errores perpetui*) apud auctores decantatiſſimum, ita ut nulla fuerit cultior Europae pars, ubi non Pelaſgorum nomen, & ſignata ab eisdem veſtigia deprehendantur. Per hos igitur primos divinum litterarum inventum, a patribus antediluvianis tranſmiſſum, tum in Graeciam, tum etiam in Tyrrheniam importatum fuit: quas ipſas litteras ſive iidem Pelaſgi, ſive Tyrrheni (Pelaſgorum & ipſi genus) poſtmodum cum Latio populiſque finitimis communicarunt, mox uſu ipſo tot populorum varie, uti fit, immutatas. Verum nunc non id agimus.

Digitized by Google

diiſſe mihi ſemper viſi fuerunt) nec non & Latinis & antiquiſſimis quibuſque populis traditas, aeque mihi videtur certiſſimum. Haec quidem & quae ſunt plurima cum his cognata, jam ante plurimos annos in ſchedis adumbraveram. At deinde eorum, quae ipſe videram, partem ab eruditiſs. Bouhierio [8] fuiſſe occupatam, eſt quod vehementer geſtiam. Nihil enim veri tam ſimile puto, quam, ſicubi e diverſo plures in cujuſpiam rei indaginem connitentes, in eadem forte veſtigia ſuopte ductu incurrerint. Ac fuerat in animo ea ſaltem ex adverſariis excerpere, quae nondum aliis animadverſa putarem. Verum quae finis, ſi ſemitâ mihi quâvis oblatâ, digrediar?

Quare omiſſa litterarum univerſa tractatione, de Graecis tantum elementis nunc mihi agitur. Poſt Pelaſgos igitur hujus rei principes, fuere & alii, qui ſive aucto ſignorum ſcripturae numero, ſive uſu promoto, aut quovis modo ſcriptione elimata, in ejus inventi gloriam evaſerunt. Ex horum numero Cadmus in primis & Cecrops fuerunt; ſecundum hos autem Palamedes, Linus, Epicharmus Siculus, atque Simonides celebrantur: quorum alii aliud in id inventum contulerunt mutaruntve, aliique alias elementorum formas adjecerunt. De his adeundi ſunt viri doctiſſimi, qui hanc univerſam materiem ad vivum reſecuerunt, atque in his laudatus Bouhierius. Nec ea poſtremo praetermittenda, quae poſt id tempus Chiſullus in Antiquit. Aſiaticis, quaeque Gallorum plures eruditi viri in Commentariis Academiae inſcriptionum obſervata reliquerunt.

In horum, quos ultimos recenſui, diſſertationibus, inſcriptiones non paucas ex Graecia Aſiaque collectas deprehendere licet βυστροφηδὸν [9] exaratas [quibus vix aliquid eſt antiquius] iiſque litteris ſcalptas, quas maximam partem Phoenicias (h. e. hodiernas Samaritanas) dixeris, aut minimum a Phoeniciis diſſidentes. Sunt & inſcriptiones aliae, quas ad Atticum alphabetum viri eruditi referunt: quod idem ferme ac Latinum hodiernum fuit. Nam praeter plurimas litterarum formas quas etiamnunc Graeci communes cum Latinis habent; erant & aliae fere omnes utriſque promiſcuae. Nam D, L, R, S, ſicuti ſemper apud Latinos, eodem plane modo in inſcriptionibus Atticis figuratae cernuntur. Praeterea Atticorum Koppa ad Latini Q figuram ita demum accedebat, ſi modo litterae Q caudam in rectum inferne direxeris: de quo in imo (10) margine ex Quintiliano docebimus.

Q

(8) Elegantiſſima Bouhierii hujuſmodi diſſertatio ad calcem Palaeographiae Montfauconii occurrit, tacito eruditiſs. auctoris nomine.

(9) De βυστροφηδὸν ſcribendi ratione meminit Pauſanias in Eliacis prioribus, Harpocration in ὁ κάτωθεν νόμος (ubi teſtatur Solonis leges ſcriptas βυστροφηδὸν fuiſſe) & Heſychius. Hujus ultimi verba haec ſunt. Βυστροφηδὸν. ὅτως ἔλεγον, ἐπὰν ὁμοίως τοῖς ἀροτριῶσι βυσί, τὰς ἀντιστροφὰς ποιῇ τις· ἔλεγον δὲ ἐπὶ τὰ γράφαν τρόπῳ τοιούτῳ. Hoc eſt: *Buſtrophedon dicitur ubi quis in morem bovum arantium verſuras facit. Vſurpatur & de ſcriptione in hunc modum compoſita.* Ac debemus ſane plurimum Gallorum Britannorumque peregrinationibus, quorum opera ante hos aliquot annos plurimae ejuſmodi epigraphae detectae fuerunt. In his primus verſus plerumque ſiniſtrorſum progreditur, ſecundus dextrorſum, & ſic ſemper alternando. Raro primus verſus in dextrum latus vadit.

(10) *Vera veteris Koppa deformatio ex nummo Crotoniatarum oſtenditur: quâ ignoratâ locis auctorum ſpiſſae incubuerant tenebrae: quae, ſimul ac vera forma intellecta fuerit, illico, diſpelluntur. Heſychio & Quintiliano lux. Cur in nummis veteres Crotoniatae τῷ Koppa ſint uſi.*

Littera *Koppa* (Hebraici Phoeniciique *Koph* poteſtate pollens: cui Graecum *Kappa* vim finitimam,

mus . Apud eosdem Atticos H , non τὸ *Eta* locum tenuit , sed ad aspirandum valebat . Littera *Pe* quam simillima tam antiquis Latinis, quam Atticis fuit . Ex quibus est manifestum , per eosdem Pelasgos tam Graeciae quam Latio litteras fuisse illatas . Eae vero ubi diutissime utrisque communes fuissent (id quod etiam ex nummis & vasorum inscriptionibus infra ostendam) deinde nonnullarum apud Graecos simulacra leviter variarunt .

SECTIO II.

Heraclienſis ſcripturae ſingularitas .

TAbularum exempla qui contemplabitur , me monitore minime egebit, ut effigiem Heraclienſis ſcripturae mente concipiat . Nec enim dici poteſt, quam anxia ſollicitudine deſcripta exemplaria quae damus,

mam , etſi diverſam tamen , obtinet) nunc quidem apud Latinos litterae Q reſpondet non tantum poteſtate verum etiam figura . Nam vetus illud *Koppa* viſitur adhuc in vetuſtiſſimis Crotoniatarum nummis : in quibus prima nominis Κροτανιατων littera (quae quidem in poſterioribus nummis K eſt) ferme ut Q Latinum exhibetur, modo cauda τὸ Q non oblique , ſed in rectum deſcendat . Ergo in his nummis ſive a dextra in ſiniſtram more Orientalium, ϙϙ , ſive inceſſu contrario, ϙϙ ſcalpitur . At in poſterioribus numiſmatibus KPO aut KPOT, non niſi cum K reperitur expreſſum .

Quam vero ex Crotoniatarum nummis τὸ *Koppa* formam genuinam oſtendi, eam jam pridem Heſychius vivis coloribus expreſſerat . Sed ejus locus ubi diu multumque viros eruditos exercuiſſet , nunquam tamen eſt intellectus, ceteroqui facile intelligendus iis, qui veram litterae formam in nummo vidiſſent . Heſychii verba in Κοππατίας haec ſunt . ΚΟΠΠΑΤΙΑΣ , ἵππος κεκαυμένος (recte alii reponunt ἐγκεκαυμένος) ἐκτετυπωμένον ἔχων σημεῖον τὸ κόππα · ὅ ἐστι ἀνεστραμμένον ρ καὶ σ . *Koppatias eſt equus inuſtus, impreſſum habens ſignum litterae Koppa: quod eſt Rho & Sigma inverſum.* Scitum eſt quid antiqui *Coppatias*, quid *Samphoras* equos vocarint: eos ſcil. quibus littera *Coppa* aut *Sanpi* inuſta eſſet . *Sanpi* autem ex Sigma lunato inverſo , cui π inſcriberetur, fiebat hoc modo ⋑ , eoque *San-pi* vocabatur . Atqui adhuc difficultas in figura τὸ *Koppa* exſiſtit : quam viri doctiſſimi varie deformarunt : non recte vero. At noviſſime eruditiſs. Bouhierius (in ſaepe laudata Diſſertatione ad calcem Palaeogr. Montfauc. p. 569.) ubi ſemel imbibiſſet, formam τὸ Koppa fuiſſe tantum *Rho* inverſum (h. e. τὸ q); in Heſychio poſt ἀνεστραμμένον , pro P καὶ σ , repoſuit P , ꟼ : nam poſterior figura pro Koppa minuſculo vulgo a recentioribus grammaticis affertur .

Verum vir eximius in forma τὸ Koppa fallitur ; nec enim erat τὸ q, verum ϙ : quam certo ex Crotoniatarum nummo tenemus. Hanc formam ſi Bouhierius ex nummo didiciſſet , nihil in Heſychio mutaſſet . Nam ex *Rho* inverſo fit q . Huic vero ſi in dextro latere τὸ C (h. e. lunatum ſigma: qua unice formâ aevo Heſychii ſibilum figurabatur) ſitu inverſo applicueris ; fiet ϙ ſive *Koppa* antiquorum (I) . Eſt & alter multo inquinatior ejusdem Heſychii locus in Κάππα : in quo Koppa definitur , ἀνεστραμμένον ρ , ὡς &c. Sed reſcribendum fuit , ἀνεστραμμένον P καὶ C &c.

Ad haec & Quintiliani locum pulcherrimum (quo nullus erat alius aptior ad veteris Koppa ductum percipiendum) Cl. Bouhierius ex ignorato Crotoniatarum nummo non aſſequi valuit . Fabius I. 4. de eo diſputans , utrum aliquae in alphabeto litterae redundarent , haec poſuit : *Et* Q , *cujus ſimilis effectus ſpecieſque , niſi quod paullum a nobis obliquatur , Koppa apud Graecos : nunc tantum in numero manet* . Quid de hoc loco ſtatuerit Bouhierius in cit. Diſſertat. p. 569. col. 1. cupidi videant . At equidem Fabii locum, verborum ordine naturali reſtituto , & voculis aliquot minime neceſſariis, tantum explanandi gratiâ intra uncos interpoſitis , facillimum reddam . *Et* Q (Latinum) : *cujus* Q *ſimilis* (eſt) *effectus* (h. e. poteſtas) *ſpecieſque* (i. e. figura) τὸ *Koppa apud Graecos : niſi quod* (Koppa : quod in nummo Crotoniatarum in rectum deſinit) *paullum a nobis obliquatur* (ut ſcilicet obliquatâ caudâ , exſiſtat Q) : *nunc* (Koppa Graecum) *tantum in numero manet* ; inter numericas enim notas locum ſibi tantummodo poſtea vindicavit . Haec eſt in Fabiano textu naturalis verborum ſeries atque intellectus . Ac de vetere Koppa ſatis .

Niſi quod illud exciderat , animadverſione digniſſimum, cur ſcilicet priſci Crotoniatae *Koppa* in nummis expreſſerint . Non alia eſt cauſa , quam quod , ut alibi oſtendi , *Crotonis* aut *Cortonae* (ut priſci vocabant) vox eſt ex Chaldaeo Phoenicioque קרתא (*Karta* aut *Korta*, *Urbs*) cujus vocabuli prima littera *Koph* in *Koppa* , ſibi in Graeco reſpondentem , mutanda fuit . At quia Koppa evaſit arithmeticum ἐπίσημον ; in nummis loco τὸ *Koppa* ſubrogatum K fuit. Sicut & in aliis vocabulis.

(I) *Dixerit aliquis. figuram ſupra ſignatam, quae ex* Rho *&* Sigma *inverſis coaleſcit , non tam* τῷ Koppa *quam* τῷ Phi *fore ſimillimam ; quippe cum in forma allata ſupremus orbis haſtili medio transfigatur, qui orbis in Koppa eſt ab omni vulnere haſtae illaeſus . At reſpondeo , iſtud* (ϙ) *nihil habere cum* τῷ Phi *commune, quia haſtile* τὸ Phi *ex utraque orbiculi parte quam longiſſime excurrit , praeſertim prout ab antiquis littera* Φ *formabatur . Deinde quam Heſychius* τὸ Koppa *deſcriptionem dedit , ea rudis eſt adumbratio magis, quam ipſiſſimum* Koppa *vetus. At longe exactiorem formam Quintilianus docuit , quam habes a me proxime expoſitam .*

Digitized by Google

damus, fuerint: tantâ certe ut quovis depoſito pignore ſpondeam, inter αὐτόγραφα & haec exempla, quae propoſita habes, ne unius quidem minutiſſimi apicis diſcrimen uſquam intereſſe: de quo vide in Prologo num. VI.

Scripturae autem *ſingularitas* non in eo vertitur, quod voces inter ſe omnes, nullo eas intervallo punctove diſtinente, coaleſcant: id quod mirificam inexercitatis moram haud dubie injicit. Non id, inquam, ſingulare voco; cum Graecae inſcriptiones majorem partem eo laborent incommodo. At noſtra haec ſingularitas duabus maxime ex rebus exſiſtit, ex inſolentibus ſcil. litterarum formis, & ex characteribus duobus novis. A priore ordior.

§. 1. *Heraclienſium complurium litterarum formae, earumque interiores cauſae.*

In Heraclienſi alphabeto, quod verſa pagella dabit, ſcito, I. eas maxime formas a me ex tabulis fuiſſe decerptas, quae magis omnibus ab hodiernis, aut a veteribus vulgo perſpectis diſcreparent, omiſſis iis quae propius ad notiores accedunt.


II. Trecentis ferme & amplius ante Chriſtum annis quoddam litterarum genus in nummis occurrit, quas gemmatas eruditi vocant, propterea quod litterarum ductus ſint ſertis unionum quam ſimillimi, aut ſaltem quod ex utraque parte in quosdam nodos, veluti gemmas, definant. Hoc more in nummis Philippi Macedonis, & priorum Syriae & Aegypti regum litterae Graecae omnes in craſſiora puncta in extremis ductibus definunt. Nec aliter in Samaritanis Machabaicae aetatis numiſmatis. Nec alia poſtremo litterarum ferme omnium in his tabulis Heraclienſibus eſt effigies: quas utique cum vulgo antiquariorum *gemmatas* appellaveris. Etſi id leve eſt antiquitatis indicium; nam nec Latina Heraclienſis tabella his punctis caret.

Id paullo ipſe fateberis mirabilius, ſi in cauſam moris hujus intuearis: qui mos a neceſſitate primo ortus, mox, ut in veſtitu aliiſq. humanis rebus uſuvenit, in περιεργεῖαν (ut in modo dictis veluti unionum ſertis) degeneravit. At neceſſitas id ante ſuaſerat. Nam in aere aliave exaranda duriore materia intutum fuiſſet infreni viriculo liberas, ut ſuo arbitratu per aequora ſubjecta diſcurreret, habenas permittere. Quocirca ſignandis litterarum ſulcis primum utrinque terminos puncto craſſiuſculo praefigebant: deinde admotâ regulâ deſignabant leviter ſtrigas, quas poſt viriculo aut celte altius inciderent. Tametſi interdum multis modis peccabatur ſocordiâ. Nam ſive regulâ inepte adhibitâ, non tranſadigebant, ſed vix praeterradebant punctum; ſive etiam trans puncti metam longius regulae ductum ſequebantur. Vtroque vitio tum Graeca haec duo epigrammata, tum & Latinum laborat. At in nummorum titulis, in quibus elegantia potiſſimum ſpectabatur, in neutro peccatum animadvertas.

III. Quod de rectis lineis ſcalpendis ope punctorum regulaeque dixi, ex eo intelligitur, quanto plus difficultatis reliquum fuerit in curvis ductibus exarandis. Quam uti declinarent, quidquid curvi in litteris erat, id in rectum, ſed angulatum, reſolvebant. Id

Digitized by Google

ALPHABETUM HERACLIENSIUM TABULARUM.



quod in appoſito ſchemate te figurae litterarum *Betha*, *Rho*, Υ *pſilu*, *Pſi* docebunt. In circularibus autem flexibus multo plus periculi inerat: quos adeo partim fecere quadrangulos, ſicuti in littera *Phi* in alphabeto cernis, partim (ut in litteris O & Θ) in polygonias cujuſvis generis figuras temere transformabant. Nam in hiſce tabellis vix eſt ut O μικρὸν, aut *Theta*, perfecte uſquam rotundum invenias: pro circulis autem non aliud quam gyros polygonios diverſiſſimos, nullius rationis ductu ſignatos, reperies. Id vero in antiquioribus Graecis elogiis βουστροφηδὸν exaratis multo eſt illuſtrius: in quibus pro vocali O nihil aliud quam ſive τραπέζια, ſive triangulos plurimorum generum orbes, tam rectilineos quam ex curvis rectiſque mixtos, nihilque niſi inconditum ac rude miraberis.

Illud etiam in O & Θ inconcinnum reperies, quod quam ſaepiſſime ſive caudam (ut in Latino Q) ſive helicis initium, ſive quidpiam tale abſonum alicubi ex orbe prodire animadvertas, qua ſcilicet parte viriculum circumduci deſierat. Quod quidem ita inepte ac temere circumagebatur, ut raro in ſeſe rediret, ſed modo τὸ (Q) modo helicis exordia, modo [utrinque ſcilicet excurrente mucrone] ſive *Omega* obliquatum, ſive (ϖ) ſignaretur.

Illud etiam eſt tyronibus animadvertendum, initio unum apud Grae-

Digitized by Google

Graecos O fuiſſe, quod aeque brevis longique vices implebat; nec minorem ceteris elementis molem praeferebat. At poſtquam placuit ejus vocalis duo ſigna depingere, ut unum O *parvi*, alterum *Magni* ſive longi ſignificationem daret; tum vero ſenſim ſine ſenſu orbis τῦ O parvi contrahi coepit [unde Ο μικρῦ καὶ μεγάλυ, i. e. *Parvi & Magni*, ex mole, dicta fuere nomina] eoque poſtremo ventum, ut o breve puncti modulum non excederet, ut in Tryphonis regis apud me nummo & alibi licet animadvertere. At vero initio modicum inter utrumque diſcrimen fuerat prae abnormi poſt-ſecutorum temporum differentia. Id quod in noſtris tabulis licet animadvertere: in quibus quod moles O brevis parum infra τῦ Ω modulum ſe viſendam praebeat, id antiquitatem majorem arguit: quam longe minorem dicerem, ſi iſtud ipſum O parvum exiguiſſimo ſtatu viſum effugeret: quod poſtea factum. In his Tabulis *Theta* menſuram τῦ O parvi non excedit.

IV. Praeter jam dicta, reſtat ut in aliquot hujus alphabeti litteras carptim nonnulla non dum obſervata notentur. *Alpha* illud numero quintum, itemque penultimum refert A vetuſtiſſimum Alphabeti Pelaſgo-Graeci; ſicuti tertium imitatur *Rho* ejusdem Alphabeti.

Beta ultimum ſine haſta ſemel tantum reperitur extremâ Tab. I. Litteram *Delta* baſis longior horizontalis diſtinguit. At interdum quia utrinque, aut ab uno, latere deorſum pes imus deſcendit, tunc ab A aut ab *Rho* parum diſcernitur.

Litterae E typi fere omnes ſunt ad Alphabeti Pelaſgo-Hellenici effigiem conformati, ut in tertio in his tabulis uſitatiſſimo cernitur.

Vocalis I rarius brevitate peccat, ita ut potius ſaepe ſupra ceteras quam plurimum excedat: ut minus mirari ſubeat, eam *litteram longam* a Plauto & antiquis aliis fuiſſe vocatam. *Phi* etiam, *Pſi*, & *Ypſilon* (quam a Pythagora inventam ajunt) ſuâ proceritate non carent.

Τῦ K duae tranſverſae lineae parum obliquae ſunt, ac non raro prope ad ſupinas accedunt; ſicuti haec littera in Oſcis Capuae nummis inſcribitur.

Τῦ M figura altera (quam raro reperies) nihil ab ea effigie differt, quae in vetuſtiſſimis Βυτροηδὸν titulis viſitur.

Litterae *Pe* linea tranſverſa ſuperior [ſicuti & τῦ Ω inferior] raro non utrinque immane quantum excurrit: cujus *Pe* dexterior pes plerumque brevior laevo eſt: quo more etiam Latini utebantur [ut in horum antiquiſſimis titulis cernitur] antequam ſcilicet pedem illum ſinuaſſent in orbem.

Sibilans littera olim apud Atticos eodem modo, quo nunc apud Latinos, figurabatur. Id tum ex aevi antiquiſſimi monumentis oſtenditur, tum ex vaſorum vetuſtiſſimorum inſcriptionibus, in quibus nomina litteris illius aevi Graecis ſignantur, ut KALLIKLES pro ΚΑΛΛΙΚΛΗΣ. Horum fictilium exempla aliquot infra producentur. Ergo Graecis olim ſibilum perinde ut hodie Latinis figurabatur, ita tamen ut ad τῦ Z ſive recti ſive inverſi (cujuſmodi figura ſibili ultima in hoc alphabeto eſt) ſpeciem exhiberet. Ejusdem ſibili penultima & antepenultima forma quam ſaepiſſime in his tabulis cernitur.

Porro

Digitized by Google

Porro in alphabeti finem rejeci litteras novas duas, ⊦ & ⊏: quarum prior valebat ad aſperandas vocales, at poſterior, uti dicam Latiali V conſono reſpondebat: de quibus jam actum ſeorſum imus.

§. 2. *De aſpirata littera, ſive de novo elemento* ⊦.

Primum ajo, litteram ⊦ (quam hiſce tabulis & nummis aliquot, itemque Maſtrilliani vaſis (11) inſcriptioni nuperrime a me detectae debemus) novam prorſus videri debere; eamque Magnae Graeciae tamdiu habendam eſſe peculiarem, donec procul alicunde monumenta afferantur alia, in quibus eadem haec ſit δασεῖα littera. De eo quod dixi Maſtrilliano cimelio, aliiſque ejusdem depictis fictilibus non ſine vetuſtiſſimis epigrammatis, ſcripſi ante hos paucos dies non brevem παρέκβασιν [*Excurſionem*] quam in fine Diatribae hujus reperies.

Et quidem aſperans [12] littera H nullo non tempore apud Latinos in uſu fuit. At apud Graecos, ante quam vocalium longarum a brevibus diſcrimen feciſſet Simonides [cui Ω & *Eta* debentur] apud Graecos inquam, aeque ac apud Latinos τὸ H aſpirantis litterae officio fungebatur, uti ex pluribus vetuſtiſſimis marmoribus licet cognoſcere. Sed poſtea variatum fuit, ita ut hujus elementi fortuna tres vices mihi videatur apud Graecos ſuſtinuiſſe. Nam I. quamdiu vetus illud alphabetum Pelaſgicum ſive Phoenicium [dictum aliis *Atticum*] in Grae-

(11) In eo quod dixi Maſtrilliano vaſe Barii reperto depicta eſt Homerica Junonis ab Hercule in mammâ ſauciatae fabula. In ea picturâ ſupra Junonem ⊦HPA inſcribitur, h. e. cum eo charactere de quo nunc agitur. Verum de hoc toto negotio, aliiſque vaſis inſcriptis, videbis noſtram *Excurſionem* in fine Diatribae hujus.

(12) *De* δασείας *litterae* H *tam apud Graecos quam apud Latinos antiquitate judicium.*

Apud Graecos circa δασεῖαν litteram H variatum fuiſſe animadverti. Nam in aliis quidem remotiſſimae antiquitatis monumentis reperitur, in aliis abeſt. Ac dum in his eſſem, incidit in manus meas Tomus I. nuperi operis, quod inſcribitur, *Nouveau traité de Diplomatique . . . Paris . . . ann.* 1750. In eo pag. 616. marmor Amyclaeum occurrit, omnium quae viderim vetuſtiſſimum, βουστροφηδὸν litteris Graeco-Phoeniciis ſcriptum: a quo abeſſe δασεῖαν litteram H, illud argumento eſt, quod *Calimachi* & *Ariſtomachi* nomina ſcalpuntur quidem ſine X in ultima ſyllaba (plane quia nondum aſpiratae litterae inventae fuerant) nec tamen X illud in KH reſolvitur (ſicuti re vera factitatum ſcimus in KHPONOΣ pro XPONOS &c.) ſed nudum K uſurpatur. Nec alibi, quod equidem praeſtare queam, δασεῖα H reperitur in tota bene longa inſcriptione: niſi quod ter exſtat quadratum quoddam, cruce media decuſſatum, quod auctor pro H accipit; ſed vereor ne non ſit Θ aut quidvis aliud.

Idem clariſſimus Diplomaticae auctor pag. 626. in Tabulam VI. plures titulos vetuſtiſſimos contulit. Agmen agit marmor alterum Amyclaeum breviſſimum, in quo ab initio ultimae dictionis IEPEIA abeſt δασεῖα H. Obiter monuero, haec duo monumenta etſi ſunt quantaelibet vetuſtatis, non tantae tamen mihi videri, quantam iis doctiſs. Benedictinus largitur, nim. ut prius 1200. alterum vero mille annis aeram Chriſtianam anteceſſerit. Παραδοξολογίαις iſtis non ſoleo equidem delectari.

In eadem tabula plures ſunt aliae proximae vetuſtatis inſcriptiones, pleraeque jam ante editae: in quarum pluribus deeſt quidem δασεῖα H, ſed nec ei tamen locus fuerat. Sic ſe res habet num. II. IV. V. VI. VII. VIII. in quibus eâ non fuit opus. At num. IX. dubium eſt, utrum initio δασεῖα H extrita fuerit, ita ut HO (pro ὁ) primitus fuerit.

At poſtremo num. III. in vetuſtiſſimo Sigeo marmore Chiſulliano HEPMOKPATOΣ legitur, & aliis tribus vicibus idem H uſurpatur. Num. X. marmor illud, quod jure Montfauconius bello Peloponneſiaco aequale fecerat, ſic incipit HOIΔE (pro ὅδε) . . . videſis cetera. Num. XI. in celebri Farneſiana columna (cujus ſcilicet auctorem Herodem Atticum ſubiit aemulatio imitandae priſcae Atticorum orthographiae) numquam Atticum H, quod Latinae aſpirationi reſpondet, ſuis locis deſideratur. Sic HO pro ὁ, *quod*: HOΔOI pro ὁδῷ *viâ*: HERODO (ubi nulla eſt littera, quam non Latinam dixeris; cum tamen ſcriptura ſit mere Attica) pro ἡρώδε, *Herodis*. Mitto jam alia plura ejuſdem generis monumenta.

Ex his autem colligo, fruſtra laborare viros cenſorios, dum alii δασεῖαν (H) e litterarum ſenatu movent, alii non tantum in curiam ſtudio magno promovent, ſed & inter primitiva elementa numerant. Equidem autem ſic cenſeo, non idem ſemper & ubique fuiſſe factitatum. In Latio quidem H, ut exiſtimo, numquam defuit, ſicuti nec apud Atticos, & ita ut una ex litteris primitivis Pelaſgicis fuerit. Idem credo & alibi obtinuit. At interim plures fuiſſe alias terras, quibus δασεῖα littera H inuſitata fuerit, ex imae vetuſtatis inſcriptionibus planiſſime oſtendimus: ita ut pro explorato ſit habendum circa uſum τῆ H aſperi, Graecos non idem ſemper nec ubique conſueviſſe, verum pro temporum locorumque diverſitate hoc aut illud fuiſſe ſecutos.

Digitized by Google

Graecia viguit, apud Graecos non ſecus ac apud Latinos uſurpabatur H, vi pollens aſperi ſpiritûs, eaque una ex primitivis Pelaſgicis litteris ex Oriente allatis numerabatur. II. At poſtquam, ut ante dixi, Simonides Melius, patria Ceus [qui paullo ante Pindarum & Sophoclem vixit] litteris duabus duplicibus, totidemque longis vocalibus, nim. Ω & H [ita ut poſterioris litterae ſimulacrum non amplius τῆς δασείας προσῳδίας, ſed E longi ſignum exſiſteret] vetus alphabetum auxiſſet; ab illo tempore apud Graecorum ceteros nullum in alphabeto aſperandi ſpiritûs indicium fuit; at apud Graecos Italienſes ea ratio placuit, ut integrum H pro E longo uſurparetur, illius vero laeva pars media [nempe ⊢] in locum illius antiqui H, quo ſpiritus aſperandus ſignificabatur, ſuccederet. Mitto quod etiam Latini interdum eodem uſi ſunt charactere: id quod ex marmorum [13] titulis conſtat. Verum nunc non id agimus, quid Latinis ſcalptoribus in mentem aliquando venerit. III. Ergo ut ad Graecos redeam; horum ultimum fuit tempus illud, quo Graecorum ſive grammaticis, ſive amanuenſibus placuit veterem aſpirationis notam bipartiri, & quidem ea lege, ut laeva pars (⊢) δασείας προσῳδίας ſive ſpiritûs aſperi, dextra vero (⊣) lenis partes impleret: utrumque vero [in quo quidem uno praecipuum horum ab antiquis diſcrimen eſt] non intra verſum ſed ſuperne ſcriberetur: de quo jam uberius non nihil mihi dicendum videtur.

In Montfauc. Palaeogr. ſpecimen notar. ſuperpoſitar. ⊣ & ⊢ nullum eſt veterrimum [14]. At equidem cum totum interpungendi negotium ab Ariſtophane Byzantio [qui ſub Ptolemaeo Epiphane floruit] fuiſſe inventum reperiam; ei ſicuti accentuum atque diſtinctionum, ſic etiam illos ſpirituum apices eſſe tribuendos non dubito; etſi poſt Ariſtophanem a pleriſque negligerentur notae hujuſmodi, ab aliis autem pro ſua maxima voluntate modo adſcriberentur modo [idque plurimum] omitterentur. Itaque grammaticus iſte non ignarus, τὸ H antiquitus fuiſſe aſpirationis notam, eamque adhuc in Latino ſermone uſurpari; nec neſcius, apud Italienſes Graecos dimidiatum H ſive τὸ ⊢ pro littera aſperante adhiberi; ſic rem tranſegit, ut τῷ H diſſecti laeva

(13) De Caeſarum aevo id intelligo: quo tempore interdum ⊢ pro H reperitur. Sic apud Fabrettum pag. 196. num. 467. occurrit C. ANTIVS. ⊢ILARVS, & num. 466. DEMOST⊢ENES. At illud mirabile eſt, in ejusdem temporis marmoribus multo ſaepius alteram τῷ H partem pro integro H reperiri. Cujus moris exempla plurima Fabrettus affert pag. 195. & 196. ut in R⊣ODE, EVTYC⊣VS & in aliis magno numero.

Ex quibus intelligitur, Latinos in hoc negotio haudquaquam preſſiſſe ſerviliter Graecorum veſtigia. Apud Graecos enim poſt Chriſtianam aeram dextra pars τῷ H non niſi ſpiritus lenis eſt, ſicuti laeva non niſi aſper; cum contra apud Latinos id fuerit ἀδιάφορον.

(14) Nec enim exemplum ſcripturae ullum Monfauconius affert, in quo notae ⊣ ⊢ occurrant, antiquius nono ſaeculo: ad quod tempus Regium Pariſienſem Dioſcoridis codicem referunt, cujus ſpecimen affert pag. 258. de quo pag. 257. ſic inter cetera notaverat. *Hic accentus ac ſpiritus . . . plerumque negliguntur. Spiritus modo hac forma* (⊣ ⊢) *modo illa* (' ') *delineantur: quae rotunda ſpirituum forma ſaeculo circ. nono invehi coepit, ut uno ductu delinearentur . . . & notandum eſt . . . primo in anguli morem exaratos fuiſſe ſic* (˩ ˥) *deinde vero rotundos hoc modo* (' ').

Illud etiam notandum quod hunc Dioſcoridem Montfauconius in Aegypto fuiſſe deſcriptum plane compertum habet. Id ſi verum; poſſumus & illud conjicere, notas (⊣ & ⊢) ſuperpoſitas, in Aegyptum ab Ariſtophane Byz. invectas, ibidem diu perduraſſe, & indidem in Europam fuiſſe poſtea propagatas: Nam in poſterioris aetatis codicibus frequentes occurrunt. Vide ejus rei exempla decimi ſaeculi in Monfauconio p. 275. & 278. ac duodecimi p. 299.

Digitized by Google

laeva pars vocalem denſaret, altera leniret. Hinc illud ſpiritûs denſi leniſque diſcrimen apud grammaticos exſtitit. Ac forſitan ſi quis curioſius in codicibus ante ſaeculum decimum exaratis ſcrutetur apices, non dubito quin alicubi horum ſpirituum veſtigia ſit reperturus.

At poſt decimum ſaeculum ubi diu notae ⊣ & ⊢ in uſu fuiſſent [quas etiam in antiquiſſimis typographicis editionibus reperi] tandem compendifacturi librarii primum iis notas ⅃ & ⊥, poſtremo (ʽ) & (ʼ) ſubrogarunt. Ex his vero curvae diutius perennarunt, ut quae unico calami ductu ſignantur citiſſime. Tamen fatendum eſt, τῆ H dimidiati notas uſque ad typographiae [15] initia a quibusdam amanuenſibus fuiſſe uſurpatas.

Hactenus de novo iſto Graecorum Italienſium elemento ⊢: quod quidem in his tabulis non tantum initio dictionum, verum etiam in medio vocum compoſitarum ſcribitur, nempe ante illam compoſiti partem, quae ab aſpera vocali incipit. At eadem aſpirationis nota nuſquam cum littera *Rho* componitur.

§. 3. *De novo altero Heraclienſi charactere* ⊏: *cui nomen aſſeritur VAV.*

Principio in hujus litterae poteſtatem [ex qua unâ de ceteris facilius judicabimus] deinde figuram, tum nomen, poſtea locum in alphabeto, vimque numericam inquiremus. Poſtremo haec quae de poteſtate hujus elementi ſtatuimus, vera eſſe, ex vocibus occurrentibus in his tabulis confirmabimus.

I. POTESTAS igitur mox, uti dixi, ope & indicio eorum vocabulorum, quibus inſolens hic character praefigitur, a me certo demonſtrabitur. Ergo interdum eſt loco denſae aſpirationis ejus, quam ſpiritûs denſi notâ Graeci deſignant, Latini vero ſibilante littera exprimunt. Sic in his tabulis ⊏ΕΞ & inde derivatae voces ſunt pro Graeco ἕξ (*hex*) ejuſque copioſa propagine, ac pro Latino *Sex* cum prole ſua. Frequentius vero τὸ ⊏ eſt loco V conſoni: id quod & litterae nomen ipſum VAV, de quo mox, indicat. Ergo in his tabulis ⊏ΕΤΟΣ efferendum eſſe *Vetos*; & ⊏ΙΔΙΟΣ, *Vidios*; & ⊏ΕΙΚΑΤΙ, *Vicati*, infra ex Latinis vocabulis, inde haud dubie derivatis, oſtendam.

II. FIGVRA litterae triplex fuit pro tribus temporibus diverſiſſimis. I. Hanc ipſam figuram ⊏ jam diu ante tam Babylonii Judaeique [ex quibus litterae [16] aliquot in Graeciam Italiamque manarunt] uſurpaverant, quam in terra Italia Tyrrheni, Oſcique Campani: niſi quod tum in Oriente tum & apud Tyrrhenos Campanoſque id elementum ſiniſtrorſum hiaret, in averſo latere occluſum hoc modo (ⵎ) fuerit.

(15) Notarum ⊣ & ⊢ in Mss. diuturnitatis illud argumento ſit, quod initio typographiae in Graecanicis libris cudendis non nunquam ſpirituum notae, ſuperſcriberentur eae, quae H dimidiatum referrent. Vnus ex his cuſis libris olim apud me fuit. Ac memini vidiſſe & alios.

(16) Etſi hodie major philologorum pars Graecorum Latinorumque alphabetum ex Samaritano eodemque Phoenicio manaſſe cenſeat; non defuere tamen, nec hodie viri doctiſſimi deſunt, qui ex Judaico quadrato alphabeto malint Graecorum Latinorumque litteraturam derivare. Et aliquot certe litterae ſatis aperte ex Judaicis profluunt, veluti ⊏ Heraclienſe, itemque digamma Graecorum Latinorumque, quae a *Beth* alphabeti Judaici quadrati nihil differunt; ſicuti nec *Koppa* a *Koph* Judaico, nec C Latinum a *Caph*. Sic etiam Latinum & Atticum L facile a *Lamed* Judaico, ſicuti & utrorumque *Pe* a *Pe* Judaico fluxit.

Digitized by Google

fuerit. Eam voco litteram, quae in Judaico quadrato alphabeto *Beth* vocatur, & ita [ב] figuratur, ut & in Campanorum (17) nummis. II. At Aeoles (quorum dialectus, pleráque antiquitate teſtante, eadem ac Dorica fuit) eodem illo, quo Tyrrheni Campanique, charactere utentes, principio ubi a dextra ſiniſtrorſum ſibi ſcribendum erat, in eamdem partem hiſcere id elementum jubebant in hunc modum ⊐: contra vero ubi [juxta veteris βυστροφηδὸν ſcriptionis ritum] verſuram facerent, habitu plane contrario ſic deformarunt [⊏]. Haec altera hujus elementi figura fuit ab Heraclienſibus aliiſque Italiotis uſurpata. Niſi quod interdum in his tabulis a recto haſtili inferne quidam pediculus oritur in hunc modum ⊑: qui poſtea paullo productior in F degeneravit, quod tandem grammatici *Digamma* a duplicis Gamma ſimilitudine nuncuparunt. Ex his duabus unius litterae figuris [nim. ⊏ & F] prior, ſive cum pediculo ſive ſine, eſt longe antiquior, quippe Digammate ſimplicior, & conformior orientali nec non & Etruſco elemento, ex quo ab Aeolibus forma expreſſa fuit. Alteram (h. e. Digamma) Claudius Caeſar ſitu inverſo in hunc modum [Ⅎ] pro V conſono uſurpari, ſed infelici ſucceſſu, juſſit; nec enim niſi in monumentis ſub ejus principatu ſcalptis invenitur. Atque hae duae ſunt hujus litterae deformationes. III. Verum ea littera ad ultimum vix retento VAV aut BAV nomine, figuram ejuſmodi exhibuit [ϛ] aut (ϛ) ac notae numericae tantum loco fuit, de quo mox.

III. NOMEN idem initio ac apud Orientales uſurpabatur. VAV ſcilicet [Graecis *Bau*] tunc vocabatur, cum in uſu fuit. At poſtquam ab uſu receſſit, ita ut non niſi in aere, aut in marmoribus occurreret; tunc exſtitere grammatici, qui ei litterae, pediculo dependente inſtructae, *Aeolici Digammatis* inderent nomen.

IV. LOCVS τῦ *Bau* in Graeco Alphabeto idem, qui in Hebraico Phoenicioque & Tyrrhenico alphabeto dabatur huic litterae, nimirum ſexto loco. Nam ita Haebraeis, Samaritis, Phoenicibus, Tuſcis *Vau* ſexta littera numeratur; ſicuti & ab Aeolibus Digamma, & apud Latinos F, ac ſicuti poſtremo in poſterioribus Graecanicis Alphabetis littera (ϛ) i. e. *Bau* adhuc ſexta numeratur.

Niſi quod in poſteriorib. Graecorum Alphabetis *Bau* inter ἐπίσημα refertur, h. e. inter eas numericas notas, quae arithmeticae tantum ſervirent, non item ad vocabula ſignanda valerent. Ea ἐπίσημα numero tria fuerunt, *Bau*, *Sanpi*, & *Koppa*: quae quidem primitus etiam vocum ſonos indicabant non minus, quam Orientalium *Vau*, *Tſade*, & *Koph*: quibus ſcilicet ea tria ἐπίσημα reſpondent. At poſtremo ſonos per eas notas ſignandi conſuetudo exolevit, numerandi manſit. Itaque in hodierna Graecorum arithmetica τὸ ϛ i. e. *Bau* numerum ſenarium notat; ſicuti & apud antiquos τὸ (⊏) aut Digamma

(17) In Campanorum nummis (quos in Diſſertat. de Tyrrhenorum origine, Diatriba V. exhibui atque illuſtravi) *Capuae* nomen a dextra in ſiniſtram ſic Etruſce ſive Oſce ſcribitur ⊐ΠϏϽ: in quo ultima littera non alia quam *Beth* Judaeorum eſt, nec, ſi verſuram facias, alia ab Heraclienſi ⊏ erit. Poteſtas eadem; nam, ſuppleta ultima vocali A, legi & pronuntiari debet *Kapba*, aut cum V conſono *Kapva*. De hoc plura non addam, quae legi copioſe in noſtris Tyrrhenicis originibus poſſunt initio tomi tertii Cortonenſium Diſſertationum, Diatriba V. pag. 39. & ſeq.

Digitized by Google

eam vim in arithmetica habebat, quam ei ſextus in alphabeto locus vindicaverat, nim. ut ſenarium notaret: de quo vide [18] inferne.

Atqui idem (ϲ) apud antiquiſſimos Graecorum non tantum arithmetica, ſed etiam grammatica poteſtate pollebat. Hanc quidem alteram ei umquam praeſto fuiſſe, piget quod viri eruditi negaverint. Nam ſicuti ex Crotoniatarum vetuſtioribus nummis didicimus, litteram *Koppa* [quam nunc tantum arithmetico ſignificatu vulgo donant] poteſtate ſignandi ſonos verborum valuiſſe; ita nunc debemus hiſce tabulis iſtud, quod certo tandem ſciamus, τὸ *Bau* apud Graecorum vetuſtiſſimos non merum ἐπίσημον arithmeticum exſtitiſſe, ſed etiam vocum ſonos ſignificaſſe. Et quidem hanc eamdem litteram Digammati Aeolico, & V conſono reſpondiſſe, ex harum tabularum locis, in quibus uſurpatur, in imo [19] margine apertiſſime demonſtramus.

Nolo hîc praetermittere ex his elementis duobus, τὸ ⊢ non tantum initio vocum, ſed & in medio adhiberi compoſitorum, ante partem ſcilicet componentem, quae aſperari debuit: at alterum ϲ vix aliter quam in principio collocari. Hinc quamvis ϲΕΤΟΣ eam requirat litteram, tamen Πενταϲετηριδα quam Πενταϲετηριδα ſcribere maluerunt tum in tab. I. 57. tum II. 35. Nec ϲειϰατιϲεξ [quod II. 55. occurrit] in exemplum afferri poteſt, quia duabus diſtinctis vocibus (ϲειϰατι ϲεξ) iſtud eſt pronuntiandum. Vnum excipio locum in I. 104 in quo haud dubie τὸ ϲ adhibetur in medio ante partem componentem, quae id elementum exigebat, nempe in Εγϲηληθιωντι: de cujus notione vocabuli in loco plura.

CAP. III.

(18) Exſtat in Gualtero praegrandis tabula dialecto Doricâ, quam & Gruterus retulit a pag. 210. ad 213. Itaque in Grutero initio paginae 213. iſtud ϲ pro arithmetico epiſemo numeri ſenarii uſurpatur. Nondum enim priſtinae litterae *Bau* figuram immutarat, ut ad Ϛ aut ad hodiernum (ϛ) accederet.

(19) *Quod Digamma Aeolicum τῷ ϲ Heraclienſi figurâ & vi reſponderit, ac plerumque conſonantis V poteſtate valuerit: id quod ex plurium Latialium vocabulorum originibus palam fit.*

Digamma Aeolicum (cujus eadem prorſus figura ac τῷ ϲ Heraclienſis pediculo praediti fuit) flatu denſiore conſtabat, qui modo ad H Latinum accederet, modo ad S, alias ad F, ſive ad V conſonum; ſive forſan ſpiritu ejuſmodi concipiebatur in gutture, ut mixtum quidpiam ex quatuor his elementis haberet. At in his tabulis modo ſpiritui denſo Graecorum, ſibilove reſpondet, modo τῷ V conſono Latinorum. Prior quidem poteſtas in ϲΕΞ i. e. ξ & derivatis ejus plurimis ſe prodit: poſterior autem in ϲΕΤΟΣ, & ϲΙΔΙΟΣ, & ϲΕΙΚΑΤΙ: quae in hiſce tabulis non aliter quam *vetos* i. e. *annus*, & *vidios* h. e. *privatus*, & *vicati* h. e. *viginti* eſſe pronuntianda, ex Latinis vocibus, quae haud dubie ab his Graecis fluxere, oſtenditur.

Cur enim non *Vetos* primum illud vocabulum pronuntiabimus, cum ab eo Latinor. *Vetus* & *Vetuſtus* haud dubie meo judicio venerit? Nugatur enim Gellius lib. XVI. cap. V. *Vi*, inquit, *particula... intentionem ſignificat... Nam VETVS, VEHEMENS, alterum ab AETATIS magnitudine compoſitum eliſumque eſt, alterum a MENTIS VI atque impetu dicitur*. Sed miſſis inſomniis, mihi non fuit dubium, quin ab ΕΤΟΣ *annus* ſit VETVS repetendum, praemiſſo *Vau* ſeu digammate Aeolico. Quam veriſſimam derivationem ferme attigerat Joſ. Scaliger (in indice etymologiarum ſecus a Varrone traditarum, quem in fine Conjectan. in Varr. pag. 176. inſeruit) niſi quod voci ἔτος non digamma praefixit, ſed βῦ ἐπιτατικὸν; ſic enim ibi poſuit: *VETVS, βυετὴς: βῦ intendit*. Ac laetandum erat quod Voſſio de digammate ibi praefigendo ſuboluit, niſi ſe ipſe ſtatim ad pejora retuliſſet. Eum vide in *Vetus*. Quod arceſſi poſſe ait *ab Aeolico* Ϝέτος *vel* βέτος *pro* ἔτος *i. e. annus*. Sed hoc ipſum ſtatim damnat: *Sed*, ait, *VETVS non tam eſt ANNVS, quam ANNOSVS*. Imo ne dubita, quin ab ϲέτος, *Vetos*, ſit Latinum VETVS. Accedit quod apud Graecos numeri ordinales in οσὸς deſinunt: quam analogiam & alia non nulla ſequuntur, ut πολλοσὸς *Multeſimus*. Eâdem opinor analogiâ ex ϲέτος, *Vetos*, fiebat initio ϲετοσὸς, *vetoſtos*: unde Latinis VETVSTVS forſitan primo fuit, a quo tandem decurtatum eſt *Vetus*.

Item nomen alterum ϲιδιος h. e. *privatus*, efferendum eſſe *Vidios*, ex derivatis *Viduus* & *Vidua* conſtat: quae initio Graecis dicebantur ϲιδιος & ϲιδία (h. e. *privatus* & *privata*, *orbus* & *orba*) ex quibus Latini more ſuo I in V vertentes, VIDVVS & VIDVA fecerunt. Hoc etiam ex parte Voſſius viderat, aut quisquis in conjunctâ operum Voſſii editione in fol. quaedam intra uncos illevit. Qui in VIDVA ſic παρεντίθεται (*VIDVA* [illegible] *IDVVS eſt ab* ἴδιος) nihil interim de Digammate cogitans.

Poſtremo ϲέϰατι i. e. *viginti* quis dubitet *Vicati* pro-

Digitized by Google

CAPVT III.

De aetate certa Heraclienſium tabularum conjectio. Vtra alteri praeceſſerit.

EX detectis hactenus indiciis ingens haud dubie harum inſcriptionum ſenium declaratur, ſed certa tamen ac definita aetas non dum plane colligitur: quam quidem non niſi ex utriuſque aeris continentia ac tenore, ſi minus certo affigi anno, at conjici ſaltem verosimillime ac παχυτέρως aſſignari poſſe auguror. Experiamur.

SECTIO I.

De vera ἀυτεξουσιότητος Heracleae epocha.

NVnc illud ſcire permagni intereſt, quo potiſſimum tempore urbs Heraclienſis ſui juris atque mancipii evaſerit. Id quidem in ſuperiore Diatriba non ſemel [*] a me tentatum, adhuc tamen intactum, huc demum reſervavimus expediendum; nec enim niſi in fine ipſo ſuperioris Diatribae, prelo interim feſtinante, locus ille mihi Tullianus occurrit, cui hanc epocham debeo. Nam antea quidem vix conjecturâ tenus deprehenderam, initia libertatis Heraclienſis Alexandro Epirotae deberi: quam vero mox poſt Moloſſum, non dum praeſtabam. Nunc ab ipſo Ciceronis loco, quo caligo omnis diſpellitur, ordiar.

In oratione pro L. Corn. Balbo cum id ageretur, utrum Cn. Pompeii factum, qui Balbum hominem Gaditanum civitate donarat, ratum an irritum haberi oporteret; exempla Orator cap. 22. plurima congerit, ex quibus oſtendatur, quoſcumque Romani duces civitate donaſſent, eos pro civibus Rom. habitos: proinde civitatis donationem a Pompeio, magnis pro Republ. rebus geſtis, Balbo factam, non eſſe infirmandam. Sic ergo ibi concionatur. *Quid? Cn. Pompeius pater, rebus Italico bello maximis geſtis, P. Caeſium . . . foederato ex populo nonne civitate donavit? Quid cohortes duas univerſas Camertium? Quid HERACLIENSIVM* [20] *LEGIONEM P. Craſſus vir ampliſſimus, ex ea civitate, quacum prope ſingulare foedus Pyrrhi temporibus, C. Fabricio conſule, ictum putatur? Quid Maſſilienſem Ariſtonem Sulla?* Mitto exempla cetera, totamque vim ratiocinationis, quae huc minime pertinent.

pronuntiandum eſſe, cum inde Latini ſuum *Viginti* derivarint? Et hoc quoque totum laetandum mihi fuit, vidiſſe tanto ante Voſſium: qui ſic incipit: *VIGINTI ab Aeolico βίκατι pro εἴκατι*. Deinde τῦ N inſerti aliquot productis exemplis, addit: *Eſt autem εἴκατι Doricum pro εἴκοσι*. At (ne quis prorſus ambigendi locus relinquatur) ei vocabulo in his tabulis Heraclienſis conſonans ⊏ (i. e. V) praeponitur.

(*) Vide Diatribam II. pag. 107. & p. 113.

(20) Ea eſt editionum omnium accuratiſſimarum lectio, non ſine membranarum ſuffragio. Sic proxime dixerat, *Cohortes duas univerſas Camertium* fuiſſe civitate donatas. Beneficium cohortibus integris, totive ſimul legioni datum, notat rem per eos ſtrenuiſſime geſtam. Simul quod ex unis Heraclienſibus tota legio ſcripta fuerit, id urbem fuiſſe cum primis ἀξιόλογον notat.

Tamen Gruterus per veſtigia Palatinarum & S. Victoris membranarum ingreſſus, conjicit legendum, *Heraclienſem Alexam*. Vtcumque legatur, parum noſtra intereſt, modo hîc de Heraclea ad ſinum Tarentinum ſermo ſit: de quo nemo dubitat.

Digitized by Google

At interim certiſſimum eſt, Pyrrho in Italia bellum gerente, *prope ſingulare* [21] *foedus*, *C. Fabricio conſule* [i. e. ab Vrbe condita anno CCCCLXXV.] *ictum* fuiſſe. Illud quoque certiſſimum eſt, non tum primum C. Fabricio Luſcino conſule, quo foedus cum Heraclea percuſſum fuit, etiam eidem libertatem fuiſſe quaeſitam. Nam quia non licebat foedus cum obnoxia civitate ferire; neceſſe fuit eamdem jam antea liberam evaſiſſe. Nec dicas, ejusdem forſan Fabricii opera Heracleae & foedus & ἀυτεξουσιότητα fuiſſe partam; nam, ut cetera taceam, ſi Heracleam Fabricius ipſe ſui juris mancipiique reddidiſſet, haud dubie Tullius utrumque beneficium cumulaſſet, libertatis itemque foederis. Ergo haud paullo ante Fabricium Conſulem annumque CCCCLXXV. Heraclea ſui juris evaſerat. Nec aliud tempus quaeſitae ἀυτεξουσιότητος comminiſci licet, quam illud, quo Alexander Moloſſus [teſte Livio lib. VIII. c. 24.] *Heracleam Tarentinorum coloniam cepit*, hoc eſt ex ditione Tarentinorum ereptam, in libertatem aſſeruit. Aut, ſi minus eopte tempore Moloſſus ipſe tunc libertatis beneficium Heracleae indulſit, certe poſt Ducis obitum ipſa ſe in libertatem aſſeruit. Non ἀσόχως ergo ſup. pag. 107. id Moloſſi factum fuiſſe primum ad libertatem Heracleae gradum, augurabar. Res porro in Italia ab duce Moloſſo geſtae ad annum ab V. C. CCCCXXVII. conferri ſolent; ita ut libertas Heraclienſium annis fere XLVIII. foedere Fabriciano fuerit antiquior: de quo nunc foedere pauca.

Nam ex quo Heraclea libertatem conſecuta fuit, non continuo tamen *ſocia* nec *foederata* pop. Romani dicebatur. Hoc vero foedus C. Fabricio conſule, anno CCCCLXXV. conſecuta fuit. Ergo epocha libertatis annus urbis 427. aut paullo plus fuit: foederis vero Fabriciani ſimulque juris municipalis annus fuit 475.

Ac tunc temporis non niſi municipium prioris generis erat, cui ſua quidem conſtabat αὐτονομία, at ſuffragium & jus magiſtratus Romae capiundi negabatur. Nam etſi municipia a munere capiundo dicta; munus tamen duplex erat, militare unum, politicum alterum. Municipiis igitur prioris generis Romae capere magiſtratum negabatur: at iisdem capere militare munus concedebatur, ita ut in legionibus veluti cives, non vero in auxiliis adſcriberentur. Idque ipſum ex hoc Tullii loco illuſtratur, ubi integram *Heraclienſium legionem* conſcriptam vides: quam P. Craſſus [de quo Craſſo vide Manutium ad hunc Tullii locum] virtutis utique & fortitudinis cauſa civitate donarit, cum reliqui Heraclienſes municipes plenam civitatem non dum haberent: quam tamen non multo poſt iidem lege Julia ſunt conſecuti, poſt non levem tamen altercationem illam, quam idem Cicero eâd. or. cap. 8. deſcripſerat, dum alii civium foederis ſui libertatem retineri vellent, alii (quorum ſententia vicit, ut alibi vidimus) huic quantaelibet libertati plenam Rom. civitatem anteferrent.

Jam

(21) Quod Orator in eâ pro Archia *foedus* non tantum *aequum* (quod Heraclea cum aliis pluribus commune habuit) ſed *aequiſſimum* nuncupavit, hoc ſatis ſui foederis ſingularitatem declarabat. At hîc diſertim id foedus PROPE SINGVLARE vocavit, quod C. Fabricius conſul cum populo Heraclienſium icerat.

Digitized by Google

Jam profecto vides, quot unus hîc Tullii locus pepererit commoda, quot vero, obſtetricante manu, egregias detexerit epochas temporum: quas ad ultimum uno ſub aſpectu proponam.

Anno Romae CCCXIII. Heraclea colonia a Tarentinis conditur.

Circiter annum CCCCXXVII. dum adhuc obnoxia ſuis conditoribus eſſet, his per Moloſſum erepta fuit: quae adeo ſui juris evaſit.

Anno CCCCLXXV. cum C. Fabricio conſule foedus illud percuſſit, quod a Tullio modo *aequiſſimum*, modo *ſingulare* nuncupatur.

Poſtremo anno DCLXIII. cum Italico bello confecto, lata lex Julia fuiſſet, qua ſociis & Latinis civitas tamdiu ab iis expetita dabatur; tamen Neapoli & Heracleae non levis dimicatio ſcidit animos & ſtudia civium, dum alii ſuae αὐτονομίας libertatem civitati Romanae praeferrent, alii Romanae civitatis dignitatem atque fructus ſuis priſtinis legibus atque moribus anteponerent. Sed duarum urbium clariſſimarum dimicatio exitus diverſos habuit. Nam Neapolitani ſuis vivendi moribus libertatem prae civitatis juribus ſibi retinendam ſciverunt: cum contra apud Heraclienſes ea ſententia viceret, quae perfectam civilitatem Romanam ſuae αὐτονομίᾳ tuendae anteferret. Vide quae de his copioſe diſſerui Diatr. II. in Schediaſm. de Munic. pag. 115. col. 1.

Ad quamnam porro ex his quatuor epochis aera duo Heraclienſia ſint referenda, id age nunc videamus.

SECTIO II.

Ad quamnam ex recenſitis reipublicae Heraclienſis converſionibus haec aera pertineant.

NOn ad primam, dum adhuc Heraclea obnoxia Tarentinis eſſet; nec enim in totis his tabulis uſquam Tarentinum nomen, aut Tarentinorum magiſtratuum ullum uſquam veſtigium impreſſum reperias. Ergo non niſi poſt annum V. C. 430. quem circiter αὐτόνομος eſſe coepit, aera ſcalpi neceſſe fuit. Hinc ſexcenta illa ἀυτεξουσιότητος indicia, quae in ima (22) orâ notavimus, paſſim ſeſe produnt.

Quam

(22) Αυτεξουσιότητος *ſive libertatis argumenta, quae in utraque tabula occurrunt.*

Britannicum tabulae prioris fragmentum ſic incipit: *Ephorus Ariſtarchus . . . Civitas & finitores* (quorum nomina ſubjiciuntur) *deſcripſerunt*: (ſive potius, *In acta retulerunt*, ut in loco dicam) &c. Si quis autem requirat, ecqua ΠΟΛΙΣ (*Civitas*) iſta ſit, cujus auctoritas tabellae iſti praefigitur, cujus & Ephorus Ariſtarchus, & finitores numero quinque recitantur; ſi quis inquam a me id quaerat, ad verſum decimum ejusdem fruſti Britann. amandabitur, ubi ſic ſequitur: καθα ειξαν και επιμαξαν και συνεμετρησαν και εμεριξαν ΤΩΝ ⊢ΗΡΑΚΛΕΙΩΝ ΔΙΑΓΝΟΝΤΩΝ ΕΝ ΚΑΤΑΚΛΗΤΩΙ ΑΛΙΑΙ. Quae clariſſimus fragmenti editor ſic vertit: *Sicut cenſuerunt* (imo potius, *Quemadmodum cenſuerint*, & ſic cetera) *& aeſtimaverunt & commenſi ſunt & diviſerunt, HERACLÉENSIBVS DIGNOSCENTIBVS IN CONVOCATO COETV.* Ex quibus profecto vides, *Civitatem*, cui auctoritas ſumma tribuitur, non fuiſſe Tarentum (cujus mentio nuſquam penitus in his Tabulis) ſed Heracleam: nec ſecus Ἁλίαν (*conventum*) & magiſtratus quoslibet hîc & alibi laudatos, qui negotio praefuerunt, non niſi Heraclienſes fuiſſe, & urbis ſuae, non vero Tarenti, auctoritatem prae ſe tuliſſe.

Nec ſecus in ejusdem tabulae complemento Neapolitano ΣΥΝΘΗΚΑ ſic incipit (verſ. 47.) ⊢Α ΠΟΛΙΣ καὶ πολιανομοι . . . μισθωντι τως ⊢ιαρως χωρως . . . καθα τοι ΗΡΑΚΛΕΙΟΙ ΔΙΕΓΝΟΝ. *Civitas* (Heraclea ſcilicet) *& Polianomi* (qui ſtatim recenſentur) . . . *locant agros ſacros . . . quemadmodum HERACLIENSES DECREVERVNT.* Ibid. v. 105. Καθα και τοι ⊢ΗΡΑΚΛΕΙΟΙ διαγνωντι, *Prout ſciverint Heraclienſes.*

Nec poſtremo aliud eſt tabulae alterius initium

Digitized by Google

Quam mox vero poſt annum 430. id evenerit, difficulter praeſtare queo. Tamen ex eo, quod in utrâque tabula ſignificatur, quaedam ex ſacris agris intercepta a privatis fuiſſe, quae reciperare per accuratas dimenſiones terminationeſque & per τριακοντάϊα (23) judicia Heraclienſibus curae fuit; hoc non leve argumentum praebet, has terminorum confuſiones flagrante bello [24] quo proxime Alexander Epirota regiones illas concuſſerat, accidiſſe. Itaque ſopito bello, aſſertâque urbi libertate, nihil antiquius civitas habuit, quam ut templorum agris priſtini fines reſtituerentur, depactiſque accurate terminis caveretur, nequid fraude interverti in poſterum poſſet.

Quidquid vero de bello ſit, aut quaecumque confuſionis agrorum cauſa fuerit: ſaltem negari nequit, emicare in his tabulis non leves recentis adhuc libertatis ſtricturas. Sic enim calculos ineo. Statim ab aſſerta libertate (quam Heraclienſes circiter anno 430. conſecutos oſtendimus) nihil populo & magiſtratibus praevertendum ei curae fuit, ut de civitatis quam optimo ſtatu quam primum conſtituendo cogitarent. Quisquis autem rempubl. ordinare aggreditur; nulla cogitatio prior ejus animum ſubit, quàm ut a religionibus inſtaurandis incipiat. Jam vero quia priſcae religiones plurimos in ſacrificia aliaſque caeremonias ſumptus afferebant; neceſſe fuit ut initio in fanorum poſſeſſiones & earum reditus inquirereretur. Has Heraclienſes cum a privatis alicubi occupatas animadverterent; primo quoque tempore medendum ei malo fuit. Itaque accurate omnia dimetiendo, & ad antiquiores agrorum ſciagraphias, quae in ſuis fanis aut alio quovis loco cuſtodiebantur, exigendo dimenſiones, ita demum quae prius a privatis detenta, ea delubris ſunt reſtituta.

Nullus igitur dubito, quin haec aera duo curas tunc primum naſcentis Heraclienſium libertatis ſpirent; nec adeo multo citeriora fuerint anno urbis Romae 430. Chriſti vero Soſpitatoris adventui annis paullo plus trecentis praeceſſerint. Si cui forte vero haec tanta antiquitas videbitur nimia; eum rogo ut tabulas haſce ambas accurate percurrat. Nec enim ambigo, quin ſenii longe majoris effigies, quam quantum eis largiti fuimus, ſit legentium animos perculſura.

SE-

tium, mutatis tantum mutandis. Sic enim incipit: Εφορος Δαζιμος Ηα ΠΟΛΙΣ και οι οριστα (qui ſubjiciuntur) ανεγραψαν .... ΤΩΝ ΗΡΑΚΛΕΙΩΝ ΔΙΑΓΝΟΝΤΩΝ εν καταχληται αλιαι &c. *Ephorus Dazimus, Civitas & finitores ... deſcripſerunt* &c. *Heraclienſibus decernentibus in convocato conventu.*

Illud etiam huc facit, quod ſicuti Spartae non aliter quam nomine illius Ephori, quem vocabant ἐπώνυμον inter ſe anni diſtinguebantur; ſic etiam & in his tabulis. Quo fit ut Tab. I. verſ. 74. anni quindecim numerari jubeantur ab eo anno, quo (Αριστιων ἐφορευε) *Ariſtio ephoreuam* Heracleae *geſſit*: de quo in loco.

(23) Vide tabulam noſtram priorem verſ. 1. 2. ubi triginta dierum judicium conſtitutum fuiſſe diceitur (τοις παν Ηιαραν γαν Ειδιαν ποιουπασσιν) *iis qui ſacram terram in privatum converterant*, eoque modo id totum fano recuperatum. Κατεσωισαμες ... ut in extremo Britannico legitur.

Item in poſteriore verſ. 21. ſic exſtat. Ταν δε λοιπαν γαν Ειδιαν τινες επεποιηντο ταύταν απεκαποστασαμες ται Αθαναι κατα αρχαία. *Reliquam terram quidam* (occupando) *privatam fecerant: hanc reſtituimus Minervae, uti antiquitus fuerat*, ſive ad antiquae ſciagraphiae fidem. Mox clarius verſ. 25. 26. 27. Quae loca curioſi conferent.

(24) Belli mentio exſiſtit in priore tabula v. 104. quem locum non plane facilem, quos cupido ſubierit, conferent.

Digitized by Google

SECTIO III.

Vtra harum inſcriptionum antiquior, & quam dudum, videatur. De utriuſque quam caſtigatiſſima ſcriptione.

I. HAec duo pſephiſmata diverſo tempore ſancita fuiſſe, ipſa Ephororum qui praeponuntur diverſitas, ut cetera nunc taceam, ſatis oſtendit. Nec illud dubium mihi eſt, quin quae tabula prior a me producetur (quae ſcilicet ex Britannico Neapolitanoque fragmentis coaleſcit) ea alteri aetate praeceſſerit. Argumento eſt I. litterarum ratio in priore rudior, in poſteriore paullo politior: II. orthographia: quae in poſteriore interdum ad recentiorum temporum rationem deflectit: III. ſed & vocum Doriſmus in priore ſibi perpetuo conſtat, qui in alterâ interdum remittitur, morique communi obſequitur: de quibus omnibus vide in imo [25] margine.

II. At non magnum inter utramque temporum fuiſſe diſcrimen, perſuaſum plane habeo, mecumque habebunt quicumque utramque percurrerint. Eadem enim fere utrobique exſiſtit tum legitimorum actuum tum etiam & litterarum formae & veteris Doriſmi effigies. Verum quid his immoror? Non multorum annorum fuiſſe inter utramque intervallum, ſi nihil aliud, certe eadem utriuſque principia demonſtrant: in quibus excepto Ephoro, qui diverſus eſt, finitores iidem [26] utrobique [nempe *Philonymus Zopyriſci F. Apollonius Heracleti F. Dazimus Pyrrhi F.*] praeſcribuntur. Non plurium ergo annorum inter utramque intereſſe ſpatium potuit, quam quanto ſolidus finitorum iſtorum ternio junctim vivere ac junctim fungi eo munere valuit. Quod ſane intervallum ſi ex eo quod uſuvenit, aeſtimare volumus, non potuit eſſe longiſſimum.

III. Quid quod ne ea quidem inſcriptio, quae in priore tabula inciſa fuit, tota ad eumdem annum pertinet? Nam totum dimenſionis

(25) *Circa orthographiam ac Doriſmum levia inter tabulam utramque diſcrimina.*

Circa ſcribendi rationem atque Doriſmum ſi quod paullum eſt inter utramque diſcriminis, id oſtendit, quo tempore aes alterum caelatum fuit, coepiſſe in nonnullis civitatem ad communem dialectum paullatim deflectere. Exemplis pauciſſimis contentus (nec enim nunc plura ſuppetunt) lectorem dimitto.

In prioris tam Brittannico quam noſtro ſegmento ſemper Διακατιοι (Doriſmo peculiari) dicuntur, qui Graecorum ceteris ſunt Διακόσιοι. At in Tab. II. ſemel quidem verſ. 98. Διακατιων legitur; at verſ. 35. ΔΙΑΚΟΣΙΩΝ ponitur, nim. ad communem dialectum accommodate.

In tabulae prioris utroque ſegmento ſemper Τιτορες pro communi Τεσσαρες, & τετρωκοντα pro τεσσαράκοντα. At in altera, etſi τετορες, τετορων, τετρωκοντα aeque ut in I. non ſemel occurrit; tamen v. 49. diſertim τεσσαρακοντα, & verſ. ſeq. Τεσσαρων ſcribitur, paullatim jam ſcilicet ad communem rationem accedendo.

Ab altera Tabula etſi non abeſt Doricum ΤΡΙΣ ſine diphtongo (quomodo ſemper in priore ſcalpitur) tamen nec alterum communis dialecti ΤΡΕΙΣ faſtiditur, quod verſ. 15. 53. 70. reperies.

In priore tabula ϹΙΚΑΤΙ cum ſuis compoſitis ſemper ſine diphthongo in primâ ſyll. ſcribitur; idque etiam in tabula alterâ pluries obſervatur. At in hac poſteriore quinquies ϹΕΙΚΑΤΙ cum ſuis compoſitis dipthongum in primâ admittit, eâ ſcilicet quoque parte ad communem dialectum deflectendo, in qua dialecto Εἴκοσι non ſine diphthongo ſcriptitatur.

(26) Iidem quidem, ſed non plane totidem. Nam in poſteriore tabula tres tantum numerantur, in priore quinque: cujus quinionis qui duo ultimi recenſentur, eorum nomina a tabula poſteriore abſunt. Cur porro abſint (an quod eos mors interim occupaverat? an potius, quod levioris in eo moliminis res agerentur, tres priores adeſſe ſatis viſum fuit?) cur duo inquam ultimi deſint, abutar otio, ſi anxie quaeſitum ivero.

Digitized by Google

sionis ac terminationis opus, quod ab initio aeris Britannici usque ad nostri complementi illud ΣΥΝΘΗΚΑ procedit, id sub Aristarcho Ephoro gestum fuit. Ipsa vero ΣΥΝΘΗΚΑ ac totum locationum negotium ad Aristionis ephoream [qui Aristarcho successisse videtur] est referendum. Verum quo pacto una eademque tabula ad annos duos pertineat, mox initio commentarii in Prologio exponam.

IV. Illud vero utrique huic Graecae tabulae commune est, quod accuratione tanta a dialecti illius ἐπιχωρίης peritissimis perscriptae deprehenduntur, ut raro & vix usquam (27) scalptoris viriculum quam levissime ab orthographia aberraverit. Quamquam & sicubi littera una pro alia in his irrepserat, id pluries manu posteriore correctum cernitur; sicuti & si quid omissum fuerat, id recensione adhibita, superne suppletum. Cumque in his tabulis nihil temere [quod usuvenit in plurimis vetustissimis titulis] sed omnia certâ ratione & analogicâ methodo scalpta cernantur; ex eo intelligimus, deberi hoc Pythagoreorum disciplinae, ut non tantum artes alias in Graecia illa Magna summum ad culmen provexerint, sed & artem grammaticam & emendatam scribendi rationem: nam Pythagoricis hoc deberi, potest ex Iamblicho (28) colligi. Itaque trecentesimo ante Christum anno jam ars grammatica & orthographia tam inflammato studio ab Heraclienſibus excolebatur, ut vix aut ne vix quidem aliquid secus scriptum scalptori exciderit in his tabulis.

Quod si Graeca haec duo epigrammata cum Latino illo, quod in aversâ prioris tabulae pagina reperitur, conferas; mirari non desines, quanto haec Graeca duo antiquissima monumenta ἀμέμπτως scripturae ratione excellunt, tanto Latinum illud (multo sane recentius) sordibus & corruptelis vel ipsum Augiae stabulum superare: cujus rei, ad Latinum ubi ventum erit, conabor afferre rationem.

(27) *Levium scalptoris mendarum in utraque tabula indiculus.*

In prioris ea parte, quae Neapoli visitur (nam de Anglicano ejusdem aeris fragmento, cujus inspectio negatur, judicium ferre quî possumus?) haec unius litterulae vitia levissima residents. Versu 41. ΠΑϝριαδος pro ΠΛϝριαδος. Vers. 75. ΝΘμως pro ΝΟμως. Vers. 129. Ϝστεος pro ⊏στεος.

In eodem complemento nostro vers. 12. ΣΑ omissum superne suppletur. Vers. 81. pro Πριωι artifex exciderat Ηριωι. Verum ubi aes ab ejus operis exactoribus recognitum fuit; in prima litterâ suppleri placuit transversam superiorem illam, quae τὸ Π constituit, ita ut duplex in eo elemento nunc transversa cernatur. Vers. 120. syllaba ΕΩ omissa superscribitur.

In posteriore haec secus scripta notavimus. Vers. 13. ΤΩΝ pro ΤΑΝ. Vers. 32. ⊢ΗραχλΕαν pro ⊢ΗραχλΕΙαν. Vers. 34. pro ⊏ξ scriptum videtur Σξ; etsi prior ambigua est. Vers. 37. ΤΩ redundans exstat. Vers. 38. ΤδΝ pro ΤΑΝ. V. 46. ΤΟ pro ΤΩ. Vers. 50. ΜΕΑιμνων. pro ΜΕΔιμνων.

Ibidem vers. 33. superne supplentur hae duae voces, ορυγματα ⊢οκτω, quae fuerant omissae. Minutioribus abstineo.

(28) Iamblichus cap. 29. segm. 166. inter artes, quibus Pythagorici effecere ut Graecia illa Italiensis, *Magna* diceretur, disertim τέχνας τὰς ῥητορικὰς (*artes rhetoricas*) memorat: quas cum numero multitudinis usurpaverit; earum ambitu haud dubie etiam grammaticam complexus fuit.

DE

Digitized by Google

DE SVBIECTA EXCVRSIONE MONITVM.

Supra pag. 226. Adnot. 11. Παρέκβασιν quamdam huc in Diatribae finem rejeceram. En igitur apud cupidos antiquitatum libero fidem. Nam incurioſi ſi qui ſunt rerum harum, iſta pluſquam ſcopulos praetervehantur, cenſeo.

EXCVRSIO

De vetuſtiſſimo vaſe Maſtrilliano, in quo ſupra Junonis imaginem ⊢HPA inſcribitur. Ejus vaſis epigraphae, & picturae exponuntur. Ex occaſione aliquot aliae vaſorum epigraphae litteris mere Atticis veteribus exaratae explicantur. De ἐρωτικῇ formula, ὁ δεῖνα καλὸς, in tribus Maſtrillianis vaſis conſpicua.

Dixi pag. 112. 113. litteram δασεῖαν ⊢ Graecis Italienſibus utrique orae inſidentibus fuiſſe communem, idque praeter aera bina Heracleae, etiam ex nummis eorumdem Heraclienſium, nec non & Tarentinorum, Hydruntinorum, aliorumque confirmari. At nuper caſu accidit, ut idem elementum etiam in inſcriptione vaſis Maſtrilliani a me repertum fuerit: de quo jam incipio.

§. 1. *De viri nobilis Felicis Maſtrilli vaſaria ſupellectili, deque vaſe eximio (in quo ⊢ noſtrum adſcribitur) cujus pictura & epigrammata dilucidantur.*

Felix Maſtrillus, antiquiſſima Nolana nobilitate illuſtris, ſed moribus integerrimis & ſuaviſſimis multo illuſtrior, praeter cimelia cetera, tantam contraxit undique figlinorum vaſorum, picturis vetuſtiſſimis (I) exornatorum, copiam, ut obrui multitudine neceſſe foret, niſi ſubiturae alioqui curioſos ſatietati elegantiſſima eorum diſpoſitio mederetur. Ac neſcio quo caſu factum fuerit, ut ubi gazam egregiam, magno comparatam, contemplari diu diſtuliſſem, vix ante triginta hos dies invitatu humaniſſimi domini eam admiraturus proceſſerim.

Atque equidem ubi ſupellectilem univerſam uno ferme obtutu diu circumſpectaſſem; tum vero Clariſſ. Maſtrillus vas illud mihi ante omnia commonſtravit, quod in Tab. I. lectori propoſui num. I. in cujus picturae medio Juno exhibetur, cui ⊢HPA i. e. *Juno* ſuperſcribitur. Hoc dicto, jam abſolvi omnia quae ad inſtitutum meum pertinerent. Nec enim aliam ob cauſam fictile iſtud exhibui, niſi tantum litterae δασείας ⊢ gratiâ, quam non Magnae Graeciae ſtrictim acceptae tantum, ſed & aliis orae utriuſque Graecis Italienſibus in uſu fuiſſe dixi. Hoc enim vas, eodem Maſtrillo teſte, nullo in Graeciae Magnae oppido, ſed Barii repertum fuit, extra Graeciae Magnae limitem.

Imo ne inter Graecas quidem urbes Barium quiſquam unquam numeravit. Tamen & picturae vaſorum plerorumque ſunt plane Graecanici ingenii, & hujus in primis artificem fuiſſe omnino Graecum, dubitari vetant inſcriptiones numero tres, ſingulae nominibus ſingulis conſtantes eorum, quibus ſupernotantur. In medio Juno regina reſidet (plane illi ſimillima, quae in Monfauconio ſedens viſitur tom. 1. Antiq. illuſtr. ubi de Junone) inter Minervam atque Mercurium. Atqui noſtrae hujus ſceptrum praelongum, & in neſcio quam veluti fuſcinae ſpeciem deſinens, adhaec mitra, thronus, languor oris & ſiniſtrae manus reſolutio, & plura id genus alia conſiderationem cient: quam niſi inſcriptio Junonem eſſe doceret, quis id crederet, quippe ab *Enyalio* ſive potius (ſicuti re vera inſcribitur) *Enevalio* in mamma graviter ſauciatam? Tantaene animis caeleſtibus irae? Dicerem ſane pictorem auctoritate nulla, ſed ſuopte incitatu ac licentia, tam grave vulnus divae impoſitum exhibuiſſe; niſi totum hoc diu antea Homerum in ſuo poemate ceciniſſe reperirem. Locus exſtat Iliad. V. verſ. 392. (II) quem lector adeat, & cum hac pictura comparet, cenſeo; deinde & quis ſit ille ΔΑΙ-

S ΔΑ-

(I) *Quippe ad linearis picturae genus ſecundum pertinentibus. Plinius XXXV.* 3. picturae linearis (*a qua rudimenta nobiliſſimae artis procedunt*) *exordium illud facit, cum lineis tantum exteriorem rei ambitum comprehendentibus, ad projectam a ſole umbram principio expreſſis, totum artis negotium tranſigebatur. Haec picturae linearis cunabula poſtmodum ſecuta eſt altera, ipſa quoque* linearis *dicta, ſed jam rudiore illa perfectior, quae praeter extimam comprehenſionem,* ſpargeret (*uti Plinius loquitur*) *aliquot* lineas intus. *Ad hanc alteram antiquiorum fictilium picturae ſunt referendae.*

Harum vero antiquitatis gradus tum maxime apparet, cum aliquid inſcriptum gerunt. Nam aut Atticis eae litteris, omnium Graecarum vetuſtiſſimis, conſtant, aut ſaltem perantiquis. Ex quorum epigrammatum majore aut minore ſcripturae vetuſtate licebit exempla capere, quibus de picturarum magis minuſque antiquarum gradibus ferre judicium liceat.

(II) Picturae & epigrammata Maſtrilliani vaſis, Junonem ab Enevalio ſauciatam exhibentis, cum Homero conciliantur.

Apud Homerum Il. E. Venerem a Diomede vulneratam paribus deorum male mulcatorum exemplis Dione parens conſolans, affert inter cetera illud verſ. 393.

Τλῆ δ' Ἥρη, ὅτε μιν κρατερὸς πάις Ἀμφιτρύωνος
Δεξιτερὸν κατὰ μαζὸν ὀϊστῷ τριγλώχινι
Βεβλήκει· τότε κέν μιν ἀνήκεστον λάβεν ἄλγος.

Quid Juno non paſſa, ubi vividus Amphitruonis
Filius huic trifidâ penetravit cuſpide dextrum
Vber, & impoſuit divae immedicabile vulnus?

Illud tamen incommodi, quod inter Vatem atque pictorem parum conveniat, primum quia quam deam Poeta in dextro ubere, hanc in ſiniſtro noſter artifex ſauciavit (quod eſt leviſſimum, maxime ſi tritum illud Flacci audimus, Pictoribus atque poetis . . .) *deinde & illud, quod multo eſt gravius, turbat, quod quas Homerus Herculi partes percuſſoris detulit, has pictor* Enevalio *h. e.* Enyalio *qui Mars eſt, vindicavit.*

Hoc vero tantum diſcidium age, quod poſſumus, pacatum eamus. Ac primum illud ΕΝΕΥΑΛΙΟΣ *etiamſi errore pro* Ενυάλιος *ſcriptum fuiſſe aſſentiar, nego tamen τὸ* Ενυάλιος *unius Martis fuiſſe cognomen, ſed bellicoſiſſimi cujuſque; unde id nomen Heſychio* πολεμιστὴς & πολεμικὸς *exponitur. Adhaec Plutarchus quod Romani Romulum vocarint* Quirinum (*quod Sabinorum lingua* haſtatum *ſonat; quaſi ſi* αἰχμητὴν *dixeris, id quod & haſtatum & bellatorem deſignat*) *id* Ενυά-

λιον

Digitized by Google

ΔΑΛΟΣ, qui in Enevalium ex adverso jaculari videtur, quis ipse *Enevalius*, per otium exquirat.

Sane vero in priscae aetatis picturis & anaglyptis imminebant singulis personis ἐπιγράμματα : cujus verbi proprietas eam vim habet, ut superne non inferne scalpi deberent. Exstant ejus rei exempla apud Pausaniam ὅσα κόνις, & illud praesertim de (III) *Enyalio*. Vidi nuper apud amicum marmor anaglyptum quantaelibet dignitatis cum singulis supra singulorum capita (IV) epigrammatibus.

§. 2. *Ex occasione, litteraturae Atticae ex vasis Mastrillianis specimina proferuntur. Item formulae (ὁ δεῖνα καλὸς) detecta in eisdem, antehac irreperta in aliis monumentis, vestigia.*

Quia de litteris Atticis, quae communes cum Latinis fuerant, supra pag. 121. facta mentio fuit; non erit incongruum tria quatuorve alia ejusdem Mastrilli vasa testea lectori sistere, in quibus quorumdam nomina litteris Atticis illinuntur, quibus KALOΣ praemittitur. At litterarum quidem hujusmodi (quae scilicet Etruscis, Atticis, & pluribus Italiae urbibus communes erant) possem ex Italiae populorum nummis exempla plura producere. Sed eo nunc supersedeo.

Inter haec vasa antiquissimae sunt dyotae duae. In una (num. II.) mulier alata nescio quid manu dextrâ gerit, cujus simillimum etiam sinistrâ praefert: de quo eruditi judicent; sunt enim in fictilium picturis αἰνιγματώδη quam plurima. Inscribitur autem superne KALOS inferne NIKON pro Νίκων, quia forsan Ω nondum in usu erat.

In dyota altera (num. III.) mirum sane est, quod illud ΚΑΛΟΣ, quod latus laevum obsidet, ita scribitur, ut A prope Phoenicium videatur, O vero triangulum, ut in scriptura Phoenicia Atticaque, postremo sibilum tunc primum ad arcûs Scythici figuram accedat. At in dextro latere litteris mere Atticis (quae fuere etiam Latinis communes) KALLIKLES pro ΚΑΛΛΙΚΛΗΣ scribitur.

Est praeterea dyota tertia, qua in aes incidenda supersedi: in cujus pictura nullius nomen exprimitur, sed tantum illud καλος, quod sic scribitur: ΚΛΛΟL: cujus ultima littera sibilans ex S Attico in formam aliam declinare coepit, ac facile in Ϝ, aut in quaedam arcus Scythici initia. Hae tres dyo-

---

λιον *Graecis sonare testatur. Ad illud Sophoclis in Aja-*ce, ἢ χαλκοθώρηξ ἢ ἐνυάλιος, *ejus Scholiastes priore vocabulo Martem, posteriore ἕτερον δαίμονα ὑπηργὸν τῦ μέζονος* Θεῦ (alium deum majoris ministrum) *significari tradit. Ergo quis pictori succenseat, si suae regionis consuetudinem secutus, Herculi nomen* Ενυαλίυ *peculiare fecerit; sicuti & Bacchus* Ενυάλιος *vocabatur, teste Macrobio I. Sat. 19.? Et haec quidem responsio valeat, si pictori* Ενυάλιος *scribere in animo habenti exciderit* Ενυάλιος; *aut si quis pertenderit* κατὰ γλῶσσαν (peculiari dialecto) *istud fuisse scriptum; quia quem vulgo alii* Ενυάλιον *dicerent, hunc Italienses Graeci* Ενυάλιυν *alicubi nuncupaverint.*

Verum eo mihi animus est inclinatior, ut in hoc nomine non errore, sed consilio diphthongus pro vocali simplici adscripta fuerit. Sunt enim diversa vocabula, eorumque diversae origines. Ενυάλιον *Etymologus Magnus ab* Enyo *belli dea derivat: quem tamen facilius a verbo* Ενύω (occido) *deduxerim, a quo verbo Eustathius & ipsam deam* Enyo *h. e. Bellonam derivat. A verbo* ἐνύω *igitur est* Ενυάλιος. *At vero* Ενυαλιος *fit ab* Ἔνευ, *cujus Suidas meminit his verbis:* Ἔνευ, ἐπιφώνημα (Eneu est acclamatio) *quod totidem verbis Varinus intulit in suum lexicum. Atqui non novum est, quaedam deorum nomina ab acclamationibus fuisse petita. Bacchus ab acclamatione* ἰυοῖ, Evius *vocabatur, & ab altera* σαβοῖ, Sabazius. *Ea igitur acclamatio cum in Herculis honorem alicubi celebraretur, hinc in iis locis Hercules sibi* Enevalii *nomen invenit.*

Ex altero latere quis sit ille, qui facie personata ΔΑΙΔΑΛΟΣ (*nisi* Δαίλαλος *scriptum fuerit; anceps enim est quarta littera*) *inscribitur: deinde utrum Junoni adversus Enevalium auxilio venerit, an vero* Enevalii *commilitonem se gesserit, aliis rimandum relinquo; sicuti & alia plura, quae in hac pictura sunt animadversione digna.*

Ejusdem vasis posticae partis adumbrationem, quippe ἀνεπίγραφον, *emisi. Postremo quibus causis Hercules incitatus, in Junonem tantum sibi nefas licere permiserit, Homeri scholiastes copiose refert: quam totam narrationem huc adscribere piguit; maxime cum vetera Homeri scholia terantur omnium manibus, ex quibus discere fabulam totam licebit.*

(III) *Apud Pausaniam in Eliacis prioribus scalptura quaedam describitur, in qua* Venerem Mars armatus abducit (ἐπίγραμμα δὲ ΕΝΤΑΛΙΟΣ ἐστιν αὐτῶ) : cui titulus imminet ENTALIVS.

(IV) In exemplum inscriptionum capitibus imminentium, marmor pulcherrimum anaglyptum describitur.

Mos primitus fuit, ut in picturae incunabulis, qui leonem, qui quamlibet animantem depingeret, addito epigrammate, ecqua esset quadrupes, admoneret, ne opinor lupus pro agno acciperetur, pro columba accipiter. Postquam autem ars eo peritiae processit, ut genus saltem animantis dignosceretur; tum inscribendi mos ad personas restringi placuit, quas distinguere difficile videbatur: idque diutule servatum fuit, donec politiora saecula ab eo quoque more recesserunt.

At ea epigrammata superne imminebant potius quam inferne, sicuti nunc moris est. Plures hujusmodi scalpturas atque picturas superne inscriptas vidi. Inter cetera est apud virum amicum Nicolaum de Bonis tabella marmorea anaglypta elegantissimi operis: in qua raptus Helenae sic exhibetur. In laevo latere extremo tabulae dea Suada *in stylobate excelso sedet, cui superscribitur,* ΠΙΘΩ *pro* Πειθώ. *Inferne Helenae maerenti Venus adsidet, vultu gestuque ad suadendum composito. Imminent epigrammata duo, litteris perantiquae formae exarata,* ΕΛΕΝΗ *&* ΑΦΡΟΔΙΤΗ. *In parte dextera Paris heroico more nudus, ac tantum chlamyde edque in tergum rejecta, indutus, juxtaque Cupido alatus, stantes remotis arbitris colloquuntur. Paridis epigramma ex parte corruptum visitur; hoc enim capiti superscriptum legitur* ΑΛΕ . . . *h. e.* Αλέξανδρος.

Quantilibet aestimanda tabula, in primis propter deae Pithonis, nuptiarum conciliatricis, effigiem: cui supra caput calathus scalptus cernitur. Pithonem *Ennius (apud Ciceronem de clar. or. 59.)* Suadam *vocavit: at Hor. I. Epist. VI. 36.* Suadelam *nuncupat, quam etiam in conciliandis nuptiis cum Venere jungit. Nec aliter Plutarchus in Quaest. Rom. ubi praeesse nuptiis voluit, praeter Jovem atque Junonem, etiam Venerem, Pithonem, Dianam. Phurnutus de nat. deor. assidere Veneri, Gratias, Suadelam, Mercurium voluit. At Pindarus Pythiorum Od. IV. in copulandis Medeae cum Iasone nuptiis non alios deos adhibet praeter Venerem & Pithonem, non aliter quam in hoc anaglypto cernitur. Qui poeta Venerem canit e caelo attulisse aviculam* ἴυγγα (*quam alii* motacillam *vocant: aliis* torquillam *aut* verticillam *nuncupare placuit, ut sit eadem quae* σίσυρα *Graecis*) *quae ales & ipsa ad instillandum desiderium valere credebatur; estque haud dubie, ea ipsa avicula*

quae

Digitized by Google

παιδεραστίᾳ
ıant, aut
colebant,
ſet, eam
ris autem
nina libris
:ribérent,
ἔστι καλή.
dit. Rom.)
formoſum,
ὃ δῆτα κα-
τὸ παλαιὸν
adeat Ari-
lam irridet
ribus repe-
pulcher De-
tâ litterulâ,
eſt, inquit,
ebatur) per
. Vide ibi
s verſ. 144.
allatis Cal-
etiam perti-
apud Laer-
teſt intelli-
ſynonyma.
, quam pro-

COM-

iniſtris prodere
φιλάρχαιοι de-

apud Ari-
fuerit.
7. *hunc in mo-*

ivov
αλόν·
αλός.
id ſcilicet quod
calculi demitte-
chii lexicon ali-
ex vitili, in-
e ſuperponitur.
um (*utpote con-*
tatione ſua nu-
tate coacto haud
robo, quod Δῆ-
notis conqueſtus
mi ſenariolos.
n fores
vicus eſt:
lus fiſcus eſt.
rium nomen) *ca-*
, *nec* tribus, *nec*
rilampone (*non*
s, *ſed femina:*
ar in tantum, ut
rus Δῆμος καλός.
centium numero,
recitato, ſic ſub-
Erat Demus iſte

tum Eupolis non
praepoſito Pyri-
πυρος Δῆμος, etiam
in more fuiſſe, ut
bulo dignoſceretur;
nomen adjiciebatur.


Digitized by Google

ΔΑΛΟΣ, (
detur, qui
Sane
glyptis im
cujus verbi
non inferu
pla apud
de (III) E
anaglyptum
pra singulo
§. 2. Ex
Mastril
mula

Quia d
Latinis fuer
non erit in
Mastrilli va
rumdam no
bus KALOΣ
hujusmodi (
ribus Italiae

λιον Graecis
ce, ἢ χαλκοῦ
cabulo Marten
ζονος Θεᾶ (a
ri tradit. Er
consuetudinem
fecerit; sicut
Macrobio I.
leat, si pictori
derit Ενυάλιος
(peculiari dial
vulgo alii Ε
Ενυάλιον alicu
Verum eo
nomine non erre
plici adscripta
rumque diversa
ab Enyo belli
bo Ενύω (occi
& ipsam deam
bo ἐνύω igitur
Ἔνευ, cujus Si
νημα (Eneu e
nus intulit in
quaedam deorum
ta. Bacchus
& ab altera o
cum in Hercul
iis locis Hercul
Ex altero
ΔΑΙΔΑΛΟΣ
enim est quar
Junoni adversus
Enevalii commi
linquo; sicuti
animadversione a
Ejusdem va
γε ἀνεπίγραφον,
incitatus, in J
rit, Homeri sch
rationem huc ad
meri scholia tera
re fabulam totam
(III) Apud P.
quaedam describit
abducit (ἐπίγραμ
titulus imminet

Seripalm. Neapolit.



ad p. 112. num. I.



Digitized by Google

παιδιρασ-ίᾳ
ant, aut
colebant,
set, eam
ris autem
iina libris
:riberent,
ἄνα καλή.
lit. Rom.)
formosum,
ϒ δᾶνα κα-
τὸ παλαιὸν
adeat Ari-
lam irridet
ribus repe-
pulcher De-
:à litterulâ,
est, inquit,
ebatur) per
. Vide ibi
s vers. 144.
allatis Cal-
etiam perti-
apud Laer-
teſt intelli-
ſynonyma.
, quam pro-

COM-

nistris prodere
φιλάρχαιοι δε-

apud Ari-
uerit.

7. hunc in mo-

νον
καλόν·
καλός.
id scilicet quod
calculi demitte-
chii lexicon ali-
ex vitili, in-
e superponitur.
am (*utpote con-*
tatione sua nu-
ate coacto haud
robo, quod Δῆ-
motis conquestus
mi senariolos.
n fores
vicus est:
lus fiscus est.
rium nomen) ca-
, nec tribus, nec
rilampone (*non*
, *sed femina:*
er in tantum, ut
ras Δῆμος καλός.
centium numero,
recitato, sic sub-
Erat Demus iste

tum Eupolis non
praepositio Pyri-
πας Δῆμῳ, etiam
n more fuisse, ut
bulo dignosceretur;
omen adjiciebatur.

Digitized by Google

ΔΑΛΟΣ, (
detur, qui
Sane
glyptis im
cujus verbi
non inferu
pla apud
de (III) E
anaglyptum
pra singulo
§. 2. Ex
Maſtril
mula

Quia d
Latinis fuer
non erit in
Maſtrilli va
rumdam no
bus KALOΣ
hujuſmodi (
ribus Italiae

λιον Graecis
ce, ἢ χαλκοῦ
cabulo Marte
ζονος Θεᾶ (a
ri tradit. Er
conſuetudinem
fecerit; ſicut
Macrobio I.
leat, ſi pictori
derit Ενυάλιος
(peculiari dial
vulgo alii Ε
Ενυάλιον alicu
Verum eo
nomine non erve
plici adſcripta
rumque diverſa
ab Enyo belli
bo Ενύω (occi
& ipſam dean
bo ἐνύω igitur
Ἔνευ, cujus S
νημα (Eneu e
nus intulit in
quaedam deorum
ta. Bacchus
& ab altera c
cum in Hercul
iis locis Hercul
Ex altero
ΔΑΙΔΑΛΟΣ
enim eſt quar
Junoni adverſus
Enevalii commi
linquo; ſicuti
animadverſione c
Ejusdem ve
ρε ἀνεπίγραφον,
incitatus, in J
rit, Homeri ſch
rationem huc ad
meri ſcholia tera
re fabulam totam
(III) Apud P
quaedam deſcribit
abducit (ἐπίγραμ
titulus imminet

Digitized by Google

dyotae omnes Nolae effoſſae fuerant.

Poſtremo num. IV. vaſis in S. Agatha Gothorum eruti (quod quidem proxime deſcriptis dyotis recentius eſſe, ex litterarum formis, & ex littera Ω poteſt intelligi) anterior pictura exhibetur: de cujus expoſitione eruditis permitto (V) judicium. In formula ΚΑΛΟΣ duo admirationem cient: quod O ita angulatum eſt ut ad D accedat; deinde quod extremum ſibilum jam ferme arcûs Scythici formam imitetur. Nomen ΨΩΛΩΝ nihil irregulare habet; niſi quod longa vocalis Ω a Simonide inventa manifeſtum citerioris aetatis ſit indicium.

Vtinam vaſorum inſcriptiones non eximiae raritatis eſſent; nam certe litterarum ſubſidio poſſemus de minore majoreve antiquitate facilius exiſtimare, prout elementorum formae magis minuſve vetuſtae ſunt. Itaque in his a me recenſitis illae dyotae tres antiquiſſimae ſunt. His ſuperior Pſolonis pictura proximum habet antiquitatis gradum: cujus vetuſtati Junonis ab Enevalio ſauciatae pictura haud parum concedit, ceteroqui elegantiâ & eruditione quaelibet fictilia ſuperans.

Hactenus vaſorum viri nobilis picturas & inſcriptiones delibavimus. Reſtat expediendum, quid ſibi velit ΚΑΛΟΣ illud, quod nominibus propriis praefigitur in his vaſis: de quo jam dicendum.

Ecquam ergo in productis inſcriptionibus (καλος Νικον, καλος Καλλιυλες, καλος Ψολων) τὸ Καλὸς vim habet? Sciendum eſt, Graecos fere omnes παιδιρασίᾳ laboraſſe: quam ipſi honeſtiſſimam jactabant, aut certe (uti conjicio) non nulli eam caſte colebant, alii, qualisqualis apud eos παιδιρασία eſſet, eam ſaltem honeſtatis velo obtegebant. Moris autem iisdem Graecis fuit, ut τῶν ἐρωμένων nomina libris arborum, foliis, foribus, parietibus inſcriberent, hac formula utentes, ὁ δεῖνα καλὸς, ἡ δεῖνα καλή. Euſtathius ad Il. B. (pag. 170. verſ. 13. edit. Rom.) ubi docuiſſet, Καλὸν ſaepe idem eſſe quod *formoſum*, ita ſubjicit: Τῆς δ' αὐτῆς ἐννοίας καὶ τὸ Ὁ δεῖνα καλὸς, ἡ δεῖνα καλή· ἅπερ ἐν φλοιοῖς δένδρων τὸ παλαιὸν ἐγράφοντο. Plura de hoc more qui volet, adeat Ariſtophanem in Veſpis verſ. 98. ubi quemdam irridet totum judiciis deditum, qui ſicubi in foribus reperiret ſcriptum (VI) Δῆμος καλὸς, h. e. *pulcher Demus*; ipſe praeteriens, unâ tantum mutatâ litterulâ, reſcriberet, Κημὸς καλός. Imo *Pulchrum eſt*, inquit, *urnae judicialis operculum* (qui κημὸς dicebatur) per quod calculi judiciales demittebantur. Vide ibi Scholiaſten, & eumdem ad Acharnenſes verſ. 144. ubi morem hunc pluribus explicat, & allatis Callimachi & Libanii locis illuſtrat. Huc etiam pertinet pulchrum Zenonis Citiei dictum apud Laertium in ejus vita ſegm. 21. ex quo poteſt intelligi, τὸν καλὸν & τὸν ἐρώμενον fuiſſe fere ſynonyma. Verum de vaſis Maſtrillianis plura jam, quam provideram, exciderunt.

quae in hac tabella juxta Pithonem cernitur. Tum idem Lyricus de Pithone ſic canit:

. . . πόθεν δ' Ελὰς αὐτὸν
Ἐν φρεσὶ καυμένην
Δονέοι μάστιγι Πειθώς.

Hoc eſt: Et ut ipſam (*Medeam*) deſiderabilis Graecia in pectore inflammatam flagello Pithonis agitaret. *Vbi vulgo*, flagello perſuaſionis *vertunt*, *non intelligentes*, *de dea Pithone ſive* Suada *hîc agi. Vides profecto hoc anaglyptum quot nominibus ſe commendet.*

(V) *Verbo rem omnem complectar. Caput quod cernitur in cippum informem deſinens, habet quaedam Mercurii, quaedam & Bacchi ſymbola, ita ut utrumque numen in uno ſimulacro connexum coleretur. Nam erant ſigna plures deos exhibentia, erant & ſigna πάνθεια. Scitum eſt, quae olim ſtatuae Mercurium cum Minerva copularent, eas* Hermathenas *fuiſſe dictas, quae Mercurium cum Hercule*, Hermacles. *Ergo cippus hic* κεφαλωτὸς (capitatus) *ex Mercurio tum caduceum habet, tum etiam hoc quod in στήλην quadratam terminetur: de quo Macrobius I. Sat.* 19. Pleraque etiam ſimulacra Mercurii (*inquit*) quadrato ſtatu figurantur, ſolo capite inſignita. *Hujuſmodi Mercurii ſigna* Hermae *h. e.* Mercurii *vocabantur. Juvenalis:* Truncoque ſimillimus Hermae. *Sed poſtea id nomen ad aliorum etiam deorum ſimiliter ſcalptorum imagines traductum fuit. Hermae iſti in gymnaſiis, in bibliothecis, in porticibus ad ornatum diſponebantur. Plures hujuſmodi Hermas in Regis noſtri Herculanenſi locupletiſſimo Muſeo vidi tum aereos tum etiam marmoreos: In eorum duobus obſervavi utrique cippi lateri aliud quoddam parallelepipedum adnaſci prominulum: quod quidem in hujus Hermae adumbratione litterulâ A ſignavi. Gemina iſthaec prominentia quo valuerit (ad retinendum ne vinciendumve Hermam in ſede ſua, an quo alio) eruditis rimandum permitto.*

Dixi quid hujus picturae cippus ex Mercurio contraxerit. At a Baccho etiam coronas hederaceas tum ipſius Hermae, tum trium miniſtrorum mutuatur; ac praeterea quod ultima perſona, tum vaſe illo facile vinario quod humero bajulat, tum cantharo quem dextrâ pendulum gerit, ſeſe unum ex Bacchi miniſtris prodere videatur. De ceteris picturae hujus οἱ φιλάρχαιοι *decreverint.*

(VI) Quis Πυριλάμπης Δῆμος apud Ariſtophanem & Eupolim fuerit.

Ariſtophanis verſus in Veſpis verſ. 97. hunc in modum habent.

. . . . . Αὖ 'δὴ γέ παρακεγραμμένον
Τὸν Πυριλάμπην ἐν θύρᾳ Δῆμον καλόν·
Ἰὼν περίγραπτι πλησίον, Κημὸς καλός.

Quid κημὸς *fuerit, Scholiaſtes explicat, id ſcilicet quod urnae judiciariae imponebatur, per quod calculi demittebantur, ne qua forte dilaberentur. Heſychii lexicon aliquanto clarius ita definit:* Operculum ex vitili, infundibulo ſimile, quod urnae judiciariae ſuperponitur. *Hoc Florens Chriſtianus nimis laxe* Fiſcum (*utpote contextum ex vimine*) *reddidit in interpretatione ſua numeris adſtricta: quod ei verſiculi neceſſitate coacto haud gravate largimur. At illud non aeque probo, quod* Δῆμον *interpretatur* Vicum, *interim in notis conqueſtus ſibi non licuiſſe melius. En viri doctiſſimi ſenariolos.*

Si forte ſcripta vidit ad quasdam fores
Haec verba: Bellus Pyrilampis vicus eſt:
Tum pro ſuo addet more: Bellus fiſcus eſt.

Atqui Demus eſt (*ita ut ſit proprium nomen*) *canere debuit. Nam* Δῆμος *hîc nec* vicus, *nec* tribus, *nec* curia *eſt, verum adoleſcens: quia a* Pyrilampone (*non viro, ut accipitur in Florentis verſiculis, ſed femina: quod nominis forma oſtendit*) *diligebatur in tantum, ut foribus illa praeſcriberet,* Ὁ Πυριλάμπης Δῆμος καλός. *Ac ſane* Δῆμον *iſtum fuiſſe in adoleſcentium numero, ex Scholiaſte patet, qui Eupolidis loco recitato, ſic ſubjicit:* ἦν δὲ καὶ εὐμορφος ὁ Δῆμος. Erat Demus iſte formoſus.

Poſtremo quia tum Ariſtophanes tum Eupolis non aliter hunc Demum *nominant, quam praepoſito* Pyrilamponis *nomine* (*nam,* τῷ Πυριλάμπους Δήμῳ, *etiam Eupolis ſcripſit*) *ex eo intelligitur, hoc in more fuiſſe, ut τὸ ἐρώμενον nomen adjecto amatoris vocabulo dignoſceretur; ſicuti uxoribus mariti, ſervis domini nomen adjiciebatur.*

Digitized by Google

COMMENTARIVS
AD AEREA DVO HERACLEAE PSEPHISMATA

PROLOQVIVM.

I. *Operis partitio. Quae ſit his tabulis ſubjecta materies. Ad quamnam veterum monumentorum claſſem referri poſſint.*

I. DE fato harum gemellarum [quas Regia Gaza Neapolitana, ſuo jam peculio ex Caroli Guevarae Equitis donatione comparatas, liberali hoſpitio propediem eſt acceptura] in Prologo, qui Diatribae I. praeivit, accurate me praefatum memini. Nunc cum duo nobis illuſtranda proponantur aera diverſa, horum vero prius in fragmenta duo in Heracleae cladibus diſſiluerit, quorum unum in Britannia, alterum Neapoli aſſeruatur; hinc noſter ad aera Graecanica Commentarius ex triplici tractatione conſtabit: quarum prima in prioris tabulae fragmento Anglicano, altera in ejusdem tabulae complemento Neapolitano, tertia in tabulae ſecundae explicatione occupabitur.

II. Jam vero ſi quaeras, quid hae gemellae ex Magna ſua Graecia adportent novi; ab aere priore ordior, quod fruſto Britannico & Neapolitano abſolvitur. Ea, inquam, tota tabula, ex verſibus prope ducentis conſtans, dividitur in partes duas: quarum prior inſtitutam ſub Ariſtarcho Ephoro accuratam agri Dionyſo ſacri dimenſionem (ex qua dimenſione agri plurimum a privatis detentum, deo Dionyſo recuperatum fuit) deinde ejusdem agri exactam terminationem complectitur uſque ad aeris noſtri verſum 45. in quem pars prior deſinit. Sequitur pars altera, quae ΣΥΝΘΗΚΑ inſcribitur, quaſi dixeris *Inſtrumentum locati conducti agrorum Dionyſi:* cujus utriuſque partis argumenta ante ſingulas πραγματείας [*tractationes*] ſubtilius exponam: ſicuti & de eo, quod Συνθήκα non eodem anno, quo pars prior, celebrata fuerit, ſed facile ſequenti. Ac ne tabulae quidem poſterioris, qua de agro Minervae ſacro agitur, argumentum diſſimile priori eſt: quod argumentum in limine tertiae tractationis proponam.

III. Poſtremo ſi hoc quaeritur ad quam monumentorum claſſem haec duo aera ſint referenda; reſpondebitur iis locum eſſe poſſe ſive in claſſe titulorum operum (1) publicorum, ſive potius in claſſe Legum, ſe-

(1) Exſtat in Gruteri Claſſe oper. publicor. p. 219. & ſeq. itemque in Gualteri Tabb. praegrandis tabula, diviſiones terminoſque agrorum Doricâ dialecto complectens. Hanc Fazellus Dec. 1. lib. 9. cap. 4. in Meſae ruderibus (quam nunc Caroniam vocari ait) erutam ſcripſit. Eſt ſane perantiqua inſcriptio ſed his Heracleae tabulis haud dubie recentior.

Digitized by Google

ſenatuſconſultorum, pſephiſmatum &c. Quod ſi qua collectio ſcriptorum agrimenſoriae artis Graece eſſet [ſicuti Latinae auctorum rei agrariae ſyntagma exſtat] in ea certe haec aera duo agmen ducerent. Nec abſurde interim, ſi quando Geoponicos ſcriptores recudi placuerit, initio haec agraria monumenta apparere conveniens fuerit.

II. *Quo hae duae tabulae ſint valiturae.*

Ad plurima haud dubie valebunt: ad litterarum formam, & ad orthographiam temporis illius: ad novas litteras duas earumque poteſtatem cognoſcendam: ad nova quam plurima verba, nulli dum veterum uſurpata, novoſque Doriſmos, antiquorum exemplis carentes: ad aevi illius artem menſoriam, & quam vocant geodaeſiam, nec non terminandi rationem ediſcendam, & quo in his rebus finitorum atque geometrae peritia pertineret: adhaec quaenam ἐπίσημα diſcriminantia propriis Heraclienſium nominibus praeponerentur: ecquibus trecenteſimo ante Chriſtum anno magiſtratibus, rhetris ac moribus a Laconica πολιτείᾳ traductis Heraclienſis reipubl. democratia temperaretur. Mitto urbem Pandoſiam duplicem, quod nunc primum certo didicimus, & quae alia plura in progreſſu commentarii hujus exſculpere labore & induſtria, & exſculpta depromere σὺν Θεῷ dabitur.

III. *Noſtrae hujus operae difficultas, tum ex peregrinitate verborum, tum ex argumento tabularum orta.*

Difficultas non tam perſentiſcitur in commentario, quam in interpretatione Latina. Nam in commentario quidem quis mihi jure ſuccenſeat, ſi in locis ſalebroſis ἐπέχειν me atque haerere faterer? aut ſi vero, quod viris eruditiſſimis atque in hoc ſtadio exercitatiſſimis licuit ſemperque licebit, difficillima quaeque intacta relinquerem, nihilque prorſus ad ea interloquerer? At mihi non idem interpretanti licet. Nam ſi ſemel e regione Graeci textûs translationem edere decreverim; ea perpetua ſit oportet, neque eſt committendum ut quidquam ἀνερμήνευτον relinquatur. Id vero quî poſſim in tanta novarum vocum, quibus haec aera a ſummo ad imum ſcatent, multitudine? ad quarum vim certam percipiendam fruſtra a lexicis veteribus recentibuſque, fruſtra ab analogia aut a textura orationis auxilium tutum exſpectes. Nec quidquam porro facilius fuiſſet, quam a translatione Latina in totum abſtinere manus; niſi hoc vulgo lectoribus diſplicuiſſet, imo niſi V. Cl. Mich. Maittaire, qui mihi in hac tela pertexenda praeivit (quippe ejus induſtriae editionem fruſti Anglicani debemus) textûs Graeci latus Latina interpretatione ſepſiſſet.

Sed quando hujus exemplo inſiſtendum fuit; cur quod ei licuit, mihi crimini detur? Nam in quaecumque ille nomina ſive ſibi incomperta incidit, ſive ejuſmodi, quibus Latina verba quae e regione opponeret, nulla ſuppeterent, iis locis omnibus Graeca ipſa vocabula nihil mutata [niſi quod litteris ac terminatione Latina] exhibuit. Atque hoc idem prorſus mecum ipſe multo ante decreveram, quam Maittairi libellum nactus eſſem: imo hoc ipſum ἐργοδιώκτῃ noſtro Guevarae me facturum praedixeram. Nunc vero poſt illius exemplum quis, rogo, viae ejusdem terendae jus faſque mihi eſſe negaverit?

Digitized by Google

rit ? Haec de novarum vocum obſcuritate.

—Supereſt haud levior illa difficultas, quae ex materia ſubjecta naſcitur. Nam cum haec bina pſephiſmata in re menſoria agrariaque verſentur ; ſi quis mihi de difficultate conquerenti parum credet, eum rogo uti veteres agrimenſores Latinos, quoſque *agrarios auctores* vocant, ſumere in manus velit. Nec enim ambigo, quin, ſi ſincere quod res eſt fateri non erubuerit, ſuam in πεχνικοῖς nominibus altero quoque verſu occurrentibus inſcitiam confiteatur. Rigaltius ipſe [vir qualis quantuſque!] quotam quamque verborum hujuſmodi partem, quae in ſuo auctorum agrariorum Gloſſario pertexuit, exponere adortus fuit? Quid meae nunc mediocritati liceat in his tabulis vetuſtiſſimâ atq. arduâ dialecto ante annos amplius bis mille perſcriptis? in quibus non rerum geſtarum narrationes, non epochae pertexuntur, non foedera, non ritus ſacrorum, non victoriae, non praemia athletis donata, non quidquam earum rerum, quae non niſi uſitatis vocabulis, quantumlibet ad Doriſmum detortis, exprimi ſolent ; verum peractae a finitoribus dimenſiones terminationeſque, atque aeſtimationes agrorum, nec non inſtrumenta contractuum conſignantur ? id vero totum verbis κατὰ πεχνικὴν γλῶτταν uſurpatis, quae quidem verba ne tunc quidem vulgo homines ἀμύητοι intelligerent.

Et tamen ſenticeta iſta multo faciliora evaderent, ſi quidem ex veteribus illis Γλωσσῶν [*Gloſſarum*] ſive vocum peregrinarum lexicis vel pauca exſtarent : de quibus Gloſſariis vide in ima [2] pagella. Nunc vero his deperditis omnibus, quid ſperandum relinquitur?

Haec

(2) *Quid Gloſſae? Earum Scriptores maxima ex parte deperditi.* Γλῶτται Ιταλικαὶ *aut* Ιταλιώτιδες *quid? Heſychii Gloſſarium quantilibet pretii.*

Γλώττας ubi in Athenaeo & pleriſque aliis legimus, iis locis interpretes *Linguas* reddiderunt. Itaque Γλῶσσαι Ιταλικαὶ iis ſunt *Linguae Italicae*. Atqui potius vertendum fuerat, *Graecarum Italiae urbium peculiares voces*, cum reliqua Graecia non communes. Sic enim ſe res habet. Apud Ariſtotelem in pluribus Rhetoricae & Poeticae locis Γλῶττα eſt vocabulum ξενικὸν h. e. *peregrinum*, alicujus gentis peculiare : quod dum alii uſurpando ad ſe transferunt, apud hos γλῶσσα vocatur, quod in nativo ſolo proprium erat. Vt nomen iſtud σίγυνον (exemplum hoc ab Ariſtotele eſt: σίγυνον eſt *haſtile ſpiculum*) quod Cypriis proprium, nobis eſt γλῶττα.

Itaque cuilibet regioni ſua erant uſitata nomina : ſua Laconibus, ſua Boeotis, Theſſalis, Macedonibus, Cretibus, Samiis, Siculis : ſua vero etiam Magnae Graeciae, tum univerſae communia, tum ſingulis urbibus peculiaria. Vt cum in veteribus lexicis ſubnotatur, Λάκωνες, Βοιωτοὶ, Σίκελοι &c. aut vero Ταραντῖνοι, Μεσσάπιοι, Βρίττιοι, Λευκανοὶ &c. Horum quaedam apud veteres lexicographos, atque grammaticos parcâ manu adſperſa leguntur. At nihil iis in hoc genere locupletius Heſychii Gloſſario (ſic enim vocare malim quam Ὠνομαστικὸν, uti nunc inſcribitur) quod etſi longe inquinatiſſimum ad nos uſque pervenit ; vel ſic tamen in hac nunc Sparta adornanda longe plus huic uni debeo (& quidem in locis deſperatiſſimis) quam tot aliis veteribus lexicographis.

Quod ſi ſexcenti illi Gloſſariorum tum generalium, tum in primis Italienſium, ſcriptores exſtarent ; minus eſſet laborandum. Nam in primis Italienſes gloſsas a pluribus fuiſſe peculiariter collectas, non eſt dubium : quorum librorum lemmata ex grammaticis hauſta memini me in unum locum contuliſſe: ſed eam ſchedam nunc fruſtra reperi. Sic verbi cauſa Athenaeus X. 8. in uſu vocis Κοτύλη Diodorum quemdam citat ἐν Ιταλικαῖς γλώσσαις, h. e. in verbis Italiotarum peculiaribus : at ibi non recte interpres, *In linguis Italicis* poſuit ; quaſi ſi Diodorus linguas Italiae, veluti Latinam, Etruſcam, Gallicam, Samniticam & tot alias eo libro docuerit. Inter hos gloſſographos deperditos fuere etiam qui ſuas Γλώσσας Ιταλιώτιδας inſcripſerunt, ut In mea ſcheda adnotaveram. Nam ſicuti (ut Diatr. I. ſaepe inculcavimus) Graeci Italienſes vocabantur abſolute Ιταλιῶται, teſte Ammonio ; ita gloſſae ab iis uſurpatae, Ιταλιώτιδες vocabantur. Et harum omnium jacturam dolemus factam : niſi quod quaſdam parce grammatici ceteri, largiore vero manu Heſychius plurimas inſperſit.

Vix ut ſuperiora ſcripſeram, commodum occurrit Heſychius in Βάννας ita loquens. ΒΑΝΝΑΣ Βασιλεὺς παρὰ Ιταλιώταις. *Bannas rex : apud Italiotas*. Itemque in Βασὰ : quod interpretatur ὑποδήματα, *calceos*, *apud Italiotas*. Plurima in Heſychiano lexico in commune Italiotis tribuuntur, nec pauciora privatim Tarentinis, quoties ſubjicitur, Ταραντῖνοι. Tarentinâ vero dialecto Heraclienſes utebantur, quippe a Tarentinis conditi.

Digitized by Google

Haec eo pertinent, ut veniam exorem, ſi plura in interpretatione Latina iis ipſis Graecis vocibus, quae in aere ſunt, Latinis litteris exprimantur. Sic factum oportuit. Nam quamquam augurando potuiſſem Latina eis verba appendere; nolui eo uſque confidentiae progredi, ut in translatione, quam fidelem eſſe convenit, conjecturas meras lectori obtruderem: quas in adnotationes conjici, fore conſultius duximus.

DE TABVLARVM CITATIONIBVS

MONITVM.

In harum tabularum verſibus citandis utar his notis. B. aut Br. fragmentum Britannicum deſignabit: nota Romana I. ad ejusdem prioris tabulae complementum Neapolitanum referetur: nota Romana II. tabulam poſteriorem ſignabit. His notis qui ſubjicitur Arabicus numerus, is verſus oſtendet. Eadem citationum ratio in Indice vocum, totoq. opere uſurpabitur.

IN HERACLIENSIS TABVLAE PRIORIS

FRAGMENTVM BRITANNICVM.

EJVS ARGVMENTVM.

PRior haec tabula, ut in Proloquio dixi, duas partes non eodem tempore ſcalptas complectitur. Prior pars in membra tria diſtinguitur: primum [id vero unum in hoc fruſto Anglicano continetur] poſt prooemium, agri Dionyſo ſacri dimenſionem quadripartitam exſequitur, ex qua colligitur ea ſchoenorum ſumma, quam in fine Anglicani fragmenti habes. Deinde in complemento ſequitur partis I. membrum ſecundum, quo notatur, quantum agri ſacri recuperatum Dionyſo ope dimenſionum fuerit, & id quanti eisdem locatum, qui privatim ante poſſederant. Ejusdem partis I. membrum tertium, quo agri terminatio peragitur, a complementi Neap. verſu 6. ad verſum uſque 45. pertinet.

Partis alterius, qua Συνθήκα continetur, argumentum initio ſequentis πραγματείας proponetur.

BRI-

Digitized by Google

BRITANICVM FRAGMENTVM

A Cl. V. Mich. Maittaire accuratiſſime [3] *exhibitum cum ejusdem editoris notis, noſtriſq. animadverſionibus.*

(3) Ecquid Mich. Maittaire in ſui fruſti editione praeſtiterit, id ex ejus praefatiuncula diſcere proderit: quae talis eſt.

LECTORI S.

Tabulam, ex aere (ſi recte conjicio) Corinthio, pollicis fere craſſitudine, longitudine pedum duorum & dimidii, unius & dimidii latitudine (cujus parti alteri Graeca, alteri Latina inciſa eſt Inſcriptio, utraque charactere formae antiquae majuſculo) ex Italiâ ſibi nuper coemit Brianus Fairfax *vir generoſus, in literariis hujuſmodi rebus cognoſcendis non minus peritus, quam in conquirendis curioſus. Is, qui eruditis, quod ex uſu eſſe queat, nihil non cupit elargiri, binas illas inſcriptiones exſcribendi & typis mandandi copiam mihi ultro dedit. Utriuſque lineas aliquot priores in* (I) *aes incidendas curavi: ex quo ſpecimine litterarum figura & proportio facilius aeſtimetur. Nonnullae in Graecâ inſcriptione voces, quas uncinis* (II) *incluſi, caſu quodam, tanquam ſi ea tabulae pars aeruginem contraxiſſet, haud parum deformatae fuerunt: quas partim ex literarum, quarum veſtigia obſcure apparent, ductu; partim ex linearum praecedentium & ſubſequentium collatione, reſtituere conatus ſum. Adhuc tamen ſuperſunt, quae acumen meo ſagacius poſtulant.*

Inſcriptio Graeca partem terrae, quam Heracleenſes Baccho conſecraverant, ejuſque menſuram & limites exponit. Latina indicat Magiſtratus, ad quos nomina profiteri lege tenebantur Romani, & quibus aedium viarumque publicarum cura committi ſolebat.

Habebis, lector, quod non neſcire tuâ intererit. Ad notas conjecturaſque (quas, ut meae ſymbolae aliquid non deſideraretur, adjeci, at non poſſe judicium acrius ſubire haud ignoro) benignus accedes.

Ducenta & ſex tantum harum Inſcriptionum excuſa ſunt exemplaria: in quibus omnibus ſcalpello calamoque emendavi, quae relegenti occurrerunt, errata; reliquis, quae perſpicacior deprehendet, veniam me impetraturum ſpero. Vale.

(I) *Specimen ſcripturae antiquae harum tabularum a Maittaire exhibitum praetermiſi, quippe lectori ſupervacaneum: cui integras tabulas Heracleenſes quam exactiſſime ad aera autographa in aes inciſas ſuis ſingulas locis contemplari licebit.*

(II) *Maittairus noſter textum inſcriptionis utroq. charactere (tum majuſculo tum etiam minuſculo) edidit. At uncinos, quos locis a ſe conjiciendo reſtitutis adhibuit, tantum in majuſculo poſuit. Nos quia exhibendo litteris grandioribus textu ſuperſedimus, eosdem illos uncos ex majuſcula ſcriptura detractos in minuſculos characteres tranſtulimus.*

FRV-

Digitized by Google

FRVSTVM
INSCRIPTIONIS GRAECAE
HERACLEENSIS
IN ANGLIA ASSERVATVM.

INSCRIPTIO

Graeco minuſculo charactere repraeſentata.	*Ex dialecto Dorica in communem verſa.*
1 Εφορος Αριστ̣αρχος [Η]ραχλειδα μης	Ἔφορος Ἀρίσ̣αρχος Ἡραχλείδ̣ᾳ, μὴν

Latino Sermone a Maittaire reddita.

1. „ Ephorus Ariſtarchus Heraclidae filius, menſis

NOTAE

„ MONUMENTUM hoc conſtat ex lineis undecimâ & primâ, ab Heracleenſibus fuiſſe poſitum, Ariſtarcho apud illos Ephori munus obeunte: neque minus conſtat Heracleam hanc (1) de quâ hic agitur (plurimas enim eo nomine Stephanus de Urbibus aliique Geographi memorant in variis mundi partibus ſitas) civitatem eſſe Italam quidem, ſed Graecae originis, prope Acirim fluvium; cujus mentionem facit linea decima ſeptima. Strabo ſexto ſuae Geographiae libro tradit Heracleam prope amnes Acirim & Sirim a Tarentinis conditam fuiſſe. Inſcriptionis (quae prae ſe fert lineis primâ & ſecundâ menſis ſolius indicium) tempus (2) ſagacioribus definiendum relinquo. Illius interim antiquitatem in dubium vocari vix patitur ſtylus & dialectus (3) Dorica: quâ plurimum uſi ſunt magnae Graeciae, Italicae regionis, incolae, philoſophiae a Pythagorâ (4) iis in locis inchoatae & inſtitutae ſectatores, Archytas Tarentinus, Hippodamus Thurius, aliique, quorum adhuc ſuperſunt fragmenta quaedam Dorice conſcripta. Quoniam autem nullum hactenus meae notitiae occurrit ſcriptionis ſpecimen, quo poſſit Heracleenſium lingua dignoſci; ſpero fore harum rerum ſtudioſis eo acceptiorem eorumque cognitione minime indignam hanc inſcriptionem: in quâ plurima invenient vocabula loquendique genera, peculiaria ſane & rara, necnon aliquot haud (5) alibi, niſi fallor, obvia; ideoque inter illa, quae ἅπαξ λεγόμενα vocant critici, numeranda. *MAITTAIRE.*

„ Verſ. 1. Ἔφορος] Probabile eſt, hoc magiſtratuum genus a Spartanis (6) apud quos T „ ini-

(1) De Heracleae noſtrae originibus egimus copioſiſſime in Prodromo totâ Diatribâ II.

(2) Diatribâ III. qua de harum Tabularum aetate actum fuit, haec aera circiter annum trecenteſimum ante Chriſtum inciſa videri demonſtravimus. Vide pág. 133. ſeq.

(3) Et quidem Dorica illa vetus. Vide pag. 118. & 135.

(4) De Pythagora ejuſque aſſeclis plura diximus pag. 47. ſeq.

(5) De quibus conſules Indicem omnium utriuſq. tabulae vocum, quem in calce utriuſque inſcriptionis Graecae dabimus.

(6) De Spartanorum Ephoris (qui Spartae numero quinque erant: in Laconicis vero coloniis, totidem an pauciores, incertum) videatur Nic. Cragius,

Digitized by Google

„ initium ſumpſit, ad alios quosdam tranſiiſ-
„ ſe populos; eos praeſertim, qui a Grae-
„ corum coloniis duxerunt originem. Stra-
„ bo autem narrat (7) Tarentinos, qui colo-
„ nos in Heracleenſium civitate collocave-
„ runt, primum Spartanis ortos fuiſſe.
„ *MAITTAIRE.*

„ ⊢Ηρακλειδα] *Heraclidae* filius. So-
„ lent enim in publicis inſtrumentis no-
„ mina parentum adjici propriis nomini-
„ bus in genitivo, qui a voce relationis
„ ſubintellectâ regitur. Sic verſ. 3, 4, 5,
„ 6, 7, 9, 10. *MAITTAIRE.*

„ Ἡρακλειδα] pro Ἡρακλειδε, Dorice.
„ Sic Οἰδιπόδα Pindar. Pyth. Od. 4. Antiſt. 12.
„ Commode me monet hic locus, ut de
„ ſpiritûs aſperi figurâ nonnihil diſſeram.
„ Antequam Simonides longarum vocalium
„ uſum invexiſſet, aſper ſpiritus per H
„ exprimebatur, teſte Farneſianâ tabulâ
„ & Sigea lapide: de quibus Edmundus
„ Chishull in Antiquit. Aſiat. pag. 4. & 11.
„ eruditiſſime ſcripſit. Eandem quoque
„ hanc aſpirationis notam Latini in ſuum
„ tranſtulerunt alphabetum. Poſt longa-
„ rum vocalium introductionem; ne (ut
„ puto) longa ἦτα ſive H cum antiquâ
„ aſpirationis notâ confunderetur, uſu venit,
„ ut nota non integra H, ſed dimidiata
„ ⊢ aſperum ſpiritum indicaret. Sic in hâc
„ inſcriptione ⊢ΗΡΑΚΛΕΙΔΑ. & verſ. 7.
„ 10. ⊢ΗΡΑΚΛΕΙΔΑΣ. 11. ⊢ΗΡΑ.
„ ΚΛΕΙΩΝ. 2. ⊢Α. 47. ⊢ΑΣ. 4. 9. ⊢Η.
„ ΡΑΚΛΗΤΩ. 6. 9. ⊢ΙΣΤΙΕΙΩ. 8. ⊢ΑΙ-
„ ΡΕΘΕΝΤΕΣ. ⊢ΙΑΡΩΣ. 12. ⊢ΤΠΕΡ.
„ 14. ⊢ΟΔΙΩΝΟΣ. 15. ⊢ΗΡΩΙΔΕΙΑ. 20.
„ ⊢ΗΜΙΣΧΟΙΝΟΝ. 23. ⊢ΕΒΔΕΜΗ-
„ ΚΟΝΤΑ. 30. ⊢ΕΠΤΑ. 43. ⊢ΕΚΑΤΟΝ.
„ 47. ⊢ΕΠΤΑΚΑΤΙΑΙ. Sed obſervandum
„ eſt, hanc notam (marmorarii (8) forſan
„ minus attenti culpâ) aliquando negligi,
„ ubi vox requirit vulgo ſpiritum aſpe-
„ rum (ut verſ. 2. ΟΡΙΣΤΑΙ. 13. 32. ΟΡΙ-
„ ΞΟΝΤΑ. 11. ΑΛΙΑΙ.) & apponi, ubi
„ vox laevigatur; ut 34. 48. ⊢ΟΚΤΩ. 43.
„ ⊢ΟΓΔΟΗΚΟΝΤΑ. 36. ⊢ΕΝΕΝΗ-
„ ΚΟΝΤΑ. In illius notae vicem recen-
„ tiores uncinulum (c) ſubſtituerunt; quip-
„ pe, ob faciliorem ταχυγραφίαν, litera-
„ rum aliquot formaturam quadratam an-
„ tiquitus & angulatam maluerunt in ro-
„ tundam reformare. In editionibus tamen
„ quorumdam librorum, qui majuſculâ ve-
„ râque literarum Graecarum figurâ ſub artis
„ typographicae primordiis Florentiae du-
„ ctu Joannis Laſcaris impreſſi ſunt, priſca
„ ſpiritûs aſperi nota dimidiata vocibus,
„ non quidem (uti in hâc inſcriptione)
„ in eodem lineae cum illis ſpatio, ſed
„ ſuperne praeponitur. Idem etiam Henr.
„ Stephanus in Aeſchylo, Anacreonte &
„ poetis Graecis Heroici carminis princi-
„ pibus factitavit: Ἥρωες, Ἡρώων. Libet
„ porro obſervare in praedictâ inſcriptione
„ aliam, novam ſane & forſan hactenus
„ incognitam, ſaltem rariſſime occurren-
„ tem, aſpirationis (9) notam, ⊏. Vt v. 20.
„ 42. ⊏ΕΞ. 19. ⊏ΕΞΑΚΑΤΙΑΙ. Haec erat
„ (auctore Bernardo de Montfaucon in
„ Palaeogr. p. 153. 357.) τὸ σῖγμα in
„ nummis & inſcriptionibus Auguſti tem-
„ pore effictis figura; quae, ut uno ductu
„ poſſet exarari, poſtea rotundata eſt C;
„ & a Latinis quoque pro S uſurpata.
„ Latini praeterea hanc literam (S ſcil.)
„ adhibuerunt in nonnullis Graecae originis
„ vocabulis ſpiritûs aſperi indicem: ἕξ *ſex*,
„ ἑπτα *ſeptem*, ὑπὲρ *ſuper*, ὑπὸ *ſub*, ἡμι- *ſe-*
„ *mi-* &c. *MAITTAIRE.*

„ Μὴς] Σῖγμα pro Νῦ Dorum eſt. Hic
„ primum μὴς pro μὴν mihi occurrit.
„ Lego μεὶς apud Pindar. Nem. Od. 5. An-
„ ti-

gius, Vbbo Emmius, Meurſius, aliique originum Laconicarum auctores. Nec enim jam dicta recoquere eſt animus. Id tantum monuiſſe proderit, conciones populi convocare & convocatis praeeſſe, Ephororum fuiſſe munus: id quod tum ex utraque hac tabula conſtat, tum etiam ex Herodoto, Thucydide, Xenophonte, aliis. Neque id immerito. Nam Ephori Spartae iidem ferme qui Romae tribuni plebis. Quare utrique coetibus populi praeerant, utpote popularis magiſtratus.

(7) Primas Tarenti origines Noachidis ipſis debemus. Nam *Taras* Tarenti conditor haud alius profecto fuit, quam *Tiras* Japheti fil. (Gen. X. 2.) ut abunde Diatriba II. Sect. II. oſtendimus. Nec niſi multo poſt Noachidarum illâm coloniam, novos in eamdem colonos a Laconibus fuiſſe deductos, ibidem demonſtratum fuit.

(8) Non in ſcalptoribus haec faba cudenda fuit (nihil enim, uti dixi pag. 136. duabus his tabulis emendatius facile reperias) ſed quod in Heracleenſium vetere Δωρίδι dialecto plura aſperabantur, quae vulgo nunc levigantur; & contra leniter notabantur alia, quae poſtea denſari placuit: de quorum ſingulis in loco dicetur.

(9) Quid haec nota valuerit, dixi Diatr. III. p. 128. ſeq. Fallitur Noſter, ubi mox hanc notam cum littera ſibilante confundit. Nam iſtud ⊏ noſtrum Aeolici Digammatis vetus nota fuit, neque huc pertinet quadratum illud ſibilum ⊏: quod ſub Caeſaribus in marmoribus & nummis pro Sigma exhibebatur.

Digitized by Google

2 Απελλαιος ⊢α [πολις] και τοι οριστα
3 ⊏E τριπους Φιλωνυμος Ζωπυρισκω

Ἀπελλαῖος. Ἡ πόλις, καὶ οἱ ὁρισταί·
⊏E τρίπους. Φιλώνυμος Ζωπυρίσκου·

2. „ Apellaeus: Civitas & finitores:
3. „ VE. Tripus: Philonymus Zopyriſci F.

„ tiſtroph. 3. & Platon. Edit. H. Stephan. „ Tom. I. pag. 109. *MAITTAIRE.*

„ Verſ. 2. Ἀπελλαῖος] Suid. Ἀπελλαῖος „ παρὰ Μακεδόσιν, ὁ Δεκέμβριος μιὼ. Jo„ ſeph. Antiquit. lib. XI. cap. 5. —— τῷ „ σινάτῳ μιωὸς, ὃς κατὰ μὲν Ἑβραίους, Τεβέθος „ κατὰ δὲ Μακεδόνας Ἀπελλαῖος καλεῖται. & „ lib. XII. cap. 7. —— μιωὸς, ὃς καλεῖται, „ κατὰ μὲν ἡμᾶς Χασλεὺς, κατὰ δὲ Μακε„ δόνας Ἀπελλαῖος. Decembris enim pars „ prior in Casleum, poſterior in Tebe„ thum incidit. Conſule Joſephi Scalige„ ri Canones Iſagogicos. *MAITT. Alia huc pertinentia in imo* (10) *expoſui.*

„ Α' πόλις] ἀ Dorice pro ἡ. Sic verſ. 47. „ ἆς 13. τὰν γᾶν. 47. πάσας γᾶς. 39. ταύ„ τας τᾶς. 18. ταύτᾳ τᾷ. 48. ταύταν 25. τρίταν. „ 30. τετάρταν. 36. κεφαλὰ. 38. νᾶσον. 17. „ μᾶκος. Sic ἀ πίτυς Theocrit. Idyll. I. Ψ 6. „ νᾶτος ibid. Ψ 124. γᾶν Pindar. Pyth. Od. 1. „ Epod. 1. ταύταν Theocr. Id. IV. Ψ. 58.

„ Τοὶ] Sic verſ. 8. Dorice pro ἀ. Sic „ Theoc. Id. I. Ψ 80.

„ Οριστα] *finitores*(11) Quam vocem ha„ bet Tullius in oratione pro lege Agrariâ. „ Agrorum menſores, qui limites confi„ niaque determinant. Henr. Stephanus in „ Theſauro affert χώραν ὁρίζειν ex Demo„ ſthene. Illor. quinque finitorum nomina „ Ψ. 3, 4, 5, 6, 7, 9. 10. indicantur. *MAIT.*

„ Verſ. 3.] Quid ⊏E. & 4. ΠΕ. & 5. AI. „ & KN. & 6. ME. ſignificent, me ignorare „ fateor: neque ſatis ſagacem me puto, „ ut ullam nimis confidenter conjecturam „ proponam. (*Vide tamen pag. ſeq. not.* 12.) „ AI non videtur eſſe articulus; quippe cui „ nullum praefigitur (ſicut verſ. 2. ⊢A) aſperi „ ſpiritûs indicium. *MAITTAIRE.*

„ Quid hic τρίπους. & 4. καρύκειον. 5. „ πέλται. & θρίναξ. 6. ἐπισύλιον. ſibi velint; „ & quo ſenſu cum finitorum, quibus im„ miſcentur, nominibus, vel cum Dionyſo, „ cohaereant; nondum plane intelligo. Pe„ riculum tamen faciam, num quiddam „ ex illarum vocum etymologiâ, ſi non „ veriſſimum certumque, at veriſimile „ poſſit deduci. Neque forſan, niſi fallor „ admodum, inter earum ſignificationem „ Bacchumque valde diſconveniet. Τρίπους „ *tripus* pertinere poteſt ad Bacchum, qui „ divinationis etiam deus habebatur. Eu„ ripid. Bacch. Ψ 298. Μάντις δ' ὁ δαίμων·

„ καὶ

(10) *De menſis Apellaei veriloquio.* Απελλαὶ *&* ἀπελλάζειν *quid Laconibus fuerint, &* *unde dicta videantur.*

Απελλαῖος, Suida teſte, inter Macedonicos menſes referebatur: verum primitus non niſi a Laconibus is menſis ſibi nomen quaeſivit, niſi vehementer fallor; quia Απελλαὶ i. e. *conciones*, *comitia*, & ἀπελλάζειν, *ad concionem vocare*, Laconica ſunt vocabula: ex quibus Latinum Appellandi verbum manavit. Ergo quo menſe populus in commune conſultaturus coibat, is menſis ab Απελλαῖς h. e. ſtatis coetibus illis dictus eſt Dorice Απελλαῖος. Atqui tum ex hujus pſephiſmatis initio, quod Britannis debemus, tum ex Συνθήκαις ejusdem tabulae, quam infra dabimus, conſtat, utrobique non alio quam Apellaeo menſe, quamvis anno diverſo, fuiſſe populum ab Ephoro accitum, ut in commune de agro Dionyſi conſulerent. Ergo propter ſtatas conciones, ſive ἀπελλαὶς quae Decembri menſe cogebantur (nam indictivas quovis anni tempore celebrari licuit) menſis December dictus eſt Laconibus Απελλαῖος: quo nomine uſi poſtea ſunt in ſuo Kalendario Macedones.

Et haec quidem ſatis eſſe poterant, niſi de Απελλαῖς & ἀπελλάζειν retruſius aliquid addendum eſſet. Heſychius: ΑΠΕΛΛΑΙ, σηκοὶ, ἐκκλησίαι, ἀρχαιρεσίαι: h. e. Απελλαὶ ſunt *templa*, *eccleſiae*, ſive *conciones* (Chriſtianis templa adhuc *Eccleſiae* i. e. conciones ſive coetus vocantur) *comitia*. Ab Απελλαῖς vero iſtis non tantum menſis Απελλαῖος manavit, ſed & verbum Απελλάζειν. Idem Heſychius: Απελλάζειν, ἐκκλησιάζειν· Λάκωνες. Verum non ἀπελλάζειν, ſed cum duplici liquidâ ſcribendum eſſe Απελλάζειν, Rhetra celeberrima apud Plutarchum in Lycurgo fateri cogit, ex qua ſic recitat: ὥρας ἐξ ὥρας ἀπελλάζειν. Qui mox ſubjicit, τὸ Απελλάζειν tantumdem eſſe quod ἐκκλησιάζειν, *in concionem vocare*. Duplex vero in eo verbo liquida Hebraicae originis index eſt; nam videtur ortum a verbo פלל *Pillel*, quod eſt *Judicare* (in publico coetu ſcil.) *orare* (unde & *Thephilla* eſt oratio publica) *interpellare*. De Plutarchi Rhetra in ſeq. Exercitatione dicam.

Interim pro certo habebis, *Apellaeum* menſem primitus fuiſſe Laconicum, nec niſi poſtea inter Macedonicos relatum: ex eo vero dictum quod ἀπελλαῖ h. e. ſtatae conciones eo menſe cogerentur (facile quod non alio quam Decembri menſe major eſſet ab opere ruſtico vacatio) poſtremo hac de cauſa tum coetum, de quo hîc agitur, tum alterum de quo infra in Συνθήκαις (qui facile anno ſeq. aut proximo coactus fuit) non alio quam *Apellaeo* menſe fuiſſe convocatum.

(11) Nunquam cum ⊢, ſed ſemper cum leni ſpiritu, etiam in cognatis vocabulis, in his Tabulis occurrit. Vide Indicem onomaſticum.

Digitized by Google

„ καὶ τὸ γὰρ βακχεῖσιμον, Καὶ μυστικοὺς μαν-
„ τικὸν πολλοῦ ἔχει. Καρύκειον, an (α pro
„ η Dorice) idem ſit ac κηρύκειον *caduceus*,
„ dubito; an forte (a καρύκαι *caricae*,
„ genus ficuum) ſignificet quoddam ficuum
„ condimentum (*Atqui aliud* Καρύκη, *Intri-*
„ *tum: aliud* Καρικαὶ, *Caricae ficus*) Quidni
„ Baccho, uti & Mercurio, ſuus fuerit ca-
„ duceus? Aut, in aliâ ſignificatione, Σύκη
„ *Syca*, uti & Σταφύλη *Staphyla*, ambae in
„ arbores ſui nominis (ficum, vitem) a
„ Baccho mutatae, ipſi ſacrae fuerunt.
„ Conſule Natalis Comitis Mytholog. lib. V.
„ Cap. 13. Bacchum Συκίτην, ficûs inven-
„ torem, colebant Lacedaemonii. Athen.
„ lib. III. cap. 5. Πέλτας, *ſcuta*, nequaquam
„ dedecent Dionyſum, quem Orpheus in
„ hymnis appellat Ἀρτίον: neque θρίναξ
„ *ventilabrum*; cujus mentionem fecit Vir-
„ gilius in Georgic. lib. I. ℣ 166. ——
„ *Myſtica vannus Iacchi*; in quem locum
„ remittam lectorem ad Ludovici de la Cer-
„ da Commentaria. Ἐπιστύλιον *epiſtylium*;
„ trabs, quae ſuper columnas ponitur. Le-
„ gatur Vitruvius in lib. V. cap. 7. & 8. de
„ epiſtyliis & ornamentis columnarum in
„ theatris ſcenicorum & thymelicorum.
„ Diodorus autem (lib. IV. Edit. MDCIV.
„ pag. 149.) tradit a Dionyſo thymelicos
„ ludos fuiſſe inventos, theatra exhibita,
„ & ſcholas muſicorum acroamatum inſti-
„ tutas. *MAITTAIRE.*

De biſce ἐπισήμοις (inſignibus) *binis, quae finitorum nominibus praeponuntur, integram Exercitationem* (12) *ſubjeci.*

„ Ζωπυρίσκω] Dorum eſt ω pro ο,
„ in Genitivis ſingularibus. Ζωπυρίσκω pro
„ Ζωπυρίσκου: & verſ. 4. 9. Ἡρακλήτω.
„ verſ. 5. 9. Πύῤῥω. 6. 9. Ἰσιείω. 7. 10. Ζω-
„ πύρω. 8. τῶ Διονύτω. 12. 15. 25. 31. Ἀρ-
„ τομώτω. 19. 23. 24. 29. 34. 35. 40. 42.
„ 43. 45. 46. σκίρω, ἀῤῥήκτω, δρυμῶ. 21.
„ 27. 31. τριακοντακτέδω. 25. πράτω. 31. δά-
„ τίρω. Et in Accuſativis pluralibus; verſ.
„ 8. 12. 13. τὼς χώρως, ἰαρώς. Et in Parti-
„ cipio, verſ. 16. ἄγωσαν. Sic τῶ in Theo-
„ crit. Idyll. IV. ℣ 21. σατύρω Moſch. Idyll.
„ VI. ℣ 2. τὼς Lacaena apud Ariſtophan.
„ (Edit. MDCVII.) Lyſiſtr. pag. 846. ἰρίφως
„ Theoc. Idyll. I. ℣ 26. προϋπαρχώτας. Cre-
„ tenſ. Foed. apud Marm. Oxon. *MAIT-*
„ *TAIRE.*

„ Ξ pro

(12) *EXERCITATIO de duplici* ἐπισήμων (notarum) *genere, quae nominibus quorumdam magiſtratuum Heraclienſium in his tabulis praeponuntur.*

In prioris Tabulae fruſto Anglicano poſt Ephorum Ariſtarchum quinque finitorum nomina adſcribuntur: quorum primo, cui Philonymo nomen fuit, praeſcribitur, ⊏ Τριπους h. e. *Ve. Tripus*: ſecundo, Πε Καρυκειον, i. e. *Pe. Caduceum*: tertio, Αε Πελται, *Ae. Peltae*: quarto, Κν. Θρίναξ, *Cn. Tridens*: quinto Με Επιστυλιον, *Me. Epiſtylium*. At in ejusd. tabulae complemento Neapolitano quaedam Συνθηκαι proponitur: cujus initio poſt Ephorum Ariſtionem duorum Polianomorum nomina adſcribuntur, quorum priori, Timarcho, praeſcribitur, Αε Βοτρυς, h. e. *Ae. Racemus*: alteri, Apollonio, ⊏ Ανθεμον, *Ve. Flos*. Polianomos excipiunt finitores numero quinque, iidem qui in aere Anglicano ſcalpuntur, & quidem praefixis eisdem notis.

At in tabula altera, ſine Polianomis, tria tantum finitorum nomina praeeunt, quos ex numero illorum quinque, qui in Tab. prima adſcribuntur, fuiſſe, tum nomina eadem, tum & eaedem praefixae notae arguunt.

Nunc ex hiſce duabus notis, quid prior, quidve poſterior indicet, conjiciamus.

§. 1. *Plutarchi Lycurgo medicae admoventur manus & lux ingens affunditur.*

In Plutarchi Lycurgo (edit. Francof. pag. 43.) Delphicum oraculum (ἣν ῥήτραν καλοῦσιν, *quam*, inquit, *Rhetram vocant*) Lycurgo redditum refertur: fane prae obſcuritate ſua, Λοξίᾳ h. e. reſponſore tortuoſiſſimo dignum, ſed parum fide ab interprete verſum. *Vbi*, inquit, *templum Jovi Syllanio & Minervae Syllaniae conſtruxeris; φυλὰς φυλάξαντα, καὶ ὠβὰς ὠβάξαντα τριάκοντα, γερουσίαν σὺν ἀρχαγέταις καταστήσαντα, ὥρας ἐξ ὥρας ἀπελλάζειν.* Quae Graece adſcripſi, ea uſque ad illud ὥρας, ſic eſſe vertenda (*populumque in tribus & Obas diſtribueris, ac ſenatum cum ſuis ducibus:* binos reges intelligit: *conſtitueris*) ipſemet Plutarchus ſponſorem ſe praebet, ita ſubjiciens: *ἐν τούτοις, τὸ μὲν φυλὰς φυλάξαι καὶ ὠβὰς ὠβάξαι, δίχαν ἐστὶ καὶ καταγράφεται τὸ πλῆθος εἰς μυρίδας· ὧν τὰς μὲν φυλὰς, τὰς δὲ ὠβὰς προσηγόρευκε· ἀρχαγέτας δὲ οἱ βασιλεῖς λέγονται.*

At in eo quod ſtatim in Rhetra ſequitur, ὥρας ἐξ ὥρας ἀπελλάζειν, doleo quod Chaeronenſis non aliud quam verbum ἀπελλάζειν expoſuit, de ὥρας nil prorſus interloquens. Τὸ δὲ ἀπελλάζειν, inquit, eſt ἐκκλησιάζειν, h. e. populum in concionem advocare: cujus verbi etymologiam ad Apollinem refert, quippe quem Hebraica a פלל *Pillel* origo lateret. Interim vero illud ὥρας ἐξ ὥρας tranſiliit, quod crucem figit. Nam quod interpres appoſuit, *Prout temporum articuli poſtulabunt*, id quo pacto ex Rhetra extundatur, alii viderint. Deinde quid ſibi vult, ὥρας ἀπελλάζειν? Quis *tempora ad concionem cogi*, fando unquam audivit? Atqui vel ex eo quod de ὥρας nihil Plutarchus monuit, manifeſtum eſt non ὥρας ſed ὠβὰς (aut potius ὠβὰν) ab eo ſcriptum, illas nempe *Obas triginta*, in quas multitudo diſtribui juſſa fuerat. Verte igitur: *Vbi populum in tribus & Obas triginta diſtribueris ... Obas, unam poſt aliam, in comitium citato.*

Sequitur in eâdem Rhetra Comitii locus a Pythio deſignatus his verbis: Απελλάζειν, inquit, μεταξὺ Βαβύκας τε καὶ Κνακίωνος. Quod quale ſit, ex Ariſtotele Plutarchus prodidit: Ἀριστοτέλης δὲ τὸν μὲν

Κνα-

Digitized by Google

Κναχίωνα, ποταμὸν, τὴν δὲ Βαβύκαν, γέφυραν : *Aristoteles autem Cnacionem amnis, Babycam autem pontis fuisse nomen, ostendit*. Itaque in planitie inter Babycam pontem interque Cnacionem fluvium patente populum coire in consilium jussit.

§. 2. *Quid ex recitatis Rhetrae verbis derivari ad propositam quaestionem possit. Quid Obae Laconibus fuerint, ex Lycurgi atque Romuli institutis inter se comparatis ostenditur.*

Jam vero in celebri oraculo, quandoquidem quid φυλαὶ (*tribus*) fuerint, in aperto est; haud puto fore difficile, etiam *Obas* in apricum proferre, si quidem Lycurgi factum cum Romuli institutis comparemus. Nam quod Romulus multitudinem universam in tribûs numero tres redegit, singulas vero tribus in denas partitus est curias; id totum videtur ex Lycurgi recenti adhuc instituto arripuisse. Necesse est igitur, haud secus & Lycurgum antea ita Laconicum σύστημα constituisse, ut vulgus universum tres primum in tribus dispesceret, deinde tribus singulas in *Obas* h. e. curias denas, ex quibus exstitit ille Obarum triginta numerus a Plutarcho memoratus. Illud quoque Romanum institutum non est Spartano dissimile, quod apud utrosque inter pontem & amnem comitium explicabatur: illos intelligo ponticulos temporarios, per quos Romani laturi suffragium ex una Campi Martii parte transibant in alteram; etiamsi pontium institutio potuerit fortassis Romulo posterior esse.

Sed & *Obas* fuisse Spartanis easdem, quae *Curiae* Romanis, suadere illud potest, quod sicuti Romanae Curiae sacrorum causa institutae fuerunt (ita ut vel sana essent, vel adjunctis delubris non carerent) tantumdem de *Obis* fateri vis vocabuli suadet. Porro in supra recitato Plutarchi loco, eruditissimus scriptor, verbum Απελλάζειν ab *Apolline* (quippe qui Laconice olim Απέλλων vocaretur) fuisse deductum contendit: nimirum Lycurgo instituta sua omnia ad Pythium auctorem referre satagente. Videsis Plutarchi locum. Atqui rogo, quid magis Pythium quam *Obae* vocabulum, si hoc ex Hebraeo arcessas? Nec enim Lycurgi tempora, nisi in Regum Hebraeorum florentem aetatem incidunt: qua aetate Hebraeis אוֹב *Ob* Spiritum Pythonis, ipsumque deum Pythium notabat; Pythia vero sacerdos *Baalath-Ob* (quasi dixeris *Obi compotem*, aut ab *Obo possessam*) dicebatur. Non est igitur dubitandum, quin a Lycurgo institutis curiis, *Obae* nomen a deo *Obo* h. e. Pythio inditum fuerit. Mitto illud quod Pythius sub Serpentis symbolo colebatur: quod ab eo profectum eruditi putant, quod qui Orientalibus *Ob*, is (mediâ in aspiratam conversâ) ὄφις Graece dicebatur.

§. 3. *Ad propositae quaestionis solutionem proceditur.*

Quam politiam Lycurgus Spartae constabiliverat, eadem & in Laconicas colonias haud dubie illata fuit (est enim hoc commune colonianum, ut suarum metropoleon sint imagines) ita ut tum Tarenti, tum etiam Heracleae, multitudo in tribus atque curias distincta videatur. Sicuti autem in Romanorum nominibus vocabula tribuum primoribus litteris notari solebant, ita ut COL. FAB. GAL. HOR. esset *Collina* (tribu) *Fabia*, *Galeria*, *Horatia* &c. hoc idem & in Heraclienſium nostrorum nominibus factitatum credo, ut quos accurate designare satagerent (nam occurrunt alioqui in his tabulis interdum illorum nomina, quos sollertius hisce notarum additamentis distingui non interfuit) eorum unâ tantum syllabâ tribum notarent. Eoque referenda sunt illa vocum initia, CL. MA. AT. AS. &c.

At inquis, quo deinde integra illa vocabula pertinent, τρίτυς, καρύκειον, θρίναξ &c. Sumne curiarum nomina, an potius regionum urbis, quas illi incolerent? Vtrumvis per me licet. Nisi quod in Curias magis inclinat animus. Quid enim? Si quis finitor ex una in aliam regionem migraret, an continuo aera, marmora, membranas, papyros, in quibus ejus nomen perscriptum fuerat, corrigi oportuit, atque insignium, quibus regiones notabantur, mutanda erant vocabula, ne actorum publicorum fides nutaret? Itaque verisimilius est, *Caduceum*, *Racemum*, *Tridentem*, *Epistylium*, & similia non regionum, sed curiarum potius fuisse nomina. Aut postremo ne curiarum quidem, sed alius forsitan rei signa fuerunt.

Nam ne de curiis designandis ea insignium nomina accipiam, id profecto facit, quod postquam Lycurgus Spartanum populum in tribus, has vero in Obas partitus fuerat, ita ut Obae numero triginta exsisterent; ab illo tempore nihil pronius fuit, quam ut praemisso Obae nomine singuli designarentur, quippe quia in Obae designatione etiam φυλὴ continebatur. Imo Obae ipsae pro φυλαῖς (*tribubus*) accipiebantur. Docuit me istud Hesychius, apud quem sic legitur: Ωβάτας (imo ὠβάτας, ut sit ab ὠβάτης) τὰς φυλίτας. Ergo si ὠβάτης tantumdem quod φυλίτης h. e. *tribulis*; cui dubium quin *Oba* (quae proprie subdivisionis tribuum vox exstiterat) vulgo pro *tribu* acciperetur? Quare quae tribuum aliquot nomina ex antiquitatis reliquiis Cragius I. 6. Meursius Misc. Lac. I. 7. collegerunt, videndum an non eae omnes aut partim, fuerint potius *Obae*: tametsi hae confundi cum φυλαῖς ex recepto more jam pridem coeperant. Jam vero si *Oba* tribûs nomen est; ejus designatio in primore illa syl. laba clauditur, CL. AT. MA. AS. &c. Restat nunc ut insignium quae subjiciuntur (puta *Tripodis*, *Caducei*, *Peltarum*, *Tridentis* &c.) nomina quo pertineant, videamus.

§. 4. *Vetus Hermarum sive Terminorum in templis, domorumque vestibulis depactorum consuetudo. Horum origo & etymologia; & quod deorum omne genus exhibere nati fuerint.*

De Hermis non tantum locorum publicorum, sed etiam domorum peculiaribus praeclara habeo veterum Graecorum exempla. Thucydides lib. VI. cap. 27. *Interea quicumque Hermae lapidei intra urbem Athenienſium erant* [*hi vero ex patria consuetudine sunt opus quadratum, qui* (πολλοὶ καὶ ἐν ἰδίοις προθύροις καὶ ἐν ἱεροῖς) *magno numero tum in privatarum aedium vestibulis, tum etiam in templis occurrunt*] *una eademque nocte plerorumque ora circumcisa fuerunt*. Eadem Thucydidis verba Suidas in Ερμαῖ defloravit, ut Hermas ad aedium januas statui consueviſſe, notaret. Eamdem quoque historiam narrat Diodorus Siculus libri XIII. initio, nec non Cornelius Nepos in vita Alcibiadis (cui id facinus imputatum fuit) cap. 3. *Id* (bellum Syracusanum) *eum* (ab Athenienſibus) *appararetur*, *priusquam classis exiret*, *accidit ut una nocte omnes Hermae*, *qui in Oppido erant Athenis*, *dejicerentur*, *praeter unum*, *qui ANTE IANVAM ERAT Andocidis*; *Andocidisque Hermes vocatus est*. Iidem auctores subjiciunt vulgo in eam partem acceptum id facinus,

Digitized by Google

nus, quasi si eo portenderetur civilis statûs mutatio, & reip. labefactandae augurium, quippe cum eos Hermas pro templorum domorumque, in quarum vestibulis stabant, custodibus haberent. Videantur praeterea quae Suidas in Πρὸς τῇ πυλίδι Ερμῆς (*Mercurius ad portulam*) ex Harpocratione hausit. Nim. sic Hermae illi vocabantur, quia ad januas statuebantur.

Si quaeras quid Hermae isti fuerint; ajo cippos quadratos fuisse, in summo dei caput gerentes. Eccujus dei? Mercurii, hîc universi respondent. At equidem nego *Hermas* Mercurii tantum peculiares fuisse, quippe qui barbati plerumque essent, ac turpia exhiberent. Quin potius Genii sive dei praesidis hujus aut illius loci erant plerumque simulacra. Ex Hermis qui quotidie effodiuntur, raros admodum cum Mercurii, plerosque cum longe aliis symbolis animadverti. Nec tam mihi videntur Hermae isti ab Ερμῆς (*Mercurius*) nomen inveniſse, quam fortasse ab ἕρμα (a qua voce Festus ipsum Mercurii Graecum nomen arcessit: eum vide in HERMA) ab illo ἕρμα, inquam, quatenus saxum rude significat. Nam antiquitus rudia saxa pro deorum statuis culta fuisse, tum auctores plurimi, tum deus Elagabalus in nummo cognominis Imperatoris docet: quibus postea saxis praefigi coepere capita, ita ut cetera in truncum desinerent. Ex eo factum, ut simulacra in hunc modum figurata, modo *Hermathenae*, modo *Hermeraclae*, nonnumquam *Hermerotes*, interdum *Hermopanes* vocarentur, non tam quod duo numina, quod vulgo putant, permiscerentur, quam potius quod ἥρματα illa *Minervae*, *Herculis*, *Cupidinis*, *Panis* capita in summo praeferrent.

Porro in his Hermarum cippis saepe Jovis, Herculis, Priapi capita agnoscuntur, saepe & Jani bifrontis, aut certe duplicis dei. Quo etiam referas volo Hermas tricipites & quadricipites, de quibus videatur Hesychius in Ἑρμῆς τριπροσωπος. Nimirum qui deos custodes plures suis ostiis adstare volebant, ii pro deorum numero, Hermae sui frontes multiplicabant. Ex quibus omnibus sequitur, etiam si Hermarum etymologia non ab Ἕρμα veniat, sed sit ipsissimum Mercurii nomen, haud posse quemquam effugere, quin postquam omnium vulgo deorum capita in hisce cippis exhiberi coeperunt, ab illo tempore *Hermarum* vox καταχρηστικῶς de truncis omnibus id genus simulacris usurpari consueverit. Verum de eo, quidnam Hermae oculis objecerint, plura non addam, sed ad rem venio.

§. 5. *Hermis huc usque descriptis insignia familiarum adpingi consuevisse, exemplo vasis Mastrilliani huc faciente docetur: eadem insignia multo saepius in signatoriis gemmis, itemque in nummis scalpi solita: atque ea demum esse quae in his tabulis nominibus magistratuum praeponuntur.*

Illud nunc libet animadvertere, symbola quaedam, in his Hermis occurrere, quibus non tam deorum capita dignoscantur, quam domorum, in quibus Hermae erant, illa insignia, de quibus nunc agitur, contineantur. Verbi causa in pictura vasis Mastrilliani num. IV. (quod pag. 139. descripsi & in tabula exhibui) Herma barbatus & hedera coronatus, cui adstantes sacrificant, exhibetur. Porro in trunci quadrati latere uno *Caduceum* (Κηρύκειον scil. illud quod in hac Tabula vers. 4. Apollonii nomini praeit) depingitur: non alio, nisi ratio me fugit, fine, quam ut insigne esset illius familiae, in cujus vestibulo Herma ille defixus stabat. Non secus igitur noster hic Apollonius Heracleti filius finitor Heracleensis cum in vestibuli sui Hermâ Caduceum pro suo insigni familiari scalpi voluisset, hinc ejus nomini Κηρύκειον praeponebatur.

Jam vero quae ἐπίσημα (*insignia*) in Hermis hisce discriminis familiarum gratia insculpebant, eadem & in annulorum gemmis, quibus ad obsignandum utebantur, caelari jubebant. Nec enim dubium est, quin centuplo plures sint gemmae cum insignibus istis cujuscumque generis (nam etiam animatas imagines, quin & Genios, Heroas, deosque nonnullos huc referri volo) quam quae vultus virorum illustrium referant. Ergo gemmae ejusmodi signatoriae ea insignia caelata gerebant, quae in Hermis familiaribus discriminis causa insculpta fuerant. Eadem credo & in poculis ac domesticis instrumentis, eadem in scutis & in armorum manubriis, & ubicumq. signo discriminante opus esset, exhiberi placuisse. Isque mos tamdiu viguit, quamdiu gemmae signatoriae in usu fuerunt. At demum abolita diu consuetudo, ultimis hisce saeculis non quidem in gemmar. scalpturis, sed in insignium gentilitiorum, uti vocant, scutis unicuiq. familiae peculiarib. revixit: qui mos sponte sua tamen revixit, ac nullo adhibito ad retro actas aetates respectu. Itaque *Racemus*, *Tripus*, *Episylium* &c. tantumdem in hominibus illis, quibus praescribuntur, erant, quod hodierna insignia gentilitia.

Verum qui gemmas in exemplum attulerim, τί παθὼν praeterivi numismata? Sexcenta in his enim (praesertim in populorum ac familiarum nummis) symbola, nihil ad numismatis picturam facientia, seorsum sculpta reperias: quorum profecto rationem afferre nequiveris, nisi ea pro familiarum ἐπισήμοις accipias. Quoties, amabo te, in nummis ἐν παρέργῳ parvuli insculpuntur *Tripodes*? quoties *Caduceum* (nolo enim a nostrarum Tabularum ἐπισήμοις, quae Exercitationis hujus initio recensui, discedere) quoties *Peltae*, *Tridens*, *Episylium*, *Racemus*, *Flores* occurrunt, & ita quidem ut ea cum argumento numismatis nihil prorsus habere commune intelligas? Et tamen cum haec mera fuerint monetariorum magistratuum insignia seorsum exhibita; tamen ἀρχαιολόγοι in eo se obfirmant, ut haec omnia pro deorum aut Heroum, quos somniant, symbolis invita accipiant. Itaque ubicumque *Tripodem* in angulo sepositum conspicantur, statim, quicumque ille sit qui in nummo comparet, Apollo fit. Sic etiam ubicumque *Caduceum*, *Tridens*, *Racemus* &c. visitur, ibi res tota ad Mercurium, Neptunum, Bacchum ingratiis redit. Atqui quantopere fallantur, vel ex eo poterant intelligere, quod plurima sint Brundusinorum, Tarentinorum, aliorumque Magnae Graeciae populorum numismata (hos enim nunc potissimum nomino, quod res Magnae Graeciae agimus) prorsus ejusdem typi; nec aliâ re differant, quam quod alibi tripus, alibi racemus, alibi tridens, aliave symbola in angulo seorsum scalpantur. Cui enim non statim subiret, ea non ad universam historiam in moneta exhibitam pertinere, sed idcirco caelata, ut essent magistratuum nummariorum διακριτικὰ insignia? Vides profecto, haec una ἐπισήμων familiarium notitia, cujus indicium Heracleae tabulis debemus, quantum lucis affundat nummis, quantum gemmarum caelaturae, quantum Hermis ac Terminis totque aliis veteribus monumentis.

§. 6. *Cl. Scipionis Maffei de hisce παρατήμοις conjectiones.*

Vix superiora typographus in formas redegerat, cum in peruditi March. Scipionis Maffei tomo III. Observationum litterariarum, mihi recens commodato, pag. 304. has conjecturas reperi: quas Italicâ linguâ, sicuti prodierunt, hîc adscribam.

La

Digitized by Google

4 ΠΕ. καρύκειον Απολλωνιος Ηρακλητω | Πε. καρύκειαν, Ἀπολλώνιος Ἡρακλήτε.

4. „ Pe. caryceum, Apollonius Heracleti F.

„ Ξ pro Z, figura eſt vetus. Vt verſ. 5. „ 9. ΔΑΞΙΜΟΣ. 7. 10. ΞΩΠΤΡΩ. 13. „ 32. ΟΡΙΞΟΝΤΑ. Conſule Cyziceni „ marmoris Alphabetum apud Montfauc. „ Palaeogr. Gr. pag. 142. 144. Et Selden. in „ Marm. Oxon. pag. 120. Et Chishul. An- „ tiq. pag. 140. Et Append. ad Marm. Oxon. „ Marm. I. verſ. 4. *MAITTAIRE*.

„ Habemus porro alias in hâc inſcriptio- „ ne quasdam literas (13) juxta priſcum mo- „ rem figuratas; verſ. 5. 8. 17. & 5. 10. „ 19. 42. Θητα per circulum cum puncto „ mediano. Ξι per tres lineas, quas una ere- „ cta interſecat, exprimitur. De his lege „ Montfauc. Palaeogr. & Append. ad Marm. „ Oxon. Id, amico quodam meo bene ſug- „ gerente, obſervare lubet, quod ſingulae „ literarum lineae videantur uno ictu pro- „ cuſae, non, more recentiori, inſtrumen- „ to acuminato exaratae. Unde fit, ut li- „ terae (quales βῆτα, ῥῶ, φῖ, & ψῖ, &c.) „ ſaepe ductu magis in angulos exeunte „ quam in circulum curvato formentur. „ Ὁμικρὸν (14) quidem, & θῆτα cum media- „ no puncto, facie rotundâ exhibentur, „ ſed male circumductâ; figuratâ forſan „ inſtrumento quodam lunato, cujus op- „ poſita cornua junctûram ſuam vix ſatis „ diſſimulant. *MAITTAIRE*.

„ Ver. 4 (15) Ἡρακλήτω] Sic etiam verſ. 9. „ Forſan Ἡράκλητος pro Ἡράκλεητος. Nam „ Dores nonnunquam uſurpant η pro ει; „ τῆνος Theoc. Idyll. I. V. 4. pro κεῖνος. „ Sed nomen proprium Ἡράκλητος occur- „ rit apud Gruter. XLVIII. 8. *MAIT- „ TAIRE*.

„ Ver.

La prima congettura, che ſi preſenta, è di credere, che ſi accennino qui oblazioni a Bacco fatte: ma in tal caſo queſti nomi ſarebbero in accuſativo e non in nominativo, Τρίτους, Πέλτας. *Non ſi è anche veduto mai offerire ſcudi a Bacco, nè offerire un Architrave nè accoppiarvi* Καρύκειον, *che parrebbe una ſpecie di cibo*. Verum cum bona Maffei venia Καρύκειον eſt Dorice pro Κηρύκειον (*Caduceum*) nec iſtud a Καρύκη (*Intritum*) arceſſendum fuit. Sequitur. *Più toſto ſon nomi di contrade della Città . . . . come ſe in Roma ſi foſſe detto: Caput Africae, P. Valerius. Equus Aereus, C. Marcius*. Verum iſtud de regionibus urbis augurium mihi quoque oblatum, ſupra §. 3. ultro repudiavi. Pergit. *Poſſono ancora eſſer nomi di ripartizioni del popolo, com' erano le tribu in Roma; e può eſſer che le breviature premeſſe indichino ſuddiviſioni, come preſſo gli Ateniesi le tribu erano ſuddiviſe in Demi, e queſti nelle iſcrizioni ſi dinotavano con le lettere iniziali*, ΑΙΘ. *per* Αἰθαλίδης, ΑΓΝ. *per* Ἀγνούσιος *&c.* Ex his omnibus ultima ſunt haud paullo veriſimiliora ſuperioribus. Niſi quod illud tamen multo verius eſt, priores ſyllabas compendio ſcriptas Obarum fuiſſe indices, integra vero, quae ſtatim ſequuntur, *Caducei*, *Racemi*, *Tridentis* &c. vocabula non aliud eſſe quam illa familiarum inſignia; quae in januarum Hermis, & in ſignatoriis gemmis ſcalpebantur, ut ſupra expoſui.

§. 7. *De clypeorum notis & inſignibus quaedam huc attinentia delibantur.*

Jam quidem Exercitatio iſta plus nimio mihi in longum proceſſit. Tamen reſtat adhuc de clypeis verbum unum: de quorum inſignibus etſi credo me in ſuperioribus aliquid innuiſſe; huc tamen ſpectat quod de Sicyoniorum *Sigmatibus* (nam Σίγμα h. e. *Sibilum*, etiam cum pro litterâ ponitur, Graeci per caſus numeroſque flectunt) Xenophon in IV. Ελλην. narrat his verbis: *Illi* (Argivi) *conſpicati in clypeis* (τὰ σίγματα) *Sigmata, nihil ſibi ab eis, ut quos Sicyonios eſſe intelligerent, metuebant. Ibi Paſimachus dixiſſe fertur: Per Geminos deos* (Caſtorem & Pollucem) *Argivi, fallent vos iſta Sigma-*

ta. Ac ſimiliter Lacones in ſcutis Λ. Argivi Α. diſcriminis gratia praeferebant. Et hoc ſcripturae compendium erat ſimile illis Tabular. noſtrarum ſyllabis ⊂E. ME. KN. &c.

At etiam in eisdem ſcutis animantium, aliarumve rerum imagines caelabantur ulterioris diſcriminis cauſa. Sic in cujusdam Spartani clypeo *Muſca* exhibebatur: de qua exſtat apud Plutarchum in Apophth. Lac. acutum reſponſum. In alio clypeo alibi apud eumdem *Serpentis* ἐπίσημον erat. Quibus ſimilia ſunt illa Tabularum iſtarum integra nomina quae ſequuntur, Τρίτους, Βότρυς &c. Ac vide an non huc etiam illud Virgilii Geor. III. 159. pertineat, pullorum femoribus *Notas & nomina gentis inuri* jubentis: in quo forſitan *nomina gentis* illis primoribus ſyllabis Heracleenſibus, *Notae* vero integris vocabulis *Tripodis*, *Caducei*, *Tridentis* reſpondent; ſi ſic forte libet.

Ergò, ut toties innui, in hiſce Tabulis priores ſyllabae, nominis ſingularum Obarum ſive tribuum ſunt initia: at nomina quae ſtatim ſubjiciuntur, ſunt familiaria ſingulorum inſignia, in gemmis ſignatoriis, in Hermis &c. caelari ſolita.

(13) Supra Diatr. III. pag. 124. ex hiſce Tabulis litterarum inſolitas formas in aere inciſas dedimus: ad quas etiam non pauca adnotavimus.

(14) De curvis ductibus ac de rotundis litteris quasdam haud ſpernendas obſervationes ibidem pag. 124. & 125. protulimus.

(15) *In* Καρύκειον, *A nativa vocalis, non Eta fuit. Id tum ex origine Hebraica, tum ex Latino* Caduceum *evincitur. Id nominis ab Oriente per Etruſcos (qui in Italia juris fetialis auctores) Graeci Italiotae, Latinique hauſerunt.*

Superioris finitoris, cui *Philonymo* nomen, inſigne fuit Τρίτους *Tripus*: de quo monendum fuerat, id inſigne quam ſaepiſſime in antiquis cimeliis

Digitized by Google

5 AI πελται Δαξιμος Πυρρω ΚΝ Θριναξ | Αι. πέλται, Δάζιμος Πύῤῥω· Κν. Θρίναξ,
6 Φιλωτας Ιστιειω ΜΕ επιστυλιον | Φιλώτας Ἱστιείω· Με. ἐπιστύλιον,
7 Ηρακλειδας Ζωπυρω Διονυσωι | Ἡρακλείδης Ζωπύρω. Διονύσῳ.

5. „ Ae. peltae, Dazimus Pyrrhi F. Cn. ventilabrum,
6. „ Philotas Hiſtiei F. Me. epiſtylium,
7. „ Heraclides Zopyri F. Dionyſo.

„ Ver. 5. (16) Πύῤῥῳ] Prima hujus vocis „ litera non ſatis diſtincte comparet: ſed „ ex verſ. 9. conſtat ſic legendum eſſe, „ *MAITTAIRE*.

„ Ver. 6. (17) Ἱστιείῳ] Quaerere velim, „ an hic Ἱστιεὺς vel Ἱστίαιος non poſſit eſſe „ idem, qui Ἑστίαιος Archytae Taren- „ tini pater: Diog. Laert. in vit. Ar- „ chyt. Quod ſi verum fuerit, tempus „ hujus Inſcriptionis referendum erit ad „ annum ante Chriſt. ccccv. quo Archy- „ tas floruit. Vereor tamen, ne nominis „ mera ſimilitudo videatur infirmius ad il- „ lam antiquitatem huic Inſcriptioni aſtru- „ endam argumentum. *MAITTAIRE*.

„ Ver. 7. (18) Διονύσῳ] Ἰῶτα ſupponitur „ mi-

occurrere. Praecipue in populorum nummis millies puſillum tripodem ſeorſum poſitum, & ita ut nihil cum Pythio commune habeat, memini me contemplatum. De qua nota non licet aliud ſuſpicari, niſi tripodem illum cujuſpiam magiſtratus παράσημον fuiſſe, ſicuti & Philonymi hujus fuit.

Jam vero *Apollonius Heracleti filius* (de quo jam hoc quarto verſu ſequitur) pro ſuo ſigno habuit τὸ Καρύκειον: quod male nonnulli a Καρύκη (quod erat intriti genus) pejus alii a *Caricis* arceſſiverunt. Cl. Maittairo quamvis de *Caduceo* ſuboluerit; maluit tamen Graecam ipſam vocem in ſua interpretatione apponere: *Caryceium*. Atqui dubium non eſt, quin *Caduceum* verti oporteat: quod in gemmis, numiſmatibus, Hermis nuſquam non viſitur. De Herma vaſis Maſtrilliani, in cujus latere *Caduceum* depingitur, dixi pluries. Vide in Exercitatione de ἐπισήμοις non uno loco.

Jam vero ad primam hujus Καρυκείου vocalem quod attinet, noli ſic accipere, quaſi τὸ Η, quae propria vocis hujus vocalis eſſet, noſtri Dores in Α commutarint. Imo potius nativa vocabuli vocalis Α fuerat, quam poſtea ceteri Graecorum in Η verterunt. Nam Κάρυξ primitus, non vero Κήρυξ dicebatur, qui Latine *pracco*, cujus Caduceum inſigne fuit. Origo Hebraica id ſuadet; quippe cum a קרא *Kara*, *clamavit*, meo judicio Κάρυξ fluxerit. Nam in praeconibus Stentorea vox requirebatur: unde & *vox praeconia* de vaſta & ingenti voce in quibusdam actis Martyrum uſurpatur. Ergo in Καρύκειον nulla vocalis littera ab Heracleenſibus eſt immutata, ſed elementum ſuae originis retentum fuit.

Eadem vocalis Α ab Latinis etiam in *Caduceum* & *Caduceus* retenta fuit: haud dubie quod hoc vocabulum ex Magnae Graeciae ſermone Latini didicerint. Nam quod τὸ Καρύκειον caninam litteram iidem in D permutarint; id ex eo factum quod D & R in omnibus linguis formâ characteris & ſono ſunt maxime affinia, eâque gratia quam ſaepiſſime alternant.

Sane vero *Caduceum* verbum ſfetiale eſſe, in meis Tyrrhenicis oſtendebam. Cumque fetiale jus peculium Tuſcorum eſſet; hinc vocis origo ab Oriente ad Tyrrhenos, ab his ad Graecos Italiotas Latiumque manaſſe mihi videbatur.

(16) Αι. Πέλται.] Cum πέλτη ſit ſequioris generis; jurares, illud praecedens αι pro articulo ſequentis nominis poſitum. Verum tota finitorum iſtorum ſeries docet, primores illas ſyllabas non aliud eſſe, quam nominum *Obarum* compendia. Ceterum de articulo id etiam ſuſpicari vetat, quod τὸ Αι ſi articulus eſſet, denſandum fuiſſet hoc modo ΗΑΙ.

De peltarum uſu, figura & id genus aliis quidquam hîc illinere tum ineptum tum etiam moleſtum eſſet. In Graeca militia eo maxime ſe leviter armati tutabantur. In annulorum gemmis, & nummis viſuntur quam ſaepiſſime. Nec dubium eſt, quin iſtius Dazimi παράσημον fuerit.

(17) Κν. Θρίναξ] Noſter reddidit *Ventilabrum*: non male, quippe a Suida Θρίναξ exponitur πτύον, ut & ab Heſychio & aliis. Sed tamen Heſychio etiam Τρίαινα (*tridens*) redditur. Suidas quoque ſic eum circumſcribit: Ὄργανον γεωργικὸν ὀδοντικόν, *Ruſticum inſtrumentum dentatum*: haud dubie *Tridentem* intelligens. Idem in Τρίναξ (nam etiam cum Τ ſcribitur, ſicuti & Trinacria utroque modo notabatur, uti mox dicam) poetam affert Τρίναχας ſic circumſcribentem, ξυλίνας χεῖρας ἀγροτόνων, *ligneas manus agricolarum*: quae aperta eſt *Tridentis* deſcriptio. Vbi Kuſteri judicium requiro: qui cur apud Suidam a ſe egregie illuſtratum, in dicto verſu Τρίναχας verterit *Furcas*, curve τὸ ξυλίνας (*ligneas*) ad Τρίναχας retulerit, quod eſt maſculi generis, parum video. Huc accedit Siciliae etymon ab eadem hac voce: ex qua factum, ut ea modo Θρινακρία modo Τρινακρία ſcriberetur, prout Θρίναξ aut Τρίναξ magis animo arrideret. Stephanus in Τρινακρία: Ἐκλήθη δ' ὕτως, ἢ ὅτι τρεῖς ἄκρας ἔχει, ἢ ὅτι θρίναξί ἐσιν ὁμοία. *Sic vocata fuit, vel quod tria habeat promontoria, vel quod tridenti ſit ſimilis*. Vbi θρίναξος nomine non ventilabrum, ſed haud dubie tridentem intelligit. Nam quid rogo ea inſula ſimile ventilabro habuit? At tridenti ſimilior fuit, quippe tria promontoria, tamquam totidem dentes projiciens. Hinc in Siculorum nummis tridentes ſaepiſſime contemplari licet, qui interdum totam averſae partis aream occupant. Haec eo dixi, ut non mihi videatur *ventilabrum* Philotes hic noſter pro inſigni habuiſſe, ſed potius *tridentem*.

Accedit & illa ratio, quod tridentes quam ſaepiſſime in gemmarum ſcalpturis pro παρασήμῳ cernimus. Nec ſecus in nummis populorum, praecipue Magnae Graeciae: in quibus ſexcenties parvi tridentes ἐν παρέργῳ ſcalpti viſuntur: certe quod eo familiari inſigni uterentur magiſtratus illi, ſub quibus percuſſa moneta fuit.

Vocis Θρίναξ plenior notitia hauriri credo poterit ex Etymologico M. & ex Scholiaſtis Ariſtopha-

Digitized by Google

8 Ανεγραψαν τοι ωριστται τοι ⊢αιρεθεντες επι
τ̣ω̣ς χωρως τως ⊢ια[ρως]τως τω Διονυσω
9 [Φιλωνυμο]ς Ζωπυρισκω Απολλωνιος ⊢Ηρα-
κλητω Δαζιμος Πυρρω Φιλωτας
⊢Ιστιει)ω
10 ⊢Η(ρα)κλειδας Ζωπυρω καθα ε(ι)ξαν και
ετειμ(αξ)αν και (συνεμετρησαν) και εμερι-

Ἀνέγραψαν οἱ ὁρισταὶ οἱ αἱρεθέντες ἐπὶ
τὰς χώρας τὰς ἱερὰς τὰς τῦ Διονύσυ,
Φιλώνυμος Ζωπυρίσκυ, Ἀπολλώνιος Ἡρα-
κλήτυ, Δάζιμος Πύῤῥυ, Φιλώτας
Ἱστιέως,
Ἡρακλείδης Ζωπύρυ· καθὰ ἔιξαν, καὶ ἐτί-
μησαν, καὶ συνεμέτρησαν, καὶ ἐμέρι-

8. „ Descripserunt finitores constituti ad regiones sacras *defi-*
„ *niendas* Dionysi,
9. „ Philonymus Zopyrisci F. Apollonius Heracleti F. Dazimus
„ Pyrrhi F. Philotas Histiei F.
10. „ Heraclides Zopyri F: sicut censuerunt, & aestimaverunt,
„ & commensi sunt, & divise-

„ minusculis, at majusculis (ΔΙΟΝΥΣΩΙ
„ & vers. 18. ΤΑΙ &c.) apponitur. Praeterea
„ non tantum apponitur, sed in (ΔΙΟΝΥ-
„ ΣΩΙ) extat reliquis longe altior. At in
„ plerisque Inscriptionibus antiquissimis,
„ uti & in hac passim, nihil mirâ illâ ju-
„ stae inter literas proportionis negligen-
„ tiâ est frequentius. *MAITTAIRE.*

„ Ver. 8. Ἀνέγραψαν] De usu verbi
„ ἀναγράψαι in publicis hujusmodi Instru-
„ mentis lege Indic. Marmor. Oxon. *MAIT-*
„ *TAIRE. Quid hîc sit, in ima pagel-*
la (19) *exposui.*

„ ⊢Αιρεθέντες ἐπὶ τὰς χώρας] Eadem con-
„ structio apud Chishul. Antiq. pag. 93.
„ III. αἱρεθέντων ἐπὶ τὰς &c.

„ ⊢Ιαρὰς] Sic ver. 12. pro ἱερὰς. & ver. 16.
„ 32. 49. Ponitur α pro ε, apud scriptores
„ Doricos & Ionicos. Ἄρταμις Pindar. Nem.
„ Od. III. Stroph. 3. μέγαθος Herodot.
„ (Edit. H. Steph. MDLXX.) pag. 27. vers.
„ 19. Sic διατάμνοντος vers. 12. pro διατ-
„ τέμνοντος· τράφω Megarens. apud Aristoph.
„ pag. 409. τάμνω Herodot. pag. 345. v. 14.
„ *MAITTAIRE.*

„ Ver. 10. καθὰ] Hanc vocem nullius
„ auctoris (20) antiqui testimonio compro-
„ bant Lexicographi: apud quos id tantum
„ reperio: καθὰ Attice pro καθὼς *sicut.* Con-
„ sule Etymol. Magn. sub voce ἁμαρτῆ.

phanis, & Nicandri: quos nunc consulere otium non fuit.

ADMONITIO.

Post superiorem quaternionem jam prelo impressum, animadverti, Adnotationem (17) *non ad sextum, sed ad finem quinti versus debuisse referri: itemque Notam* (18) *quae jam sequitur, non fuisse indicandam versu septimo in Notis Maittairi, cum ad finem sexti versus pertineat. De sequentibus pro virili curabitur.*

(18) Επισύλιον *in hac Tabula de columnae capitulo videri usurpatum.*

V. 6. Mf. Επισύλιον] Quid Graeci ἐπισύλιον, itemque Latini vocarint *Epistylium*, tritissimum est Vitruvium legentibus, uti jam tum, cum in titulum Campani Amphitheatri commentarer, ad Satelliae inscriptionem notavi. Fateor igitur, ubi partes aedificationis inter se distinguendae sunt, aliud esse *Epistylium* (id nimirum quod Vitruvius *Trabem* vocat, si de materia fiat) aliud *zophorum*, *coronam*, *tympanum*. At equidem ex plurimis Latinorum Graecorumque locis animadvertere mihi videor, τὰ ἐπισύλια, & *Epistylia* (nam plurale frequentius quam sing. reperi) haud raro id totum significare, quod columnis imponitur, ita ut ejus ambitu vocabuli simul columnarum capitula, simul etiam, trabs, zophorus, corona, tympanum contineantur. Vis certe vocabuli omnibus aeque convenit, ac praecipue columnarum capitulis. Itaque si quis columnae capitulum voluerit *Epistylium* dicere, hunc non valde damnaverim.

Maxime vero in hoc loco, quo παράστημα finitorum recensentur, cedo mihi, quo pacto quis ἐπισύλιον sive in annulo, sive in scuto Hermaque, sive alibi scalpsisset, si quidem ea vox non aliud quam *Architrabem* (uti vulgo vocant) notaret? An trabem, tota quanta est, incidi curasset? At hoc dictu visuque absurdum fuisset. Contra vero quid elegantius quam columnae capitulum exhibere? quod quidem capitulum in Magnae Graeciae nummis haud raro scalptum (haud dubie pro insigni) animadverti. Trabem vero integram, quae columnis imponitur, pro insigni caelare aut depingere inelegans fuerit, uti jam supra dixi.

Postremo etiam si in columnae capitulum vox *Epistylii* non proprie conveniret; at cum id nomen totam incumbentem columnis compagem nata sit designare, quid vetabat, saltem συνεκδοχικῶς *Epistylii* nomine capitulum intelligi? Nam illud quanto est admirabilius, quod a Varrone III. cap. V. sect. 11. *Stylobates* vocatur is, qui ibi proprie *Stereobates* dicendus erat? ut optime Philander animadvertit.

(19) Ἀναγράφειν hoc loco est *In acta referre, edere*, aut *proscribere*: de quo videatur H. Steph.

(20) Imo satis usitata vox est pro *sicuti*, *quo modo*, *quem in modum*. Pluries in his tabulis reperitur. Vide Indicem ibique adnotata. Vtitur Galenus, cujus locum ex Budaeo affert H. Stephanus. Reperi et in Matthaei Evangelio XXVII. 10. Idem μόριον a Phrynicho tamquam δόκιμον adprobatur: quod & alibi non raro a me lectum memini, praecipue in Graecis Regiis papyris Herculanensibus. Porro

Digitized by Google

11 [ξαν τω]ν Ηρακλειων δια(κ)ντων εν κα-
ταχλητωι αλιαι (Συν)εμετρη(σαμ)ες
(δ αρξ)αμ(ε)

σαν, τῶν Ἡρακλείων διαγνώντων ἐν κατακλήτῳ
ἀλίᾳ. Συνεμετρήσαμεν δ' ἀρξάμε-

11. „ runt, Heracleenſibus dignoſcentibus in convocato coetu.
„ Commenſi ſumus autem exor-

„ Et Phrynich. Eclog. Diction. Attic. (edit. „ MDCI.) pag. 80. & not. Nunnes. *MAIT.*
„ εἶξαν] εἴκω *cedo, convenio*; ϑέλω. Etymolog. Magn. & H. Stephan. Theſaur. „ &c. εἶξαν, *convenerunt, voluerunt, cenſuerunt, conſentaneum putaverunt*. Eo „ ſenſu, quo ὡς εἰκός ἐστι. *MAITTAIRE. Vide de* εἶξαν *in imo* (21) *margine.*
„ ἐτειμαξαν] pro ἐτίμησαν, ει pro ι ſaepe in Marmorum inſcriptionibus; ἐτειμήσαν Marm. Oxon. CLXX. 3. Item α pro η, „ Dorice; τιμάτας Pindar. Olymp. Od. VII. „ Stroph. 1. Adhaec ξ pro σ Dorice; uti „ mox ἐμέριξαν pro ἐμέρισαν. Sic ἐγέλαξε „ Theoc. Idyll. XX. Ψ 1. ἐκόμιξαν Pindar. „ Nem. Od. II. Ogd. 4. *MAITT. Vide* (22) *in imo notata.*

„ Ver. 11. διακνόντων] Cum in hujus „ vocis ſic lectae ſignificatione omnino caecutiam (23) ſenſui non repugnare mihi videtur literae κ, in literam γ ejusdem „ organi ſonique, mutatio; διαγνόντων, *dignoſcentibus, judicantibus, decernentibus.* „ Heſych. διέγνωκα, κέκρικα, διέγνων. Thucyd. lib. I. Sect. 118. διέγνωσο, ubi Schol. „ interpretatur διεψήφισο. *MAITTAIRE.*
„ κατακλήτωι] κατάκλητος in Lexicis „ non reperio. Leguntur paſſim καταχαλεῖν & κατάκλησις. *MAITTAIRE.* (24)
„ Αλίαι] ἁλία *congregatio.* Herodot. pag. „ 34. verſ. 11. Ἀλιαίαν, ἐκκλησίαν, Heſych. „ *MAITT. Vide in* (25) *ora pagellae.*
„ συνεμετρήσαμες] Sic & ver. 39. Et καπτάμομες. v. 14. & καπεσωίσαμες. 47. 48. - μες „ pro

ro h'c non eſt ſimilitudinis nota, nec *Sicut* cum Maittairo verti decet; ſed modum rei geſtae ſignificat, ita ut reddi debeat, *Quem in modum*. Itaque totus hic locus (Ανέγραψαν τὰ ὁρισταὶ . . . καθὰ εἶξαν καὶ ἐτειμαξαν καὶ συνεμέτρησαν καὶ ἐμέριξαν) ſic vertendus eſt: *IN ACTA RETVLERVNT. . . QVEM IN MODVM CENSVERINT, ET AESTIMAVERINT* (ſive potius *TERMINAVERINT*, uti mox Adnot. 22. monebitur) *ET COMMENSI SINT, ET DIVISERINT.*

(21) Εἶξαν eamdem vim habet, quam εἰκὸς ἐφήναν, h. e. *Videri ſibi pronuntiarunt*. Sicuti enim Romani Judices illud *Videri* in ſuis ſententiis modeſte uſurpabant, ſic noſtri Heracleenſes verbo Εἴκω utebantur, ſed tranſitiva notione pro eo quod eſt εἰκὸς νομίζειν. Hinc etiam δόγμα & δόξα ſunt ſententiarum honeſta vocabula, quippe a δοκεῖν, *videri*, facta.

(22) Verbum Τιμάω, Γελάω & ſimilia ubi Ξ in fut. & aor. I. Dorice aſſumunt, videntur facta ab inuſitatis γελάζω, τιμάζω &c. Saltem poſterius τιμάζω aliquando in uſu fuiſſe, declarat ejus compoſitum Ατιμάζω, Homero & aliis uſurpatum.

Verum non ΕΤΕΙΜΑΞΑΝ in aere Anglicano, ſed ſine controverſia ΕΤΕΡΜΑΞΑΝ ſcalptum fuit. Sed Maittairo parum curioſe inſpicienti *Iota* pro *Rho* obrepſit. Vide ſecundam noſtram Heracleenſem Tabulam ver. 8. 9. ubi diſerte legitur: καθὰ ωρίξαν καὶ συνεμετρησαν καὶ ΕΤΕΡΜΑΞΑΝ καὶ εμεριξαν των Ηρακλειων διαγνοντων &c. Porro ἐτίρμαξαν eſt a Τερμάζω inuſitato: cujus in vocum Indice exempla habes.

(23) Forſan in eo potius vir doctus caecutivit, quod τὸ Γ, quod in aere fuiſſe videtur, pro K acceperit. Certe alibi hoc idem verbum cum Γ ſcribitur. Vide Tab. I. ver. 105. & II. ver. 9. quo poſteriore loco haec eadem leguntur.

(24) *CALATA COMITIA videri Romam ex Graecia Magna manaſſe.*

Occurrit etiam in Tab. II. ver. 10. ſimiliter κατακλητωι junctum cum αλιαι. Hoc Latini *Calata comitia* nuncupabant. Rationem ejus nominis nemo ignorat, vel ex Dionyſio, Gellio & aliis pluribus teſtantibus, *Calare* Latinorum a καλεῖν venire, cum ſit ejusdem prorſus ſignificationis. Ergo ἡ κατάκλητος Heraclienſium ἁλία, ſi nomen ſpectes, nihil prorſus a *Calatis comitiis* differt. Ac forſan ne ritus quidem: qui Romae (teſte Theophilo ad Inſtit. lib. 2. tit. 10?.) per praeconem peragebatur, qui totam ambiens urbem, ad comitia multitudinem convocabat: etſi Gellius XV. 27. cornicinem ad convocandum adhibet. Sed utrumque verum eſt. Nam (ut alicubi ad Kalendarium marmoreum Neap. oſtendi) ſonitus cornicinis ad excitandam plebem praecedebat; mox Stentorea praeconis vox ſequebatur. Ergo & κατάκλητος Heracleae ἁλία eodem ritu convocabatur. Nec enim dubito quin, ſicuti *Calatorum comitiorum* vocabulum, ſic & ritum ipſum ab urbibus Magnae Graeciae videantur Romani ſimul cum tot aliis optimis inſtitutis jam olim hauſiſſe.

(25) *De* ΑΛΙΑ *Tarentinis tenuato locus Heſychii egregie ex his tabulis illuſtratur.*

De Αλία videbis plurima in Indice. Interim notandum eſt Heſychii illud: Ἀλιαίαν· ἐκκλησίαν· Ταραντῖνοι. Plurima in hunc locum congeſta virorum doctorum ſcholia in nupera Heſychii editione reperies: quae in Indicem vocum contuli. At nemo vidit, cur hoc vocabulum Tarentinis (quorum dialectus etiam Heracleenſium fuit) tribuatur, quod certe commune omnium fuit. Sane vero Tarantiſmus & Heracleiſmus in eo conſiſtit, quod ἁλία (ſicut

Digitized by Google

12 (νοι) απο τω Αντομωτω Ͱυπ(ερ Παυδοσιας	νοι ἀπό τῦ Ἀντομώτυ ὑπὲρ Παυδοσίας
αγοντος τω) διαταμνοντος τως τε Ͱια-	ἄγοντος, τῦ διατέμνοντος τύς τε ἱερὺς χώ-
ρως χω-	
13 ρ(ω)ς και των ειδιαν γαν ε(πι τον Αντομοντον)	ρυς καὶ τὴν ἰδίαν γῆν ἐπὶ τὸν Ἀντόμοντον
οριζοντα τως τε τω Διονυσω (χωρος και)	ὁρίζοντα τύς τε τῦ Διονύσυ χώρυς καὶ
14 (Τ)ΟΝΚΩΝΕΑΣͰΟΔΙΩΝΟΣ(ΕΠΑ-	. . . . .
ΜΩΧΗ)κατεταμομες δε μεριδας τετορας	. . καπτάμομεν δὲ μερίδας τέτταρας.

12. „ si ab Antomoto ſuper Pandoſiam ducente, diſcindente &
„ ſacras regio-
13. „ nes & propriam terram ad Antomontum finientem &
„ Dionyſi regiones &
14. „ . . . . . diſſecuimus autem por-
„ tiones quatuor:

„ pro-μεν Dorice. ἐποιήσαμες Ageſilaus apud „ Alexander Epirotes obiit. Sic Strab. lib
„ Plutarch. (Edit. MDCXXIV.) Moral. pag. „ VI. & Stephan. de Vrbib. Plutarchus,
„ 211. ἐνετύχομες Archyt. apud Diogen. „ in vitâ Pyrrhi, narrat, Pyrrhum cum
„ Laert. *MAITT.* *Vide in* (26) *ima ora.* „ Romanis certaturum inter Pandoſiam &
„ Ver. 12. Ἀντομώτω] Proprium nomen „ Heracleam caſtra metatum fuiſſe. *MAIT.*
„ cujusdam loci. Diverſa eſt ejus appel- „ *TAIRE.* *Videſis* (28) *inferne notata.*
„ latio. Ἀντομώτω verſ. 12. 15. 25. 31. τὸν „ V. 13. ειδίαν](29) Sic & 32. pro ἰδίαν.
„ Ἀντόμοντον 13. 21. 26. 31. *MAITTAIRE.* „ ειδίω Gruter. DCXCI. 6. ſecundum veterem
Vide omnino, quae in ora (27) *ſubjicimus.* „ ſcribendi conſuetudinem. *MAITTAIRE.*
„ Πα δοσίας] Sic mihi videtur legen- „ Ver. 14. ΤΟΝΚΩΝΕΑΣͰΟΔΙΩ-
„ dum. Pandoſia Plinio teſte lib. III. cap. „ ΝΟΣΕΠΑΜΩΧΗ] Nonnullas, ut hu-
„ 11. eſt Lucanorum in Italiâ urbs, in quâ „ jus loci tenebris aliquid lucis inducerem,
„ fru-

ſicut et ἀλιαία et ἠλιαία) ab omnibus denſatur: cum contra a Tarentinis (ut ex his Tabulis Heracleae conſtat) tenuaretur. Hoc ita eſſe, ex eo patet, quod in omnibus Heſychii editionibus (Hagenoenſi, Schreveliana, & ultima Hollandica, quas omnes habeo) ſpiritus tenuis initio vocabuli depingitur. Ad ſpiritûs ergo diverſitatem Heſychianum iſtud Ταραντῖνοι refertur.

At locum Heſychii ſic Maittairus attulit, ut primam vocalem (contra Heſychii mentem, contraque Tarantiſmum in ea voce ab Heſychio notatum) denſaret. Factum nollem: ſed non miror ſic ab eo factum, qui (ſup. ad ver. 1. ubi de ſpiritu aſpero hujus Tab. diſſerit) conqueſtus eſſet, vocem Αλια in ſuo aere tenuatum fuiſſe: quod ipſe errori ſcalptoris tribuit. Imo Tarantiſmo mero id imputare debuiſſet.

Etiam Αλιακτὴρ ejusdem notionis vocabulum in omnibus Heſychii veteribus editionibus tenuatur, praeterquam in ultima Hollandica: de quo dicam in vocum Indice.

(26) *Has Tabulas ex commentariis, ſcribae manu exaratis, fuiſſe totidem verbis a ſcalptore deſcriptas.*

Συνεμετρήσαμες. Hinc pars illa prior hujus Tabulae incipit, cujus in Argumento ſup. pag. 143. feci mentionem. At quae praecedunt, prooemii loco habebis: quod ipſum ſic dividi poteſt, ut primores ſeptem verſus litteris grandioribus uſque ad Διονυσω ſcalpti, ad inſcriptionem pertineant: ſequentes vero quatuor uſque ad iſtud Συνεμετρησαμες, quamdam εισαγωγὴν ὑφήσματος contineant.

Porro hinc ac deinceps quia prima perſona plurali omnia efferuntur; eadem illa αὐτολεξὶ aes complectitur, quae v. 8. in Acta finitores retuliſſe narrantur. Nam illi ſive in pugillaribus ſive in papyro aut membrana, poſt ſua nomina, perinde ut hîc proſcribere ſic inceperant: Συνεμετρήσαμες ἀρξάμενοι . . . *Dimenſi ſumus initio facto* . . . & cetera eadem, ſicuti in hac Tabula ad finem uſque ſcribitur. Eadem vero ipſa, inquam, prout a ſcriba in commentarios relata fuerant, poſtmodum ab inciſore e commentariis in hanc aeream tabulam tranſcripta fuerunt.

(27) Αντομος *Tabulae reſtituitur, qui prodigialiter Antomotus & Antomontus evaſerat.*

De *Antomoto* & *Antomonto* cave credas. Maittairo, quia junctim hanc vocem cum ſeq. articulo legit, ingens hîc obortа eſt caligo, & de ſcriptura duplice (nim. αντομωτω & αντομοντον cum N inſerto) anxietas. Qui ſi articulum, qui in extrema ſyllaba latet, a nomine diſcreviſſet, ſtatim quid ſit ἀντομος, potuiſſet ab Heſychio diſcere: cui Ἀντομος eſt Siculorum vox *palum* ſignificans. Eos vallos ſeu ſtipites accipe, qui ad terminandum valebant: de quo plura videbis ad Complementi Neap. ver. 6.

(28) Imo eſt nova altera Pandoſia, quam hiſce debemus tabulis: de qua dixi Diatr. II. pag. 103. Ejusdem mentio fit in aliis Complementi Neapolitani locis. Vide Indicem.

(29) Non Ειδίαν ſed ⊏ιδίαν (h. e. *Vidian*) legere debuit: de qua nova ⊏ littera Diatr. 3. pag. 128. diſſerui: ubi & de hac ipſa voce plura.

Digitized by Google

15 ταν μεν πραταν μεριδα [απο τω] Αντομω- τω παρ τα Ηρωιδεια αγοντος	τὴν μὲν πρώτην μερίδα ἀπὸ τῦ Ἀντομώτυ παρὰ τὰ Ἡρωιδεῖα ἄγοντος,
16 ευρος ποτι ταν τριακονταπεδον ταν δια των Ιαρων χωρων αγωσαν	ἔυρος πρὸς τὴν τριακοντάπεδον τὴν διὰ τῶν ἱερῶν χώρων ἄγυσαν,

15. „ primam quidem portionem ab Antomoto ad Heroideia
„ ducente,
16. „ latitudinem ad trigintapedam per ſacras regiones du-
„ centem,

„ fruſtra tentavi conjecturas: quas miſſas „ facio; quippe malens ignorantiam meam „ ingenue fateri, quam per futiles conje- „ cturarum argutias critici famam affectan- „ do laborioſe nugari, & audacter ineptire. *MAITTAIRE. Hunc locum in ima* (30) *ora diſtinguimus & explicamus.*

„ τέτορας] Dorice pro τέτταρας. τετόρων Theoc. Idyll. XIV. ℣ 16. *MAITT.*

„ Ver. 15. πράταν] & 21. πρᾶτον. 25. πράτω. α pro ω Dorice; πρᾶτος Theoc. Idyll. VIII. ℣ 5. *MAITTAIRE.*

„ παρ τά] & 42. 44 pro παρὰ τά — Dorice, & παρ των 25. pro παρὰ τὴν. Sic παρ τιν Archyt. epiſt. ad Dionyſ. apud Diog. Laert. in vit. Platon. *MAITT.*

„ Ἡρωιδεια] & ver. 42. vel Ἡρῳδεια. No- „ men loci. ἡρώειον, μνημεῖον. Heſych. ἡρῶον „ eſt fanum heroi conſecratum. H. Ste- „ phan. Theſ. Lege Thucyd. lib. II. cap. 17. „ & lib. III. cap. 24. *MAITTAIRE.* (31)

„ Ver. 16. ποτι] pro πρὸς Dorice. Et „ in compoſitione, ver. 38. ποτιγεγενημέναν. „ ποτὶ Lacaena apud Ariſtoph. pag. 840. „ ποτιδέρκεται Theoc. Idyll. I. ℣ 36. *MAIT.*

„ τὰν τριακοντάπεδον] & 21. 26. 31. τᾶς „ τριακονταπέδω. Subaud. γᾶν, γᾶς; vel χώ- „ ραν. Τριακοντάπεδος (32) non invenio in Le- „ xicogr. Fuit Athenis templum quoddam „ ἑκατόμπεδον; Plutarch. in vit. Periclis. Τρια- „ κοντάπεδος verto *trigintapeda*: juxta for- „ mam hujuſmodi compoſitorum (33) *De- „ cempeda* Hor. lib. II. Od. 15. ℣ 14. *MAIT- „ TAIRE. Videatur Index.*

„ Ver.

(30) *Tabulae locus recta diſtinctione expeditur. Παμωχίω quid.*

Amo viri graece ſatis docti modeſtiam. Atqui diſtingui ita oportuit: τον Κωνεας το Διωνος παμωχη. *QVEM CONEAS DIONIS F. POSSIDEBAT.* Nihil exploratius. De verbo παμωχίω (cujus unus meminit Heſychius) dicam ad hujus Tabulae Complementum Neap. ver. 120. ubi iterum occurrit.

(31) *Nova vox Ἡρωΐδεια ex vero explicatur.*

De hoc vocabulo (pluries in his tabulis, ac nuſquam alibi obvio) vide in vocum Indice: ex quo diſces, in his ſemper cum Παρὰ (*ſecundum, juxta*) conjungi: Παρ τα Ηρωιδεια, *ſecundum Heroidia.* Locus erat igitur aliquis in longum protentus. Scio, Ἡρώειον ab Heſychio exponi μνημεῖον, *monumentum.* Nec prorſus aliud, ſi me audis, Ἡρωίδειον erit: ſed hoc intereſt, quod prius illud, cum ab Ἡρώς veniat, *Herois monumentum* deſignat: hoc vero noſtrum, quia ab ἡρωὶς, ἡρωίδος deducitur, *Heroinae ſepulcrum* notat. Ergo erant in Heracleae agro τὰ ἡρωΐδεια, i. e. *Heroidum monumenta*, ſive potius (quia is communis Heroidum locus erat) *ſepulcreta.* Horum inſtar fuerint ſane & ἡρώεια, ſive *Heroum monumenta*: utraque enim in unum communem locum coacta fuerant (ſed alibi, puto, *Heroum*, alibi *Heroidum*) quominus eorum pollui religionem contingeret.

Illud me angit, quod in Complemento Neap. v. 66. & 132. bis ηρωιδα, unâ ſyllabâ minus, legitur, & ita quidem, ut conſtructione invicem differant. De quibus in loco dicam. Aut vel nunc verbo uno. Ver. 66. in παρ τα Ηρωιδα, apparet diphthongum ex incogitantia praetermiſſam. At v. 132. eſt nomen viri proprium genitivo caſu: quod eam formam patronymici habet, quam Ηρακλείδας, & alia Dorum nomina in Δας finita.

Antequam finio; cave ne illud Maittairi noſtri credas, ubi initio τὰ Ηρωιδεια hujus aeris poſſe ſcribi & Ηρῳδεια cum *Iota* ſubſcripto putavit. Caveſis nuſquam auditam aut lectam παρῳδογραφίαν. Nam quia Τα Ηρωιδεια ab obliquo ἡρωίδος gignitur; ex eo fit, nec umquam fore ut Iota in diphthongum cum Ω coeat; nec ut Δ in derivatis ab Ηρώς (cujus obliqua non aſſumunt Δ) interſeratur.

(32) *Quidnam Τριακοντάπεδος Heracleae fuerit.*

Vox iſta eſt ad ſimilitudinem τῦ Εκατομπέδυ: quae vox tum templo, tum παρθενῶνι, tum theatro nomen Athenis dedit. Videatur Harpocration, Heſychius, Suidas. Vtraque vox in his Tabulis pluries occurrit: quarum utraque non tam ad γῆ aut χώρα eſt referenda, quam ſive vox aedificii fuit (ſic dicta, quod triginta aut centum, quaquaverſum pedes pateret; ſicuti & Athenis Εκατόμπεδος) ſive potius, ſi minus *Hecatompedos*, at ſaltem ἡ τριακοντάπεδος ad ὁδος, *Via*, refertur: quae ſcilicet triginta pedes pateret. De qua via tum infra ad ver. 25. tum in vocum Indice forſan etiam dicemus. Occurrit etiam Tab. II. ver. 75. Εικαπιπεδον.

(33) Mallem Graecum ipſum nomen ſervaſſet integrum, ſicuti & in hujuſmodi aliis Noſter fecit. Nec dubito quin ſicuti Creta *Hecatompolis* Latinis ipſis vocabatur, ſic iidem ne *Hecatompedon* quidem faſtidiviſſent, ſi quando Athenienſe templum nominaturi fuiſſent.

Digitized by Google

17 μηκος δε ανωθα α(πο των απορο)ων αχρι εις ποταμον τον Αχ(ι)ριν και
18 εγενοντο μετρι(ωμεναι εν ταυτ)αι ται μερειαι ερρηγειας μεν δι-

μῆκος δὲ ἄνωθεν ἀπὸ τῶν ἀπορρόων ἄχρι εἰς ποταμὸν τὸν Ἄχιριν· καὶ ἐγένοντο μετριώμεναι ἐν ταύτῃ τῇ μερείᾳ ἐρρηγίας μέν δι-

17. „ longitudinem autem ſuperne ab effluviis uſque ad fluvium Acirim; &
18. „ fuerunt menſi in illâ parte, ruptae quidem terrae du-

„ Ver. 17. ἄνωθα] Adverbium alibi non mihi occurrit. Idem, quod ἄνωθε (ex Nazianz. citat H. Stephan. Theſaur.) & ἄνωθεν. Apud Dores particulae ſolent ε finalem vertere in α; καὶ Theoc. Idyll. II. Ψ 100. μέγα Megarenſ. apud Ariſtoph. pag. 407.

„ τῶν ἀποροᾶν] & ver. 21. 22. 27. 32. pro τ ἀπορῶν. Dorice -ᾶν pro -ῶν in genitivis pluralibus. τῶν νυμφᾶν Theoc. Idyll. I. Ψ 12. Ἀπορρόη eſt *effluvium*, pro quo ἀπορόη, neglectâ τῦ ρ geminatione; ut αἰμόροος Nicand. Ther. Ψ 318. pro αἱμόῤῥοος Ib. Ψ 282. *MAITT. De* Ἀπόῤῥοη *vide in ima* (34) *pagella.*

„ ἄχρι ἐς] & ver. 22. 33. Nam ἄχρι & μέχρι nonnunquam cum praepoſitione junguntur. μέχρι πρὸς Bud. ex Ariſtot. lib. VI. Metaphyſic. ἄχρι πρὸς H. Stephan. Theſ. ex Lucian. Phrynichus mavult ἄχρι & μέχρι abſque σ; & Thomas Magiſter ſcribit Thucydidem adhibuiſſe in oratione haec adverbia extrito σ, etiamſi vocalis ſequeretur. *MAITT.*

„ Ἄχιριν] Strab. lib. VI. pag. 264. Ἡρακλεόπολις, μικρὰν ὑπὲρ τ Θαλάττης· καὶ πόταμοὶ δύο πλωτοὶ Ἄχιρις καὶ Σίρις &c. *MAITTAIRE. De Aciri, cui Heraclea inſidebat, vide quae diximus Diatr. II. pag.* 104.

„ Ver. 18. μετριώμεναι] & ver. 22. 28. 33. Μετριόω nullibi hactenus legi. Si fieret a μετρέω, flecteretur μετρώμεναι. Si a μετριόω, μετριώμεναι; & Dorice μετριῶμεναι, ε in ω tranſeunte; uti prius ver. 6. ἀγωτων. *MAITTAIRE. Vide in ima* (35) *ora.*

„ Μερείαι] & ver. 22. 28. 33. 41. 44. Μέρεια hic idem ſignificat, quod μερίς. Apud Heſych. & Lexicogr. Vulgar. μέρεια eſt φυλῆς μέρος ἐκ δεκα τριάδων συνεστός. Sed nullum adducunt auctorem.

„ Ἐρρηγείας] Et ver. 23. 28. 33. 38. 39. 42. 44. Subauditur γᾶς. Haec vox mihi videtur derivari a ῥήγνυμι; cujus verbi participium medium ἐρρηγώς, ἐρρηγῆα. (Hort. Adonid. pag. 61.) At ει pro ι eſt flexio mihi incognita & inuſitata. *MAITT. Vide in imo* (36) *limbo.*

„ Ver.

(34) Ἀποροὰς *haud aliud eſſe quam diſtillationes aquarum.*

Iſtiuſmodi Ἄποροα ſive ἀποῤῥοαὶ (quarum infra & in Complem. Neapol. crebra eſt mentio) non ſunt *Effluvia*, uti Noſter vertit, ſed potius *Stillicidia*, aut *Diſtillationes*. Nam ſi de odoribus aliiſve vaporibus alicunde manantibus ſermo eſſet, his locis τὰς ἀποῤῥοὰς recte *Effluvia* redderes. At hîc videtur locus aliquis eſſe intelligendus, unde aquae ſive guttatim ſive modice diſtillabant. Heſychius: Ἀποῤῥοή· ἡ ἀπὸ (ςαγόνος) τινὸς ῥύσις. Illud ςαγόνος, quod interpoſui, reperitur in Regio lex. MS. expreſſum. Suidas: Ἀπὸ ῥοῆς· ςαγόνος. Sed junctim ἀπορροῆς eſt ſcribendum: quod recte interpretatur ςαγόνος. Ex his omnibus vides, ἀποροὰς eſſe ςαγόνας, *guttas*. Sic etiam ſucci qui de plantis diſtillant, ἀποῤῥοαὶ dicuntur. Plutarchus Solone de ſicu & olea: Ἀποῤῥοὴν ἀφίησι.

(35) Illud μετριωμεναι poteſt quidem a μετριόω inuſ. deduci; ſed aeque poteſt ab inuſit. μετριάω, a quo nullius ope dialecti fieret μετριωμεναι. Accedit quod in άζω finita, etiam in αω terminabantur, ut αἰτιάζομαι & αἰτιάομαι, & ſexcenta talia. Cum ergo in uſu ſit Μετριάζω (etſi hoc quidem intranſitivum eſt, cum ſit *Modeſte agere*) nihil vetat & Μετριάω olim exſtitiſſe. Sed tranſitiva magis in όω deſinunt.

(36) *Quaenam pars orationis ſit* Ἐρρηγεια, *& quam vim habeat.*

Ante Maittairo Ἐρρηγειαν praeterito medio attribuenti pavide aſſentiebar; nec enim tantum diphthongus ι in alteram ει mutata cernitur (quod ſatis abnorme eſt) verum etiam quia penultima praeteriti medii paſſim ἐρρωγα cum Ω, etiam in compoſitis omnibus, numquam cum H legeram. Itaque an non nomen eſſet ex EN & Ῥήγνυμι flexum, coeperam dubitare. At tandem quia praeteritum Ἐρρῶγα in Graeco Jobi XXXII. 19. reperi; haud aegre Maittairo acceſſi. In Jobo ſic legitur: ὡς φυσητὴρ χαλκέως ἐρρηγώς. *Uti ſollis aerarii fabri conſciſſus.* Vbi in Alex. cod. legitur κατερρηγώς.

Tamen quia mutatio diphthongi ι in ει in praeteriti participio inaudita eſt; adhuc ſcrupulus haeret an non ἐρρηγεια ſit nomen ex ἐν & ῥήγνυμι derivatum. Quae compoſitio reperitur in non uno nomine, ut in ἔρμα (*medicamenta narium*) ἔρμασος (*rugoſus*) & apud Hippocratem ἔρρυσις, *corporis dejectio*. Huc etiam refer illud Ἔρυθμος vet. lexici: pro quo ſibi ſuſpecto H. Steph. paene mavult Ἔυρυθμος. Mallem equidem, τὸ Ἔρρυθμος maluiſſet. Eadem etiam compoſitio cernitur in verbo ἐρρηγόω, *inalgeo*. Tritiſſima vero eſt in nom. femin. terminatio in εα. Cumque ἐρρηγεια numquam cum γα (*terra*) jun-

Digitized by Google

19 ακατιαι μιχ σχοιν(οι σκιρω δε και αρρη)-κτω και δρυμω ⊏εξακατιαι | ακόσιαι μία σχοῖνοι, σκίρῳ δὲ καὶ ἀῤῥήκτῳ καὶ δρυμῷ ἑξακόσιαι

19. „ centi unus ſchoeni, gypſi autem & infractae *terrae* &
„ ſylvae ſexcenti

„ Ver. 19. διακάτιαι] Et ver. 23. 37. „ 48. eſt triginta ſtadia. ἡμίχοινος in Le-
„ 45. 46. Τριακάτιαι. 28. 34. Πεντακάτιαι. „ xicis, quae conſului, omittitur. Obſer-
„ 24. 30. Εξακάτιαι. 19. Επτακάτιαι. 47. pro „ vandum eſt, nomen χοῖνος apud Hero-
„ διακόσιαι, τριακόσιαι, πεντακόσιαι, ἑξακο- „ dotum efferri in genere maſculino, ſed
„ σιαι, ἑπτακόσιαι. Dorica illa numeralia „ foeminino in hâc inſcriptione: uti apud
„ adjectiva apud nullum auctorem aut (37) „ Dioſcoridem lib. IV. cap. 52. *MAITT.*
„ grammaticum invenio: ſed in illis mu- „ *De ſchoeno conſule ſubjectam* (38) *Adnot.*
„ tatio eſt eadem, quae in εικαπ (*) ver. „ Σκίρῳ] σκίρος pro σκίῤῥος (uti prius
„ 37. 45. pro εἴκοσι; ſicut Theoc. Idyll. V. „ ver. 17. ἀποροὴ pro ἀποῤῥοὴ) & ver. 23.
„ Ψ 86. At ver. 40. 41. τετρακόσιαι, non „ 29. 34. 37. 40. 43. 45. Heſych. σκίῤῥος
„ τετρακάπαι. *MAITT.* „ ἐστὶν ἡ λατύπη. H. Stephan. in Theſ. In-
„ χοῖνοι] Et ver. 20. 23. 24. 29. 34. 36. „ dic. σκίρος marmoris fragmentum ſive
„ 40. 42. 44. 45. 46. 48. Herodot. Euterp. „ fruſtulum, quod excidit, dum illud ſcal-
„ pag. 57. ver. 29. ὁ δὲ χοῖνος ἕκαστος, μέ- „ pitur. Heſych. ex Philetâ, σκεῖρος τυῤῥώ-
„ τρον ἐὼν Αἰγύπτιον (δύναται) ἑξήκοντα στά- „ δης γῆ. Ariſtoph. Veſp. pag. 496. (*ver.*
„ δια. Igitur ἡμίχοινον ver. 20. 34. 40. 45. „ 920.) τὸ σκίῤῥον. Schol. γῆ σκιρρὰς.
„ λε-

jungatur; videtur aeque ſubſtantivum fuiſſe, ac σκιρον & δρυμος, quae ſequuntur. Tamen nunc quidem ſic agemus, tamquam ſi ſit participium ad γᾶ referendum.

Porro terra ἐῤῥηγεῖα opponitur ἀῤῥήκτῳ, de qua mox. Neutrum vero vox actum ſignificat, ſed potius aptitudinem. Itaque Ἐῤῥηγεῖα non *Rupta* eſt (qua voce Maittairus reddidit) ſed ad rumpendum facilis h. e. *Arabilis*: contra vero Ἀῤῥηκτος eſt ad ſcindendum inepta, uti mox Adnot. 40. dicam.

(37) *Locus Heſychii de* Τριακατίων *politico corpore vindicatur & illuſtratur.*

Falſum eſt apud neminem prorſus, ne apud grammaticos quidem, ullum horum numeralium veſtigium exſtare. Nam reperio apud Heſychium in hunc modum: ΤΡΙΑΚΑΤΙΟΙ· οἱ εὔφημοι καὶ τὸ σύστημα αὐτῶν. Quibus verbis hoc ſignificat, fuiſſe in urbe aliqua corpus quoddam eorum qui Εὔφημοι (h. e. *boni ominis*, *bene ominati*, aut *laudabiles*) dicebantur, eosdem vero, quod numero *trecenti* eſſent, vulgo τὺς Τριακατίυς (dialecto Dorica) nuncupatos. Vbinam politicum iſtud σύστημα fuerit, haud habeo dicere. Verum Tarenti, & Heracleae corpus hoc *Trecentorum* εὐφήμων forſitan exſtitiſſe, ex harum Tabularum indicio (in quibus tantum numeralia illa Διακάτιοι, Τριακατιοι &c. leguntur) poſſumus augurari.

Tamen Heſychii is locus criticorum ſollicitationibns patuit, jubentium ſcilicet τὸ Τριακατιοι in Τριακάτει mutari, & Εὔφημοι in Ἔφηβοι. Cui emendationi ex Euſtathii (ad Odyſſ. pag. 303. ver. 28.) his verbis fidem adſtruunt: Ἐν Κυρήνῃ τὺς Εφήβυς, Τριακάτυς καλῦσι. *Cyrenis Ephebos vocant Triacados.* Apud eumdem ad Il. Θ p. 619. v. 1. etiam Τριακάτυς ſcribitur. Sunt ergo qui Heſychium ex Euſtathio corrigendum putent: ſunt qui hunc ex illo malint. Ego neutrum puto. Euſtathius non potuit Τριακατίυς Cyrenis ullos agnoſcere, quo in oppido Dorica dialectus inuſitata fuit: nec idem Euſtathius de aliis quam de Ephebis haud dubie loquitur. At Heſychius, quia de corpore politico loquitur, duo veriſimillima iſtorum corporatorum nomina profert, ut ſcilicet & Εὔφημοι (tales enim eſſe decuit) & ut a numero Τριακάτιοι vocarentur. Nam ſollemne in corporibus iſtis fuit, ut a numero ſibi nomen adſciſcerent, ac veluti peculiare facerent. Et ante has Heracleae tabulas venia criticis danda fuit, quod τὸ Τριακάτιοι (quae vox nihili videbatur) in aliud mutarent. At nunc Heſychii textum vexare, id vero dementiae fuerit.

(*) Imo εικατι, *Vicati*: unde Latinum *Viginti*. Vide Diatr. III. pag. 128. 130.

(38) *De ſchoeno agraria Heracleenſium finitorum.*

Σχοῖνος junci genus eſt ad funes plectendos aptiſſimum: unde & σχοῖνος pro *fune* uſurpabatur. Imo quia funibus iſtis ad metienda intervalla utebantur, ex eo factum, ut ἡ σχοῖνος (nam & in his tabulis & in pleriſque auctoribus generis ſequioris eſt, ſicuti & ipſa planta: etſi in Herodoto mas eſt, quo modo & Athenaeus ſolere uſurpari, tradidit) hinc ergo factum ut σχοῖνος menſurae longitudinis genus eſſet. Et quidem apud Aegyptios, teſte Herodoto, ſtadia LX. in longum patebat: at Plinius apud alios ſtadiis XL. (h. e. milliaribus quinque) apud alios XXXII. determinari docuit. Ex his vides hoc ſchoeni genus ad vias & longiora intervalla dimetienda valuiſſe: quae quidem ſchoenus hîc locum non habet. Anguſtior enim ager Heracleenſis (multo vero artior is qui Dionyſo ſacer) haud dubie fuit, quam pro ducentarum (imo & v. 37. bis mille & amplius) iſtiuſmodi ſchoenorum modo.

Quid ergo eſt, niſi ut in his tabulis σχοῖνος pro ſchoeno γεωργικῇ (*ruſtica*) accipiamus, qua finitores

Digitized by Google

20 πετρωκοντα ⊏(εξ σχοινοι ⊢ημισχοινον των	πεσσαράκοντα ἓξ σχοῖνοι ἡμίσχοινον. τὴν
δε δ)ευτεραν μεριδα ευρος απο	δὲ δευτέραν μερίδα, ἔυρος ἀπὸ
21 τας τριακονταπ(εδω επι τον αυτομοντον)	τῆς τριακονταπέδω ἐπὶ τὸν Αὐτόμοντον
πρατον μακος δε απο των	πρῶτον, μῆκος δὲ ἀπο τῶν
22 απορροων αχρι ες(ποταμον και εγενοντο με-	ἀπορρόων ἄχρι εἰς ποταμὸν· καὶ ἐγένοντο με-
τρι)ωμ(εναι) εν ταυται τα(ι μ)ε-	τριώμεναι ἐν ταύτῃ τῇ με-
23 ρειαι ερρηγειας μ(ε)ν (διακατιαι) ⊢εβδε-	ρείᾳ ἐρρηγίας μὲν διακόσιαι ἑβδομή-
μηκοντα τρις σχοινοι σκιρῳ δε	κοντα τρεῖς σχοῖνοι, σκίρῳ δὲ

20. „ quadraginta ſex ſchoeni & ſemiſchoenus : ſecundam
„ quidem portionem, latitudinem a
21. „ trigintapedâ ad Antomontum primum, longitudinem
„ autem ab
22. „ effluviis uſque ad fluvium; & fuerunt menſi in illâ par-
23. „ te ruptae quidem ducenti ſeptuaginta tres ſchoeni,
„ gypſi autem

„ λαχάνης ὡς γύψος. *MAITT. Vide infer-*
„ *ne* (39) *notata*.
„ Ἀῤῥήκτῳ] ἄῤῥηκτος γῇ opponitur τῇ γῇ
„ ἐῤῥηγυίᾳ ver. 18. & ver. 24. 29. 34. 37.
„ 40. 43. 45. in his γᾶς ſubauditur, ſed
„ ἄῤῥηκτον γᾶν eſt in v. 38. *MAITT. Vi-*
„ *de* (40) *inferne adnotata*.
„ Ver. 20. πετρώκοντα] & 35. voca-
„ bulum Doricum, & hic primum mi-
„ hi lectum; pro πεσσαράκοντα. τ pro σσ
„ (uti ver. 14. τέτορας) & ο pro α, τετοράκοντα;
„ per metathesin τὸ ρ, τετροάκοντα;
„ & per craſin, τετρώκοντα. Hujuſmodi
„ craſis eſt non infrequens; ὠρχων Ariſtoph.
„ pag. 450. pro ὁ ἄρχων. *MAITTAIRE.*
„ Ver. 23. ἑβδεμήκοντα] & ver. 42.
„ pro ἑβδομήκοντα. Vox eſt valde inſueta.
„ ε pro ο rariſſime occurrit, niſi in diph-
„ thongis, αι, ου; ut δυεῖν Thucyd. (edit.
„ MDXCIV.) pag. 255. pro δυοῖν. ἔυστα Theoc.
„ Idyll. II. ℣ 76. pro ὄστα.
„ Τρὶς] & ver. 40. pro τρεῖς, ι pro ει
„ (uti ει pro ι ver. 13.) in Inſcriptioni-
„ bus antiquis; Salmaſius affert (Inſcript.
„ Ver.

tores utebantur? At ſchoeni ruſticae modum quis nobis ediſſeret, niſi Graecus ſcriptor aliquis agrariùs aliuſve prodeat auctor, qui id doceat? Siquid tamen conjectare dabitur, alibi forſan exponemus.

Nunc hoc tantum lectorem moneo, ex tota paſſim Tab. II. conſtare, ſchoenum iſtam agrariam in ὀρύγματα (*paſſus*) dividi, ῥεγμα rurſus in πόδας *pedes*. Verum quot in ſchoeno oregmata, quotve in oregmate pedes capiantur, id nuſquam oſtendi.

(39) *Quod* Σκίρον *ſaltum ſylveſtrem ſignificet.*

Verba ultima quae ex Scholiaſte Noſter attulit, in editione Ariſtophanis Kuſteriana deſunt. Sunt tamen in Suida (in Σκίρος, σκιάδιον) haec verba: ἡ σκίρα δέ ἐστι γῆ λευκή, ὥσπερ γύψος. *Scira eſt terra alba, ut gypſum*. Ac ſane id vocabulum haud raro pro gypſo capitur. Hîc vero ſi gypſum ſit, tum de eo gypſi genere intelliges, quod Plinius lib. XXXVI. c. 24. *ſumma tellure, ut Tymphaicum*, colligi narrat. Id enim terrae genus non admittit culturam.

Verum τὰ σκίρα Tabulae hujus longe aliud ſunt, uti conſtat ex I. 96. 99. ubi τὰ σκίρα cum δρυμοῖς ita componuntur, ut poſterius *ſylvas* notet, prius vero *ſaltus ſylveſtres*. Videantur quae eo loco dicentur. Id ſi eſt; hîc quoque eâd. Latinâ voce τὸ σκίρον permutabimus. Saltûs vero nomine intelligo *incultum locum, paſcuum ac ſylveſcentem*. Cetera copioſe ad I. 96. Illud interim non concoquo, quod hîc Noſter Σκίρον pro Σκιρρον dialecto tribuerit; cum ſatis conſtet, in Σκίρω & derivatis *Rho* modo ſingulum modo geminum pro libito uſurpari.

(40) Ἄῤῥηκτος (*parum intellecta vox*) *idem quod Frangi neſcius, Latinis* Infragilis.

Ἄῤῥηκτος a Maittairo redditur *Infracta*. Cur non probem, duplex eſt mihi cauſa. Prior eſt quod *Infractus* aevi melioris ſcriptoribus eſt *Valde fractus*, & eſt ex ſupino verbi *Infringo*: nec niſi aevo poſteriore uſurpari pro *Non fracto* coepit. Deinde ἄῤῥηκτος non ea terra eſt, quae non dum proſciſſa fuit, ſed potius quae vomerem aut ligonem a ſe repellit. Eodem enim modo uſurpatur, quo apud Latinos *Illaudatus* h. e. minime laudabilis. Sic & ἄῤῥηκτος φωνὴ apud Homerum Il. B. eſt vox frangi neſcia. Diſerte Philo de Mundo vim τῶ ἀῤῥήκτω declaravit, dum τῷ δυσδιαλύτῳ (*ei quod difficile ſolvitur*) oppoſuit: δεσμὸς οὐκ ἄῤῥηκτος, ἀλλὰ μόνον δυσδιάλυτος. *Non infragilis quidem nexus, ſed tantum difficulter ſolubilis*. His addes Aeſchylum Prometheo v. 6.

Ἀδαμαντίνων δεσμῶν ἐν ἀῤῥήκτοις πέδαις.

Adamantinorum nexuum compedibus infragilibus. In infragilium genere nihil adamante indomabilius eſſe, ipſum nomen oſtendit. Addes etiam Heſychium, apud quem ſcribitur: ΑΡΡΗΚΤΟΙΣ. ἀσχίστοις. Atqui etiam ἄσχιστος ſaepe eſt *Non ſciſſilis*. In eodem Heſychio ΑΡΡΗΚΤΟΝ exponitur στερεὸν, ἰσχυρὸν, quod ſcilicet rumpi neſcit. Ea de cauſa in his Tabulis ἄῤῥηκτον reddes *Infragilem*, quod Ovidius & alii uſurparunt.

Digitized by Google

24 και αρρηκτω και δρυμω πενταχατιαι σχοινοι	καὶ ἀῤῥήκτῳ καὶ δρυμῷ πενταχόσιαι σχοῖνοι·
25 των δε τριταν μεριδα ευρος απο τω Αντομωτω πρατω παρ των τρι-	τὴν δὲ τρίτην μερίδα, ἔυρος ἀπὸ τῦ Ἀντομώτυ πρώτυ παρὰ τὴν τρι-
26 ακονταπεδον αγον(τος επι των αν)τομον τον δευτερον. (απο τας τρια)	ακοντάπεδον ἄγοντος ἐπὶ τὸν Ἀντόμοντον δεύτερον ἀπὸ τῆς τρια-
27 κονταπεδω μακ(ος απο των απο)ροαι αχρι εσ ποταμον και εγε	κονταπέδυ, μῆκος ἀπὸ τῶν ἀπόρων ἄχρι εἰς ποταμον· καὶ ἐγέ-
28 νοντο μετριωμεναι (εν ταυται ται) με-	νοντο μετριώμεναι ἐν ταύτῃ τῇ μερείᾳ ἐῤῥη-
ρειαι ερρηγειας μ(εν τρι)ακατιαι	γυίας μὲν τριακόσιαι
29 δεκα δυο σχοινοι Ͱημισχοινον σκιρω (δε)	δέκα δύο σχοῖνοι ἡμίσχοινον, σκίρῳ δὲ καὶ
και αρρηκτω και δ[ρυ]μω πεντα	ἀῤῥήκτῳ καὶ δρυμῷ πενταχόσιαι τριάκοντα ἑπτὰ ἡμίσχοινον· τὰν δὲ
30 κατιαι τριακοντα Ͱεπτα Ͱημισχοινον τα(ν δε) τεταρταν μεριδ(α ε)υρος απο	τετάρτην μερίδα, εὖρος ἀπὸ
31 τω Αντομωτω δευτερω απο τας τρια-	τῦ Ἀντομώτυ δευτέρυ ἀπὸ τῆς τριακονταπέδυ
κ(οντα)πεδω επι (τον Αντ)ομοντον	ἐπὶ τὸν Ἀντόμωντον
32 οριζοντα ταν τε Ͱιαραν κ(αι τ)αν ζι-	ὁρίζοντα τήν τε ἱερὰν καὶ τὴν ἰδίαν γῆν,
διαν γαν μακος δε απο τ(αν απο)ροαν	μῆκος δὲ ἀπὸ τῶν ἀπόρων

24. „ et infractae & ſylvae quingenti ſchoeni:
25. „ tertiam quidem portionem, latitudinem ab Antomoto
„ primo juxta tri-
26. „ gintapedam ducente ad Antomontum ſecundum a tri-
27. „ gintapedâ, longitudinem ab effluviis uſque ad fluvium;
„ & tuerunt
28. „ menſi in illâ parte ruptae quidem trecenti
29. „ decem duo ſchoeni & ſemiſchoenus, gypſi autem & in-
„ fractae & ſylvae quin-
30. „ genti triginta ſeptem *ſchoeni* & ſemiſchoenus: quartam
„ quidem portionem, latitudinem ab
31. „ Antomoto ſecundo a trigintapedâ ad Antomontum
32. „ finientem & ſacram & propriam terram, longitudinem
„ autem ab effluviis

„ Vet. MDCXIX.) σίσασα pro σείσασα.
„ *MAITTAIRE.*
Ver. 25. *in fine. Vide Adnot.* (41).
Ver. 27. *Vide Adnot.* (42).
„ Ver. 30. τριάκοντα ἕπτα] & ver. 37.
„ διχίλιαι διακάτιαι ἑίκατι πέντε. 35. πεν-
„ ταικάτιαι τριάκοντα μία. Subauditur χοῖ-
„ νοι. *MAITTAIRE.*
„ Ver. 32. ⊏IΔIAN] & ver. 37. 45.
„ ⊏IKATI. ⊏ pro E, ut puto, errante
„ marmorario: nam ver. 13. recte legitur
„ ειδίαν. *MAITTAIRE. Vide in* (43) *imo.*

„ Ver.

(41) Τριακονταπεδον *nomen viae fuiſſe, pedes XXX. latae.*

In fine verſûs 25. ſic legitur: ευρος απο τω αντομω τω πρατω ΠΑΡ ταν τριακονταπεδον αγοντος επι τον αντομον δευτερον απο τας τριακονταπεδω. h. e. *Latitudinem* (dimenſi ſumus) *a vallo primo, qui ſecundum triacontapedam ducit, ad vallum, qui ſecundus a triacontapeda eſt.* Locus valde notandus eſt: ex quo poteſt intelligi, ταν τριακονταπεδον de ὁδῷ (*via*) aliqua intelligi, triginta pedes lata. Nam viae convenit illud ΠΑΡ ſive παρὰ, *ſecundum*. Ergo latitudinem ſumi jubet, lineâ ductâ a vallo primo ad ſecundum, ſed ita ut ea linea viam, quae vocabatur *Triacontapeda*, raderet. Non ergo hîc templo aedificiove alteri pedes tricenos quaquaverſum patenti locus eſt (ut quibus illud παρὰ non convenit) ſed viae, ſic dictae quod latitudinem tantum pedum triginta, longitudinem autem quantamlibet haberet.

(42) Αχρι εσ ποταμον. Ver. 17. plene dixerat, αχρι εσ ποταμον τον Αχιριν. Hîc vero ac paſſim his totis tabulis cum dicit ποταμὸν, eumdem Acirin κατ' ἐξοχὴν intellige: cui amni Heraclea imminebat. Nam Siris longiuſcule aberat.

(43) Nihil horum credas, quae hîc Noſter adnotat. Qui quia v. 13. viſus ſibi videre fuerat E cum tranſverſâ mediâ, ubi erat merum ⊏; idcirco & hoc loco ſcalptorem erroris accuſat, & Ειδιαν pro ⊏ιδιαν corrigit. At millies in his Tabulis ⊏ιδιαν, nuſquam Ειδιαν ſcribitur. Id vero pronuntiandum eſſe *Vidian*: idemque ſignificare quod ἰδίαν h. e. *privatam*, ſupra Diatr. III. pag. 130. demonſtravimus. A ⊏ιδιος, *Vidios*, fieri Latinum *Viduus*, ibid. oſtendimus.

Digitized by Google

33 αχρι ες ποταμον· και εγεν(οντο) μετριω-
(μεναι εν ταυται ται μερειαι ε)ρρη-
34 γειας μεν τριακα(τι)αι Ͱοκτω σχοινοι
Ͱημισχοινον σκιρω δ(ε και αρρ)ηκτω
35 και δρυμω πενταχατιαι τετρωκοντα (μια)
Ͱημισχοινον.
36 Κεφαλα παντας ερρηγειας χιλιαι Ͱενε-
(νηκο)ντ(α πε)ντε (σχοινοι) σκι-
37 ρω δε και αρρηκτω και δρυμω δισχιλιαι
διακατιαι ⊏ικατι πεντε
38 Των δε νασον των ποτιγεγενημεναν ες
των αρρηκτον γαν (συνεμε)
39 τρησαμες απο ταυτας τας γας απολω-
λη ερρηγειας μεν τριακατιαι

ἄχρι εἰς ποταμὸν· καὶ ἐγένοντο μετριώμεναι
ἐν ταύτῃ τῇ μερείᾳ ἐῤῥη-
γίας μὲν τριακόσιαι ὄκτω σχοῖνοι ἡμίσχοινον,
σκίρῳ δὲ καὶ ἀῤῥήκτῳ
καὶ δρυμῷ πεντακόσιαι τεσσαράκοντα μία ἡμί-
σχοινον·
Κεφαλὴ πάσης ἐῤῥηγίας, χίλιαι ἐννενήκοντα
πέντε σχοῖνοι· σκί-
ρῳ δὲ καὶ ἀῤῥήκτῳ καὶ δρυμῷ, δισχίλιαι δια-
κόσιαι εἴκοσι πέντε.
Τὴν δὲ νῆσον τὴν προσγεγενημένην εἰς τὴν ἄῤ-
ῥηκτον γῆν συνεμε-
τρήσαμεν· ἀπὸ ταύτης τῆς γῆς ἀπολώλει,
ἐῤῥηγίας μὲν τριακόσιαι

33. „ usque ad fluvium; & fuerunt menſi in illâ parte ru-
34. „ ptae quidem trecenti octo ſchoeni & ſemiſchoenus,
„ gypſi autem & infractae
35. „ & ſylvae quingenti quadraginta unus *ſchoeni* & ſemi-
„ ſchoenus.
36. „ Summa totius ruptae, mille nonaginta quinque ſchoe-
„ ni; gy-
37. „ pſi autem & infractae & ſylvae, bis mille ducenti vi-
„ ginti quinque ſchoeni.
38. „ Inſulam vero adjunctam ad infractam terram commen-
39. „ ſi ſumus: ab illâ terrâ perierunt, ruptae quidem tre-
„ centi

„ Ver. 36. ⟨ενηκοντα] pro ⟨ννενηκοντα. „ Ver. 39. ἀπολώλη] pro ἀπολώλει.
„ Sic Homer. Ιλ. β. Ψ 602. De hujus „ Sic Homer. Ιλ. α. Ψ 60. ἤδη pro ἤδει.
„ vocis ſpiritu in Inſcriptione aſpero lege „ Quod in tertiâ ſingulari pluſquamper-
„ not. ver. 1. poſt ΗΡΑΚΛΕΙΔΑ. *MAIT-* „ fectorum perſonâ frequens eſt; κεχήνη
„ *TAIRE*. *Vide adnot.* (44) „ Ariſtoph. pag. 370. Dores etiam ſubſti-
„ *Ver.* 38. των δε νασον. *De hac vide* „ tuere η pro ει obſervatum eſt ſupra;
Adnot. (45) „ ver. 4. Praeterea hic in ἀπολώλη ſingularis
X „ uſur-

(44) Fallebatur loco a ſe citato Maittairus: qui ubicumque ſpiritum aſperum praeter conſuetudinem omiſſum, aut appoſitum praeter aliorum morem in ſuo aere animadvertit, id protinus erroris arguit. Nam cum haec ſummâ conſtantiâ eodem ſemper modo ſcribantur; id ratione factum, colligere debuit, ac linguâ Heracleoticâ & Tarentina trecenteſimo ante Chriſtum anno eam fuiſſe vocum harum orthographiam.

(45) *De amnis Aciris inſula locus intellectu difficilis enodatur. De notione verbi προσγίνομαι.*

Non tantum hîc ſed & in aere altero v. 101. Νασον quamdam memoratam video. Vtrobique autem inſulam amnicam accipiendam puto; quippe tam Dionyſi ager (de quo hîc) quam Minervae (de quo illic) Aciri alluebatur, ut ex utroque aere conſtat. Verum de Inſula aeris alterius, eadem an potius diverſa fuerit, in loco videbimus.

Hanc vero loci hujus inſulam duplici intellectu poſſumus accipere. Pronior acceptio erit, ſi dum haec dimenſio peragebatur, adhuc inſula fuerit, brachio fluminis ab agro ſacro diempta. Hoc ſi ſequimur; tum illud ποτιγεγενημεναν erit *Jure acceſſionis cedentem* agro Dionyſi. Nam juris eſt antiquiſſimi, fluviales inſulas *jure acceſſionis* domino ripae proximioris acquiri. Hinc quia haec inſula ἀῤῥηκτῳ h. e. *Terrae infragili* Dionyſi vicinior erat, ei acceſſionis jure ceſſerat. Et hanc quidem notionem verbum προσγίνομαι haudquaquam reſpuit: de quo vide H. Stephani Theſaurum. Hoc ergo ſi placeat; ita vertes hunc verſum: *Inſulam vero* (adhuc ſcil. *inſulam*, quippe adhuc ab agro Dionyſi diremptam) *quae jure acceſſionis terrae infragili* (Dionyſi) *ceſſerat*, *commenſi ſumus*.

At vero quam ſe commenſos dicunt, cur ejus dimenſionis modulos nullos declarant? An quia aliqua

Digitized by Google

40 τρις σχοινοι Ͱημισχοινον σχιρω δε και αρρηκτω και δρυμω τετρα-
41 κοσιαι τριακοντα πεντε σχοινοι εμμεν ται πραται (μ)ερειαι ται
42 παρ τα Ͱηρωιδεια ερρηγειας μεν Ͱεβδε-
μηκοντα Ⅽεξ σχοινοι σχι-
43 ρω δε και αρρηκτω και δρυμω Ͱεκατον
Ͱογδοηκοντα πεντε σχοι-
44 νοι εν δε ται τεταρται ται μερειαι παρ
τα Φιντια ερρηγειας μεν
45 διακατιαι Ⅽιξατι Ͱεπτα σχοινοι Ͱημι-

τρεῖς σχοῖνοι ἡμίσχοινον, σχίρῳ δὲ καὶ ἀρ-
ρήκτῳ καὶ δρυμῷ τετρα-
κόσιαι τριάκοντα πέντε σχοῖνοι· ὧν μὲν τῇ
πρώτῃ μερείᾳ τῇ
παρὰ τὰ Ἡρωιδεῖα, ἐρρηγίας μὲν ἑβδομήκον-
τα ἓξ σχοῖνοι· σχι-
ρῷ δὲ καὶ ἀρρήκτῳ καὶ δρυμῷ ἑκατὸν ὀγδοή-
κοντα πέντε σχοῖ-
νοι· ὧν δὲ τῇ τετάρτῃ τῇ μερείᾳ παρὰ τὰ
Φίντια, ἐρρηγίας μὲν
διακόσιαι εἴκοσι ἕπτα σχοῖνοι ἡμίσχοινον·

40. „ tres ſchoeni & ſemiſchoenus; gypſi autem & infractae
„ & ſylvae quadrin-
41. „ genti triginta quinque ſchoeni: in primâ autem parte
42. „ juxta Heroideia, ruptae quidem ſeptuaginta ſex ſchoe-
„ ni; gy-
43. „ pſi autem & infractae & ſylvae centum octoginta quin-
„ que ſchoe-
44. „ ni: in quartâ vero parte juxta Phintia, ruptae quidem
45. „ ducenti viginti ſeptem ſchoeni, & ſemiſchoenus;

„ uſurpatur pro plurali ἀπολώλεισαν; nam
„ hujus verbi nominativus χοῖνοι eſt plu-
„ ralis. Nonnunquam hujuſmodi ἀπωτα-
„ ξία occurrit; ὑμνοι πέλεται Pindar. Olymp.
„ Od. II. Stroph. 1. Lege Dialect. Graec.
„ (Lond. MDCCVI.) pag. 251. Et Oxon.
„ Marm. Indic. Syntax. incongr. *MAITT.*
Confer quae inferne (46) *notantur.*

„ *Ver.* 41. *initio de* τετρακοσιαι *(de quo nihil commentatur Maittairus) vide in ima* (47) *ora.*

„ Ver. 41. ἐμμὲν] ὧν μὲν — Frequenter
„ antiqua Inſcriptionum orthographia ha-
„ bet μ pro ν in fine vocum ante initia-
„ les β, μ, π, φ, Oxon. Marm. Indic.
„ M pro N. Quod ἐυφωνία videtur poſtu-
„ lare; & igitur in vocibus compoſitis uſus
„ vulgaris retinuit; ἐμβάλλω, ἐμμένω &c.
„ *MAITTAIRE. Sic etiam* II. 42. εμμεσ-
σωι *pro* ἐν μέσῳ.

„ Verſ. 44. Φίντια] Proprium quoddam
„ nomen loci mihi aeque ignoti, ac Ἀν-
„ τόμον-

qua de cauſa id tunc non neceſſe fuit? veluti quia ex ea inſulâ nihil a privatis decidi laciniarum poterat (id enim tunc praecavebatur) aut quod cum quotannis appulſione aut avulſione terrae, amplitudo ejus variaret, videbatur ſupervacanea dimenſio. Vel ſic tamen quanti laboris fuiſſet ſchoenorum ſummam ſaltem verbo enotare?

Poteſt & alteram in partem hic locus accipi, ut τον νασον idem plane ſit ac τὸν πάλαι νᾶσον, eam terram ſcil. quae primitus inſula fuerat, at poſtea infragili terrae Dionyſi adglutinata fuit: quae adeo tum vetere acceſſionis, tum alluvionis appulſioniſque novo altero jure Dionyſo ceſſit. Hoc ſi placeat; tum verbum προσγίνομαι idem erit quod adhaereſcere & per appulſionem accedere: deinde locum ita vertes: *Inſulam autem, quae* (poſtea) *cum infragili* (terra Dionyſi) *coaluit, junctim* (cum ſupraſcripta infragili) *metati ſumus.*

Haec altera videtur verior interpretatio. Ac porro cum in antiquioribus finitionibus ea inſula ſuas ſibi peculiares dimenſiones habuiſſet; ne quis eam in hac meratione fuiſſe neglectam putaret, neceſſario monendum a finitoribus fuit, eam terram, quae olim inſula fuerat, poſtquam adglutinata fuit, junctim cum *Infragili* fuiſſe metatam, eaque de cauſa in hac exactiſſima dimenſione non reperiri proprios ejus terrae, quae olim fuit inſula, modulos. Accedit quod in aere altero, quo de agro Minervae agitur, v. 24. idem verbum προσγίνομαι pari cohaeſionis & coalitionis notione uſurpatum videtur. Ac forſitan non niſi ex inſulae adhaeſione recenti factum, ut in hoc fruſto Britannico ampliores incultae quam arabilis terrae modos animadvertamus, ut ex ea ſumma quae ver. 36. 37. notatur, intelligi poteſt.

(46) Απολωλη eſse pluſquam perfecti tertiam, jam viderat Noſter; & tamen tranſtulit mira incogitantia *Perierunt:* quod quidem menti finitorum repugnat, oſtendere ſatagentium, quod olim de agro ſacro *Perierat*, id ſe ſua peritia Dionyſo reciperaſse ita ut quo tempore haec ſcalpebantur, falſum eſset τὸ *perierunt*. Ergo repone omnino *Perierant*.

Porro ex ver. 41. & 44. notabis, in prima tantum & in quarta portione terrae privatorum malitia fuiſse interverſum, non in aliis.

(47) Non mirum hîc uſurpari τετρακοσιαι communiter, quod alibi pluries eſt τετρακατιαι; nam & διακατιαι pluries, ſemel autem διακόσιαι in Tab. II. legitur. Senſim enim Heracleiſmus ad communem dialectum deflectebat.

Digitized by Google

σχοινον σχιρω δε και αρρη-
46 κτω και δρυμω διακατιαι πεντηκοντα σχοινοι Κεφαλα πα-
47 σας γας Ͱας κατε(σωι)σαμες τ(ωι) Διο-
νυσωι Ͱεπτακατιαι τρια-
48 κοντα Ͱο(κτω) σχοινοι Ͱημισχοινον ταυ-
τα(ν) την γαν κατεσω(ισα)-

σκίρῳ δὲ καὶ ἀῤῥή-
κτῳ καὶ δρυμῷ διακόσιαι πεντήκοντα σχοῖνοι· Κεφαλὴ πά-
σης γῆς, ἣς κατεσωίσαμεν τῷ Διονύσῳ, ἑπτα-
κόσιαι τριά-
κοντα ὄκτω σχοῖνοι ἡμίσχοινον· Ταύτην τὴν γῆν κατεσωίσα-

„ gypsi autem & infra-
46. „ctae & sylvae ducenti quinquaginta schoeni. Summa to-
47. „tius terrae, quam reservavimus Dionyso, septingenti tri-
48. „ginta octo schoeni & semischoenus. Illam terram re-
„servavi-

„ τόμοντος ver. 13. *MAITTAIRE. Vide subjectam* (48) *Adnotationem.*

„ Ver. 47. γᾶς, ἃς κατεσώσαμες] Articulus ἃς potius concordat cum γᾶς, „ quam regitur a κατεσώσαμες: frequenter „ enim Relativus & Antecedens in eodem „ casu ponuntur; μνημονεύετε τῦ λόγυ, ὃ „ εἶπον: Apud Johan. xv. 20. Et περὶ δὲ „ Θηβαίων ἢ Φωκέων ἢ τ ἄλλων, ὧν ἕτος „ ἀπήγγειλε πρὸς ὑμᾶς. Demosth. (edit. „ Gen. MDCCVII.) περὶ παραπρεσβ. pag. 205. „ ver. 26. *MAITTAIRE.*

„ Κατεσώσαμες] & 48. -μες pro -μεν; „ uti prius ver. 11. Neque κατασώζω nec „ κατασώζω in Lexicographis reperio. De „ subscriptione τῦ ἰῶτα in vocibus σῴζω „ & σῴζω variant Grammatici. Didymus „ enim subscriptionem admittit; sicut Μίνως Μινῷος, ἥρως ἡρῷος, ita σῶς σῷος; vel „ σῶος, unde σωΐζω, & per Synaeresin σῴζω. Herodianus omittit, a σάος σαόζω, „ & per crasin σώζω. Consule Etymol. „ Magn. in σώζω. Hort. Adonid. in σῷος. „ H. Stephan. Thes. in σῶς. *MAITT. Vide quae imae* (49) *pagellae illinimus.*

„ Ver. 48. Voces primas detritas & „ obscuras, & ultimas vocis postremae literas sic restitui; vestigia quae superant, & sensum secutus: KONTA-ͰOKTΩ . . . ΩΙΣΑ. *MAITTAIRE.*

(48) *De Heracleae Phintiis pluscula scitu digna.*

Φίντια non tantum hîc, sed & in hujusmet tabulae complemento Neapolitano locis aliis quatuor usurpatur. Ac Παρ (*secundum*) quod ei praeponitur, suadet, locum fuisse talem, qui in longum protenderetur; nam παρ φίντια (*secundum Phintia*) idem fuerit, ac si dicas secundum longitudinem loci ejus, cui *Phintia* nomen fuit.

Quid porro τὰ Φίντια Heracleae fuerint, in apertum, si possumus, producamus. Locus in Pindari Olympiis exstat (Od. VI. Stroph. 2. initio) hujusmodi:

Ω ΦΙΝΤΙΣ, ἀλλὰ ζεῦξον ἤ-
δη μοι σθένος ἡμιόνων
ἢ τάχος.

H. e. *Sed o auriga, junge jam mihi robur mularum quam celerrime.* Nomen Φίντις apud alium a Pindaro neminem legitur: cujus vocis notionem nesciremus, absque vetere scholiaste esset, sic ibi notante: ΦΙΝΤΙΣ δὲ ὁ ἡνιόχος, καὶ τὰ ἅρματα ἡνιόχων. Ω ΦΙΝΤΙΣ, δωρικῶς ἰσχημάτισται· ἐν δ' ἀν κατὰ τὴν ἡμετέραν διάλεκτον, ΦΙΛΤΙΣ· οἱ Δωριεῖς γὰρ μεταθέασι τὸ Λ εἰς Ν . . . *PHINTIS idem est quod Auriga, & aurigarum currus.* Ω ΦΙΝΤΙΣ, *Dorice formatum est: quod nostra* (communi) *dialecto fuerit PHILTIS; Dorienses enim* Λ *in* N *transmutant, ubi* T *aut* Θ *sequatur.* Ex his vides Φίντις Doricum fuisse vocabulum (haud minus ac φίντατος Epicharmo usurpatum pro φίλτατος) eoque nostros Heracleenses usos: qui locum habuere *Phintia* vocatum: postremo vel me tacente vides, *Phintia* non aliud fuisse quam locum aurigationi destinatum. Is videtur fuisse *campus* (nam sic plane Latinis dicebatur) in longum protensus ante urbis portam. In eo se campo juvenes in aurigando exercebant, & quidem sub magistris: quos magistros sicuti Lacones, sic etiam Heracleenses nostri, quippe Laconici generis, videntur Ηνιοχαρέτας peculiari vocabulo nuncupasse (vide Hesychium in hoc vocabulo) sicuti iidem Romanis *Campi Doctores* vocabantur. Porro in interpretatione vocem *Phintia* retinui; pro quo *Circum* aut *Hippodromum* substituere ineptissimum erat.

Antequam finiam, moneo in hujus Tab. complem. Neap. ver. 120. legi quemdam, cui nomen erat Φιντιας ο Κρατιτω. Ex quo apparet, usq. adeo Heracleae *Phintia* celebrata fuisse, ut ab eo loco nomina civibus imponerentur.

(49) Istud κατεσωισαμις, quod abest a lexicis, Cl. Maittaire in sua interpretatione vertit *Reservavimus:* quo quid intellexerit, parum video. Atqui *Reservare* est alicui in futurum seponere, aut in futuros usus destinare. At hîc longe est aliud. Dixerat, ex agro sacro olim plurimum privatorum cupiditate de singulis portionibus fuisse decisum, atque interversum. Nunc subjicitur, sua ipsorum diligentia id totum fuisse Dionyso restitutum. Verte igitur: *Reciperavimus Dionyso.* Confer Complem. Neap. ver. 3. ubi Κατεσωισαμις est hoc ipsum quod dixi: quod ibi ex Tab. II. firmabimus.

Digitized by Google

49 μες . . . . . ΝΟΙΔΙΚΑΣΤ-	μεν . . . . .
...ΤΑΙΑΣ τοις ταν Ηιαρ(αν) γαν	. . . τοῖς τὴν ἱερὰν γῆν
50 . . . . . ΚΑΤΑΒΙΩ	. . . . .

49. „ mus . . . . . sacram terram
50. „ . . . . . .

„ Ver. 49. Hic tabellae partes, prior „ & media, defractae sunt: conjectura „ tamen est satis obvia de hujus versus „ initio, MES- ut verbum versus prae- „ cedentis ultimum ΚΑΤΕΣΩΙΣΑ con- „ cludatur; uti in ver. 47. In fine ver. 49. „ ΗΙΑΡ suppletur per sensum ΑΝΓΑΝ. „ *MAITTAIRE*.

„ Ver. 50. Hujus versus nihil supereſt „ praeter ΚΑΤΑΒΙΩ: ex quibus literis „ sensum ullum elicere non possum. *MAIT.* *Vide in ima* (50) *pagina*.

„ Lubet nunc examinare, an in hujus „ Inscriptionis mensuris singulorum schoe- „ norum additio cum summae numeris „ ubique conveniat.

Ver.	*Part.*	*Schoen.*		*Ver.*	*Part.*	*Schoen.*	
15.18	1	201		19	1	$646\frac{1}{2}$	
20.23	2	$273\frac{1}{2}$	} ἐρρηγείας.	24	2	500	} σκίρῳ, ἀῤῥήκτῳ καὶ δρυμῷ.
25.28	3	312		29	3	$537\frac{1}{2}$	
30.34	4	$308\frac{1}{2}$		35	4	$541\frac{1}{12}$	
36	*Summa.*	1095			*Summa.*	$2225\frac{1}{2}$	Sed summa in Inscriptione ver. 37. est tantum 2225. deficiente semischoeno.
41.42	1	76	} ἐρρηγείας	=	39	$303\frac{1}{2}$	
44.45	4	$227\frac{1}{2}$					
41.43	1	185	} σκίρῳ, ἀῤῥήκτῳ καὶ δρυμῷ.	=	40	435	
44.46	4	250					
47	Summa terrae	$738\frac{1}{12}$	=	=	=	$738\frac{1}{2}$	Summa terrae deperditae.

in usum Dionysi (51) reservatae.

(50) Versuum 49. & 50. mera fragmenta, uti vides, Maittairus attulit. Sed commode cecidit, quod ex frusto Britannico nec non & complemento Neapolitano, qua parte diffiluerant, inter se collatis, iidem versus optime reparantur: id quod in Prolo- quio sequentis Commentarii ad Complementum Neapolitanum explicabitur.

(51) Imo scribendum fuerat: *Summa terrae Dionyso recuperatae*, uti dixi. Adn. 49.

SV-

Digitized by Google

SVPERIORIS HERACLEENSIS AEREAE TABVLAE COMPLEMENTVM NEAPOLITANVM CVM COMMENTARIO

PROLOQVIVM.

Fragmenti Britannici cum Neapolitano aptiſſima cohaeſio certiſſime comprobatur.

IAm ſupra pag. 140. me poſt fruſtum Britannicum de Neapolitano complemento commentaturum ſpopondi. Nunc antequam commentari in illud aggredior, de cohaeſionis utriuſq. aeris certitudine docendus eſt Lector. Tametſi ne id quidem neceſſe lectori erit, ſi quidem is in Complementi Neapolitani initium, ſive in Tabulae I. ſegmentum I. in aes accuratiſſime inciſum attentius intueatur. Cujus initio tres illi verſus, qui litteris diverſa inter ſe ratione ſcalptis inſcripti viſuntur, finem Britannici fruſti, ſimulque Neapolitani initium oſtendunt. In iis litterae binis ductibus ſignatae, intus vero inanes, ad fruſtum Anglicanum pertinent: litterae vero plenae juris Neapolitani ſunt. Poſtremo ſive litterae ſive litterarum partes, quarum ductus ex compoſitis punctorum ſertis nectuntur, eae ſuppletae cum judicio fuerunt. Ex hoc litterarum diſcrimine aperte vides, quam utrumque fragmentum inter ſe conjuret amice. Nam utrumque ita in alterius fines invadit, ut tamen quae Anglicanis verſibus deſunt, ea ex Neapolitano, in eam maxime partem irrumpente, pulchre ſuppleantur; & contra. Vt mihi plane videatur eamdem aereis hiſce fragmentis duobus ταυτότητος [*identitatis*] fidem temporum calamitas diſſultu temerario conciliaſſe, quam per bipartita Chirographa & *Indentatas* (1) *chartas* aevi ſequioris cura provida cautionibus adſtruebat.

Jam vero ſi cui mera Tabulae inſpectio nondum plane perſuaſerit;

(1) *Chirographa* aevo medio dicebantur membranae, in quibus inter contractûs bis deſcripti interſtitium exarabantur Alphabeti majuſculae litterae aut voces aliquot, per quarum medium membrana ſecabatur. Nam ut pacto in futurum conſtaret veritas, facile erat a contrahentibus afferri ſibi traditas medietates deciſas: quae applicitae, ſi in illis majuſculis litteris appoſite reſponderent, aberat ſuſpicio fraudis. Eaedem membranae ſi ita diviſae fuiſſent, ut ſerrae inſtar denticulatae viderentur; tum *chartae indentatae* vocabantur. Vide Mabillon. de re Diplom. Cangium in *Chirographum*, & in *Indentura*, alioſque plures.

Digitized by Google

ſerit ; in horum gratiam eos ipſos tres primores verſiculos age contemplemur. Eorum verſuum primus totus Britannicus eſt (in eoque fragmento numeratur verſus 48.) quem ideo inanib. litteris conſtantem animadvertis. Sed commode accidit ut versûs initio, K illud, quod in Anglicano pedibus mutilatum cernitur, eapte parte ex Neapolitano pedem utrumque conſolidatum recipiat. Sequitur ⊣OKTΩ.. In quo diſyllabo non tantum τῶ K integrantur pedes, verum etiam totum litterae T haſtile (quod a Britannico abeſt) ex Neapolitano aere eopte loco reſtituitur, quo opus fuit.

Sequitur verſus alter. Hunc etiam, quia majore ex parte ex inanibus litteris h. e. Anglicanis conſtare vides, poteras cenſere juris Britannici, in quo aere is verſus nonus & quadrageſimus numeratur. Tamen cur chalcographus hunc eumdem verſum aeri Neapolitano aſſeruerit [in quo hic numeratur primus] ea videtur fuiſſe cauſa, quod is verſus in Anglicano aere foede mutilus ac prorſus exanimis, Neapolitanis ſuppetiis ſenſum vitamque debet. Ac profecto vides quam pulchre, quae in Britannico deſunt, ea ex Neapolitano, in mutila quaeque incurrente, opportune integrentur, ſive totis elementis, ſive elementorum particulis.

Horum trium ultimus eſt verſus ille, qui in aere Neapolitano recenſetur ſecundus: qui quidem in Anglicano quinquageſimus eſſet; ſi quidem ei non alio jure attribui placeat, quam quod illud KATA BIΩ peculii Britannici ſit. In hoc igitur ferme omnia ex aere Neapolitano ſunt: Britannis non aliud quam ſupraſcripta debemus elementa ſeptem, eo maxime, quo erat neceſſe, incidentia. Verum ne ſic quidem verſus conſtabat integer. Quocirca lacunae breviſſimae duae ex ingenio ſupplendae fuerunt, quas ex interciſis litterarum ſulcis (ſive punctorum ſerta appellare mavis) potes dignoſcere. Cujus breviſſimi ſupplementi non defugio auctoritatem. Vide Comment. ad ver. 2. ubi utriuſque ſupplementi attulimus rationem.

Porro quam aeris Britannici cum Neapolitano per litteras partim inanes, partim plenas, paucas vero interciſas, comparationem initio Tab. I. inſtitui, ea aeris utriuſque τὴν ταυτότητα tam certo probat, ut ſi forte aes illud Britannicum Neapolim aliquando afferatur, nec tamen cum Neapolitano tam apte congruat, quam in tabula in aes inciſa vides (id quod futurum haud unquam puto) tamen quidvis potius [2] cauſari auſurus ſim, quam ut utriuſque aeris

ταυ-

(2) Quid tu cauſarum, inquis, praetexeres? In metallorum vegetationem, cauſam omnem incongruentiae fruſtorum conferrem. Quam dixi, antiqui aeris pro diverſis terrae generibus diverſam vegetationem eam nonnullis ex indiciis collegiſſe mihi videor. Tamen ecquod exploratius argumentum afferri poſſet, quam ſi fruſtum Britannicum (quod cum Neapolitano aliquando unum fuiſſe certo certius eſt) Neapolitano applicitum, non plane congrueret? An non continuo colligemus, cum Tabula Heracleenſis ab antiquiſſimis temporibus in fragmenta duo diſſiluiſſet, ea duo fruſta quoniam in duo diverſa terrae genera incidiſſent, diverſimode vegetaſſe; eâque gratia nunc demum non poſſe congruere? Iterum dico, me quantolibet iſtud mercaturum, ſi forte ſaepe dicta fragmenta duo minime mutuo coaleſcere poſſe, communicatis ſaltem commenſionibus exactiſſimis, appareret. Sane Cl. Maittairum de Anglicani aeris modulis neſcio quid παχυτέρως mutiviſse initio adlocutionis ad lectorem reperio his verbis: *Tabulam ex aere . . . pollicis fere craſſitudine* (hoc nimium videtur) *longitudine pedum duorum & dimidii, unius & dimidii latitudinem* . . . Nollem tam incurioſe indicium feciſſe.

: Verum

Digitized by Google

ταυτότης [*identitas*] & apta continuatio in controverſiam revocari queat. In paginae alterius Latina inſcriptione paria tentavimus: de quibus in loco.

II.

Complementi Neapolitani argumentum. De interpretatione Latina.

NEapolitanum hoc prioris Tabulae complementum ex verſibus 139. conſtat, duaſque in partes dividitur. Pars prior poſt dimenſiones agri Dionyſo ſacri [quae quidem majore ex parte in fruſto Anglicano continentur, in noſtro vero abſolvuntur] deinde agri ejusdem terminationem exſequitur a ver. quinto uſque ad ver. 45. poſt quem pars tertiâ incipit. Haec vero pars ultima peculiarem habet inſcriptionem hujuſmodi: ΣΤΝΘΗΚΑ ΔΙΟΝΥΣΩ ΧΩΡΩΝ, h. e. *Pacta conventa*, aut *Inſtrumentum locati conducti agrorum Dionyſi*. Quae quidem inſcriptio etſi ſatis τὸ ὑποκείμενον ejus partis oſtendit; tamen ubi ad eam συνθηκων ventum fuerit, ibi de argumento ſubtilius, ſi videbitur proloquemur.

Quandoquidem autem Britannici fruſti argumentum ac ſeries intime cum noſtro aere cohaeret; non invitus feci, ut totam Anglicani interpretationem (omiſſo Graeco textu) a me plurimis in locis refictam [plerorumque autem refictorum locorum in meis ad Maittairum adnotatis data eſt ratio] huc revocarem. Nec enim inutile lectori fore putavi, ſi totius Tabulae interpretationem non capite mutilam, ſed integram & continentem oculis ſubjectam contemplaretur.

De interpretatione vero univerſi Neapolitani aeris nihil dum equidem praeſtare lectori queo; quippe quam non modo perfectam, ſed ne affectam quidem ulla ex parte habeam. Sic enim ſum. Eorum ritu, qui in diem vivunt, ut quidque chartis illinitur, id ſtatim typographis cogor formis componendum tradere. Tamen nolim a me lector expreſſam ad effigiem veterum legum atque contractuum translationem exſpectet. Duabus id de cauſis conſulto vitatum eo. Primum quod deerit ad eam curam ſuſcipiendam ſatis otii viriumque: deinde quod Graece parum callidis utilius fore ſuſpicabar, ſi, quantum Latini oris verecundia ſineret, verba totidem verbis apponerem; ſiqua vero interdum ſupra, quam Graece exſtat, ad claritatem conciliandam de meo adnumerarem, ea diverſis characteribus exhiberem. Et is quidem nunc inceptanti ſcopus proponitur: ceterum quorſum res evaſura ſit, nondum vires expertus, providere nequeo.

III.

Verum cum, quas Tabulas hîc in aere expreſsas habes, eae ne latum quidem capillum a modulis ipſius monumenti differant (niſi quantulum ex chartae madefactae primum, deinde exſiccatae vicibus accidere variationis potuit) liberum Britannis eruditiſſimis erit, excuſum tabulae exemplum, quod hîc repraeſentavimus, cum aere ſuo comparare, ac pro ſua humanitate, ecquid deprehenſum fuerit, Neapolim nuntiare.

Digitized by Google

III.
MONITA.

I. De Commentario: II. Cur textum inſcriptionis Doricum etiam communi dialecto in latere exhibuerim: III. De harum tabularum citationibus.

I. QUas in commentario res aut voces ſemel expoſuero, eas, ubi recurrent, non repetam: verum quiſque per ſe vocum Indicem conſulat cenſeo: in quo non modo loca omnia, in quibus ea vox uſurpatur, reperiet; verum etiam ad quem Tabularum verſum eadem expoſita fuerit. In eodem Indice, ſi qua vox nova ſit, aliis ſcilicet inuſitata, aut inuſitato aliquo Doriſmo polleat, reperiet.

II. Sicuti Maittairus ad latus Dorici textûs, hunc eumdem communi dialecto redditum appoſuit; id (quamquam ſatis Graece doctis ſupervacaneum videbatur) libenter ſum imitatus, ea ſaltem de cauſa ne in Doriſmis notandis bonas horas conſumerem. Nam textu communi appoſito, ſtatim quiſque intelliget, quid a communi ratione recedat. Erunt tamen, opinor, loca, in quibus novus Doriſmus aliquis expediendus curate fuerit.

III. Praedixi pluries, & nunc iterum praedico lectori, me in verſibus harum inſcriptionum citandis uſurum his notis. Littera B. fruſtum Britannicum notabit; nota Romana I. tabulam priorem (quam ſaepe *Britannici Complementum Neapolitanum* vocavi) nota II. poſteriorem deſignat: Arabicae vero numerorum notae verſus uniuſcujuſque aeris oſtendent.

COMPLEMENTVM
SVPERIORIS HERACLEENSIS INSCRIPTIONIS
NEAPOLITANVM
CVM COMMENTARIO.

AC PRIMVM

ANGLICANI FRVSTI INTERPRETATIO

Ad ejus cum Neapolitano aere cohaeſionem oſtendendam huc repetita, ac paſſim (3) reficta.

1. *Ephorus Ariſtarchus Heraclidae F. menſis*
2. *Apellaeus. Civitas & finitores*
3. *VE. Tripus. Philonymus Zopyriſci F.*

4. *PE.*

(3) Hanc translationem refinximus locis plurimis, quorum rationem non eſt cur afferam. Porro qui cauſas cur ſic locis illis maluerim, ſcire avebit, is adeat ſuperiores meas ad Maittairum adnotationes in ima pagella ſubſtratas.

Digitized by Google

4. *PE. Caduceum. Apollonius Heracleti F.*
5. *AE. Peltae. Dazimus Pyrrhi F. CN. Tridens.*
6. *Philotas Hiſtiei F. ME. Epiſtylium.*
7. *Heraclides Zopyri F. DIONYSO.*
8. *Retulerunt in acta Finitores delecti ad agros ſacros Dionyſi*
9. [recognoſcendos : nimirum *Philonymus Zopyriſci F. Apollonius Heracleti F. Dazimus Pyrrhi F. Philotas Hiſtiei F.*
10. *Heraclides Zopyri F.*] *quem in modum ſibi videri pronuntiaverint* [aut ſi mavis, *cenſuerint aequius melius*] *& terminaverint, & commenſi fuerint, & divi-*
11. *ſerint, ſciſcentibus Heracleenſibus in convocato concilio* [ſive *calatis* [*] *comitiis*]. *Metati ſumus, ini-*
12. *tio facto a limite, qui ſupra Pandoſiam ducit, quique dirimit ſacros a-*
13. *gros & privatam terram, ad limitem qui Dionyſi agros diſterminat ab*
14. *agro, quem Coneas Dionis F. poſſidebat. Partiti vero ſumus* [totam agri univerſitatem] *in portiones quatuor:*
15. *PRIMAM quidem portionem a limite ſecundum Heroideia ducente*
16. [ejus vero] *latitudinem ad Triacontapedam* [uſque viam] *quae per agros ſacros ducit,*
17. *longitudinem vero in parte ſuperiore a* (**) *torrentibus uſque ad Acirim amnem. Ac*
18. *dimenſae conſtiterunt in hac portione, arabilis quidem* [terrae] *du-*
19. *centae una ſchoeni, ſylveſtris vero ſaltûs &* [terrae] *infragilis atque condenſae ſylvae, ſexcentae*
20. *quadraginta ſex ſchoeni, hemiſchoenum. SECVNDAM* (4) *autem portionem, in latum a*
21. *Triacontapeda ad limitem primum, in longum vero a*
22. *torrentibus uſq. ad flumen* [Acirim]. *Ac redactae metando ſunt in hac por-*
23. *tione, arabilis quidem ducentae ſeptuaginta tres ſchoeni, ſylveſtris vero ſaltûs*
24. *& infragilis atque condenſae ſylvae, ſchoeni quingentae.*
25. *TERTIAM vero portionem, in latum a limite primo qui ſecundum Tri-*
26. *acontapedam ducit, ad limitem qui ſecundus a Tria-*
27. *contapeda eſt, in longum vero a torrentibus uſque ad flumen. Ac re-*
28. *dactae metando ſunt in hac portione, arabilis quidem trecentae*
29. *duodecim ſchoeni hemiſchoenum, ſylveſtris vero ſaltûs, & infragilis atque condenſae ſylvae, quin-*
30. *gentae triginta ſeptem* (ſchoeni) *hemiſchoenum. QVARTAM vero portionem, in latum a*
31. *limite, qui a Triacontapeda ſecundus eſt, ad limitem, qui*
32. *ſacram a privata terra diſterminat, in longum vero a torrentibus*
33. *uſq. ad flumen. Ac metando collectae in hac portione ſunt, ara-*

34. *bilis*

(*) Vide noſtram ad Maittairum adnot. 25.
(**) De his *torrentibus* infra ad I. 8.
(4) Primam, & hîc Secundam, mox Tertiam, & Quartam ab illo Συνεμετρησαμεν (*commenſi ſumus*) quod ver. 11. legitur, reguntur omnes; idque verbum ſemper ſubaudiendum eſt.

Digitized by Google

34. *bilis quidem trecentae octo ſchoeni hemiſchoenum, ſylveſtris vero*
ſaltûs & infragilis
35. *atque ſylvae condenſae, quingentae quadraginta una* (ſchoeni) *hemi-*
ſchoenum.
36. *SVMMA totius arabilis, mille nonaginta quinque ſchoeni, ſyl-*
37. *veſtris vero ſaltûs & infragilis atque condenſae ſylvae, bis mille*
ducentae viginti quinque (ſchoeni).
38. *Inſulam autem, quae* (poſtea) *cum infragili terra coaluit* (junctim
cum eadem infragili) *commen-*
39. *ſi ſumus. Ab hac terrae* [univerſitate] *perierant, arabilis quidem*
trecentae
40 *tres ſchoeni hemiſchoenum, ſylveſtris vero ſaltûs & infragilis at-*
que condenſae ſylvae, quadrin-
41. *gentae triginta quinque ſchoeni.* [Nam] *in prima quidem portione, quae*
42. *juxta Heroideia eſt, arabilis quidem ſeptuaginta ſex ſchoeni, ſyl-*
veſtris vero ſal-
43. *tûs & infragilis atque condenſae ſylvae, centum octoginta quinque*
ſchoe-
44. *ni: in quarta autem portione quae juxta Phintia eſt, arabilis quidem*
45. *ducentae viginti ſeptem ſchoeni hemiſchoenum, ſylveſtris vero ſal-*
tûs & infra-
46. *gilis atq. condenſae ſylvae, ducentae quinquaginta ſchoeni* [inter me-
tandum deſiderabantur, utpote invaſae a privatis]. *Summa uni-*
47. *verſae terrae, quam* [a privatis interverſam] *reciperavimus Dio-*
nyſo, ſeptingentae tri-
48. *ginta octo ſchoeni hemiſchoenum. Hanc vero terram* [ita nunc
quidem] *reciperavi-*
49. *mus, ut* [etiam] *irrogaremus multas trigeſimanas iis, qui ſacram*
terram pri-
50. *vam effecerant. Haec locata fuit....* Nectes haec cum iis, quae
mox pag. ſeq. in Complemento Neapolitano v. 2. ſequuntur.

Hactenus Fragmentum Britannicum habes: deinceps ſequitur Neapolitanum Complementum tum Doricâ dialecto (ad cujus latus eadem omnia, ſed communi dialecto, proſtant) tum Latine cum commentario.

MONITVM de tribus primis verſibus, per quos aes Britannicum cum Neapolitano coit.

COmplementi Neapolitani textum ab Anglicani fruſti verſu 48. medio incepimus, duabus de cauſis: primum ut ibi principium eſſet, unde nova exorditur ſententia: deinde ut perfecta fragmenti Britannici cum Neapolitano coalitio (quam modo in Proloquio demonſtravimus, quaeque in Tabula in aes inciſa a luſcitioſis ipſis animadvertitur) apertiſſima ſit. Et initio quidem Tabulae primae, quam in aere incidimus, Britannicas litteras ſulcis inanibus delineavimus, Neapolitanas vero plenis ductibus: poſtremo quae pauca nos cum ratione ſupplevimus, eorum litteras ſerta punctorum deſcribunt. At hîc ſatis fuit, ſi, quae ſunt peculii Britannici, ea majuſculis litteris exhiberem, quae vero Neapolitani juris, ea minuſculis exſtarent. Paucula vero, quae verſu noſtro ſecundo ſupplevi, uncis interpoſui, ſed minuſculis litteris.

TA-

Digitized by Google

TABVLA HERACLEENSIS PRIOR

EX AERE NEAPOLITANO.

Br.v.48. . . . . ΤΑΥΤΑΝ ΤΑΝ ΓΑΝ ΚΑΤΕΣΩΙΣΑ-	. . . . . ταύτην τὴν γῆν κατεσώσα-
Br. 49.1.μες εγδικαξαμεΝΟΙ ΔΙΚΑΣ Τριακοσ ΤΑΙΑΣ ΤΟΙΣ ΤΑΝ ⊢ΙΑΡΑΝ ΓΑΝ [⊏ι]	μες εκδικασάμενοι δίκας τριακοσταίας τοῖς τὴν ἱερὰν γῆν ἱ-
Br. 50.2.διαν ποιονταασσιν ⊢αυτα εμισθωθη [⊢ως εχει] ΚΑΤΑΒΙΩ [αφω]ν ⊢[α]	δίαν ποιοῦσιν. Αὐτη ἐμισθώθη, ὡς ἔχει, καὶ τὰ βίου, ἀφ' ὧν ἡ-
3.μες κατεσωισαμες τριακατιων μεδιμνων το ⊏ετος ⊢εκαστον	μεῖς κατεσώσαμες τριακοσίων μεδίμνων τὸ ἔτος ἕκαστον.

INTERPRETATIO

*Brit.*Ψ.48. . . . . *Hanc terram reciperavi-*
Brit. 49.1.*mus, irrogantes multas trigeſimanas iis qui ſacram terram pri-*
Ψ. 2.*vam effecerant. Haec* (terra reciperata) *locata fuit, ut ea nunc habet, per totam vitam* (illis) *a quibus nos* (eam)
3.*recuperavimus, trecentis medimnis in annos ſingulos.*

COMMENTARIVS

VERSV Britannico 48. Ταυταν ταν γαν κατεσωισαμες.] Maittairus quid ſit ſecutus, qui in ſuo fragmento Britann. ver. 48. & pag. 164. in calculo τὸ κατεσώσαμες verterit *Reſervavimus*, aut quam reſervandi verbo notionem ipſe ſubjecerit, nondum intelligo. Atqui nos ad eum locum *Recuperandi* aut *reſtituendi* verbo uſi fuimus: idque pluribus confirmare poſſimus, ſi ſit neceſſe. Verum res ipſa loquitur; maxime cum quod hîc κατεσωισαμες dicitur, hoc ipſum in loco hujus ſimillimo planeque germano in II. 22. απεκατεστασαμες h. e. *reſtituimus* reddatur. Is locus ſic habet: ταν δε λοιπαν γαν ⊏ιδιαν τινες επεποιηντο· ταυταν απεκατεστασαμες ται Αθαναι κατα αρχαια. *Reliquam autem terram nonnulli privam effecerant. Hanc reſtituimus Minervae ſecundum priſtinam formam.* Quae vero mox ibid. ver. 25. ſequuntur, magis his germana ſunt: at ibi etiam per Αποκαθίσημι exponitur, quod hîc Κατασωζω eſt. Hunc locum ad Ψ. ſeq. adſcripſi. Cum ergo Αποκαθίσημι ſit *Reſtituo*, tantumdem & hîc κατασωζω erit. Vide ad Ψ. ſeq.

VERSV Brit. 49. Neap. 1. Εγδικαξαμενοι δικας τριακοσταιας &c.] Hujus plane gemellus eſt locus ille qui II. 25. & ſeq. legitur: Και ταυταν πασαν γαν ⊏ιδιαν επεποιηντο τινες. Και τοι μεν εριξαντες απεσταν. Τοις δε εδικαξαμεθα δικας τριακοσταιας· και αποκαταστασαντες ται Θεωι κατα αρχαια, ταυταν ταν γαν κατεδασσαμεθα &c. *Et hanc quidem univerſam terram privam effecerant quidam. Et illi quidem controverſati* (aliquamdiu, tandem) *id, de quo diſceptabatur, reddiderunt. At his nos &c.... ac reſtituentes deae ſecundum priſtinam formam, hanc terram diviſimus* &c.

Porro δίκην δικάζεσθαί τινι eſſe *judicio cum aliquo contendere*, nemo neſcit. At vero quid in his locis ſit δικάζεσθαι δικας τριακοσίας, non eſt dictu facile. Eâque de cauſa, ne ab ipſo principio ſpinoſiora lectori obtruderem, quidquid eo pertinet, id in mox ſubjicienda diſquiſitione ſepoſui: quamvis interim in re incerta, id in interpretatione utriuſque loci ſecutus fuerim, quod γενικώτερον & cuivis intellectui aptum videretur, doctioribus retruſiora ex-

Digitized by Google

pendenda relinquens. Porro illud δικας τριακοστυιας loci hujus ita ex aeris utriusq. litteris coaluit, ut nihil exploratius esse possit. Praeterea hoc ipsum ex II. 26. multo certius efficitur, quam ut dubio superfit locus. Tamen hoc utrinque interest, quod in II. 26. simplex verbum εδικαζαμεθα legitur, cum contra in hoc loco occurrat ejus compositum ἐκδικάζομαι, etsi euphoniae gratia versum in ἐγδικάζομαι; sicuti in Brit. ver. 41. εμμεν pro εν μεν, & II. 42. εμμεστωι pro ἐν μέσῳ. Et horum similia in marmoribus plurima.

Τοις των Ϝιαραν γαν ϲιδιαν ποιονταστιν] Priora illa usque ad γαν, Britannico debentur: syllaba ϲι-suppleta fuit: διαν ποιονταστιν Neapolitani juris est. Dorismis veluti Ϝιαραν, & ποιονταστιν) non immorabimur: quos facile tirones ex appositο ad latus in communem dialectum translatione cognoscent. Illud ϲιδιαν, Heracleensibus peculiare, supra Diatr. III. pag. 130. explicuimus.

DISQVISITIO

De eo quid sit, Εκδικάζεσθαι δίκας τριακοστάϊας, *quod ver. Br. 49. Neap. 1. legitur.*

§. 1. *Propositae quaestionis duplex conjecturalis solutio.*

Δίκην τινὶ δικάζεσθαι, est *judicio cum aliquo contendere*. Itaque agitur ne hîc de judicio, quo causa invasorum istorum disceptata fuit? Quod quidem τριακοσᾶιον vocatur, sive quia triginta dierum spatio, sive quod in trigintavirali aliquo tribunali peragebatur; eaque gratia dictae sint forsitan δίκαι τριακοσᾶιαι.

Horum prius si sequimur; tum necesse erit, adversus injustos detentores spatium menstruum jure Heracleotico praestitutum fuisse: quo elapso, si a detentoribus jura sua nullis monumentis demonstrata fuissent, statim causâ adversus eos pronuntiatâ, ad exlecutionem rei judicatae deveniretur. Plato: Επειδὰν αἱ κατ' ἐνιαυτὸν δικαι ἐκδικασθεῖσαι τέλος σχῶσι, τὰῖς πράξεσι νόμος γίγνεσθαι χρεών. *Vbi intra annum peracta judicia nacta sint finem; exsecutionibus rei judicatae servari leges necesse est.* Sane in Tabulae loco, qui praemanibus est ἐκδικάζομαι ita, ut in Platone, usurpatur; etsi in altero aere sit simplex δικάζομαι. Hactenus ut δίκαι τριακοσᾶιαι sint judicium triginta dierum.

Altera conjectio ea sit, ut δίκαι τριακοστᾶιαι sint *trigintaviralia judicia*. Ac sane etiam ā numero judicum interdum dicasteria sibi nomen quaerebant, ut Romae *centumvirale judicium*. Hesychius in Τριάκοντα ait, eo nomine venisse apud Athenienses *judicum triginta consessum, multantium eos, qui populi concilio non adfuissent:* puta sine sontica causa. Similis Heracleae conventus esse potuit, qui *multandi* (si quidem δίκας hîc pro *multis* malimus accipere) potestate polleret eos, quos intervertisse rura sacra apparuisset.

§. 2. *Vtraque superior conjectura refellitur. Numeralia in ᾶιος finita quam vim habeant.*

Duae superiores conjecturae difflantur hisce argumentis duobus, utrique conjectioni communibus. Prius argumentum inde petitur, quod numeralia finita in ᾶιος nec ad tempus aliquod continuatum (puta si judicium triginta dies durasse finxerimus: quod tamen si significare voluissent, dixissent potius δίκας ἐμμήνους) nec ad numerum judicum referri possunt: verum ea nomina id, quod tertio verbi causa aut quarto, sive decimo aut vigesimo quoque die aliove fixo recurrit, nata sunt designare. Sic πυρετὸς τριταῖος & τεταρταῖος est *febris tertiana* & *quartana*. Sic & πεμπταῖος πυρετὸς Alexandro Aphrodis. est quintana febris. Homerus Od. Ξ. πεμπταῖοι . . . . ἱκόμεσθα, *Quintani* h. e. quinto die *venimus*. Sic, ut ad majores numeros veniam, εἰκοσᾶιος est *Vigesimanus*, veluti qui vigesima die nascitur, aut provenit, pervenitve. Τεσσαρακοσᾶιος (nam τῦ Τριακοστᾶιος exempla mihi adhuc latent) eamdem vim habet apud Aristotelem, ubi ait, τεσσαρακοσᾶιος (*die quadragesimo*) ἐξῆλθε: & apud Theophrastum, τεσσαρακοσᾶιον βλαστάνει, *die quadragesimo germinat*. Idem eâdem notione & τεσσαρακονταῖον usurpat, ubi in VIII. hist. plant. τεσσαρακονταῖον . . . κύαμον ἀδρύνεσθαι, *quadragesimo die . . . fabam turgescere*. Par ergo vis & τῦ τριακοσᾶιος esse debuit, ut de eo usurpetur, quod trigesimo quoque die redit. Ea numeralia Latini solent in ANVS terminare: quod ego secutus in interpretatione *Trigesimanas* posui: vocem irrepertam quidem, verum ex similium analogia formatam.

Atqui

Digitized by Google

Atqui hactenus expoſita notio cum neutra ſuperiorum conjecturarum ſtare poteſt : quod ſatis per ſe liquet.

Argumentum alterum tale eſt. Etiamſi utrilibet ex ſuperioribus conjecturis cum vi terminatorum in *αῖος* conveniret ; ne ſic tamen illae Tabularum locis initio productis congruunt. Nam forſitan in priorem hunc locum, in quem nunc commentamur, utcumque quadrant (veluti ſi ſic interpretere: *Hanc terram recuperavimus, trigintavirali* aut *triginta dierum judicio adverſus eos peracto, qui ſacram terram in privum redegerant*) at in alterum locum (II. 26.) nullo pacto conveniunt. Quis enim ſic loqui uſurpet? *Et hanc totam terram quidam juris privati fecerant. Et ii quidem ubi litigaſſent* (poſtea rem diſceptatam) *reddiderunt. At nos in eos intendimus triginzavirale*, aut *trigintadierum judicium ;* ac *deae* (terram illam) *recuperavimus ſecundum priſtinam formam*. At rogo, ubi illi interverſores a litigando deſtiterant, ac rem controverſam reſtituerant ; quid attinebat eos ultra vexari judiciis ? quis tunc locus trigintavirali aut triginta dierum diſceptationi relictus eſſet?

§. 3. *Δίκας de Poenis ſive Multis crebro uſurpari. Tertia conjectio de quodam uſurarum genere proponitur.*

In locis impeditioribus enodandis nihil eſſe curae priori debet, quam ut voces ſingulae reſecentur ad vivum. Quandoquidem vero de finitis in *αῖος* §. ſuperiore commenti ſuimus ; nunc de *Δίκαις* & *Ἐκδικάζομαι* breviſſime tradam. *Δίκην* & *δίκας* quam ſaepiſſime de Poenis deque Multis accipi, nemo dubitat. Hanc autem naturam ac notionem etiam verbum *ἐκδικάζομαι* ſequitur : quae notio iis quae ex *ἐκ* & ex *δίκη* componuntur, communis videtur. Sic *ἐκδικεῖν* eſt poenam expetere : *ἔκδικος* & *ἐκδικητὴς*, *Vltor*, *Vindex*. Poſtremo etiam *ἐκδικάζομαι* in vet. lex. apud H. Steph. exponitur *Vlciſcor*: quod eſt poenas ſive multas exigere. Ac ſane hîc *ἐκδικάζεσθαι δίκας* eſt ex illorum genere, ut *Pugnare pugnam* &c. Itaque utrovis horum de poena intellecto, etiam alterum pari notione capiatur neceſſe eſt.

Nunc ſi *ἐκδικαζάμενοι δίκας* de *Multis irrogatis* capiamus; videndum ecquae Multae *τριακοσᾶιαι* (*trigeſimanae*) ſive trigeſimo quoque die recurrentes, vocari poſſint. Non aliud iſtiuſmodi multarum genus circumſpectanti ſuccurrit, quam uſurae: quae quidem tum Graecis tum etiam Romanis trigeſimo quoque die exigebantur : qui proinde triſtiſſimae penſionis dies illis *νεομηνία*, his *Kalendae* dictus, ſicuti & totum hoc foenebre negotium Latinis *Kalendarium* vocabatur.

At, inquis, uſurae iſtae quo nomine ab iis qui jam agri lacinias interverſas reddiderant, debebantur? Dicam equidem. Poſtquam invaſores praediorum lacinias dolo malo occupatas Dionyſo aut Minervae reſtituiſſent ; ſi quidem ſimul etiam fructus ſive in ſpeciebus, ſive numerata pecunia, quos dolo malo perceperant, reddidiſſent, ab hiſce *δίκαις τριακοσαίαις* haud dubie immunes erant. Nec aliter cum invaſoribus iis videtur factum, de quibus II. 22. agitur. Nam poſtquam finitores agrum ab iis occupatum Minervae reciperaſſent, nullas *δίκας τριακοσαίας* iis irrogarunt : certe, ut interpretor, quod ſimul cum fundo etiam fructus ex eo perceptos detentores illi repraeſentaſſent. At vero contraria eorum ratio fuit, de quibus tum hoc loco agitur, qui prae manibus eſt, tum de quibus II. 26. Jam hi quidem agrum fraude interverſum poſt cauſae diſceptationem reddiderant (quod diſerte in II. 25. dicitur) at iidem utpote minus ſolvendo pares, pro fructibus a ſe collectis non dum Dionyſo potuerant ſatisfacere. Hinc donec hoſce fructus (qui certe pari rei judicatae obligatione, ac fundus ipſe, continebantur) repraeſentaſſent ; judicum ſententiâ fructus illi in ſortem redigebantur, & ad ejus uſuras trigeſimo quoque die penſitandas, quaſi novatione interveniente, condemnabantur. Quod totum, ut obiter dicam, neſcio quam anatociſmi effigiem praeſeferebat. Atque ea ſunt quae de loco ſane quam difficili conjectare licuit. Felicioribus ingeniis, ſat ſcio, meliora ſuppetent.

VERSV Neap. 2. Britann. 50. ⊢αυτα εμισθωθη ⊢ως εχει. Priores duae voces in Neapolitano ſunt ; at ⊢ως εχει ſupplevimus: nec niſi vere, ut arbitror, ſive ſpatii, quod totidem litteras requirebat, ſive ſententiae, ſive poſtremo (in quo caput eſt) paris loci I. 51. habita ratione: in quo loco

Digitized by Google

4 ⊢α δε ταστα γα ⊢α τω Διονυσω τετρα-
κατιων δεκα μεδιμνων καδ-

ἡ δὲ πᾶσα γῆ ἡ τοῦ Διονύσου τετρακοσίων δέκα μεδίμνων κάδ-

4. *Vniverſa vero Dionyſi terra* [locata fuit] *quadringentis decem medimnis & cad-*

loco Polianomi & finitores (quorum ibi nomina praeſcripta fuerant) μισθοντι τως ⊢ιαρως χωρως . . . . EXONTAΣ ⊢ΩΣ EXONTI KATA BIΩ καθα τοι ⊢Ηρακλειοι διεγνον: h. e. *Locant ſacros agros . . . ſic* ſeſe *habentes*, *ut* ſeſe *habent*, *per* totam *vitam*, *ſicuti Heracleenſes cenſuerunt*. Non ovum ovo ſimilius. Adde quod utrobique κατὰ βίω locatur ager.

Porro iſtud ⊢ως εχει vertimus, *Vt ea nunc ſe habet*: nec enim retruſiora interpretando ſequi placuit. Quo non aliud ſignificatur, quam quod Itali dicunt, *Nello ſtato preſente*, ſive *Come ora ſi ritrova*: ſive res libera ſit, ſive ſervitutem debeat.

KATA BIΩ] In hoc verſu haec tantum diſyllaba duo fruſto Anglicano debemus, quae recte non tantum cum Neapolitanis vocibus, ſed & cum ſuppletis ex ingenio haerent. Κατὰ βίς pro διὰ βίς recte dicitur; nam κατὰ gignendi caſu eam ſignificationem non raro obtinet. Homerus Od. Z. εἶσι κατ' ὄρεος, *per montem* vadunt. In Lucae Evangelio cap. IX. καθ' ὅλης τῆς Ἰόππης, & καθ' ὅλης τῆς Ιυδαίας. Pluribus abſtineo.

αφωN ⊢α – Quatuor hîc tantum litterae de meo ſunt; nam N⊢ in aere Neapol. exſtant. Conſtructio iſta, ἐμισθώθη, ἀφ' ὧν ἡμεῖς κατεσώσαμες (pro ἐμισθώθη EKEINOIΣ, ἀφ' ὧν &c.) perquam uſitata Graecis eſt. Qui ſatis Graece norunt, hoc non ignorant: quibus adeo ſupplementi mei rationem afferre ineptum fuerit. De κατεσωισαμες vide dicta ad ver. 48. Britan.

Sed ad ſupplementum (Aφων) redeo. Nam erit fortaſſis, qui vitio mihi verterit, quaſi qui ſpatiis excluſus iniquis, ut unius vitarem litterae locum, pro αφ⊢ων, ſcripſerim αφων, aſperante litterâ ſuperſeſsâ. Verum gaudeo, non fuiſſe ſpatii ſatis ad τὸ ⊢ admittendum; nec enim id ſignatum oportuit, quia vis litterae ⊢ tota in pracedens Φ tranſmiſſa fuit. Ergo τὸ Π poſtquam in Φ tranſiit; totam vim imbibit τῦ ⊢, quod alioqui ſequi debuiſſet. Pluries in aere altero ita uſurpatur. II. 30. αφας pro αφ ⊢ας h. e. ἀφ' ἧς. II. 60. αφεκατονπεδω, quod ipſum mox v. 69. iteratur. Sic etiam I. 43. εφεκατερω pro εφ ⊢εκατερω h. e. ἐπὶ ἑκατέρᾳ.

Τριακατιων] Novus hic in Διακατιοι, τετρακατιοι &c. eſt Doriſmus Heracleoticus, in his tantum occurrens Tabulis: at in Τριακατιων non plane novus, quippe cujus exemplum ex Heſychio produxi ſupra ad Fragmenti Brit. v. 19. Adnot. 37. ubi & Heſychianum locum a criticorum ταροροθώματι vindicavi.

Το ⊏ετος ⊢εκαστον, *in ſingulos annos*. ⊏ετος pro ἔτος cum *Bau* (propria harum Tabularum littera) pulchre ſe habet. Illud ⊏ετος pronuntiari *Vetos*, & ab eo Latinum *Vetuſtus* profectum, ea formâ, qua Graecis numeralia in οστος terminantur, dixi jam Diatr. III. pag. 130. Vide locum.

VERSV 4. *Tota vero terra Dionyſi trecentis medimnis* (poſt quae additur in Graeco Καδδιχος) *in annos ſingulos*] ſupple ἐμισθωθη, locata fuit. Quod locatam fuiſſe ait *trecentis decem medimnis*, nemo non intelligit. At quid illud Καδδιχος, aut quo additur tum hîc, tum I. 133. Res eſt ſcitu digna, planeque nova: de qua jam incipio.

DISCVSSIO DE CADDICHO.

§. 1. *De Caddichi* (*novi vocabuli*) *notione duplici Heſychiana.*

Καδδίχε, ubi ab Heſychio diſceſſeris, nemo ſcriptorum veterum, nemo lexicographorum, ne recentium quidem, meminit. Ergo ſicuti in aliis conclamatis Tabularum locis, ita hîc quoque ad Heſychium, tamquam ad ſacram anchoram, eſto confugium: qui ſic habet: ΚΑΔΔΙΧΟΝ· ἡμίεκτον ἢ μέτρον· καὶ &c. Καδδιχον hîc noli tamquam neutrîus generis accipere, cum non tantum Heſychius, ſed & ceteri lexicographi veteres, nomina quae ſibi exponenda proponunt, modo recto, modo accuſandi caſu (rariuſcule caſibus

Digitized by Google

bus aliis) prout collibitum, efferant. Id quod etiam Latinis in uſu fuiſſe, non (5) dubito. Ergo hîc Καδδιχον quarto caſu ponitur, cum maſculi generis ſit, cujus rectum in ΟΣ deſinere teſtantur Heracleae Tabulae. Hoc vero non neſciviſſe Heſychium, ex ſequentibus liquet, quae ſunt hujuſmodi: καὶ οἱ τοῖς θεοῖς θυόμενοι ἄρτοι, ΚΑΔΔΙΧΟΙ: *Et qui diis ſacrificabantur panes*, Καδδιχοι (item ἀρσενικῶς) *vocabantur*. Nam in hac periocha unum idemque vocabulum, ſed notione duplici, exponitur. Nec Salmaſio fidendum, Καδδισχοι pro Καδδιχοι conanti intrudere. Ergo Heſychianam periocham totam ſic vertes: Καδδιχον (Heracleenſes aut Tarentini, quos ob oculos habuiſſe mihi videtur Noſter, vocabant, quem nunc vulgo) *Hemiectum* (h. e. *ſemiſeſtarium*) *ſive menſurae genus* (appellant): *Item diis immolati panes* Καδδιχοι, *Caddichi* dicebantur. Duplicem in his Καδδιχς notionem perſpicis. A priore ordior.

§. 2. *De notione priore amplius. De capacitate Medimni, Hemiecti (quod in his Tabulis CADDICHVS dicitur) & Choenicis ex eodem Heſychio, nec non ex opuſculo MS. & ex Herone: ex quibus etiam Choenicis, Cotylae & ξέστς, Modii, Semodiique amplitudo intelligitur.*

Cum *Caddichum* eſſe ἡμίεκτον dicit Heſychius, noli aliam τῷ ἡμιέκτῳ notionem ſubjicere ab ea, quam idem grammaticus in ea voce ſubjecerat hiſce verbis: ΗΜΙΕΚΤΟΝ· τὸ Τετραχοίνικον, ὅ ἐστιν ἥμισυ τῆς ἕκτης· ὁ γὰρ Μέδιμνος, χοινίκων τεσσαρακονταοκτώ· οὕτως Ἕκτον, ὀκτὼ χοίνικες. *Hemiecton*, ait, eſt *Tetrachoenicon* (i. e. quatuor choenices capiens) *hoc eſt Hecti dimidium. Nam Medimnus choenices octo & quadraginta continet. Ita Hectum octo choenices capit.* Ergo, ut paucis abſolvam. *Medimnus* octo & quadraginta choenices capiebat: ex quibus octonae *Sextario* (Gr. ἕκτῳ) continebantur, *Semiſextario* (ἡμιέκτῳ) quaternae. Ita *Caddichus* (καδδιχος) aeris hujus erat pars medimni duodecima, & choenices quatuor complectebatur.

Proderit haec ipſa ex Cod. Reg. Pariſ. (in Montfauconii Palaeographia p. 369.) illuſtrare, ubi & choenicis capacitatem ſimul explicat. Ὁ δὲ μέδιμνος &c. *Medimnus habet hemiecta duodecim: Hemiectum choenices quatuor: Choenix cotylas Atticas quatuor: cotyla vero* τὸ ξέστς (quem etiam *ſextarium* vertunt, ſed malim *ſextarium minus* vocari) *dimidium*. Ex his vides choenice *ſextaria* minora duo fuiſſe contenta, ſive cotylas quatuor. Poſt pauca, ubi de liquidis, ait, ξέστην libris duabus fuiſſe parem, at ξέστην Italicum librae ſemis, h. e. octodecim unciis. Nec pigebit ea quae ex Herone MS. affert Meibomius huc adſcribere, quo & *Modius* cum ſupraſcriptis menſuris comparetur: ὁ μόδιος ἔχει ἡμίεκτα δύο· τὸ ἡμίεκτον χοίνικας δ'· ὁ χοῖνιξ ξέσας β'· ὡς τὸν μόδιον εἶναι ξέσας ις'. Ex his vides Medimnum modiorum ſex fuiſſe capacem, ipſumque modium (ſextario illi majori parem) duos continuiſſe caddichos (al. *hemiecta* aut ſemiſextaria) choenices octo, ξέστας ſive ſextaria minora ſedecim. Poſtremo par erat *Caddichi*, *Semodiique* capacitas: ut ſane poſſit in his Tabulis καδδιχος reddi *Semodius*. Tamen malui ſervare ipſum Heracleoticum nomen. Plura non addam, nec eſt neceſſe.

§. 3. *De* Καδδίχς *utriuſque ab Heſychio expoſiti etymologia.*

Caddichi vox Dorum Magnae Graeciae peculiaris fuiſſe videtur: quod non tantum haec aera docent, verum & indoles ipſa vocabuli. Nam ſicuti Doribus καδδὲ pro κατὰ δὲ & καδδῦσαι pro καταδῦσαι, & ψαμμακόσια in hunc modum alia uſurpabantur; ita & pro κατὰ δίχα, malebant καδδιχα dicere ad eum modum, quo ἄνδιχα pro ἀνὰ δίχα, ex quo poſtea etiam διάνδιχα· Καδδιχον igitur id vocabatur omne, quod bifariam diviſum fuerat. Eâque causâ peculiariter tum *hemiecto*, ſive ſemodio notando, tum etiam immo-

(5) Apud Latinos etiam quae nomina per ſe ſtabant, nec aliam orationis partem ſive regebant ſive inde regebantur, ea ſive recto ſive quarto caſu efferre liberum erat. Verbi cauſa Auctio rerum Commodi (ait Jul. Capitolinus Pertinace cap. 8.) *in his inſignior fuit: Veſtis ſubtemine* &c. . . . *cuculli Bardaici. Toga armaque gladiatoria . . . & machaeras Herculaneas, & torques gladiatorias* &c. Atque in aliis paſſim hiſtoriae Aug. ſcriptoribus (quos nunc verſare nec licet nec libet) in hujuſmodi auctionibus perpetuum eſt, ut recti & quarti caſus ad libidinem permiſceantur. Sic etiam qui venalia circumferebant, eorum appellationes utrovis caſu pronuntiabant. *Cauneas* ille apud Ciceronem *De divin.* clamabat: at alii plures haud dubie res ſuas primo caſu efferebant.

Digitized by Google

5 διχος το ϲετος Ͱεκαϲτον Εϲταϲαμες δε και ορως επι μεν τας	διχος τὸ ἔτος ἕκαϛον· Ἐϛήϲαμεν δὲ καὶ ὅρους ἐπὶ μὲν τῆς
6 πλευριαδος ανω Ͱενα μεν επι τω αντομω τω παρ Πανδοσιαν	πλευριάδος ἄνω ἕνα μὲν ἐπὶ τοῦ ἀντόμου τῷ παρὰ Πανδοσίαν

5. *dicho in annos ſingulos. Statuimus vero & terminos in*
6. *latere quidem ſuperiore, unum quidem in limite, qui praeter Pandoſiam*

immolatis panibus ea vox peculiaris evaſit. De *hemiecto* (h. e. ſemiſextario) ratio manifeſta eſt, propterea quod ex biſecto ſextario exſtiterat. Atqui eadem ratio & in illis valebat panibus immolandis: quos credibile eſt ita fuiſſe factos, ut eorum ſinguli in binos nullo negotio manu diſpertirentur. Hos panes noſtri homines vocant, *Coppie di pane*, quod aptiſſimi ſint, qui in geminos dividantur.

§. 4. *Vtrâ ex Heſychianis notionibus* Καδδιχος *in his Tabulis accipiatur.*

In plurimis quidem Tab. II. locis, (in quibus aliqua terrae portio locata dicitur, tot medimnis, Caddichis tot, choenicibus tot) Καδδιχον genus menſurae fuiſſe Medimno minorem, choenice vero capaciorem, ac plane fuiſſe *Hemiectum* ſive *Semodium*, quo choenices quatuor continentur, ex dictis §. 1. & 2. dubitari non poteſt. At ſunt loca duo prioris Tabulae, in quibus Καδδιχος recto caſu uſurpatur. Veluti I. 4. *Locata eſt univerſa Dionyſi terra* (τετρακατιων δεκα μεδιμνων καδδιχος) *quadringentis decem Medimnis Caddichus quotannis*. Hîc quia illud Καδδιχος mutatâ ſyntaxi recto, non, ut ſemper alias, patrio caſu enuntiatur, quidvis potius quam pro menſura acceperis. Quod ſi menſura non ſit; poſſit ne tritici genus electiſſimum eſſe (& certe fruſtra tot medimni conductori indicerentur, frugis genere non explicato) ex quo *Caddichi* h. e. panes ſubigebantur illi, qui diis immolabantur?

Ac ne quis ſuperiore loco ſcalptorem arguat, cujus ſcalpello illud Καδδιχος pro καδδιχω exciderit; ſciat eamdem plane ſyntaxin I. 133. uſurpari: ubi πεντηκοντα Ͱεττα μεδιμνων καδδιχος conduxiſſe ſuam portionem Bormion dicitur, h. e. *quinquaginta ſeptem medimnis Caddichus*. Verum uterque locus pro uno habendus eſt. Nam in aliis conductis omnibus numquam ſupra medimnos neque caddichus neque choenix ulla ſuperfluebat, praeter modo dictum Bormionis conductum. Ex quo factum, ut ubi I. 4. ſumma, quae ex mercedibus ſingulis redigebatur, proponitur, Caddichus ille tantum unus ſupra medimnos excurrat. Hinc I. 4. vertendum fuit, *Quadringentis decem medimnis & Caddicho* (uno) Illi porro mutationi ſyntaxeos (καδδιχος pro καδδιχω) ſimile quiddam in colligendis ſummis in Hebraeo legiſſe memini.

VERSV 5. Εϲταϲαμες δε και ορως. *Defiximus autem & terminos*] Hinc terminatio agri Dionyſo ſacri incipit, uſque ad ver. 45. pertinens: in qua tum res aliae, tum & voces agrariae novae & notatu dignae occurrunt.

VERSV 6. Επι μεν τας πλευριαδος ανω] Nova vox eſt menſoria, in hac priore tantum tabula occurrens, hîc, & ver. 29. & 41. Subaudiendum eſt congruum ſubſtantivum, veluti γραμμη, *linea*. Videtur enim πλευριὰς fuiſſe linea, quae extimum agri dimetiendi latus finiret. Sed uſus invaluit, ut ſubſtantive acciperetur. Vnde hîc πλευριὰς ἄνω eſt *latus ſuperius*.

Επι τω αντομω τω παρ πανδοσιαν] De *Pandoſia* (collis & urbis nomine) vide dicta ad Brit. ver. 12. ac longe plura in Diatr. II. p. 101. ſeqq. Adhaec de voce Αντομος leviter monui quaedam ad Br. eodem ver. 12. Adn. 27. pag. 155. Verum hîc mihi neceſſario idem opus ſpinoſiſſimum eſt retractandum, atque in ſubjecta *exercitatione* ſubtilius elimandum: quae exercitatio cur longior mea voluntate prodeat, in ima (6) pagella conqueror.

EXER-

(6) Initiò id dedi operam, ut Heſychium, fidum alioqui ſemper harum Tabularum ſcholiaſten, ſequerer ducem'. Id poſtquam in Parte inutiliter priore ſategiſſem fuit; Tabulas tandem ipſas in conjectrices

Digitized by Google

EXERCITATIO

De ANTOMI Heraclienſium finitorum genuino ſignificatu.

PARS PRIOR.

§. 1. ΑΝΤΟΜΟΣ (*Antomus*) *Heſychio idem qui* Σκόλοψ. *Duplex ſicuti* σκόλοπος *&* χάρακος, *ita & Valli notio.*

Ἄντομος nova vox eſt, ex uno Heſychio cognita, ſic explicante: ΑΝΤΟΜΟΥΣ· σκόλοπας· Σικελοί. Ait, Siculis (nim. Magnae Graeciae proximis, ac voces plurimas cum ea communes habentibus) Αντόμους tantumdem fuiſſe quod σκόλοπας h. e. *palos praeacutos* ſive *vallos*.

Haec autem (tam ſcil. Graeca (7) duo Σκόλοψ & Χάραξ, quam Latinum *Vallus*) duplici acceptione uſurpari ſolet. Prior illa eſt notio, qua haec vocabula unum aliquem ſingularem palum, & quidem praeacutum notant: quae & primaria eorum ſignificatio eſt, ſicuti & Αντομος (8) videtur eſſe. Altera acceptio eſt collectiva, quâ perpetua praeacutorum hujuſmodi ſtipitum depactorum catena ſignificatur, quâ caſtra muniebantur: id quod Graecis tum χάραξ tum etiam χαράκωμα, Latinis vero non tantum neutro genere *Vallum*, ſed & maſculino (9) *Vallus* vocatur. Quocirca & (Αντομος) *Antomus* Heracleoticus tum ſingulariter pro ſtipite praeacuto uno, tum etiam collective pro ſepto ex eisdem palis contexto accipi poſſe videtur.

§. 2. *Vtrâ notione Antomus in biſce Tabulis uſurpetur.*

Sane ſi vocabuli vim atque naturam ſpectemus, utramque notionem videtur admittere. Priorem quidem ſi ἄντομον quaſi ἄνωθεν τομὸν (*deſuper ſcindentem*, ſive *praeacutum*) accipias; multo vero magis poſteriorem (pro ſepto ſcilicet ex palis contexto) ſi ea Tabulae loca inſpicias, in quibus Αντομος ſive ille eſt qui διατέμνει ſacram atque privatam terram, ſive omnino qui aliud ab alio dirimit; quaſi velit innuere, a διατέμνω (*divido*) ſive potius ab Ανατέμνω (nam ἀνὰ in his tabulis in compoſitione interdum διὰ ſignificat) factum eſſe Ἄντομος, pro ἀνάτομος, itâque dictum, quod ſepti tranſverſi inſtar terram unam ab altera dividat. Vide Brit. 12. II. 65. 72.

Etymologia igitur utrique ſignificationi favet. At Heſychius qui Αντόμους reddidit σκόλοπας, videtur pro palis ſingularibus accepiſſe; id enim σκόλοψ deſignat: de quo vide Adn. 8. His accedit, quod in ſcriptoribus agrariis haud raro ſingulares pali pro terminis (10) depacti leguntur: & quod in his Tabulis, ubi Antomus

ſtrices aenigmatis advocavi Parte alterâ. Nec tamen Partem I. ſive in totum abſcindere, ſive in pauciora contrahere otium fuit, ceteroqui non inutilem exſtituram, iis quidem certe, qui rerum hujuſcemodi ſtudio capiuntur.

(7) De χάραξ non eſt dubium, quin ſingulo numero non tantum unum ſingularem ſtipitem notet, ſed etiam totum ex hujuſmodi ſtipitibus ſeptum, quod & χαράκωμα vocatur. At Σκόλοψ num. ſing. non reperiſſe memini pro χαρακώματι: etſi plurativum σκόλοπες apud Homerum pluries hac notione uſurpatur. Ex quo fit veriſimile, & ipſum ſingulare σκόλοψ interdum pro σκολόπων textura poſitum, exemplo ſcil. χάρακος atque *Valli*: quae duo, etſi unius numero, tamen pro vallorum texto uſurpantur.

(8) Ἄντομος enim videtur factum ex Ἀνὰ *Super*, & ex Τομὸς oxytono, quod *acutum* notat. De poſteriore compoſiti parte non videtur dubitandum. At etiam initiale illud Αν nemo non videt, ex integro Ἀνὰ decurtatum eſſe: quod tam in compoſitis quam extra compoſitionem vim τῆ ἄνω (*ſuper*) induit. Nam extra compoſitionem, Ανὰ cum dat. ſaepe pro *Super* uſurpari, Euſtathius docuit. Vide & H. Steph. in Ανὰ cum dativo. At etiam in compoſitione quam ſaepiſſime mihi repertum eâdem notione fuit, quaſi ex ἄνω componeretur. Imo & cum iterationem notans, cum Latino *Re* permutari ſolet, non alia de cauſa iterandi vim habet, quam quia & ipſum ἄνωθεν eâdem notione uſurpatur. Nam ἄνωθεν (quod primario eſt *Deſuper*) etiam paſſim pro *Rurſus* accipitur.

(9) Apud Latinos ſic diſtingui ſolet, ut *Vallus* maſc. palum ſingularem notet, *Vallum* vero neutrum perpetua ſit palorum hujuſmodi ſeries, quam Graeci χαράκωμα vocant. At interim etiam *Vallus* pro vallo neutro ſumebatur, ut apud Caeſarem in III. bell. civ. 63. *Erat eo loco foſſa pedum XV. & VALLVS contra hoſtem in altitudinem pedum decem.* Tibullus: *Non arces non VALLVS erat.*

(10) Agrarii ſcriptores non raro palos pro terminis adhibent. Siculus Flaccus p. 4. *In quibusdam regio-*

Digitized by Google

tomus πρᾶτος, δεύτερος, τρίτος (*primus*, *ſecundus*, *tertius*) legitur, non collective id nomen accipi videatur, ſed pro ſingularibus palis, quos ſive pro terminis, ſive alia de cauſa defixiſſent.

At contra longe crebriora in his Tabulis loca ſunt, in quibus *Antomus* collective pro palorum ſerie ſumitur, eumdemque uſum praebere videtur, quem ſeptum tranſverſum, quem paries intergerinus, quem maceria praeſtare ſolet. Itaque ut quiſque per ſe de notione Αντόμε pro diverſis Tabularum locis decernat, ſtatui loca Tabularum, in quibus ea vox uſurpatur, in quasdam Claſſes digerere.

§. 3. *Loca Tabularum, in quibus vox Αντομος adhiberi videtur pro uno ſingulari palo.*

Ab illis incipio locis, in quibus videtur *Antomus* unum ſingularem ſtipitem deſignare, uti cum jungitur cum Πρατος, *Primus* (ut in Brit. 21. & I. 3.) aut cum Δευτερος, *Secundus* (ut B. 26. 31. & I. 35. 114.) vel cum Τριτος, *Tertius* (uti I. 119.) quae uſurpatio videbatur in ſpeciem unum ſingularem ſtipitem (quem pro termino ſcilicet aliave de cauſa depanxiſſent) deſignare: niſi loca (11) alia obſtarent.

Eidem ſignificationi & illa loca velificari videntur, in quibus Αντομος cum αγων (*ducens*) copulatur: nam ſi in his *Antomus* terminus fuerit, ejus *rigor* (Gr. ἀνθυωρεία) recte huc illucque *ducere* dicebatur. Juncta cum Αγων in (12) imo reperies. Etſi cur ne his quidem exemplis ſatis fidam locus alius ſingularis (13) facit. Atque ea exempla ſunt, quae in ſpeciem videbantur *Antomos* ſingulares inducere.

§. 4. *Loca Tabularum in Claſſes diſtincta, quae Antomum intelligi ſingularem Vallum vetant, ac potius eorumdem catenam fuiſſe adſtruunt.*

At exempla cetera *Antomum* fuiſſe potius ſtipitum ſeptum ſuadent: quae loca in claſſes diſtinguemus.

I. Claſſis illorum eſt, in quibus *Antomus* ab ορω (*termino*) diſtinguitur, ut paſſim hoc ipſo Tabulae loco, qui praemanibus eſt, quo de terminatione univerſi agri agitur, *Antomus* tamquam aliud a termino ſaepius uſurpatur. Itaque I. 6. & ſeq. ſcribitur: *Depanximus . . . unum quidem terminum in Antomo, qui* &c. *alium vero in Antome, qui* &c. Sic etiam v. 20. 34. 35. 41. 42. Ex his vides *Antomum* longe aliud quam terminum fuiſſe; quia ineptum fuiſſet, ſi in *Antomo* (h. e. termino) termini depangerentur. Verum non tam, quid non fuerit *Antomus*, quam quid fuerit, age quaeramus. Dixi, ſeptum tranſverſum, ex palis praeacutis contextum, videri fuiſſe. Id age non nullis locorum id ſuadentium claſſibus oſtendamus.

II. Claſſis illorum eſt locorum, in quibus *Antomus* cum particula Παρ (pro παρα, *ſecundum*) copulatur: quod frequentiſſimum eſt. Veluti B. 15. απο τω αντομω τω παρ τα Ηρωιδεια αγοντος, *Ab antomo, qui ſecundum Heroidea ducit*. Vbi cum illa Heroidum ſepulcreta in longum protenderentur, ita & *Antomum* ſua longitudine praeditum oportuit. Similia ſunt loca illa, in quibus *Antomus* παρ τα Φιντιες, παρ τον τριακονταπεδον &c. ducere dicitur. Vide & I. 10. 20. 34. 41. At I. 38. 39. duo junguntur *Antomi* his verbis: τοι τε αντο-

regionibus palos pro terminis obſervant, alii iliceos (idque plurimum, ut ex aliis locis conſtat) *alii oleagineos, alii vero juniperos*. In eisd. Scriptor. agrar. ex libris Magonis & Vegoiae p. 257. *Palos iliceos picatos pro terminis defiximus*. Ibid. p. 305. ex Caio: *In orientales partes omnes palos de ilice picatos poſuimus: in terminatione vero quam maxime ſub terra ipſos palos cooperuimus, & ſignatim, ut inveniantur pali ipſi, ſtellam conſecravimus*. In duobus poſterioribus agrariis locis alii pro *picatos* (quod ceteroqui probum eſt; pice enim nunc quoque illinuntur adverſus quaslibet aeris injurias) legunt *ſpicatos*: quod magis arridet. *Spicare* eſt acuere in conum & in ſpicae modum: aut eſt, ſi malumus, *ſpiculo* praefixo obarmare: veluti ſariſſas illas, ſive longiores haſtas, quas hodieque *piccas* ſive *picas* a ſpicando appellant. Vide Turnebum XXI. Adv. 25. Hoc ſi placeat; non mirum ſi in agrariis illis ſcriptoribus *pali picati* pro *ſpicatis* occurrant, eodem nim. ſibili detrimento, quod & in *Pica* hodierna pro *ſpica* factum eſt.

(11) Obſtant vero haec loca duo. Nam in B. 25. *Antomus* (πρατος) *primus* cum Παρ jungitur: de cujus vi praepoſitionis vide mox §. 4. Claſſe 2. Sed alter locus excidit: nec reperire tanti erat.

(12) Αντομος ες ποταμον αγων, *Antomus ad amnem ducens*, reperitur II. 72. 81. 88. 93. 94. 100. Cum vero ἀνθυωρείας (*rigoris*) ratione huc aut illuc Antomus ducere dici videatur; hinc videtur ad termini genus aliquod referendus.

(13) Nam II. 72. locus illuſtris eſt, in quo Antomus διατέμνει (*diſſecat*) *agros*, ſimulque (poſt agros diſſectos ſcilicet) *ad fluvium ducit*. Quo loco Antomus videtur ſeptum eſſe quoddam, horum utrumque praeſtans. De Antomo agros diſſecante & dirimente vide mox §. 4. loca plurima.

Digitized by Google

αντομοι Ηο τε παρ τα Ηρωιδεια αγων και Ηο παρ τα Φιντια: *Et Antomi, tum qui praeter Heroideia ducit, tum qui praeter Phintia.* Ejusdem modi sunt & illi Antomi plures, qui mox a ver. 42. ad 44. confertim junguntur, in quibus termini depacti narrantur. *In antomo*, inquit, *tum qui praeter Triacontapedam vadit, tum in sequente, binos utrobique* (terminos) *depanximus; in eo vero* (antomo) *qui praeter Phintia* (vadit, terminos) *septem, cum eo qui praeter Byblinum amfractum, praeterque fossam* (vadit). Ergo, ut iterum dicam, τὸ Παρ quod cum Αντομος jungitur, aperte suadet, *Antomum* non unum singularem stipitem (cui illud, *Praeter Phintia &c. ducere*, minime convenit) exstitisse, sed quidvis aliud in longum excurrens. Accedit quod istud Παρ interdum cum οριζων copulatur, veluti hoc ipso loco, cujus gratiâ hanc discussionem instituimus. Quo loco sic finitores loquuntur: *Depanximus terminos . . . unum quidem in antomo, qui secundum Pandosiam & Heroideia vadit* (τω οριζοντος) *quique sacram terram atque privatam disterminat . . . . alium vero* (terminum) *in antomo praeter Phintia ducente.* Vides igitur *Antomo* non hoc tantum tribui, ut secundum longa quaedam aedificia aut loca currat, verum etiam ut suo itinere agrum sacrum a privato dirimat: quod uni singulari stipiti non est ut possis tribuere. Sed jam istud οριζω, quod in superiore loco cum Παρ jungitur, alibi sine Παρ reperies: de quibus in Classe seq.

III. Classis eorum locorum est, in quibus *Antomus* unam terram ab alia disterminare (haud certe aliter, quam secundum longitudinem suam) dicitur: cujusmodi locum unum extremâ Classe 2. attulimus. At alter exstat in Br. 13. *Antomum*, inquit (οριζοντα) *disterminantem Dionysi agros ab eo quem Coneas . . . possidebat.* Et v. 32. *Antomum* (οριζοντα) *qui* (hinc) *sacram* (illinc) *privatam terram finit.* Et I. 119. *Antomum* (οριζοντα) *dirimentem Dionysi agros a Phintiae . . . possessionibus.* At ea loca sunt multo luculentiora, in quibus Διαταμνω pro οριζω usurpatur. Sic Br. 12. *Ab antomo . . .* (διαταμνοντος) *diffindente sacros agros a priva terra.* Et II. 72. *Ab antomo* (διαταμνοντος) *dirimente campos.*

IV. Classis ejusmodi locorum est, in quibus Antomo duo tribuuntur latera (in longum haud dubie ambo protenta) sacrum unum, privatum alterum: sane quia ductu suo antomus uno latere sacram terram, altero privatam praeterraderet. Sic I. 18. *Alios quidem* (terminos) *in sacro latere antomi* &c. *alios vero in privata terra* &c. Mox I. 25. ubi dicuntur statuti termini *In sacro latere*, subaudiendum est, *illius Antomi.*

Ex his jam luce ipsa luculentius fore arbitror, *Antomos* in longum processisse. Cumque Hesychio teste *Antomus* sit σκόλοψ h. e. *palus*, sive stipes; hos palos non singulos, sed longa contextos serie par est accipi, ex quibus septum ad disterminandos agros exsistebat, quod intergerini parietis maceriaeve vicem praestaret.

§. 5. *Antomum in Tabula II. videri fuisse genus aliquod fossae. An fossa Vallaris fuerit, quâ scilicet χαράκωμα praefodiebatur. Nihil horum fuisse.*

Ac superiores quatuor exemplorum classes jam prope fuaserant, Antomos non alio quam ad vallum sive sepimentum pertinuisse; nisi locus unus intercessisset, qui fossam potius fuisse demonstraret. Nam in Tab. II. a versu 63. sic scribitur. *Quarta* (agri) *pars longitudinem* (habet) *a Vicatideio ad* (τραφον) *fossam praeter flumen* (actam) *latitudinem vero a terminis partis tertiae ad terminos & ad Antomum bifariam secantem agros* (τον ΕΤΑΜΟΜΕΣ . . .) *quem excidimus a Vicatideio ad flumen, ad eorum communem usum, qui agros conduxere sacros.* Ex his tum *Antomi* perspicis etymon ab ἀνατέμνω, tum etiam cur ita dictus, ex eo scilicet quod in terra excideretur & excavaretur. Quod totum fossae cuipiam convenire videtur.

Quod si placeat Hesychium cum suprascripto Tabulae loco conciliare; ea lis ita componi potest: Αντομος quidem Hesychio proprie est Σκόλοψ (*praeacutus palus*) idque ex vi vocabuli, ex ἀνὰ & τομὸς, quasi *praeacutus*, ut dixi Adn. 8. At in recitato Tab. II. loco proprie videtur esse *fossa*, & a τέμνω dicta, quod per eam terra fecetur. Verum ad ultimum ex utroque ejus vocabuli significatu confiet tertius, quo totum χαράκωμα (*vallum*) significatur, quod tum ex stipitum

Digitized by Google

Heſychianorum textura, tum ex foſſa ſepto illi praetentâ confit. Licebitne igitur τὸν Αντομον interpretari *Vallum*, agrarium ſcilicet ſepimentum, ad dirimendas ſimul & muniendas agrorum portiones aptum? an vero nondum licet?

Per me quidem certe non licet. Nam I. cum in his Tabulis foſſa longe aliis ſignetur vocabulis (modo enim τραφος, pro τάφρος, modo διώρυξ vocatur) cur etiam tertio vocabulo Αντομος diceretur? Aut quodnam inter haec foſſarum nomina diſcrimen erit? II. Deinde in eo rei caput eſt, quod *Antomum* interpretari *Vallum*, videtur putidiuſculum. Imo ne *Septum* quidem ex vallis contextum interpretabimur. Nam in re agraria ignota iſtiuſmodi ſepimenta (praeſertim numero immani) in uſum diſcriminandi ſunt: quippe hoc totum per terminos perque *Limites* potiſſimum peragebatur: de quibus limitibus jam eſt dicendum.

PARS ALTERA

§. 1. *ANTOMVM Heracleoticum haud plane aliud fuiſſe quam agrarium Limitem.*

Hactenus, quia Heſychium (fidum alioqui ſemper harum Tabularum interpretem) ſequi per omnia certum fuerat; per diverſas errorum ambages, incerti viae, vagati fuimus. At poſtquam Tabulas ipſas ſuimet interpretes, relicto tantiſper (14) Heſychio, in conſilium adſciviimus; plane animadvertimus, *Antomum* noſtrum agrarium, 1. nec σχόλοπα ſingularem fuiſſe nec terminum, 2. nec vallare ſeptum, 3. nec foſſam; nec aliud poſtremo fuiſſe, quam agrarium *Limitem*. Id quod his rationibus comprobo.

I. Nemo ignorat hominum, totum aſſignationis agrariae negotium apud Latinos per *Limites* unice tranſigi conſueviſſe; uti conſtat ex agrariis ſcriptoribus. At in his Tabulis (in quibus limitare potiſſimum tractatur opus) ſi Αντομος *Limes* non ſit, quaero ecquodnam vocabulum Latino *Limes* reſpondeat? At ſi Αντομον fatebimur eſſe *limitem*; minus profecto mirabimur, ſi nullum frequentius *Antomo* nomen in Tabulis hiſce recurrat. Merito id quidem; quoniam haud ferme in his aliud a finitoribus agitur, quam, quod finitorum munus eſt, finium regundorum negotium.

II. Huic notioni etymon haud mediocriter adſtipulatur. Ἄντομον enim fieri a Dorico αντάμνω, *diſſeco*, oſtenditur ex II. 65. 66. τον αντομον τον διαταμνοντα τως χωρως, τον ΕΤΑΜΟΜΕΣ εκ τω cιγατιδειω ες ποταμον. *Antomum illum qui hos agros dividit medios, quem incidimus a Vicatideio ad flumen*. Limes igitur Magnis Graecis dicebatur *Antomus* a τέμνω, duabus de cauſis, ſive quod ejus erat διατέμνειν (*diſtinguere*) partem unam ab altera, ſive quod *antomus* ipſe ἐτάμνετο (uti loquitur Tabula) h. e. ſulco incidebatur, ac ſignabatur primum; etſi is poſtea ſulcus, ſi quidem actum iterve deberet, ſemita aut via fieret, prout ad primariorum, aut ſecundariorum, aut his etiam anguſtiorum limitum genus pertineret.

III. Percurrant, quibus id curae fuerit, locos tabularum omnes de *Antomo*, quos §. 4. produximus, atque experiantur, ſi poſſunt, utrum unus aliquis illorum in Latinorum *Limitem* minime conveniat, nec ibi Antomus *Limitis* Latiaris munus peragat.

IV. Quemadmodum autem agrariis Latinorum ſcriptoribus plura limitum fuere genera, ampliora quaedam, alia minora & anguſtiora; hoc idem de *Antomis* finitionis Heracleoticae verum eſt: de quo jam peculiariter in ſequentibus agemus.


§. 2. *Genera Limitum apud ſcriptores Latinos: quibus paria quaedam in his Tabulis deteguntur.*

Ineptus plane ſim, ſi quidem accurate *Limitum* doctrinam ex auctorum agrariorum diſciplina tractare aggrediar. Sufficiat, id quod hîc ſatis erit, rerum praecipua capita paucis adlambere. Ergo *Univerſitatis* (ſic enim agrum univerſum colonis aſſignandum vocabant) duo erant praecipui limites ἐγχιαζόμενοι (*ſeſe invicem decuſſantes*) quorum unus ab oriente in occidentem ſignatus, *Decumanus maximus* vocabatur, alter vero a ſeptentrione in

(14) Cave tamen putes, Heſychium hîc a nobis erroris argui. Nihil minus. Nam Αντομος, quatenus ex ἀντὰ (*deſuper*) & ex τομὸς (*acutus*) fiebat, *palum praeacutum* notabat; ejuſque notionis exempla Heſychio ad manus erant. At quatenus ex Dorico verbo Αντάμνω (*dirimo*) deducebatur, erit id, quod hac Parte altera explicatum imus.

Digitized by Google

in auſtrum, *Cardo maximus*. Decumano maximo pedum XL. latitudinem, Cardini XX. tribuebant. De utriuſque latitudine vide Goeſium in Agrariis Antiquitatibus pag. 85. Reliqui omnes his duobus paralleli erant, ſed ita ut qui ab oriente in occidentem procederent, *Decumani* omnes, qui a ſeptentrione in meridiem, *Cardines* communi vocabulo nuncuparentur. Horum vero parallelorum quintus quiſque ped. XII. in latum patebat, qui & *actuarius* a re vocabatur, quod actum deberent; ceteri *linearii* dicebantur, quippe quam minima latitudine praediti. Nec pluribus nunc opus eſt. Haec vero eadem in appoſito Diagrammate contemplari licebit.



(15) *In portentoſum* τῦ ϲικατιδειω *vocabulum inquiritur, ac ſuadetur eſſe limitem Decumanum pedes XL. latum,* τῦ ϲικατιπεδω *duplum.*

ϲικατιδειος a priore Tabula prorſus exſulans, in poſteriore undevicies uiurpatur, ſed ita incertâ notione, ut vix a Silvano Patre ceteriſque agreſtibus diis exſpectari interpretatio tanti aenigmatis poſſit: quod incommodum utinam non etiam in Latinis ſcriptorum agrariorum vocabulis millies uſuveniret. De *Vicatideo* iſto ad Tab. II. ſiqua forte exploratiora ſuccurrent, adnumerabimus. Interim haec tantum habeo dicere.

I. Cum ϲικατιδειον v. 18. 42. 77. articulum Τον ante ſe gerat (nam alibi genitivi caſus eſt) non dubium eſt, quin ibi ſit quarti caſus & a maſculino ϲικατιδειος veniat. Sicuti vero *Vicatipedus* genus eſt *Antomi* (cum quo vocabulo v. 72. diſerte jungitur) ita & *Vicatideus* non niſi Antomus eſt: ut duo nempe ſint limites maximi ſeſe normaliter decuſſantes.

II. Ad utriuſque vero latitudinem quod attinet: *Vicatipedus* quidem nomine ſuo ſe prodit pedes XX. in latum patuiſſe: quo quidem latitudinis modulo *Cardini* Latino reſpondet. Vtinam vero latitudinis hujus duplam rationem in *Vicatideo* reperiamus, ita ut *Decumano* Latino par eſſe poſſit

Hîc ego ſtultus fuerim, ſi, quae Latinis Reipublicae aut Caeſarum tempore in uſu fuere, eadem & Magnis hiſce Graecis, & quidem tanto ante Chriſtum intervallo, tribuere adnitar; praeſertim cum nec Tabulae I. ager Dionyſiacus, nec alterius aeris campus Minervius, totum Heracleae territorium (*Univerſitatem* ſive *Perticam* Scriptores gromatici vocant) exaequent; ſed, quantumlibet hos agros amplificaveris, vel ſic tamen multeſimam univerſitatis partem fatearis neceſſe ſit. Tamen cum pluſcula in his Tabulis *Antomorum* h. e. Limitum nomina deprehenderim; videor & horum antomorum non nullis reſpondentia in agrariis Latinis auctoribus vocabula deprehendere.

Atque ut ab iis, in quorum contemplatione diſciplina omnis agraria vertitur, ordiar; in Tabula alterâ mihi plane videbatur *Vicatideus* Latinorum Decumano maximo, *Vicatipedus* autem Cardini maximo reſpondiſſe: id quod tum limitum iſtorum directio, tum etiam latitudo demonſtrat.

A latitudine incipio. *Vicatipedum* viginti pedes in latum patuiſſe, nomen ipſum oſtendit: at vero *Vicatideum* duplo fuiſſe ampliorem ſuſpicor h. e. pedibus XL. latum: niſi me vero audacior (15) conjectura tranſverſum agit. Adhaec *Vicatideus* ab

Sane vero experiamur; ſed ita, ut ſicuti in ruſticis auctorum agrariorum vocibus raro analogiae ratio conſtare deprehenditur; eadem agrariis harum Tabularum vocabulis largienda ſit venia: quae quidem ruſtica nomina longe his Tabulis vetuſtiora fuiſſe credendum eſt, & ad illam Hellenicae linguae infantiam referenda, ſub qua analogia prope nulla in verborum derivatione obſervabatur.

Venio igitur ad vocis *Vicatideus* geneſim. Nominis partem priorem ϲικατι (*viginti*) notiſſimam aera noſtra fecerunt. At pars altera incerta eſt. An vero huc facit, quod Heſychius Ιδύας interpretatur *μάρτυρας*, *συνίσορας* h. e. *teſtes* aut *conſcios*? in quo vocalis Υ facile in ΕΙ tranſire potuit, ut exemplis infra oſtendetur. At ecquid ſibi velint *Viginti teſtes*, aut *teſtium viginti limes*, quiſnam expediet?

Verum ſi quidem Υ in Ει mutatum fuerit, multo facilius videbitur, *Vicatideum* ex ϲικατι & δυο coaluiſſe. Mutationis τῦ Υ in ΕΙ haec exempla Mich. Maittairus affert in Dialectis (edit. Hagae-Com. ann. 1738. pag. 169.) ΓΕΙΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΣ pro *γυμν.* apud Grut. 317. 2. ΜΕΙΩΠΑ pro *μυ.* ex Salmaſio Inſcript. vet. pag. 16. Adhaec ΜΕΙΟΤΡΟΝ pro *μύυρ.* plurium teſtimonio firmatur. Sed multo plura repertum iri, non dubito. Jam ſi admittimus *Vicatideum* ex ϲικατι (*viginti*) & ex δύο (*duo*) factum, eâ notione videtur dictus

Digitized by Google

ab oriente (16) in occidentem progrediebatur, ſicuti *Vicatipedus* a ſeptentrione (17) in auſtrum pertinebat. Ex quibus vides maximos hoſce agri Minervae ſacri limites in Tab. II. deſcriptos, tum directione ad mundi cardines, tum latitudinis modulo, aut eosdem, aut pares Agrariis Latinorum limitibus exſtitiſſe. Verum de *Vicatipedo* & *Vicatideo* plura forſitan Tab. II. ſuis locis, ſi animo ſuccurrerit, dabimus.

Interim non me poenitet, tamdiu in hiſce immoratum; ſatis enim perſpicio, utriuſque aeris intelligentiam exunius *Antomi* vera notione pendere.

§. 3. *Romanos facile a Magnis Graecis hauſiſſe diſciplinae limitaris primordia; ſed ea poſtmodum ampliora feciſſe, ſimulque texiſſe verborum inexplicabilium involucris.*

Hoc unum hîc monuiſſe proderit, ex his paucis, quae notavi, videri Romanos totam limitarem diſciplinam ex Magnis hiſce Graecis primitus didiciſſe, eamque multis deinde acceſſionibus ampli-

VERSV 8. 9. ανχωριξαντες &c.] Hunc & ſequentem verſum uſque ad οροι in noſtra interpretatione claritatis gratia uncis interpoſuimus. Sed jam translationis noſtrae reddenda eſt de ſingulis ratio. Doricum illud ανχωριξαντες (pro ἀναχωρίσαντες) vertimus *Reſtituentes*. H. Steph. in Indice Αναχωρίζω interpretatur, ἀναχωρεῖν ποιῶ, *Recedere facio*. Deinde Xenophontis locum in II. Paed. (ἐπεὶ δὲ ὁ λαχαγὸς αὐτὸς ἀνεχώριζεν) ſic interpretatur, *Redire in ſuum quemque locum jubebat, nolens videlicet* (αὐτὸς προϊέναι) *eos progredi*. Ibidem Xenophon verbo καταχωρίζω utitur

ficaſſe; ſed ita ut αἰνίττεσθαι (*aenigmata loqui*) ſemper ſtuduerint, forſitan ne ea ars in vulgus manaret. Idem aenigmatum ſtudium auguribus ceteriſque divinis, imo, quod magis mirere, formularum legitimarum fabris, quin & vetuſtioribus ICtis ſemper cordi fuit, ita ut illa aenigmata non niſi τοῖς συμμύσταις paterent, profanis crux poſita ſtarent.

diſtus, quaſi ſit Antomus ſecundus ſupra vigeſimum. Atqui abſona eſt ea ſignificatio; nam ex univerſa Tabula conſtat, hunc Limitem fuiſſe primarium, nec ex numerariis ac linearis unum.

Adhaec alius erit, qui forſitan *Vicatideo* duos & viginti pedes latitudinis ex vi nominis tribuendos cenſeat. Ita quidem arbitranti minime ſuccenſeam. At ſi ea latitudo fuit, quanto aptius fuiſſet εικατόδιπεδον nuncupare? Adde hoc etiam, quod *Vicatideo* uſus & nobilitas tanta fuit toto Aere II. ut amplior ei podiſmus, & quidem rotundo numero tribuendus fuiſſe videatur, ſicuti in *Vicatipedo*, in *Triacontapedo*, & *Hecatompedo* factum videmus. Nam quo tanta parcitas, ut duos tantum ſupra viginti admetirentur pedes?

Sane indicio Latinorum, qui *Cardini* XX. *Decumano* vero *maximo* duplum ejus latitudinis largiebantur, adductus, ſic ineo rationes. Nam cum *Vicatipedus* Cardini, *Vicatideus* Decumano max. reſpondiſſe videatur; nihil ſane mallem, quam τὸ Δεῖον (ex δύο utique factum) apud vetuſtiſſimos Graeciae Magnae finitores idem fuiſſe quod *Duplum*: proinde *Vicatideum* fuiſſe *bis viginti* (ſupple, *pedes*) latum. Cur vero in hoc compoſito τὸ Πεδον tacuerint, videtur cauſa fuiſſe multiplex: primum ne vocabulum productius facerent; deinde quod videntur hi finitores primum omnium ſignaſſe atq. appellaſſe Cardinem, ejuſque nomen a pedum viginti modulo fictum *Vicatipedum* ediditſſe. At ubi poſtea Decumanum ſignabant maximum; cum hic Cardine poſterior eſſet, nihil opus erat *pedum* vocem iterato inculcare, ac ſatis fuit ſi *bis viginti* numerum in ejus nomen includerent. Haec ita, uti expoſui, ſe habuiſſe, nec praeſtare audeo, nec poſſum: at ſaltem cupio, ſi quod conjeci non ſit, ecquid aliud εικατοδιπεδος ſit, a viris eruditiſſimis expediri.

(16) *Amplius oſtenditur, Vicatideum non aliud fuiſſe quam Decumanum max. ex eo quod Aciri parallelus fuerit, Cardinem vero normaliter ſecuerit.*

Ex eo maxime oſtenditur ab ortu in occaſum ductus atque directio *Vicatideae*, quod hic Aciri amni (qui quâ mari appropinquabat, ab occaſu in ortum tendebat) parallelus fuerit. Parallelum ſane flumini *Vicatideum* fuiſſe liquet ex II. 43. 44. 45. ubi finitores πόδοσιν (*acceſſum*, h. e. limitem actuarium: aut quidvis aliud: quod ὁκταπέδον dicunt i. e. octo pedum) *fodiunt ex Vicatideo . . . uſque ad flumen*. Vbi quodcumq. eſt id, quod πόδοσις vocatur, non potuit non *Vicatideum*, h. e. Decumanum Maximum ſecare normaliter; ita ut iſtud πόδοσις ex Cardinibus actuariis unus fuerit. Confer & ſeq. Adn.

Ad haec in eadem Tab. II. a ver. 64. ad 67. hoc idem luculentius declaratur, iis maxime verbis, ubi Antomum Vicatipedum (qui certe *Vicatideum* ad angulos rectos findebat) a *Vicatideo* ad flumen fuiſſe exciſum ſignificatur: unde *Vicatipedus* paſſim alibi ὁ ἐς ποταμὸν ἄγων (*ad flexvium ducens*) vocari ſolet. Adde verſus 72. 73. 74.

Jam vero aes prius & aes alterum de eodem prorſus loquuntur *Vicatipedo* eodemque *Vicatideo*; quia totius perticae ſive univerſitatis Heracleoticae limites fuere primarii: a quibus agri ſacri utriuſq. limites ſecundarii dirigebantur. Confer & ſeq. Adn.

(17) Ex II. 72. 73. 74. luculenter intelligitur, *Vicatipedum* (qui aliis nominibus ver. 72. dicitur *Antomus agros bifariam dividens*, itemque *Ad flumen ducens*) ad rectos angulos ſecuiſſe *Vicatideum*: hunc vero ab ortu in occaſum, illum ab Auſtro ad flumen ſive ad Boream iviſſe. Imo tota Tabulae II. συνοχέα haec eadem ſignificat.

Digitized by Google

7 τω παρ τα Ηρωιδεια τω οριζοντος των τε Ιαραν γαν και των Ειδιαν	τοῦ παρὰ τὰ Ἡρωιδεῖα τοῦ ὁρίζοντος τὴν τε ἱερὰν γῆν καὶ τὴν ἰδίαν
8 αναχωριζαντες απο των αποροαν ες την Ειδιαν γαν Ινως μη καταλυ-	(ἀναχωρίσαντες ἀπὸ τῶν ἀπορρώων εἰς τὴν ἰδίαν γῆν ὡς μὴ καταλυ-
9 μαχωθης αδηλωθειη καθως τοι εμπροσθα οροι αλλον δε επι τω αν-	μαχωθεὶς ἀδηλωθείη, καθὼς οἱ ἔμπροσθεν ὅροι) ἄλλον δὲ ἐπὶ τῷ ἀν-

7. *praeterque Heroideia* (progreditur) *qui ſacram terram a privata dirimit:*
8. (*reſtituentes* eum terminum *a* torrentium *defluxibus* , in quos ſcilicet a privatis tranſpoſitus fuerat , *in privatam terram ; ne forte aggeſtu limoſo*
9. *obductus , viſum effugeret , ſicuti ſuperioris temporis termini*). *Alterum autem* (terminum) *in li-*

utitur pro eo quod eſt , *In ſuum quemque locum colloco*. Nec alia hujus verbi exempla promuntur . Porro Stephaniana notio huic Tabulae loco convenit : *Redire facientes* , ſeu *Reſtituentes* (eum terminum) *ex . . . in privam terram:* in qua ſcilicet primitus fuerat. Nec aliter mox ver. 11.

Ibidem απο των αποροαν.] Ad Br. ver. 17. ſuadebam αποροας verti debere *Deſtillationes*. At poſtea mutato conſilio in mea Britannici fruſti interpretatione pag. 169. *Torrentes* ubique reddidi. Atq. ut ita cenſerem , locus hic unus fecit: ex quo appareret , idcirco eum terminum ἐξ αποροῶν fuiſſe translatum in terram privam , ne ſaxis (quae nimirum torrens montanus aggereret) obrutus obſcuraretur.

Ergo , uti dixi , in mea Britan. fruſti translatione pag. 169. illud αποροας , ſemper verti *Torrentes* : montanos intelligens , a quibus illud aggeſtionis periculum imminebat . Nunc autem *Torrentium* (praeſertim plur. numero) vocabulum diſplicet : cujus loco *Defluxus* montanos ſubſtituo . Nec enim αποροαις quidquam magis reſpondet , quam *Defluxus*. In Gloſ. G. L. Απόῤῥοια eſt *Defluxio*. Crediderim ex colle Pandoſiae (ad cujus radices erat locus hic dictus αποροαι) plures defluxiſſe prope perennes rivos , qui ex re vocabantur αποροαι h. e. *Defluxus* . Hi vero , ubi inundatione intumuiſſent , lapides cum glareâ limoque ex monte volvebant , quibus termini obducebantur .

Ibidem καταλυμαχωθης.] Quod in ultima ſyllaba τὸ η loco diphthongi ει adſcribatur , ad ignotum id Doriſmum eſt referendum . Ergo thema eſt καταλυμαχόω , novum huc uſque verbum . Ejus tamen verbi intelligentia accepto referenda eſt uni Heſychio : apud quem legitur : Λύμαχες · πέτραι . Jam ſi Λύμαχες ſunt *petrae* ; Λυμαχόω , & Καταλυμαχόω , erit *Aggeſtu lapidum* aliquid *obruere* .

Tametſi liceat mihi tantiſper ab Heſychio diſcedere . Nam τὸ λυμαχόω hic ad torrentes refertur ; & niſi vehementer fallor , ſordes omnes ſignificat , quaſcunque torrens raptare ſolet , ſive lapides , ſive glaream , ſive limum . Λύμαχες enim dicuntur a λῦμα , quod *ſordes* ſive purgamentum notat . Quocirca aſſentior Heſychio λύμαχας interpretanti πέτρας , ſed quatenus purgamenta ſint , non tantum torrentium , ſed univerſe . Quod vero etiam *Limus* ambitu λυμάχων contineatur , ſuadetur ex vera *Limi* etymologia , quae a λύμαξ aut a λῦμα venit . Ergo iſtud καταλυμαχωθης verti poteſt , *Glarea limoque obductus* . Aut vero *Aggeſtu limoſo obductus* ; nam *limi* nomine etiam glarea & petrae continebantur.

Ibidem ſequitur αδηλωθειη . Verbum Αδηλόω videbar Heſychio poſſe debere , nomen inde derivatum Αδήλωτον depromenti. ΑΔΗΛΩΤΟΝ , inquit , ἀδιάφορον · δεξιὸν &c. quae non ſatis voci exponendae reſpondent . Vide (18) locum . Verum jam pridem

(18) *Heſychii locus vindicatus & explanatus : τὸ Αδήλωτος primariae duae ſignificantiae diſpares eruuntur.*
Locus integer ſic concipitur : ΑΔΗΛΩΤΟΝ· ἀδιάφορον· δεξιόν· συνετόν· ἢ πέννας· ἄπορον. Vbi Kuſterus in adnotatis ad Heſychium (edit. ultimae) eo propendet , ut non Αδήλωτον , ſed Αδήλητον ſibi interpretandum Heſychius propoſuerit ; modo legatur ἀδιάφθορον . Sed tamen Αδήλητον fuiſſet extra Alphabeti

10 τομω τω παρ τα Φιντια αγοντος εστα-
σαμες παρ ταν Βυβλιαν και
11 ταν διωρυγα ανχωριξαντες Ηωσαυτως ες
ταν Ϲιδιαν γαν ταν αλ-

τόμου τοῦ παρὰ τὰ Φίντια ἄγοντος ἐϛήσα-
μεν παρὰ τὴν βυβλίαν καὶ
τὴν διώρυγα, ἀναχωρίσαντες ὡσαύτως εἰς τὴν
ἰδίαν γῆν τὴν. Ἄλ-

10. *mite ſecundum Phintia ducente ſtatuimus juxta Bybliam* (vineam) *atque*
11. *foſſam, ſimiliter* (eum) *reſtituentes in privam terram ſupradictam. Ali-*

dem non quidem derivati nominis (cujuſmodi Ἀδήλωτος) ſed ipſius verbi Ἀδηλόω ſingulare exemplum Suidas produxerat his verbis: ΑΔΗΛΩΣΑΣ· ἀγνώριϛον ποιήσας. *Eſt*, inquit, *Incognitum reddens*. Ac ſtatim auctoris anonymi hunc ſubjicit locum: ὁ δὲ ἀδηλώσας ἑαυτὸν πιναρᾷ ϛολῇ, καὶ λαβὼν δρέπανον, ὡς ἂν γῆς ἐργάτης. *Ille vero ſordida veſte indutus, & velut agricola, falce ſumpta, ſeſe ignotum praebuit*. Jam ergo Aoriſtum act. Suidae debebamus. Nunc etiam ejusdem verbi Aoriſtum paſſivum ex aere noſtro cognoſcimus.

Ibidem ſequitur καθως pro καθάπερ *ſicuti*. Phrynichus καθώς iſtud in reproba vocabula retulit: qui ejus loco καθά probavit. At in his tabulis καθώς quinquies occurrit, καθά quater. Idem iſtud καθώς in Graeco V. T. pluries legitur: in Novi vero Foederis libris omnibus perpetuum eſt.

Ibidem τοι εμπροσθα οροι] Doricum iſtud εμπροσθα pro ἔμπροσθεν hîc tantum & infra ver. 53. legitur. Ceterum ignotum eſt veteribus noviſque lexicis. Niſi quod in Favorino meo Baſileenſi ſic reperio: Ἔμπροσθεν ἀντὶ τοῦ ἔμπροσθε λέγουσι Δωριεῖς. At quis unquam τὸ ἔμπροσθε (quod eſt inuſitatum) dialecto communi, ἔμπροσθεν vero (certe commune) Dorienſibus tribuit? Haec neſciſſe Varinum noſtrum, vix credam. Quis ſcit an non ἔμπροσθα ἀντὶ τοῦ ἔμπροσθεν, e manu Varini fuerit?

VERSV 9. & 10. Αλλον δε &c. Poſitum eſt Αλλον pro ἕτερον (*alterum*) aut vero pro δεύτερον (*ſecundum*) quod Graecanicae proprietatis ſtudioſi notabunt; ſicuti & quae de plurali αλλως ad ver. 12. obſervaturi ſumus. At illud momenti majoris eſt, quod, cum infra v. 39. duo aſſignentur exteriores agrorum Dionyſi limites (unus per *Heroideia*, alter per *Phintia*) nunc in priore limite terminus ille prior v. 6. notatus, in altero vero hîc terminus alter depangitur. Poſtremo hi duo termini primi poterunt ad id genus referri, quos Agrarii ſcriptores *Incipientes* appellant, quod ab iis rectura incipit: de quibus infra Adn. 24. adnotantur nonnulla.

VERSV 10. 11. εσταϛαμες παρ ταν βιβλιαν και ταν διωρυγα] Hic locus plane germanus ejus eſt, qui infra v. 44. legitur. Eadem utrobique vocabula (niſi quod v. 44. βιβλιαν adjectivum eſt cum ſubſtantivo junctum, hîc autem iſtud βυβλιαν per ſe ſtat) idemque utrobique agri Dionyſiaci locus deſignatur. Ac ſane ſcriptionem bene longam his diebus de utraque voce contexueram, hîc inſerendam. Sed poſtea mutato conſilio, ne, crebro ſpiſſiorum excurſionum immiſſu, filum Tabulae abrumperem, ſtatui eam totam explanationem in ver. 45. (in quo tum eadem ſunt duo vocabula, tum etiam ibi pars prior hujus Tabulae deſinit) tranſponere. Siqui forte cupidiores fuerint, eo recurrant, cenſeo.

phabeti ſeriem: quam rariſſime in Heſychianis turbatam cernimus. Atqui illud mihi verius videtur, exiſtimaſſe Heſychium, tam Δηλέω (*Laedo*) quam Δηλόω (*Manifeſto*) ex una communi radice Δῆλος re ipſa venire: proinde tum ſimplicia Δηλέω & Δηλόω, tum etiam compoſita Ἀδήλητος & Ἀδήλωτος olim fuiſſe ſynonyma. Recte an ſecus ita cenſuerit, ἐπίχω: quotam enim quamque partem veteris ἑλληνισμοῦ tenemus? Hinc Heſychius in unum ΑΔΗΛΩΤΟΝ contulit utriuſque vocabuli ſignificationes, quas diviſit in claſſes duas. Nam ex Heſychianis interpretamentis priora tria (nim. ἀδιάφθορον, δεξιόν, συνετόν) vim τοῦ Ἀδήλωτος (quatenus idem ac Ἀδήλητος) recte exprimunt: at duo poſteriora (ἢ πένητα, ἄπορον: *aut pauperem, egenum*) τὸν Ἀδήλωτον (quatenus *obſcurum* atque *ignotum* ſignificat) notant. Quod quam recte explicent, intelliges ex ſuperne adſcripto Suidae loco: quo quidam non aliter, quam ſe agricolam h. e. pauperem aſſimulans, ſeſe ἀδηλώσας dicitur. Hinc opportune Heſychius ſua haec duûm generum interpretamenta (quorum tria priora ad Ἀδήλητον, duo alia ad Ἀδήλωτον pertinent) interpoſita particulâ, *Aut*, in claſſes diſcrevit duas. Nihil verius.

Digitized by Google

12 λως δε αντορως τουτοις εστασαμες επι τας αμαξιτω τας δια τω χα-

λως δὲ ἀνθόρους τούτοις ἐστήσαμεν ἐπὶ τῆς ἁμαξίτου τῆς διὰ τοῦ χα-

12. *os autem terminos bis adverſos ſtatuimus in via ploſtraria, quae per* (torrentis) *al-*

ſeo. Interim hoc praedictum lectori volo, *βυβλίων* eſſe ſelectiſſimae vitis aut vineti proprium nomen, *διώρυγα* vero foſſae genus eſſe.

VERSV 11. *ες ταν ϲιδιων γαν ταν*] Iſtud *ταν* alicui videbitur ſcalptoris oſcitantiâ pro *ταύταν* hîc excidiſſe. At hunc equidem locum ſuſpicione libero. Nam etſi Articulus, cum pro *ὅτος* ponitur, haud poſtponi ad ultimum locum ſolet; tamen hujuſmodi poſtpoſitionis exempla non defutura rimantibus auguror. Vt in Heſiodo, *κλυτὰ τεύχεα τοῖο*, pro *τούτου*. Lyſias: *καί μοι κάλει τὸν καὶ τὸν*, pro *τοῦτον καὶ τοῦτον*. Verum his immorari pudet.

VERSV 12. *αλλως δε αντορως τυτοις εστασαμες*] De Αντορος (novo plane (19) verbo) videndum quid ſit. Nemo autem non cernit eſſe compoſitum ex *ἀντὶ* & ex maſculino *ὅρος*, *terminus*; quatenus ſcilicet hoc in his tabulis leni ſpiritu ſemper afficitur; alioqui enim Ανθορος ſcribendum fuiſſet. Ceterum ineptum ſit, ſi ex *ὁ ὁρὸς* arceſſas, quatenus eſt *ſerum lactis* (pro *ὀρὸς*) ſive ex *ὄρος* quod quamdam corporis partem aut olei prelum notat: quae huc non pertinent. Verum quid moror? Sententiam ſi ſpectes, non aliud quam *ὅρος* (*terminus*) huc poteſt congruere: quae vox etſi a ceteris aſperetur omnibus; in his tamen tabulis numquam denſatur, h. e. numquam cum littera ⊢ legitur. Ergo Αντορος eſt *ὅρῳ* reſpondens, ſive *ὅρος ἀντιτιθέμενος ὅρῳ*. Nam *ορω* rigor ad *ἄντορον* ſuum terminabatur. Quinquies ea vox & in priore hoc tantum aere occurrit, hîc & ver. 14. 20. 28. 30. Verum hîc & ver. 30. ad ſuum dativum *τούτοις* refertur, ut ſit: *Adverſos terminos bis* (terminis) *reſpondentes*. Quod eam vim habet, ut, cum *οροι* (*termini*) tantum duo hactenus numerati ſint; totidem & Αντοροι fuerint. Cumque ſupra ver. 9. Αλλον ſtet pro *ἕτερον*; hîc quoque Αλλως erit *ἑτέρως*: *Alteros* (totidem ſcilicet) *Antoros bis duobus terminis reſpondentes*. Jam vero, quia in *εστασαμες* penultimam ſyllabam ΣΑ ſcalptor omiſerat; eam ſecundis curis ſuperne ſupplevit, ut in tabula in aes incisâ vides.

Ibidem *επι τας αμαξιτω*] Hîc tantum ea vox reperitur, & quidem ſine denſa littera ⊢: cum tamen omnino ab omnibus aſperetur. Vt ſemel dicam; plurima in his Tabulis denſantur, quae a ceteris omnibus leniuntur: contra vero leniter alia non pauciora ſcribuntur, quae nemo non aſperat: id quod poteris ex vocum Indice deprehendere. Ad orthographiam etiam illud ſpectat, quod cum hoc vocabulum ſemel apud Xenophontem cum *Eta* in penult. legatur in Hellen. VII. (quod vereor ne ſit ex librariis; nam idem in II. Hell. cum I in pen. uſurpavit) hinc Iſ. Voſſius non aliam quam cum *Eta* veram eſſe ſcriptionem ſtatuit. Verum ut omittam hujus Tabulae auctoritatem, & Homericae Iliados X. exemplum (*καθ' ἁμαξιτὸν εσσεύοντο*: in quo verſus *προσῳδία* Eta Voſſianum arcebat) & quod illud *ἀμαξητὸς* ignotum ſit antiquis grammaticis; his dico miſſis, quis non videt, iſtud vocabulum ex *ἅμαξα* & *ἰτὸς* (inuſitato, ſed tamen analogico nomine) componi? Hinc Heſychius ſic habet: ΑΜΑΞΙΤΟΝ. *ὁδὸν δημοσίαν, καὶ ἁμάξαις διαπορευτὴν ὁδὸν*. Vbi illud *ἁμάξαις διαπορευτὴν* ad exprimendam vocabuli vim ex *ἰτὸς* compoſiti adhibuit. Poſtremo muliebre hujus vocabuli genus ex eo venit, quod ſemper *ὁδὸς* ſubaudiatur: quod & Malchus apud Suidam (in Ἀμαξιτὸν) expreſſit: *Aditus vero*, inquit, *Ciliciae* (*ἁμαξιτὸς ἦν ὁδός*) *via ploſtraria erat*. Hinc quae hîc

(19) Reperitur quidem Ανδορίζω, & Ανδοϊσμὸς (utrumque per Θ, ratione aſperi ſpiritûs in *ὅρος*) ſed ad Dialecticen pertinent. Itaque Ἀνδορισμὸς eſt *contraria definitio*, Graecis *ὅρος ἀντιδιῄρημενος τῷ ὅρῳ*; habetque apud rhetoras locum *ἐν ὁρικῇ στάσει*, ſive *In definitivo ſtatu*. Sed tamen haec quae apud dialecticos translate uſurpantur, ea non aliunde quam ex finitorum loquendi conſuetudine tracta fuerunt.

Digitized by Google

13 ραδεος αγωστας τας παρ τον δρυμον τας μεν σταλας ες ταν Ιαραν | ραδέος ἀγούστης τῆς παρὰ τὸν δρυμὸν· τὰς μὲν στήλας εἰς τὴν ἱερὰν

13. *veum ducit, praeterque ſylvam* (vadit); *& ita quidem, ut ſtelae ad ſacram*

αμαξιτος vocatur, eadem infra ver. 24. ſimpliciter Ὁδος dicitur. Videſis locum.

Ibid. δια τω χαραδεος] Hoc quoque inauditum eſt vocabulum, hîc tantum & infra ver. 25. occurrens. Nam Χαραδέως quod affert (20) H. Steph. eſt adverbium: noſtrum hoc autem nomen eſt, nim. Χαραδεὺς, χαραδέως. Ceterum ſicuti adverbium Χαραδέως a Χαράδρα venit (teſte Galeno) nempe abjecta caninâ litterâ; haud ſecus & nomen Χαραδεὺς ab eadem eſt origine. Ad ſignificationem quod attinet; ſicuti Χαράδρα nunc *torrentis alveum*, nunc ipſum *torrentem* notat; idem & de Χαραδεὺς dicendum erit. Et hîc quidem *alveum* potius quam *torrentem* ſignare videtur. At vero quod etiam ipſum *torrentem* Χαραδεὺς deſignare conſueverit, id argumento eſt, quod Hippocraticum adverbium χαραδέως non ἀμέτρως a voce χαράδρα venerit, ſed potius a nomine χαραδεὺς, χαραδέως. Nam adverb. Χαραδέως recte interpretaberis, *Confertim in modum torrentis*. Et *alvei* quidem notionem interpretando ſecutus fui; cum ceteroqui licuiſſet etiam *Vallum* aut *Foſſam* (21) aut poſtremo *Vallem* interpretari, niſi retruſiora conſulto vitarem.

VERSV 13. τας μεν σταλας &c.] Semel hîc tantum verbum hoc legitur: quod quidem variis modis exponi ſolet, puta *Cippus*, *pila*, *columna*. In vet. Gloſſis etiam *Statua* redditur, imo & (22) *Titulus*: At Plinius VI. c. 28. & 29. Graecam dictionem retinuit; a quo *ſcriptae* memorantur *Stelae lapideae litteris incognitis*. Hujus exemplum ſecutus, Grajum ipſum nomen retinui *Stelas*. Ac porro Στήλην eſſe ὅρους (*termini*) ſynonymon, oſtendit Heſychius, ubi diminutivum Στηλίδια exponit οἱ πεθειμένοι ὅροι. Eidem Ὅρος ſic definitur: ἡ στήλη ἡ καταπεπηγυῖα ἐπὶ χωρίῳ ἢ οἰκίᾳ, *Stele in agro aut domo depacta*. Idem a Dorico hujus loci Στάλα affert derivata (23) quaedam. Verum his miſſis, in Στάλας loci hujus eſt inquirendum. Jam proxime oſtendi ex Heſychio Ὅρους & Στήλας eſſe *Termini* ſynonyma. Quod ſic accipe, ut Στήλη non quivis terminus, ſed *inſcriptus* fuerit, h. e. primarius aliquis terminus, qui ſuam gerebat inſcriptionem, non vero ex ſecundariorum numero, quos *Curſorios*, ſive *non ſcriptos* vocabant.

Jam vero *Stelae* loci hujus non augent terminorum numerum, ſicuti nec *Antori* verſûs ſequentis; uti ſuo loco oſtendam ex terminorum ſumma, quae a v. 40. ad 45. deſcribitur. Ergo ſicuti Antori ver. ſeq. iidem ſunt ac duo illi ver. duodecimi, ita & ſtelae loci hujus non aliae plane ſunt ac duo illi *primarii* termini verſibus 6. & 9. memorati. Hos duos equidem vocavi *Primarios*: quos tamen ſcriptores Latinorum agrarii *Incipientes* (24) & *Praeſidentes* nuncupant. Hi dirigunt ceteros: eos ſcilicet, quos

(20) H. Steph. in Theſ. affert t. 4. p. 401. adverbium Χαραδέως: quod Galenus in lex. Hippocr. ex Χαράδρα arceſſit (ἀπὸ χαράδρας, inquit, γέγονε) & ἀθρόως exponit, h. e. *Acervatim*, *Confertim*, aut meo judicio *Impetuoſe*.

(21) In Gloſſis G. L. Χαράδρα (cuius notiones ſequitur χαραδεὺς) tantumdem eſt quod *Foſſa*, *Vallis*, *Cancellus*, *Canalis*, *Vallum*. Scribitur & in Philoxeni Gloſſis: *Valnus*. χαράδραξ: corrupte utrumque pro: *Vallus*, Χαράδρα. Ergo ſicuti Χάραξ, quod primario, & ex vi originis a χαράσσω, ſignificat *foſſam* illam, quae vallo praetenditur; tamen & pro *vallo* h. e. ſtipitum ſepto accipitur, & interdum pro *foſſa* ipſa, aut pro utroque; idem & in χαράδρα, & in χαραδεὺς accidiſſe videtur. Ergo haec facile non modo alveum torrentis, verum *vallum* ſive ſtipitum ſeptum notaverint. Id ſi eſt, videtur fuiſſe ſeptum aliquod, quo δρυμὸς (*ſylva*) quod ſtatim ſequitur, ab arabili dirimebatur. Aut poſtremo eſt *Vallis* (ut ſupra ex Gloſſis) ſive *depreſſa convallis* aliqua, per quam ſolet torrens decurrere.

(22) Non inepte *Titulus* redditur, quia *Stelae* proprie dicuntur eae, in quibus foedera, & alia poſteritati mandanda incidebantur. Hinc στλίστης dicitur is, qui in cippum inſcriptus erat: & στλιτεύω proprie eſt στλοκοπέω aut στλογραφέω, *in cippo* inſcribo: quod & in partem deteriorem ſumitur.

(23) Veluti quod Στάλιδας ait eſſe τὰς Κάμακας ἢ χάρακας i. e. *vitium pedamenta aut vallos*. Ejusdem Σταλίζομαι & Στάλικες indidem ſunt. Quod eo dico, ut appareat Heſychium raro Dorienſium noſtrorum neglexiſſe vocabula.

Digitized by Google

14 γαν τως δε αντορως ες ταν Ϲιδιαν γαν καταλιποντες Ϲικατιπεδον
15 αντομον Εσταταμες δε και μεσσορως δυο μεν επι τας Ηοδω τας
16 αγωσας εκ τε πολιος και εκ Παυδοσιας δια των Ηιαρων χωρων δυο
17 δε εν ταις Ηακροσκιριαις τουτως παντας αν ευθυωρειαν Ηομολο-

γῆν τοὺς δὲ ἀνθόρους εἰς τὴν ἰδίαν γῆν καταλιπόντες ἑϊκοσιπεδον
ἄντομον. Ἐσήταμεν δὲ καὶ μεσόρους, δύο μὲν ἐπὶ τῆς ὁδοῦ τῆς
ἀγούσης ἔκ τε πόλεως καὶ ἐκ Παυδοσίας διὰ τῶν ἱερῶν χώρων, δύο
δὲ ἐν ταῖς ἀκροσκιρίαις· τούτους πάντας ἀν' εὐθυωρείαν ὁμολό-

14. *terram, adverſi vero termini ad privam terram ſpectarent, relinquentes vicatipedum*
15. *limitem. Statuimus autem & medianos terminos, duos quidem in ea via quae*
16. *ducit tam ex Vrbe quam ex Pandoſia per ſacros campos, duos*
17. *vero in ſummis ſaltibus: hos autem omnes ad gromae rigorem conſen-*

quos diſcriminis causâ aes noſtrum alios Αντορως, alios μεσσορως (h. e. *adverſos terminos* & *medios terminos*) vocitat.

VERSV 14. 15. καταλιποντες Ϲικατιπεδον αντομον] De Limite *vicatipedo* h. e. pedes viginti lato, copioſe diximus in Exerc. de Antomo §. 2. pag. 181. Hic & *Vicatidenus* duo erant primarii limites: quorum & in Tab. alterâ mentio fit. Quid ſit porro καταλιποντες (*relinquentes*) infra ex dictis ad v. 27. (ως ημεν &c.) oſtenditur.

Ibid. εσταταμες και μεσσορως] Μεσσορος (Dor. pro Μέσορος) *terminum* ſignificat *medianum*, qui ſcil. inter ορον & αντορον (h. e. inter *terminum incipientem* & *terminum ei reſpondentem*) medius intercedit. Meminit Jul. Frontinus p. 112. in Col. Florent. *Sunt*, inquit, *& MEDII TERMINI, qui dicuntur Epipedonici*. Μεσσορος ignotum eſt lexicis nomen. Affert quidem Heſychius neſcio quod Μεσσορης (25) ſed huc non pertinet. Propius huc Μεσόριον attinet, quod ex Dionyſio Periegete citatur: quod ſi ex Jonica dialecto in Doricam vertas, erit Μεσσόριον.

VERSV 16. επι τας Ηοδω τας αγωσας εκ τε πολιος και εκ Παυδοσιας δια των Ηιαρων χωρων] Sic etiam infra v. 22. Sane non poterat una eademque via tum ex Vrbe (quae hîc abſolute poſita, *Heraclea* eſt) tum & ex Pandoſia incipere; quia Heraclea ad ortum, Pandoſia ad occaſum ſolem ſpectabat; Dionyſiacus vero campus inter utramq. erat. Ergo ſic accipe, ut una eademque via ex Heraclea profecta, mox ſacro tranſmiſſo agro, ad Pandoſiam uſque pertingeret; idque valet tam ſi Pandoſiae nomen pro colle, cui urbs cognominis inſidebat, quam ſi pro ipſo accipias oppido. Duo ergo erant hujus viae termini, hinc Heraclea, illinc Pandoſia.

VERSV 17. εν ταις Ηακροσκιριαις] Ηακροσκιρια bis tantum in noſtro aere occurrit, hîc, & rurſus ver. 23. In hoc altero legitur, δυο δε επι ταν Ηακροσκιριαν, ubi genitivus, uti vides, pluralis eſt. At hîc eſt, εν ταις Ηακροσκιριαις. Vtroque loco aſperatur. Novum vero & inauditum eſt hoc vocabulum, ſive mitigaveris ſpiritum, ſive den-

Aa 2

(24) Aggenus (edit. Goeſ. p. 63. mediâ) *Incipientem terminum* illum intelligit, a quo *rectura* incipit. Alibi p. 253. in iis quae Caio & Theodoſio inſcribuntur, ſic legitur: *Terminos quadratos ſub terra conlocavimus, qui a menſoribus Italiae pro hypotenuſa obſervantur. Cathetum vero in TERMINVM PRAESIDENTEM in formam trifinii conlocavimus. Nam & alios terminos quadros CVRSORIOS* (de *curſoriis* h. e. ſecundariis alibi dicam) *poſuimus*.

(25) Heſychius: Μεσσόρης· ὁ μέσος ὠκεανῦ καὶ ἠπείρου τόπος: *Medius inter oceanum caelumque locus*. Quiſnam is locus? niſi forte ubi quis in oceano medio deprehenſus, queat cum poeta conqueri: *Caelum undique & undique pontus*.

Digitized by Google

denſaveris. Neque dubium eſt, quin ex Ακρος (*ſummus*) & ex Σκιρον, compoſitum fuerit. De Σκιρον adſperſimus quaedam ad Britann. fruſtum ver. 23. Adnot. 39. plura largiore manu daturi infra ad ver. 96. Vtrobique τὸ σκιρὸν verti *Sylveſtrem ſaltum*. Nec muto factum. Ex hoc autem loco & infra ex ver. 23. poteſt intelligi, hunc totum ſylveſtrem ſaltum ab ἀκρωρεία (*ſummo colle*) Pandoſiae ad πρόποδα (*radicem*) pertinuiſſe: ſed tamen quae pars in deſcenſu erat, ea dicebatur ſimpliciter τὰ σκιραὰ, quae vero in ſupercilio, ea vocatur hîc & ver. 23. Ϝακροσκιρια. Porro ſpiritûs denſatio apud Heracleenſes noſtros uſurpata in Ϝακρος (quod ceteri prorſus omnes leniunt) eſt quidem prorſus inſolens; non ſecus tamen inſolens in Ϝαρνησις, Ϝεννεα, Ϝισον, Ϝοκτω; quae cum ſuis derivatis ceteri omnes leniter ac leviter ſcribunt atque pronuntiant; at aſperant aera noſtra.

Ibidem αν ευθυωρειαν] Hîc tantum & mox ver. 24. legitur; quod non novum eſt vocabulum, ſed nove ac rectiſſime ſcriptum; cum contra apud Suidam & Platonem abſit a penultima diphthongus, apud quos Ευθυωρία legitur. Vide in ima (26) ora locupletiſſimum H. Stephani de hoc vocabulo locum. Miror autem virum tantum, an ſit compoſitum, dubitaſſe; cum tota vocabuli effigies compoſitionem aperte prodat. Ac miſſis originationibus (27) aliis, nihil certius habeo, quam ex ἰυθὺ & ὠρέω (quod eſt *curare*, φροντίζειν, φυλάσσειν, imo & *contemplari*, ut infra dicam) primo componi verbum ἐυθυωρέω (cujus exemplum ex Ariſtotele Budaeus affert) ab ἐυθυωρέω vero ex analogia factum eſſe ἐυθυωρεία; & quidem cum diphthongo EI (ut in his Tabulis) etſi cum ſimplici I non male in Suida & Platonis Timaeo legitur. Atque ea exploratiſſima hujus nominis origo eſt.

Circa ſignificationem vero, cave Budaeo & H. Steph. credas, quibus ἐυθυωρεῖν eſt *recto tramite progredi*, & ἐυθυωρία *recta progreſſio*, aut neſcio quid aliud, quod vide in Adnot. 26. Tametſi poteſt ſic quidem exponi, modo non ad inceſſum animantis iſtam rectam progreſſionem referas, ſed ad iter ocularium radiorum. Omnino autem ex nonnullis verbi ὠρέω compoſitis proditur, id verbum etiam *contemplandi* notionem imbibere. Sic in σκοπιωρέομαι (quod eſt *contemplari*, *ſpeculari*) haud dubium eſt, quin, ſi reſolvas vocem, non aliud fis reperturus, quam *De ſpecula contemplari*, aut vero *obſervare*; quia grammatici ſolent verbum ὠρέω per hoc alterum φυλάττω reddere. Videatur de Σκοπιωρέομαι (28) Heſychius, & Ariſtophanis Scholiaſtes. Nec alia ratio eſt verbi θεωρέω: cujus ubi primam ſyllabam ſive ex θεὸς cum antiquis, ſive opinor ex θέα arceſſiveris; reſtat integrum ὠρέω, quod *contemplandi* vim habet. Jam puto ex his vides quid ſit proprie ἐυθυωρέω, quid ἐυθυωρεία: quorum hoc alterum non niſi *Rigorem*

(26) *De* Ευθυωρία *locus H. Stephani tom.* 1. *col.* 1300. *b.*

„ Εὐθυωρία (quod an compoſitum ſit, non ſatis „ conſtat) itidem (*ſumitur*) pro εὐθύτης, i. e. *Rectitudo*, ſi dici poſſet. A Budaeo exponitur etiam *Proceritas*, ut eſt arboris. Item *Directio*. Et *Rectus trames*. Item *Rectus proceſſus*. *Rectae lineae porrectio*. Quarum ſignificationum exempla vide apud „ Bud. pag. 53. & 328. Hinc Εὐθυωρᾶν *Recto tramite iter facere*, *Recta linea progredi*, pro quo & „ κατ' εὐθεῖαν ἰέναι dicit Ariſt. Vid. Bud. ibidem.

„ Item Εὐθύωρος in vet. lex. ex Herm. eſt *Recto „ tramite*, κατ' εὐθεῖαν, non per diverticula, propter „ obvios montes & fluvios. At vero ἐυθύωρον τὴν „ ἀναχώρησιν ἐποιήσαντο, affert Etymol. pro ἐυθυτάτην, ſeu σύντομον, ſed addens tamen eſſe ab ἰυθὺ „ & ὥρα, quaſi ἀυτῇ τῇ ὥρᾳ. At Suidas poſtquam „ ἐυθυωρὸν (ita enim ibi ſcribitur ὀξυτόνως) accipi „ dixit pro κατ' εὐθεῖαν, idque ab Antiphonte & „ Xenophonte; ſubjungit, accipi etiam pro αὐτῇ „ τῇ ὥρᾳ, locum hunc proferens, ἐυθυωρὸν ἀπεβίω. „ Vbi adverbium eſſe manifeſtum eſt. Sed & ἐυ„ θύωρος pro *Rectus* in v. lex. Sitne autem compoſitum in hac ſignificatione, grammatici tacent.„

(27) Poterat enim ἐυθυωρεία componi ex ὁράω (Jonice pro ὁράω, *video*: quidni enim inter Dorienſes & Ionas interdum convenerit?) ita ut ἐυθυωρᾶν ſit idem quod recto tramite vim oculorum intendere. Ab ἐυθυωρία quidem recte naſcitur in derivati penultima diphthongus illa EI. At ω quo jure locum O brevis invaſerit?

Adhaec vulgus grammaticorum ὥραν in partem compoſitionis adſciſcunt: quod infra Adn. 29. diſſlabimus.

(28) Heſychius: ΣΚΟΠΙΩΡΟΥΝΤΑΙ· κατάσκοποί εἰσι. Hîc Heſychius tertiam perſ. plur. idcirco attulit, quia Ariſtophanis locum ſpectavit Veſpis ver. 360. hujuſmodi:

Ανδρες ὁπλῖται διαταξάμενοι
Κατὰ τὰς ὁδοὺς σκοπιωροῦντας.

Viri armati per aditus diſpoſiti ſpeculantur. Vbi Scholiaſtes illud σκοπιωροῦντας reddit, Κατοπτεύσι καὶ παραφυλάττουσιν, h. e. *Speculantur & obſervant*. Mox addit: Ἑρμιππος δὲ καὶ ἐπὶ τῶ ἀπὸ τῆς σκοπῆς θεωρεῖν. *Hermippus autem etiam pro eo quod eſt de ſpecula contemplari*, accipi docet.

Digitized by Google

18 χως αλλαλοις τως μεν ες το Ϸιαρον πλαγος τω αυτομω επιγε-

γους ἀλλήλαις, τοὺς μὲν εἰς τὸ ἱερὸν πλάγος τοῦ ἀντόμου ἐπιγε-

18. *tientes ſibi invicem, ita quidem ut qui ad ſacrum limitis latus ſpectarent, inſcri-*

gorem agrariorum ſcriptorum notat, h. e. rectum ocularium radiorum ductum: εὐθυωρέω autem de oculo dicitur, ubi recta regione objectum ſibi ſcopum attingit. Id a metatoribus cum ope gromae ſive grumae fieret; hinc verbum eſt *Degrumari*, Lucilio apud Nonium uſurpatum: quod tantumdem eſt ac εὐθυωρεῖν. Nec aliud ſuadent exempla (29) quae Budaeus attulit.

Porro autem, ſi quid judico, εὐθυωρεία non tantum notat *Rigorem* quem Gromatici ſcriptores vocant, nec tantum actum τῦ εὐθυωρεῖν, verum etiam machinam illam, qua rigor dirigebatur: quae machina modo *Groma*, modo *Tetrans*, aut etiam *Aes* vocabatur: de quo organo plura apud ſcriptores agrarios exſtant, & apud Goeſium, qui eos illuſtravit; quibus ſupersedeo. Nec dubito quin tum hîc, tum infra v. 24. Αν εὐθυωρειαν idem plane ſit quod *per Gromam* aut *ope Gromae*. Quamquam ſi quis, neglectâ machinâ, malit *Rigorem* reddere, aut *Recta regione* (ut in marmoribus terminalibus) non morabor.

Indidem meo judicio (non vero ab ὥρα, *hora*) etiam εὐθύωρον oritur. De quo videantur a Suida (30) expoſita.

VERSV 18. Ϸομολογως αλλαλοις] Hoc eſt, *ſibi invicem reſpondentes*, obſervato ſcilicet per gromam rigore, ut ante dictum. Quod ſi iſtud Ϸομολογως voce agrariâ permutare libeat, reddes *Proportionales*. Jul. Frontinus in de Col. p. 111. in prov. Sicilia: *Nam ſunt termini proportionales*. Et p. 112. in Col. Florent. *Ceteri* (termini) *proportionales ſunt*. Sunt, inquit, *proportionales*, & reſpondentes iis quos ſupra dixerat. Non aliud enim aevo ſequiore *Proportionalis*, quam *Conſentaneus* (31) intelligebatur.

Ibidem; τως μεν ες το Ϸιαρον πλαγος τω αυτομω] Novam vocem τὸ πλαγος unice debemus his tabulis: quae rurſus infra ver. 26. nec alibi, legitur. Eâ *latus* ſignificari, tum aeris hujus συνεχεία aperte ſuadet, tum etiam derivatio. Fit enim a Πλάζω (fut. ξω) *Erro*; quia qui paullum a recta via digreditur, is in alterutrum latus *obliquat* iter: unde & Πλάγιος eſt *obliquus*, h. e. qui a recto in latus deflectit. Hinc ἐκ τῦ πλαγίυ, εἰς τὸ πλάγιον aut εἰς τὰ πλάγια, & κατὰ τὸ πλάγιον ſive πλάγια, tantumdem valent, quod *ex latere*, *in latus*, *ad latus*. Porro a πλάγος (cujus prima corripitur, cum fiat ab Aoriſto ἔπλαγον) venire puto Latinum *Plaga* priore corr. quod verbum primario *Latera* ſive cardines mundi notat (uti cum dicimus, *Plaga borea*, *auſtralis* &c.) ſecundario terrae regiones: quae & ipſae Horatio *latera* vocantur, ubi ait I. od. 22.

Quod

(29) Budaeus (edit. Pariſ. an. 1530. col. 61. & 408.) ex Ariſtotelis Problem. ſegm. XI. affert iſtud, ὁ κωλύεται ἡ ἐξις εὐθυωρεῖν, *non prohibetur oculus recta regione intendere*. Habes verbum. At nominis exemplum ex Platonis Timaeo affert Budaeus illud, ubi philoſophus ait, res congeneres de longinquo viſas, veluti coaleſcere κατὰ τὴν ὁμμάτων εὐθυωρίαν, *ſecundum rectam oculorum intentionem*. Vides in his exemplis non niſi de oculis viſuque agi: proinde non fuiſſe Budaeo cauſam, cur ea univerſe de recta animalis progreſſione uſurpari, ac tantumdem eſſe ac κατ' εὐθειαν ἰσιν, *recto tramite incedere* diceret.

(30) Suidas principio ſic affert: Εὐθυωρία· τὸ κατ' εὐθεῖαν. Non laudo autem Kuſterum ſic interpretantem, *Extenſio rei ſecundum lineam rectam*. Non id voluit, ſed ut εὐθυωρία ſit idem quod illud *Recta regione*, quod ſollemne verbum eſt finium regundorum. In Suida ſequitur: Εὐθυωρὸν ἀντι τῦ κατ' εὐθειαν: ita ut Εὐθυωρὸν idem ſit quod ſuperius εὐθυωρία. Deinde Antiphontem, & Xenophontem laudat, quorum nec affert loca, nec libros indicat. At Harpocration, ex quo haec deſcripta fuerunt, illius orationem contra Nicoclem laudat, hujus vero librum II. ἀναβάσεως. Porro in Suida εὐθυωρὸν oxytonum eſt, at in Harpocr. proparoxytonum. Pergit Suidas: Εὐθυωρὸν· αὐτῇ τῇ ὥρᾳ. Ait igitur εὐθυωρὸν eſſe *Eapte hora*: quaſi ſit ex ὥρα compoſitum. Deinde affert anonymi locum, qui ſic deſinit, εὐθυωρὸν ἀπέβαν, *eddem hora* (h. e. ſtatim) *exceſſit*. Verum tam mihi certum eſt quam quod certiſſimum, non debere cum Suida reddi, *eapte hora*; ſed proprie quidem eſſe *Recto tramite*, deinde, cum qui recto tramite carpunt iter, celerius multo perveniant, idcirco translate accipi pro *celeriter*: quare hîc recte verti, *Propere exceſſit e vita*.

(31) Illud exemplo eſſe poteſt, quod ex vet. Lex. H. Steph. (in Ομόλογος) affert: in quo Ὁμόλογος & exponitur *Conſentaneus*, & affertur ex Galeno in exemplum, Ὁμόλογον κρᾶσιν; quae *temperies* a medicis vulgo *Proportionalis* vocari dicitur.

Digitized by Google

19 γραμμενως Ηιαρως Διονυσω χωρων τως δε εν ται Ϲιδιαι γαι επι	γραμμένους ἱεροὺς Διονύσου χώρων, τοὺς δὲ ἐν τῇ ἰδίᾳ γῇ ἐπι-
20 γεγραμμενως αντορως Ηωσαυτως δε και επι τω αντομω τω	γεγραμμένους ἀνθόρους· ὡσαὐτως δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ ἀντόμου τοῦ

19. *berentur*, *SACRI, DIONYSI CAMPORVM, qui vero in terra priva, in-*
20. *ſcriberentur*, *ADVERSI TERMINI. Similiter autem & in limite qui*

Quod latus mundi nebulae maluſque Jupiter urget.

Sic etiam III. 14. *Nec Boreae finitimum latus*. Nec alia eſt ratio, cur vela, quibus lecticae *latera* obducebantur, *plagulae* vocarentur (Sueton. Tito: *Lecticae dimotis plagulis*) aut cur papyri philurae quae ad *latus* alterius glutinabantur, *plagulae* itidem dicerentur. Hoc *Plagae* (quatenus brevis eſt) etymon melius (32) Voſſiano.

Ibidem *ſacrum latus limitis* (dirimentis ſacram terram a privata) diſtinguitur a terrae privae latere. *Limes* vero utramque terram diſterminans, infra ver. 28. (ubi his paria repetuntur) vocatur Ϲικατιπεδος, *Vicatipedus*, h. e. viginti pedes latus. In hujus ſacro latere termini inſcripti depangi jubentur, e regione vero ſingulorum defigi *Antori* h. e. adverſi termini. Plura in ſequentibus notabuntur. Vide etiam ad ver. 27. 28.

VERSV 19. επιγεγραμμενως ΗΙΑΡΩΣ ΔΙΟΝΥΣΩ ΧΩΡΩΝ] Verbum ſi verbo commutes, erit: *Inſcriptos Sacros Dionyſi agrorum*. Atqui rectum fuiſſet: *Inſcriptos* in hunc modum: *Sacri Dionyſi campi*. Hoc enim quilibet unus terminus inſcriptum gerebat. Verum duplex ἀνωμαλία interceſſit. I. Accuſativus ille: *Inſcriptos*, attraxit (*) ad ſe & alterum, *Sacros*, ſicuti & ver. ſeq. επιγεγραμμενως αντορως, *Inſcriptos Antoros*: in quo altero non modo caſus, ſed & numerus ad praecedens *Inſcriptos* ſe conformat. Vide ad ver. ſequentem. II. Deinde in eo quod ſequitur, loco ſyntaxeos concordantiae ſucceſſit fortaſſis partitiva conſtructio, qua adjectivum (genere tantum, non caſu cum ſubſtantivo conveniens) regit ſubſtantivum genitivo caſu: quae ſyntaxis Graecis uſitatiſſima eſt; nec ab ea Latini abhorruerunt, ut ubi Plinius ſcripſit, *Ovorum oblonga*. Hujus autem ſyntaxeos proprie ea eſt vis, ut latior ſubſtantivi ſignificatio ad artiorem adjectivi acceptionem reſtringatur. Nec enim ova omnia Plinius intelligi juſſit, ſed tantum oblonga. Sicuti forſan & in hoc epigrammate, non quicumque agri Dionyſiaci notantur, ſed ii tantum qui ſacri eſſent; quia fort. & aliae erant Bacchi poſſeſſiones, ſed minime ſacrae.

Quid ſi nulla hîc partitiva conſtructio fuit, nec neceſſe eſt alios Dionyſi campos non ſacros admittere? Quid ergo eſt? Nemo ignorat Terminos fuiſſe ſacros, iiſque ut diis ſacrificatum. Ergo ſingulis Terminis illis primariis (non item Antoris aut Meſoris) ita inſcribebatur: SACER DIONYSI CAMPORVM: quo & ipſe *ſacer* eſſe oſtendebatur, & Dionyſi αστυλίας (**) indicium. At in Antoris (quos nulla religione proſequebantur) non hoc ſcalpebatur, ſed ſimpliciter: ANTORVS: de quo mox ſtatim dicendum. Haec prorſus veriora ſunt.

VERSV 20. επιγεγραμμενως αντορως] i. e. *Inſcriptos Antoros*. Ex vi attractionis ita uſurpatur. Abſque eâ eſſet, ſcribendum fuerat recto caſu ſingulari, Αντορος, *Antorus*; nec enim aliud in unoquoque antoro ſcalpi debuit, quam, ANTOPOΣ. Confer notata ad ver. ſuperiorem. Eaedem locutiones in terminorum inſcriptionibus pluries infra recurrunt. De Μεσορως quod ver-

(32) In Voſſiano etymologico *Plaga* a πλάξ, πλακὸς derivatur, ex Euſtathio docente πλάκας dici poſſe πάντα τὰ πλατέα, ſive πᾶν τὸ πλατὺ χωρίον. Aut vero ab Heb. פלך *phelech*, quod apud Nehemiam III. 9. 17. pro tractu terrae accipitur. At ubi in proximo clara ſuppetit ex Graeco originatio, fruſtra obſcurior ex longinquo arceſſitur.

(*) Similis eſt illa Latinorum attractio, *Ei nomen Caio* (pro *Caius*) *fuit*; ut & alia ſexcenta.

(**) Pollux I. 10. ἱερὰς ὅρους, ἐφ' ὅσον &c. *Sacros terminos, quouſque ſupplicibus ſit ſecuritas.*

Digitized by Google

21 παρ τα Φιντια αγοντος εστασαμες μες-
σορως δυο μεν επι
22 τας Ηοδω τας εκ πολιος και εκ Παυδο
σιας αγωστας δια των
23 Ηιαρων χωρων δυο δε επι ταν Ηακροσχι-
ριαν παρ τας τυρειας
24 τουτως παντας Ηομολογως αν ευθυωρειαν
τοις επι τας Ηοδω
25 τας δια τω χαραδεος αγωστας παρ τον
δρυμον τως μεν ες το Ηιαρον
26 πλαγος επιγεγραμμενως Ηιαρως Διονυσω
χωρων τως δε ες ταν Ϲιδι-
27 αν γαν επιγεγραμμενως αντορως απεχον-
τας απ αλλαλων Ηως η-

παρὰ τὰ Φίντια ἄγοντος ἐσήσαμεν μεσόρους,
δύο μὲν ἐπὶ
τῆς ὁδοῦ τῆς ἐκ πόλεως καὶ ἐκ Παυδοσίας
ἀγούσης διὰ τῶ-
ἱερῶν χώρων, δύο δὲ ἐπὶ τῶν ἀκροσκιριῶν πα-
ρὰ τὰς τυρείας,
τούτους πάντας ὁμολόγους ἀν' εὐθυωρείαν τοῖς
ἐπὶ τῆς ὁδοῦ
τῆς διὰ τοῦ χαραδέος ἀγούσης παρὰ τὸν δρυ-
μὸν, τοὺς μὲν εἰς τὸ ἱερὸν
πλάγος ἐπιγεγραμμένους, ἱεροὺς Διονύσου χώ-
ρων, τοὺς δὲ εἰς τὴν ἰδί-
αν γῆν ἐπιγεγραμμένους ἀνθόρους, ἀπέχοντας
ἀπ' ἀλλήλων ὡς ἤ-

21. *ſecundum Phintia ducit, ſtatuimus medios terminos, duos quidem in*
22. *via, quae* [hinc] *ex Vrbe* Heraclea (illinc) *ex Pandoſia ducit per*
23. *campos ſacros, duos vero in ſummis ſaltibus ſecundum caſearias officinas.*
24. *Hos autem omnes ad gromae rigorem reſpondentes iis, qui depacti ſunt in via*
25. *quae per* [torrentis] *alveum ducit praeter ſylvam: ita vero ut qui ad ſacrum*
26. *ſpectant latus, inſcribantur, SACRI, DIONYSI CAMPORVM, qui vero ad pri-*
27. *vam terram, eorum ſingulis inſcribatur, ANTORVS: tanto, intervallo ab ſe invicem diſſitos, ut* re ipſa

verſu 21. ſequitur, dixi ſupra ad ver. 15.

VERSV 23. παρ τας τυρειας] Τυρεία apud Ariſtotelem legitur his verbis: εἰς τυρείαν ἀμέλγεται γαλα χρήσιμον: quod Gaza vertit: *Lac utile caſeo* (i. e. ad caſeum conficiendum) *emulgetur*. Itaque non dubitat H. Stephanus, quin haec vox reddi poſſit *Lactis in caſeum denſatio* (nam τυρεύω, unde fit τυρεία, eſt cogere in caſeum) ſive *caſei confectio*. Verum particula Παρ, quae hîc praeponitur, aperte loci nomen hoc eſſe demonſtrat. Hîc igitur ea voce non tam ſignificatur caſei factio, quam locus in quo conficitur. Potuiſſem in Latina interpretatione, *Caſeale* cum Columella, aut vero cum Vlpiano *Tabernam caſeariam* appellare. Verum cum utriuſque notio ſit non nihil (33) controverſa; malui *Juxta officinas caſearias* interpretari.

VERSV 27. απεχοντας απ αλλαλων Ηως

De *taberna caſearia* Vlpianus L. *Sicuti*. §. *Ariſto*. D. *Si ſervitus vindicetur*, ita ſcripſit: *Ariſto Cerelio Vitali reſpondit, non putare ſe ex taberna caſearia fumum in ſuperiora aedificia jure immitti poſſe, niſi ejus rei ſervitutem talem admittat*. Ergo caſearia taberna ad caſeos fumigandos valuit, adhibito *Malieni* (ſive potius *Malieno* h. e. parco) *lieni vel culmi fumo*, uti loquitur Columella VII. 8. An vero etiam *officinam caſeariam* (quam ſane notionem τυρεία vocabulum in aere noſtro requirit) notare poſſit, nolo decernere. Eâque gratia malui *Officinae* uti vocabulo.

(33) De *Caſeali* Columella II. 15. ſic praecipit. *Vbi greges quadrupedum verſantur, quaedam quotidie, ut culina & CASEALE, quaedam pluviis diebus, ut bubilia & ovilia debent emundari*. Et antea quidem doctiſſimus quiſque *Caeſale* aut *Ceſal-* in Columella legebant, & latrinam interpretabantur. At poſtea ita inter eruditos convênit, ut *Caſeale* ab omnibus legeretur, & eo nomine intelligeretur locus, in quo caſei fumum imbiberent, aut ubi reponerentur. At mihi non eſt dubium quin *Caſeale* ſit locus, in quo caſei conficiuntur; qui niſi munditer habeatur, plus quam culina olebit.

Digitized by Google

28 μεν ϲικατιπεδον αντομον επι δε τας τριακοντα- πεδω τας δια των ἱε- 29 αρων χωρων αγωϲτας επι μεν τας πλευ- ριαδος ανω δυο απεχοντας απ αλ- 30 λαλων τριακοντα ποδας αλλως δε αντο- ρως τουτοις επαξαμες παρ 31 την ὁδον την παρ τον δρυμον αγωϲταν δυο απεχοντας απ αλλαλων	μὲν εἰκοϲίπεδον ἄντομον· ἐπὶ δὲ τῆς τριακον- ταπέδου, τῆς διὰ τῶν ἱ- ερῶν χώρων ἀγούϲης, ἐπι μὲν τῆς πλευριάδος ἄνω δύο ἀπέχοντας ἀπ' ἀλ- λήλων τριάκοντα πόδας, ἄλλους δὲ ἀνθόρους τούτοις ἐπήξαμεν παρὰ τὴν ὁδὸν τὴν παρὰ τὸν δρυμὸν ἄγουϲαν δύο, ἀπέχοντας ἀπ' ἀλλήλων

28. *ſit vicatipedus limes, In triacontapeda vero* via, *quae per ſa-*
29. *cros campos ducit, in latere quidem ſuperiore duos* terminos *diſtantes a ſe in-*
30. *vicem triginta pedes: alios vero ex horum recta regione antoros depegimus ſecundum*
31. *viam, quae praeter ſylvam ducit, duos, diſtantes a ſe invicem*

ἵνως ἡμεν ϲικατιπεδον αντομον] Τὸ ἦμεν & ἤμεναι Dorice dicuntur pro εἶναι, *eſſe*. Heſychius non tantum ἦμεν, ſed & εἶμεν (quod alterum propius ab origine ſua diſtat) agnoſcit his verbis: Ἦμεν· εἶμεν. ὑπάρχειν. Vtrumque etiam pro ἐσμὲν uſurpatur.

Sed miſſis grammaticorum tricis, ad ſententiam venio, In ſacro latere Limitis, diſterminantis ſacram a priva terra, depangi jubentur Termini, & inſcribi ſingulis: SACRI (aut *Sacer*) DIONYSI CAMPORVM: his e regione reſpondebant termini alii inſcriptum gerentes: ANTOPOΣ h. e. *Adverſus terminus*. At hîc unumquemlibet terminum ab ſuo *Antoro* tanto intervallo Tabula removet, ἵνως ἡμεν ϲικατιπεδον αντομον, h. e. ut intermedius limes vere *Vicatipedus Antomus* vocari poſſit. Ergo utrinque intervallum intercedere debuit, nec minus viginti pedum. Confer dicta ad ver. 14. in καταλιποντες.

VERSV 28. 29. επι δε τας τριακοντα-πεδω τας δια των ἱαρων χωρων αγωτας] Ex articulo feminino dignoſcimus, *Triacontapedam* viae nomen fuiſſe. Adde quod in Tab. II. cum voce Τριακονταπεδος diſerte (ἱοδος) *via* jungitur. Ea porro via, ut hîc additur, per medios ſacros agros procedebat, & quidem ab Auſtro ad Septem Triones, uti reor: quod jam oſtenſum eo.

Nam ibid. ſequitur, επι μεν τας πλευριαδος ανω. Ergo *Triacontapeda* duo latera habebat. Horum unum hîc dicitur ἡ πλευριὰς ἄνω, h. e. *latus ſuperius*: ex quo ſequitur, latus alterum (quod hic omittitur, quia τὰν κάτω h. e. cippum defigi neceſſe fuit) nullum in eo *inferius* audiviſſe. Quid iſta ſibi volunt? Apud Graecos geographos pars a mari remotior ἡ ἄνω, *Superior*, pars vero propinquior ἡ κάτω, *Inferior* vocabatur. Itaq. videtur *Triacontapeda* haec via ab Auſtro in Boream (h. e. ad flumen Acirin verſus) ita proceſſiſſe, ut proceſſus ille eſſet parallelus orae maritimae, quae in hoc ſinu ab Auſtro in Boream vadit. Ex quo fit, ut in hoc itinere ad Acirin verſus, latus dextrum, quod mari vicinius, vocaretur *Inferius*; laevum vero *Superius* nuncuparetur. Ac ne illud quidem omiſerim, terminos iſtos επι τας πλευριαδος (*in latere*) conſtitutos non inepte a Frontino *Pleuricos* i. e. laterales, fuiſſe vocatos. Sic enim is (apud Goeſium p. 117. in *Ager Tiferinus*) habet: *Termini pleurici poſiti ſunt, qui rationem obſervationis tantummodo* (forſan *Tam*) *oſtendunt, quam recturam limitum.*

VERSV 30. 31. αλλως δε αντορως τουτοις επαξαμες παρ τον ἱοδον τον παρ τον δρυμον αγωταν] Supra ver. 18. 19. 20. limes ille (qui *Vicatipedus* eſt ex v. 14.) unus idemq. ex ſacro latere terminos, ex altero antoros habet. Nec aliter ver. 25. 26. 27. 28. At hîc termini longius a ſuis antoris removentur. Nam termini quidem in ſuperiore Triacontapedae latere depanguntur: at antori defigi jubentur non in altero Tria-

con-

Digitized by Google

32 τριακοντα ποδας εν δε μεσσωι τωι χω-
ρωι επι τας τριακονταπεδω τε-
33 τορας απεχοντας απ αλλαλων Ϝαι μεν
τριακοντα ποδας Ϝαι δε εικα-
34 τι επι δε τω αυτομω τω παρ ταν τρια-
κονταπεδον δυο απεχοντας απ αλ-
35 λαλων εικατι ποδας και αλλως επι τω
δευτερω αυτομω απεχοντας
36 απ αλλαλων εικατι ποδας τουτως παν-
τας ανεπιγροφως οριζοντας

τριάκοντα πόδας, ἐν δὲ μέσῳ τῷ χώρῳ ἐπὶ
τῆς τριακονταπέδου τέσ-
σαρας ἀπέχοντας ἀπ' ἀλλήλων, ἢ μὲν τριάκον-
τα πόδας, ἢ δὲ εἴκο-
σι, ἐπὶ δὲ τοῦ αὐτόμου τοῦ παρά τὴν τρια-
κοντάπεδον δύο ἀπέχοντας ἀπ' ἀλ-
λήλων εἴκοσι πόδας, καὶ ἄλλους ἐπὶ τοῦ δευ-
τέρου αὐτόμου ἀπέχοντας
ἀπ' ἀλλήλων εἴκοσι πόδας· τούτους πάντας
ἀνεπιγράφους ὁρίζοντας

32. *triginta pedes : in medio vero campo in via triacontapeda* terminos *qua-*
33. *tuor, diſtantes a ſe invicem alibi pedes triginta, alibi vero vigin-*
34. *ti : in limite vero qui ſecundum triacontapedam* viam *procedit, duos diſtantes a ſe in-*
35. *vicem viginti pedes, & alios* (duos) *in ſecundo limite diſtantes*
36. *a ſe invicem viginti pedes ; hos omnes inſcriptione vacuos, diſtinguentes*

contapedae latere, ſed longius in ea via (ver. 31.) quae ſecundum Sylvam progrediebatur ; quam viam hinc conjicimus Triacontapedae fere parallelam fuiſſe.

VERSV 33. Ϝαι μεν τριακοντα ποδας Ϝαι δε εικατι] Doricum Ϝαι idem eſt ac commune ἤ: de quo agit accurate H. Stephanus theſ. t. 3. col. 1509. Tamen nihil affert, quod huc pertineat, ſicuti nec alii lexicographi. Verum ne dubita quin ἤ geminatum (ſicuti hîc Ϝαι geminum eſt) tantumdem prorſus ſit quod QVA (cui plane τὸ ἤ reſpondet) duplex aut triplex Latinorum. Sicuti ergo hoc interdum ſonat *Cum, tum :* interdum *Partim, partim*, aut paullo aliter pro loci ratione ; ſic etiam & noſtrum hoc Ϝαι : quod non inepte hîc tranſtuli, *Alibi, alibi*.

VERSV 36. τουτως παντας ανεπιγροφως] Videri poterat obrepſiſſe ſcalptori ſomnus in voce ultima, dum O loco A ſubſtituit. Verum rariſſima ſunt in his Tabulis σφάλματα, eaque plerumque ſuperne correcta ; & hic praecipue locus falſo mendi ſuſpectus eſt. Scimus praeteriti medii penultimam interdum in O mutari, idq. in derivatis inde verbalibus vocabulis nihilo minus retineri. Sic λόγος a λέλογα, μονὴ a μέμονα, τρόπος a τέτροπα, & alia ſexcenta. Et in his quidem mediis praeteritis nulla cogente neceſſitate vocalis ſua in O tranſiit. Multo id vero convenientius in iis praeteritis mediis fuit, quae eâdem ac praet. activum characteriſtica donantur. Sic a διαβάλλω reperitur praet. medium διαβέβολα cum ſuis verbalibus. Eadem ratio & in verbi γράφω praet. medio fuit. Nempe ut a γέγραφα activo τὸ γέγραφα medium diſtingueretur, non licuit γέγραφα in praet. medio uſurpare, ſed γέγροφα : a quo noſtrum hoc Ανεπιγροφως proficiſcitur. Ceteroqui & alibi Dores O pro A uſurpabant. Infra v. 55. Κοθαρας pro καθαράς. Affertur & πόρδαλις pro πάρδαλις in Nicandro & aliis.

Jam ad terminos non inſcripos quod attinet, ii ab Agrariis ſcriptoribus *Curſorii* vocabantur. Boethius apud Goeſium in Indice : *Curſorius non inſcriptus*. In fragmentis terminalibus ſic legitur (apud Goeſium p. 148.) *Non enim omnis titulus* (h. e. cippus in modum termini (34) faſtigatus) *inſcriptionibus*

(34) *Titulus* hîc ὑλικῶς accipitur pro cippo cacuminato, in quo aliquid inſcribi ſolebat : ſic inquam

vocabatur, tunc etiam cum forte illitteratus eſſet. Fert hoc loquendi conſuetudo in millibus. At Goeſio

Digitized by Google

37 τας μερειας τας ποτ αλλαλως τοις με-	τὰς μερείας τὰς πρὸς ἀλλήλους τοῖς με-
μισθωμενοις τως Ηιαρως χω-	μισθωμένοις τοὺς ἱεροὺς χώ-
38 ρως τως δε παντας χωρως τως τω Διο-	ρους· τοὺς δὲ πάντας χώρους τοὺς τοῦ Διονύ-
νυστω τερμαζοντι τοι τε αντομοι	σου τερμάζουσιν οἵ τε ἄντομοι,
39 Ηο τε παρ τα ΗΗρωιδεια αγων χαι Ηο	ὁ τε παρὰ τὰ ἡρωιδεῖα ἄγων, καὶ ὁ παρὰ τὰ
παρ τα Φιντιαε απο ταν απορραν ανω-	Φίντια, ἀπὸ τῶν ἀπορρώων ἄνω-

37. a se invicem *portiones eorum qui sacros conduxere cam-*
38. *pos. Omnes porro hos Dionysi campos terminant hi* [duo] *limites,*
39. *tum qui praeter Heroidea ducit, tum qui praeter Phintia, a defluxibus superi-*

nibus est inductus (fort. *indutus*) *quoniam aliquibus locis non sunt lapides scripti, sed in effigiem terminorum positi*: *quos Cursorios vocamus*. Hoc melius declaratur fragmento altero pag. 147. quod vide in fine Adnotationis 34.

Postremo ubi ait τετας παντας ανεπιγροφως, *Omnes bosce* (terminos) *illitteratos*, quosnam, rogo, ambitu τῶν *Omnium horum* complectitur? Haud dubie duodecim terminos, quos proxime a ver. 29. huc usque numeravit. Nam ver. 29. duo sunt, totidem ver. 30. deinde ver. 33. alii quatuor, mox ver. 34. duo, ac ver. 35. alii duo: ex qua enumeratione confiunt duodecim cursorii termini, *in effigiem tituli constituti* (ut in fragm. agrar. quod vide in Adnot. 34.) sed non proprie *tituli*, quippe inscriptione vacui. Quo ergo illiterati lapides isti valebant? Statim hoc declaratur versu 37. sequente.

VERSV 37. οριζοντας τας μερειας τας ποτ αλλαλως τοις μεμιστθωμενοις τως Ηιαρως χωρως] Nimirum hi cursorii duodecim in eum usum comparati erant, ut *eorum, qui sacros campos conduxerant, portiones* (*unam ab altera*) *disterminarent*.

VERSV 38. 39. 40. Τως δε παντας χωρως . . . τερμαζοντι &c.] Maximi mo-

menti locus: cujus potissimum ope, simulque aliorum hujus tabulae indiciorum, posset aliquis, modo regionem de qua agitur praesens cognoverit, sciagraphiam agri hujus Dionysiaci παχυτέραν describere. Praeter igitur interiores limites, quorum multa in hoc aere mentio fuit, externi duo limites hîc describuntur.

Χωρως, inquit, τως τω Διονυστω τερμαζοντι τοι τε αντομοι] Exposui: *Hi limites*. Articulus τοι positum fuit pro demonstrativo ὅυτοι; sicuti supra v. 11. γαν ταν, *Terram hanc*. Illud vero τε est mere expletivum, quod saepe accidit, ubi cum articulo jungitur. Significat autem hoc loco Tabula, duobus limitibus ac flumine Aciri agrum Dionysiacum contineri totum. Horum vero limitum, unus secundum Heroidea, alter secundum Phintia procedebat: utriusque principium unum, unusque finis; quia uterque a superiore parte defluxuum initium capiebat, uterque in flumen Acirin desinebat. Ea demum est periochae hujus sententia.

VERSV 40. usq. ad 45. Αριθμος ορων των εστασαμες] *Numerus terminorum, quos statuimus*. Hactenus lemma est, sive sequentium index.

Ibidem: Αριθμος ορων των εστασαμες των μεν επι τω αντομω . . . Ηεπτα. Duplex hîc

sio (in Indice Agrar. scriptor. in *Cursorius*) non assentior, emendanti *Tutulus*; quid enim tutulo flaminum cum his commune? Tutulus ab imo usque in acumen conductus erat: at cippi terminales in extremo tantum cogebantur in metam. Magis hoc declaratur in Fragm. terminal. pag. 147. *Sunt & termini cursorii in effigiem tituli constituti, rectitudinem* (h. e. rigorem ad suos ὁμολόγους) *tenentes, & inter se spatium . . . habentes*. Quid disertius? Cursorii illitterati erant, proinde carebant titulo; & tamen quia fastigati in summo erant ad effigiem titulorum h. e. cipporum litteratorum; ea de causa ὑλικῶς, uti fit, *Tituli* vocabantur. Interim hîc quoque Goesius titulum materialem mutavit in flaminium tutulum.

Digitized by Google

40 θα αχρι ες ποταμον τον Ακιριν αριθμος ορων των εστασαμες των μεν
41 επι τω αντομω τω παρ τα Ηρωιδεια Ηεπτα συν τωι επι τας πλευριαδος
42 επι δε τας τριακονταπεδω Ηοχτω συν τωι τετρωιρωι επι δε τω αντομω
43 τω τε παρ ταν τριακονταπεδον και τω εχομενω δυο εφεκατερω επι δε τω

θεν ἄχρι εἰς ποταμὸν τὸν Ἄκιριν. Ἀριθμὸς ὅρων ὧν ἐστήσαμεν· τῶν μὲν
ἐπὶ τοῦ ἀτόμου τοῦ παρὰ τὰ ἡρωιδεῖα, ἑπτὰ σὺν τῷ ἐπὶ τῆς πλευριάδος.
ἐπὶ δὲ τῆς τριακονταπέδου ὀκτὼ σὺν τῷ τετρώρῳ· ἐπὶ δὲ τοῦ ἀντόμου
τοῦ τε παρὰ τὴν τριακοντάπεδον, καὶ τοῦ ἐχομένου, δύο ἐφ' ἑκατέρου· ἐπὶ δὲ τοῦ

40. *oribus ad amnem Acirin* uſque . *Numerus terminorum , quos ſtatuimus. Horum qui quidem*
41. *in limite , qui praeter Heroidea procedit* , [numero] *ſeptem , comprehenſo pleurico :*
42. *in triacontapeda vero* viâ *octo , comprehenſo terminorum quatrione : in limite autem*
43. *qui praeter triacontapedam vadit , & in eo qui proxime ſequitur , duo in utrovis : atque in eo qui*

hîc attractio relativi articuli occurrit . Ac prior quidem tum alibi tum in his tabulis uſitatiſſima eſt , qua relativum cum nominis praecedentis caſu concordat , nec a verbo ſequente regitur . Veluti ſi Latine ſic vertas : *Numerus terminorum , quorum ſtatuimus* . At altera attractio nunc mihi , quod meminerim , primum occurrit in eo quod ſequitur, των μεν επι τω αντομω... Ηεπτα ; cum alioqui dicendum fuiſſet , οἱ μὲν aut Dorice τοι μεν επι τω αντομω . . . Ηεπτα. Nec alia nunc ratio ſuccurrit, cur τῶν pro τοὶ uſurpatum fuerit, quam quod apud noſtros Dorienſes eo uſque attractio iſta valuerit , ut non tantum in proximum relativum articulum , ſed etiam in praepoſitivum remotiorem, των μεν, exercuerit imperium.

Jam vero ſumma terminorum quatuor & viginti a ver. 40. ad 44. hunc in modum colligitur . Ver. 41. ſeptem numerantur : ver. 42. octo : ver. 43. duo (35) dumtaxat : ver. 44. ſeptem . Ex quibus quatuor & viginti terminorum redigitur ſumma. Ceterum ubi ver. 41. *ſeptem* (συν τωι &c.) *cum illo qui* &c. ſcribitur (ut etiam ver. 42. & 44.) cave putes , illud σὺν vim habere Latini *Praeterea*. Quae ratio ſi valeret , quatuor alii ſummae accreſcerent , unus ver. 41. alter ver. 42. at ver. 44. facile duo alii, quippe cum ſcribatur , Συν τωι παρ ταν . . . και παρ ταν . Ita ſumma exſiſteret terminorum duodetriginta . Cave , inquam, τὸ Συν pro *praeterea* capias : nam contra idem eſt, quaſi dixeris *Septem* ſive *octo* (termini) *modo illum adnumeres , qui* &c. De qua proniſſima acceptione vide dicta in imo (36) margine.

At vero quo pacto hic numerus quatuor & viginti terminorum cum ipſa ὁροθεσία (quae a ver. quinto ad 35. minutim deſcribitur) congruat, facile attentus lector

(35) Vbi initio ad ſummam ex his unam redigendam animum appuliſſem , verſu 43. illud δυο εφεκατερω interpretabar *Duo* (termini) *in utroque* (antomo ſeu limite) h. e. quatuor in totum : ex quibus quatuor una cum ceteris conſiebat ſumma ſex & viginti terminorum . Verum termini qui membratim a verſu ſexto ſtatui jubentur , non plures quam quatuor & viginti ſunt . Quocirca illud εκατερω vertendum fuit , *Alterutro* aut *Vtrolibet* . Id enim apud Thucydidem ceteroſq. pervetuſtos ſcriptores Ἑκάτερος , & ab eo derivata omnia ſaepius ſignificant . *Duo* autem *in alterutro* , ſunt duo tantum , non quatuor . Aut vero , ſi *Duo in utroque* reddas, tum ſupplenda diſtributio erit in hunc modum : *In totum Duo in utroque , ſed ſinguli in ſingulis* . At quia non ſolet terminus ſuo carere antomo ; videtur hîc potius caveri, ut non idem , ſed alteruter limes binos terminos habere debeat; nam in eorum altero forſitan neceſſe non erat.

Jam vero cur hîc τὸ εκατερω careat a principio conſueta aſperante litterâ Η , dixi in Αφων ſupra ver. 2. Nam εφεκατερω & ſimilia in vocem unam videntur coaluiſſe.

(36) Ajo particulam Σὺν in calculis ineundis numero

Digitized by Google

44 παρ τα Φιντια Ɨεπτα συν τωι παρ ταν Βυβλιναν μασχαλαν και παρ ταν δι	παρὰ τὰ Φίντια ἑπτὰ σὺν τῷ παρὰ τὴν Βυβλίνην μασχάλην καὶ παρὰ τὴν δι-
45 ωρυγα	ώρυγα .

44. *ſecundum Phintia ducit, ſeptem, eo comprehenſo, cujus rigor per Byblinum anfractum perque foſ-*
45. *Jam ducit .*

ipſe per ſe intelliget. Tamen eam omnem obſervationem inferne (37) lectori exhibui.

Viſo, quo pacto ſumma terminorum quae in fine colligitur, cum iis, qui ſingillatim in tota ὀροθεσία (*terminorum conſtitutione*) ſparſim diſponuntur, congruat; ad ultimum quatuor tantum vocabula (puta ver. 42. Τετρωιρωι, & in ſequentib. verſibus Διωρυξ, Μασχαλα, & Βυβλια) quae negotium videntur faceſſere, in ſubjectis totidem Scholiis explicabimus, atque ita demum priori hujus Tabulae parti finem dabimus.

SCHO-

mero praecedenti haud quidquam addere, ſed quod hanc particulam ſequitur, id in praecedenti numero comprehendi; ita ut ver. 31. *ſeptem* tantummodo termini ſint, ſic quoque ver. 42. dumtaxat *octo*, & ver. 44. non plures quam *ſeptem*. Nam (praeter quam quod loquendi conſuetudo vetat aliter intelligi) addam hîc pulchrum Stratonici citharoedi jocum ex ambiguo captatum. Is nempe interroganti, quot haberet diſcipulos, ſcite reſpondit, Σὺν τοῖς θεοῖς δώδεκα: quod in ſpeciem ſignificabat, ſe *deorum beneficio* (id enim apud elegantes ſcriptores valet illud Σὺν θεοῖς) *habere duodecim*. At re vera ille *duodecim cum diis*, h. e. duos tantum, ſed adnumeratis Apolline & Muſis (quorum ſimulacra decem in ludo erant) duodecim ſibi eſſe, reſpondit.

(37) Numerus, quem dixi, quatuor & viginti terminorum, membratim ſparſus, in hunc modum colligitur.

Ver. 6.	terminus unus	1
Ver. 9.	terminus unus	1
Ver. 12.	antori duo	2
Ver. 15.	meſori duo	2
Ver. 16.	meſori duo	2
Ver. 21.	meſori duo	2
Ver. 23.	meſori duo	2
Ver. 29.	termini duo	2
Ver. 30. 31.	antori duo	2
Ver. 32. 33.	quatuor	4
Ver. 34.	duo	2
Ver. 35.	duo	2
Summa		24

Digitized by Google

SCHOLIA QVATVOR

De vocabulis totidem: I. Τετρωρον *ver.* 42. *&* *ver.* III. *II.* Διωρυξ *ver.* II. *&* 45. *III.* Μασχαλα *ver.* 44. *IV.* Βυβλια *ver.* 10. *&* 44.

SCHOLION I.

De Τετρωιρωι, *ac de plurativo* τετρωρων.

BIs hoc legitur. Semel vér. 42. iterum ver. III. Sed hoc intereſt, quod v. 42. tertius caſus ſingularis eſt, & cum I inſerto legitur, συν τωι τετρωιρωι: at v. III. genitivus pluralis eſt, & cum nullo I intruſo, δια των τετρωρων.

Τέτρωρον, ſi grammaticos audimus, idem ac τέθριππον. In utroque ἅρμα ſubauditur, & quadrijugum currum deſignat. Integrum eſſet τετράορον; nam quadrijuges equi quatuor ſyllabis τετράοροι & τετράορες nuncupantur tum aliis, tum in primis Homero: ad cujus Odyſ. N. Euſtathius adnotat, alteram hujus vocabuli partem ab ἀείρω, quatenus eſt συζευγνύω, *conjungo*, fieri. Nec τέτρωρον autem, quatenus *currus* eſt, verſui 42. (ubi ſingulari num. uſurpatur) nec τετράοροι h. e. *quadrijuges* (quod videtur etiam in τέτρωροι contrahi potuiſſe) verſui III. ubi plurative ſcribitur, convenire poteſt; neutrubi enim ſive quadrigae ſive quadrijugorum ſignificantia ineſt.

Videndum eſt igitur an τέτρωρον aliud quidpiam notare poſſit. Quo poſſit, equidem efficiam; dummodo ſtatuamus noſtrum hoc τέτρωρον ſono dumtaxat vocis & ὑλικῶς tantum cum curru πετρώρῳ convenire; ceterum aliunde prorſus derivari; ac proinde non tam novo ſignificatu hîc donari, quam novae proſapiae nomen eſſe, quippe ſatum a diverſis parentibus.

Ergo ne dubita quin aeris noſtri τέτρωρον alteram ſui partem ex ορος *terminus* arceſſat. Nam v. 42. iſtud συν τωι τετρωιρωι refertur ad ver. 33. ubi in triacontapeda viâ terminos (τετορας) quatuor depangi Tabula juſſerat. Qua de cauſa v. 42. τετρωρον libuit *Terminorum quatrionem* reddere. Nec aliter ver. III. eadem triacontapeda via δια των τετρωρων, h. e. *per terminos quadruplices* procedere dicitur.

Dixi novum hoc eſſe verbum. Nunc ipſe me revoco. Haud prorſus enim novum eſt; nam apud Ruſum & Oribaſium veteres medicos τέτρωρος eſt pars aſtragali ſeu tali ſuperior & ſurſum vergens. Galenus in lib. de oſſibus: *Talus ab imis tibiae ſuraeque proceſſibus comprehenditur. Ejus pars, quam Quatrionem vocant* (*Quatrio* vox eſt Iſidoro uſurpata: at Galenus τέτρωρον appellavit) *ſurſum vergit*. Addam & ex Gorraeo iſtud, nimirum & ipſum aſtragalum totum dici poſſe τέτρωρον, a quatuor ſcil. ipſius lateribus (imo potius ὅροις, *terminis*) *dextro*, inquit Gorraeus, *ſiniſtro*, *anteriore*, & *poſteriore*. Equidem non dubito quin aeris noſtri τετρωρον & Graecanicae oſteologiae τέτρωρος unum plane ſit idemque vocabulum, & quin ſibi mutuo in ea voce medici veteres & aera noſtra lucem foenerentur.

Ad ſcriptionem quod attinet, v. III. (ubi I non inſeritur) videtur ſcriptura rectior; nec enim, per quas rimas *Iota* illud viam ſibi jure munierit in interiora uſque verbi hujus, ſatis provideo. Nec tamen cum tantam admirer in hiſce tabulis orthographiae obſervationem, illud I temere intruſum, affirmare auſim. Nec me latet, vocabula quaedam biſariam ſcripta reperiri, uno modo ad analogiae canones, altero contra analogicam rationem.

Poſtremo ſicuti in Τεθριππος *Tau* e regione denſi ſpiritûs (etiam *Rho* medio intercedente) aſperatur; cur non & Τεθρωρον ſcriptum fuit, ſi ab ὅρος veniret? Certe quia ορος non ⊢ορος, ut toties inculcavi, in hoc monumento ſcribitur. Adde quod & Τετρήμερος ex Ariſtotele affertur; ut appareat T non ſemper ab illo remotiore ſpiritu afflari.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLION II.

De eo quid ſit in aere noſtro Διωρυξ.

Διώρυξ quidem interdum caeca eſt & cuniculum, aut caecum canalem notat; tum vero διώρυξ ὑπόνομος, aut διώρυξ κρυπτὴ Straboni vocari ſolet. At plerumque foſſam apertam deſignat. Hinc Heſychio Διώρυξ eſt abſolute τάφρος: quae in his Tab. Τραφος Doricâ metatheſi dicitur, ut in loco dicam. Porro Διώρυξ hujus obliqua tum Γ tum etiam X aſſumunt: ſed hoc alterum adprobat Phrynichus, prius repudiat his verbis: Διώρυγος, διώρυγα διὰ τοῦ Γ, κακῶς· οἱ γὰρ ἀρχαῖοι ταῦτα διὰ τοῦ X λέγουσι, διώρυχος, διώρυχα. At quid, rogo antiquius hiſce tabulis: in quibus per Γ conſtanter ſcribitur? Verum (ne quid grammatico detraham) Phrynichus τὸ *Male*, intelligit comparate ad Atticiſmum. Re vera Αττικώτατος ille Theophraſtus διώρυχες ſcripſit. Et ita, credo, Attici veteres, quos hîc laudat Phrynichus. Nam Strabo & quotquot alii per Γ uſurparunt, non ſunt ex veteribus Atticis.

Illud forſitan ſcitu utilius, eccui uſui iſta loci hujus διώρυξ parata fuerit. Ac ſuſpicari datur, hanc foſſam πορθμῷ (*trajectui*) inſerviiſſe, ſive ab Aciri ad urbem aliumve locum, ſive ad jungendos amnes duos Acirim ac Sirim, ut facilis ultro citroque trajectus eſſet. Hujus generis διώρυχα intelligit Scholiaſtes ad Gregorii Nanz. *Stel.* I. Διώρυξ ἐστὶν αὐτὸς ὁ πορθμός. Memorantur & a Theophraſto lib. IV. διώρυχες δι' ὧν διαπλέουσι, *per quas trajiciunt*. Meminere & alii generis hujus foſſarum, tum profani, tum ſacri (38) ſcriptores.

Erat & aliud ductuum genus, quod γεωργικὸν (*ruſticum*) nuncupare licebit, quippe ad agrorum cultum comparatum, idque rurſus duorum generum: quorum unum ad inducendas irrigationis gratia fluviatiles aquas valebat, alterum ad egerendas pluviatiles, ne diuturno incubitu fruges corrumperent.

Ad prius quod attinet, quis neſcit, quot ad Nilum fluvium derivandum antiquitus ὑδραγωγοὶ iſtiuſmodi ad agros rigandos ducerentur? Atque ubi non ſimilia fiebant? Hujuſmodi foſſarum exſtat pulcherrima in (39) Sirachide mentio. Hoc idem genus Vlpianus ſpectavit l. 1. §. 1. D. de rivis. *INCILE eſt locus depreſſus ad latus fluminis . . . unde primum aqua ex flumine agi poſſit*. Nam *Incilia prima* vocantur, in quae primum aqua derivatur, ut idem Vlpianus l. 1. D. de aqua quotid. & aeſt. *Prima*, ait, *incilia, vel principia foſſarum, quibus aquae ex flumine vel ex lacu in primum rivum communem* (ex quo ſcil. finitimorum agrorum poſſeſſores alios minores rivos ducebant) *pelli ſolent*. His addantur haec Feſti: *Incillae foſſae* (ſive potius *Inciles Foſſae*, ut in Catone) *quae in uſus fiunt ad deducendam aquam, ſive derivationes de rivo communi factae*. Itaque hujus loci διώρυγα poſſumus rivum aliquem intelligere, quod (ſive αμέσως, ſive per *incile primum*) aquas ex Aciri proximo ad agros rigandos derivabat.

Atqui alterius generis διωρύγων quibus aquae ex agris depellebantur, magis erant agricolis neceſſariae. Itaque Gloſſae G. L. eas nomine διώρυγος (40) complectuntur. De eisdem graviter cavet legislator Cato de R. R. cap. 155. Vide (41) locum. Nunc ſi a me quaeratur, utrum horum generum hîc capi conveniat, non queo ſatis decernere. Hoc quidem alterum ad expellendas deſidioſas aquas genus magis priore neceſſarium: at prius majoris moliminis, maxime ſi de incili primo agatur. Poſtremo amnis vicinitas propemodum ſuadet, ut quae Διώρυξ hîc (& quidem κατ' ἐξοχήν) appellatur, rivus communis ex Aciri ductus, ſive *Incile primum*, ſit intelli-

(38) Vide Concordantias Trommii. Sed addes locum Iſa. XIX. 6. & quaedam alia a Trommio praetermiſſa. Niſi quod διώρυγες in Graecis Bibliis memoratae, pleraeque pertinent potius ad γεωργικὰς foſſas, de quibus in ſeq. Adnot.

(39) In Graeco Eccleſiaſtici XXIV. 30. & ſeq. Sapientia ſic loquitur: ὡς διώρυξ ἀπὸ ποταμοῦ . . . . ἐξῆλθον εἰς παράδεισον. Εἶπα, ποτιῶ μου τὸν κῆπον, καὶ μεθύσω μου τὴν πρασιάν &c. Ex quibus eſt perſpicuum, foſſas plerumque ex amnibus *ad rigandos hortos, & ad inebriandas areolas* actas fuiſſe.

(40) Gloſſae G. L. veteris Onomaſtici ſic tradunt. Διώρυξ. *Emiſſarium*. Ac rurſus: Διώρυγες. *Inciles*.

(41) Cato de R. R. cap. 155. ſic incipit. *Per hiemem aquam de agro depelli oportet: In monte foſſas inciles puras habere oportet. Prima autumnitate cum pulvis eſt, tum maxime ab aqua periculum eſt. Cum pluere incipiet, familiam cum ferreis ſarculiſque exire oportet, incilia aperire, aquam diducere in vias . . . uti fluat.*

Digitized by Google

telligendum. Verum cuicui modi haec ſint, ſatis habui Διώρυγα ſimpliciter & γενικῶς *Foſſam* interpretari.

SCHOLION III.

Quid ſit Μασχαλα *ver.* 44.

Ibi ſic legitur: παρ των βυβλιναν μασχαλαν. Quod interpretari libuit, *Per Biblinum anfractum*. *Byblinus* venit a Βυβλιά, quod eſt vineae ſelectiſſimae genus, de qua Scholio ſeq. dicam. Nunc cur Μασχαλαν reddiderim *Anfractum*, age videamus.

Μασχάλη proprie Alam ſive axillam notat: de quo primario ſignificatu Pollux (42) videatur. Verum & ad alia transfertur axillae humanae ſimilitudinem habentia. Heſychius: Μασχάλη... ἐλαίας φύλλου τὸ μέρος. Μασχάλη, inquit, *eſt folii oleagini pars*. Ecqua pars? Ea certe, qua folii pediculus cauli adhaeret, ac ſinum axillae ſimilem facit. Nam & plantis aliis μασχάλη tribuitur, ac perhibetur eſſe cavus ille inter ramos & truncum ſinus, aut inter ramulos atque folia, unde nova progenies ſuboleſcit: quam partem Latini ipſi ſive alam ſive ſinum ſive (quod idem eſt) *anfractum* vocant. Sic etiam & viarum flexus, & loca quaevis ſinum axillari ſimilem facientia rectiſſime *Anfractus* nuncupantur. Vides quid hîc ſit Βυβλινα μασχαλα, ſive *Byblinus anfractus*.

SCHOLION IV.

Quorſum referenda ſit tum ΒΥΒΛΙΑ *v.* 10. *tum* ΒΥΒΛΙΝΑ *loci hujus, ad papyrum ne fruticem, an ad Bybliam regionem vini laudatiſſimi feracem, an denique ad vitis praeſtantiſſimae genus. Hanc primitus in agro Heracleenſi fuiſſe, ſuadetur.*

§. 1. *Numquid hîc de* Βύβλῳ *h. e. papyro ſuſpicari liceat.*

Βύβλος, *Byblus*, papyri illius, quae in vadoſis Nili locis fruticabat, & ex qua charta parabatur, nomen erat. De hac accurate Plinius XIII. 11. ubi & in Syria, & in Euphrate circa Babyloniam proveniſſe papyrum teſtatur. Quod argumento eſt, hunc fruticem in aliis quoque pluribus paluſtribus locis germinaſſe. Quocirca non erit incredibile, eamdem papyrum etiam in vadoſis circa Acirim ſtagnis fruticaſſe, ac dediſſe porro paludi nomen, ut Βυβλία vocaretur: a quo adjectivum Βύβλινος, quod hoc ver. 44. uſurpatur. Haec ſi quidem ſuadere auſim (abſit modo dictis arrogans pertinacia) non continuo graves contra me criticorum rixas pertimeſcam. Verum ab opinione hac quam longiſſime abſum, cum nemo prorſus veterum de papyro Heracleenſi ne mutiverit quidem.

Illud forſitan propius fidem fuerit, hîc βύβλον pro cannabi ſcirpove accipi; nam interdum haec quoque vox Βύβλος ſignificat. *Itaque* Βύβλινος (inquit H. Steph.) *exponitur etiam cannabeus, item ſcirpeus*. Ad haec in Phavorino in Βύβλινος ſic reperio: οἱ δὲ Καννάβιόν φασιν. *Alii Byblinum idem quod Cannabeum eſſe ajunt*. Verum iſta cuicuimodi ſunt, forſan admitterem, niſi meliora ſuppeterent.

§. 2. *De vino Byblino Heſiodi atque Theocriti; deque ſyllabae primae vocali.*

Heſiodus in Ἔργοις ver. 589. ita ſanxit, ut ubi aeſtivus fervor ad ſummum pervenerit, *in umbroſis antris degatur, vinumque Byblinum hauriatur*.

. . . . . Αλλὰ τότ' ἤδη
Εἶη πετραίη τε σκιὴ, καὶ Βύβλινος οἶνος.

Mitto heic jam quae de vini hujus nobilitate Heſiodi Scholiaſtae praedicant. Sed & Theocritus Idyll. XIV. v. 15. ſe ſuis contubernalibus *releviſſe* ait *Byblinum vinum, odoriferum, quadrimum* (ita dulcem) *quaſi tum primum e torculari hauſtum*.

. . . . . Ανῷξα δὲ Βύβλινον αὐτοῖς
Θυώδη, τετόρων ἐτέων, σχεδόν ὡς ἀπὸ λανῶ.

In his duobus ſummorum poetarum locis ſcripti juxta ac editi omnes τὸ Βύβλινος cum Py-

(42) Jul. Pollux lib. II. ſegm. 138. αἱ δὲ ὑπὸ τῇ ἐκρωμίᾳ κοιλότητες, ΜΑΣΧΑΛΑΙ. ἀφ' ὧν ὁ ἀμφιμάσχαλος, καὶ ἑκατερομάσχαλος, καὶ ἑτερομάσχαλος χιτών. *Quae vero ſub ſummo brachio ſunt cavitates, MASCHALAE: unde & amphimaſchala* (h. e. in utranque axillam deſcendens) &c. *tunica* vocatur. Porro μασχαλωτὸν χιτῶνα (quaſi dicas *axillarem tunicam*) quam Pollux omiſit, videmur Heſychio poſſe debere: apud quem illud, Μασχαλὸν· τὸν χιτῶνα, non inepte Salmaſius in Μασχαλωτὸν χιτῶνα refinxit. Haec vero (ſi recta eſt emendatio) non *manicata* aut *manuleata tunica* reddenda videtur (nam haec Graecis χειριδωτὸς vocatur) ſed, ſi ſic loqui liceat, *axillaris tunica* h. e. quae infra axillam deſcendit, paullo ſupra cubitum. Eo uſque enim in veteribus anaglyptis ſummum brachium tegitur.

Digitized by Google

Pythagorae litte ra exhibent. Tamen quia uſus poſtea obtinuit, ut loco Pythagoricae, littera longa I adſcriberetur; hodierna natio criticorum Heſiodi locum (idemque de Theocrito judicium) mendi accuſant, ac per I ſcribi pro imperio jubent: e quorum numero ſunt Berkelius & Holſtenius ad Stephanum in Βιβλίνη. Fruantur hî quidem emendatione ſua. At equidem in vocabulis omnibus quae a Βύβλος (ſive Niliaci fruticis, ſive ſit urbis Phoeniciae, ſive vini, aut ejus rei nomen quae vino appellationem indiderit) derivantur, ita variatum fuiſſe comperio, ut modo I, modo bicornem litteram in prima ſyll. geſſerit. Ac facile ea vocabula per Υ primitus, poſtea per I ſcribi coeperint. In hac certe Tabula (*in* qua nulla aut rariſſima ſcripturae menda reperias) tum v. 10. tum hoc v. 44. adſcribitur Υ. Ex quo colligimus Βυβλίαν, ubi ſaltem vineam illam ſelectiſſimam notat, vocalem Pythagoricam requiſiviſſe, unde & vinum *Byblinum* pari modo ab Heſiodo & Theocrito cum Υ perſcriptum fuit. Eamdem ſcripturam Proclus (ad recitatum Heſiodi locum) & Euſtathius (ad Iliad. Λ. p. 781.) ſecuti: qui non recte ab Holſtenio (apud eosdem I reponente) caſtigantur. Eâdem orthographiâ uſus Tzetzes, ad eumdem Heſiodi locum ſcripſit οἶνον βύβλινον, ἀπὸ βυβλίας ἀμπέλου Θρακίας. Apud Suidam utramque ſcribendi rationem reperies: quem vide tum in Βίβλινος οἶνος, tum etiam in Βύβλινος οἶνος: quem ipſe non recte a ſuperiore illo (Βίβλινος οἶνος) ita diſtinguit, ut Βίβλινος per I ſit a vite Thracia, alterum per Υ ſit ἐκ βύβλου πόλεως. Idem & Etymologus Magnus credidit: qui ubi in ΒΙΒΛΙΝΟΣ vinum iſtud ex Thracia aut ex Naxo arceſſierat; poſtea in v. ΒΥΒΛΙΟΝ ita definit: καὶ Βύβλινος οἶνος, ἀπὸ Βύβλου πόλεως. Idem autem genus vini fuit, quod locis pluribus ex vite congenere exprimebatur, ut ego ſentio.

Quid quod etiam in Aeſchyli Prometheo ver. 819. laudatur vinum Βυβλίνων ὀρῶν ἄπο? quod totidem verbis Epicharmus apud Athenaeum I. 24. uſurpat: niſi quod in Aeſchylo per Y, in Athenaeo per I ſcribitur: nempe recentiorum pluribus loca antiquorum ad ſui temporis orthographiam refingentibus, aliis tamen interim vetus & nativum Y mordicus retinentibus: ex quo factum ut id vocabulum διττολογούμενον evaſerit. Senſit hoc Phavorinus, qui in Βύβλινος ita ſcripſit: Βίβλινον καὶ βύβλινον διχῶς οἱ παλαιοὶ γράφουσιν. *Dupliciter hoc veteres ſcriptitant*, *per* I *ac per* Y.

Sed & Heſychius (quem vide in Βιμβλίνη) nova ſcriptione utitur, M ante alterum B interjecto: quod non temere mutandum, cum in Etymologico M. legatur... καὶ τὸν Νάξιον οἶνον (nam Byblinum quia a Naxo ex aliquorum ſententia credebatur profectum, etiam *Naxium* vocabant) διὰ τοῦ M, Βίμβλινον. Ac de ſcribendi ratione ſatis.

§. 3. *Vnde Byblinum antiquorum vinum ſibi nomen adſciverit.*

Duas originationis vias antiquos iniviſſe video. Fuere qui a loco ſic appellato partum, uti fit, vino nomen putent: id vero tam varie narrant, ut pigeat referre ſententias. Adeant imam (43) pagellam, quibus ea res curae fuerit.

At

(43) Ab Athenaeo incipiam: qui I. 24. (ἀπό τινος χωρίου ὕστω προσαγορευομένου) *a quodam loco ſic dicto* Biblinum vinum reperiſſe nomen initio affirmat. Deinde ſubjicit Philini verſiculos, in quibus haec vina laudantur, *Lesbium*, *Chium*, *Thaſium*, *Biblinum*, *Mendaeum*. Quorſum vero hic locus? Nempe ut intelligatur, ſicuti Lesbium, Chium, Thaſium Mendaeum a ſuis locis invenere vocabula, idem & in Biblino credidiſſe factum. Pergit: *Epicharmus vero a quibusdam Biblinis montibus vocatum ait*. Hoc Epicharmus ab Aeſchylo (quem §. 2. retulimus) didiciſſe videtur: cujus illa ſunt in Prometheo v. 819. Βυβλίνων ὀρῶν ἄπο: quae verbis totidem Epicharmus affert. In Athenaeo ſequitur: *Armenidas autem Thraciae* (ἐν αὐτῇ χώραν τὴν Βιβλίαν) *campum eſſe Bibliam narrat*. Nec mirum (ſubdit Athenaeus) a Thracia adſciviſſe nomen hoc vinum, quando Homeri etiam teſtimonio Thraciae & viciniae vina celebrantur, & Thracia ipſa εὐοίνους (*dulcis vini ferax*) vocabatur. Poſtremo in Hippiae Rhegini, alia omnia narrantis, dictis conquieſcit. De quibus alibi dicam.

Stephanus ait: *BIBLINE Thraciae* (χώρα) *regio* (ſive potius *campus*) *a quo vinum Biblinum nomen habet*. Deinde poſt alterum etymon (nim. a vite *Biblia*) addit: *Demus vero Delius* hoc vinum *Naxium vocat*, *quoniam Biblus Naxi fluvius eſt*. Atque hoc illud eſt, quod in Etymologo legitur. Σίμος (Berkelius recte Δῆμος) δέ ἐν τῇ ἕκτῃ τῆς Ιλιαδ. &c. *Demus autem in VI. Iliados* (ex quo diſcimus Scholia in Homerum ab hoc etiam ſcripta) *narrat*, *in Naxo fluvium eſſe Biblinen*, *a quo vinum Biblinum vocari*, *propter fatas* (ad eum amnem) *vites*. Poſtremo & Proclus haec ad Heſiodum poſuit: Οἶνον Βύβλινον (Heſiodeum) οἱ Νάξιοι παρ' αὐτοῖς γεωργεῖσθαί φασι (παρὰ) ποταμὸν ὕστω καλούμενον. *Vinum* By-

Digitized by Google

At alii, quorum melior ſententia menti, Βυβλίων proprium vitis nomen fuiſſe volunt, a qua vinum illud exprimebatur. Haec mihi ratio nominis probabilior viſa fuit, quippe in quam frequentior veterum auctorum numerus, & vero meliorum, conceſſit. Eos huc afferre oneroſum fuerit: tantum qui nunc ſuccurrunt, in imam pagellae oram (44) rejiciam.

Verum Hippiae Rhegini locum, pervetuſti ſcriptoris reſq. patrias narrantis, ſi locum luculentum omiſerim; minus benigne fecerim. Ergo Athenaeus I. 24. ubi de vini Biblini origine nominis plures retuliſſet opiniones, poſtremo in Hippiae narratione unice videtur conquieviſſe. Ἱππίας δ' ὁ Ῥηγῖνος τὴν ἰλεὼν καλουμένην ἄμπελον, Βυβλίαν φησὶ καλεῖσθαι· ἣν Πόλλιν τὸν Ἀργεῖον, ὃς ἐβασίλευσε Συρακοσίων, πρῶτον εἰς Συρακόσας κομίσαι ἐξ Ἰταλίας· εἶτα ἀπ' ὃν ὁ παρὰ Σικελιώταις γλυκὺς καλούμενος Πόλλιος, ὁ Βύβλινος οἶνος. Quae ſic reddidit Dalechampius. *Hippias Rheginus, quam vitem ἰλεών, id eſt tortuoſam dicebant, Bibliam vocatam fuiſſe tradit; eamque Argivum Pollin, qui regnavit Syracuſis, primum ex Italia Syracuſas invexiſſe. Quamobrem quod dulce vinum Siculi Pollium nuncupant, Biblinum fuerit.* Verum hic locus locupletior eſt, quam ut ejus opes confertim contemplari univerſas liceat. Ei jam immoremur.

§. 4. *Hippiae (ſive potius Hippyos) Rhegini locus ex Heſychio, Jul. Polluce & aliis illuſtratur. Italia illa, ex qua vitis Byblia Syracuſas translata fuit, non alia, quam Italia vetuſtiſſima erat.*

Hippias (ſive is *Hippys* (45) vocandus eſt) Rheginus temporibus Darii & Xerxis floruit. Scripſit autem Sicula libris V. Chronica libris totidem, ac praeter cetera (κτίσιν) *origines Italiae*, illius ſcilicet anguſtiſſimae temporum ſuorum, de qua in Parecb. p. 56. dixi. Vide de Hippy Voſſium in Gr. Hiſt. Is igitur vitis, de qua agimus, praeter *Pollium*, alia duo nomina protulit, nec tamen oſtendit, an uno tempore ea nomina ſibi Syracuſis quaeſiverit, an diverſo. Verum res ipſa ſuadet, *Bybliam* fuiſſe antiquius nomen, quod in Italia obtinebat, at procedente tempore ἰλεὼν ex re fuiſſe Syracuſis vocatam. Nam haec eadem vitis Heſychio plurative ἴλεοι nuncupatur. Ad Bybliam enim refero, quod in Ἴλεοι ſic ſcripſit Heſychius: Ἴ ΛΕΟΙ· εὐμενεῖς, καὶ σαφυλῆς εἶδος. Ait igitur eo vocabulo tum *Mites* homines ſive *Lenes* notari, tum etiam *uvae genus*. Quodnam, rogo, niſi illud ipſum quod Athenaeus ἰλεὼν vocatum ait? Nec me vero tam ſcripturae tantulum diſſidium commovet (quod re vera nullum (46) eſt, quam quod Dalechampius transſtulit *Tortuoſam*. Nam ſi Heſychio credimus (qui uno eodemq. vocabulo tum *Mites* fuiſſe dictos, tum id, quo de agitur, uvae genus) neceſſe erit in Athenaei translatione pro *Tortuoſam* ſubrogari *Mitem* ſive *Lenem*. In quo quae vini Byblini praecipua laus decantata fuerat (nam inter mollia (47)

Byblinum Naxii apud ſe coli perhibent juxta ejus nominis fluvium. Vidi equidem plurimos Naxiorum nummos, quor. averſas partes ubiq. recemus implet.

Heſychius: Βύμβλινος *vini nomen eſt, & vitis genus in Thracia: & molle vinum*. Deinde Epicharmi opinionem ab Athenaeo allatam, ita refert, ut tamen montes illos in Thracia fuiſſe putet.

Poſtremo fuere, qui ab urbe notiſſima *Byblo*, in qua vinum id fieret, vino Byblio nomen inditum crederent. Suidas: Βύβλινος οἶνος· ἐκ Βύβλου πόλεως. Sic etiam Etymologici auctor ſupra productus. Tzetzes ad Heſiodum *Biblini* nomen arceſſit ἀπὸ Βυβλίας ἀμπέλου Θρακίας, ἢ . . . ἀπὸ τῶν Ασσυρίων τῶν περὶ τὴν Βίβλον (πόλιν) καὶ Λίβανον. Mitto alios ab urbe Byblo ἐτυμολογοῦντας. Quod minime ſpernendum eſt vitis *Bybliae* veriloquium.

(44) In eorum numero, qui ex vite Byblia, ubicumque ea fuerit, vinum *Byblinum* adſciviſſe ſibi nomen volunt, primae Hippiae Rhegino debentur: cujus locum in fine hujus §. recitavi, initio vero §. 4. fuſe expoſui. Praeter Hippiam autem, Proclo ad Heſiodi ſupra recitatum verſum Βύβλινος deducitur ἀπὸ ἀμπέλου ὕτω καλουμένης: Tzetzae vero ἀπὸ Βυβλίας ἀμπέλου Θρακίας. Sed & Stephanus haud ſecus ἀπὸ Βυβλίας ἀμπέλου arceſſivit, itemque Suidas ἀπὸ Βιβλίνης ὕτω καλουμένης Θρακίας ἀμπέλου.

(45) *Hippias* quidem non tantum in Athenaeo vocatur, ſed etiam in Arati ſcholiis, ubi de Hyadibus Hippias producitur auctor: quod forſan ad hujus ἀστρολογικὰ eſt referendum. At contra ab Aeliano in IX. Hiſt. anim. 33. a Plutarcho de orac. def. (ubi hic ſtatuiſſe dicitur mundos 183.) Stephano in Ἀρκάς, dicitur Ἵππυς: qui alibi etiam Ἱππεύς, interdum Ἵπυς nuncupatur.

(46) Nam quod in Athenaeo diphtongus vocem inchoet, in Heſychio ſimplex I; id nihil eſt; quia in marmoribus, & MSS. (maxime in papyris Regii Herculanenſis Muſei, Tito anteriorib.) EI & I tertio quoq. verbo, etiam in eadem voce, alternant. Nec ſpiritus (qui quidem, ſi vox ab ἵλαος aut ἵλεως ſit, denſus eſſet; cum tamen in Heſych. & Athenaeo ſit lenis) quemquam conturbet: nam haec ſcripturae accidentia ſero admodum acceſſere libris, neque cum judicio ſemper adpicta. Vel vide infra p. 207. ad ver. 52. ubi illud aeris noſtri ⊢AΣ oſtenditur perverſe in Heſychio leniri. Ac millena talia mitto.

(47) Decantatur autem Byblini mollitudo ab illo ipſo Heſychio (cujus modo locum in Ἵλεοι expoſui-

Digitized by Google

& lenia celebrabatur) ejus nomen in vitem & fructum redundavit, ita ut non tantum id vinum diceretur *Lene*, sed & vitis ἴλεος & uva ἴλεις, aut fort. aspere ἵλεος.

Hactenus nomina duo vini hujus Syracusis usurpata Dipnosophista prodidit. Ab origine enim prima, tum in solo Italiae nativo tum Syracusis, *Byblinum* a *Byblia* vinea vocabatur : postea Syracusis nomen Ειλεον sive Ιλεον h. e. *Mite*, suum peculiare reddidit. At eod. teste, etiam postremo nomen tertium Syracusis ab rege Pollide, qui primus advexit, sibi quaesivit, ut *vinum Pollium* auctore Hippia vocaretur. Consentit Jul. Pollux, sed ita ut plura supra Athenaeum admetiatur, & ab eo modice dissentiat. Locus est lib. VI. cap. 2. segm. 16. (ubi de dulcibus vinis agit) hujusmodi. Καί πω καὶ γλυκύς, Πόλιος. Ἔστι μὲν ἐκ Συρακουσῶν, Πόλις δ' αὐτὸν ὁ Αργεῖος πρῶτος ἐπεσκεύασεν, ἀφ' οὗ καὶ τοὔνομα· ἢ ἀπὸ τοῦ Συρακουσίων Βασιλέως Πόλλιδος, ὡς Αριστοτέλης λέγει. *Est vero etiam dulce vinum POLIVM, quod ab Syracusis advehitur : quod Polis Argivus paravit primus, a quo* (48) *& nomen invenit : aut certe a Syracusanorum rege Pollide, quemadmodum Aristoteles refert.* Vides fuisse varias causarum narrationes, cur id vinum sive *Pollium*, sive verius (49) *Polium* appellaretur: quod in rebus summae antiquitatis minime mirum. At vera appellationis ea mihi videtur fuisse ratio, quod quae vitis *Byblia* vocabatur, ea ab agro Heracleensi, qui primitus *Siritanus* erat, Syracusas translata fuerit. Nam urbs *Siris* (quae postea Heraclea) cum agro suo primitus Πολιεῖον, aut Πολίον vocabatur : de quo vide dicta Diatr. II. p. 73. Haec, inquam, vera appellationis causa fuerat : cui postea superstructae mirae narrationes fuerunt sive de Polide Argivo aut Sicyonio, sive de rege Pollide. Confer Adnot. 48.

Quam vero modo attuli vini *Polii* simulque *Byblini* originem, cave pro mera hariolatione traducas. Nam in hanc persuasionem pulchre omnia conspirant. Ac primum tria illa hactenus explicata nomina non aliam, quam dixi, suadent vini *Byblini* originem. Nam si quaeras, cur *Polium* vocaretur ; jam dixi, id eo factum, quod regio, unde vitis traducta Syracusas fuit, Πολίειον primitus vocaretur. Cur vero *Byblinum ?* a Βυβλία, vineae nomine, cujus hoc Tabulae Heracleoticae loco mentio fit, itemque v. 44. At tertium, inquis, nomen Ιλεος unde habes ? Vtique a vini bonitate, quae regioni Heracleae (50) mirifice convenit : de qua jam dicendum.

Byblinum vinum dulcedine in primis praestabat, nam & Athenaeus, & Jul. Pollux, ubi de dulcibus vinis agunt, Byblino primas deferunt, & Hesychius pro ἠμενεῖ (*miti*) habuit. Idem quoque & *molle* erat, quippe ab Hesiodo summa aestate epotari jussum ; & ab Hesychio ἁπαλὸς οἶνος (*molle vinum*) vocatur. Vtramque vini hujus virtutem idem Hesychius una voce Ιλεος (quae *Mitem* ac *Lenem* cum significet, tamen vox peculiaris hujus vini evasit, uti diximus) complexus est. Atqui modo descripta *Byblini* vini bonitas, quae persuadet, ut id ex Heracleae agro convenienter petatur, eadem prohibet ne ex Thracia (ad quam non nemo anti-

suimus) in Βίμβλινος : de quo vino, ait : ὁ ἁπαλὸς οἶνος, *Molle vinum*. Quid autem eo vino lenius, quod aestate summa Hesiodus hauriri jussit? Postremo Joan. Tzetzes in illum Hesiodi locum Βύβλινον οἶνον aperte vocat ἰλαφρὸν καὶ ὑδατώδη, h. e. non tantum *levem* facilemque, sed & *aquae similem*.

(48) Imo potius ab urbe Siri (quae postea Heraclea fuit, sed paullum mutato situ) quae Πολιεῖον antiquitus vocabatur ; quia ab illo, uti dicam, agro, vitis Byblia Syracusas translata fuit. De quo plura tradituri sumus.

(49) In Jul. Polluce antea Πολλαῖος edebatur : postea viris doctis Πόλλιος (ut in Athenaeo legitur) placuit. At in ult. Pollucis editione Amstel. ann. 1706. visum est editoribus Πόλιος in textu exhibere, non tantum quod in istud Πόλιος scripti libri consentiant, verum etiam ex Aeliani XII. 31. suffragio scribentis, Καὶ ἐν Συρακόσαις Πόλιος (οἶνος). ἐκλήθη δὲ ἀπό τινος ἐγχωρίου βασιλέως. Eaque sincera est tum Aeliani tum Pollucis lectio.

Addam & Etymologi Magni locum a Varino, qui eum descripsit, emendatum : ἥτις (βιβλίνη ἀμπελος) ἐν Ελλάδι μεπετέθη, καὶ ἐν Σικελίᾳ ὑπὸ Πόλιδος τοῦ Σικυωνίου τυράννου· ἔνθεν τινὲς αὐτὴν καὶ Πόλιον καλοῦσιν. In Etymologico, unde haec Varinus descripsit, Πόλλιδος, & Πόλλιον hodie editum exstat. At Phavorinus meliora Etymologi nactus exemplaria, utrumque cum simplici Λ apposuit.

Ex his vides *Polidis* tyranni & *Polii* vini nomina ex *Polieo* vetere Siris sive Heracleae vocabulo manasse : ex qua urbe vitis Byblina in Siciliam haud dubie trajecit.

(50) Olim *Siritana*, h. e. Heracleensia vina bonitate, ac praecipue mollitudine praecelluisse, alicubi apud antiquos legeram. Sed is locus nunc excidit. Hodie num in eo tractu vina eximia fiunt.

Digitized by Google

antiquorum *Byblini* ortum retulit) arcessatur. Nam vide quaeso, quid de *Byblino Thracio* Suidas prodiderit: ΒΙΒΛΙΝΟΣ οἶνος· Αὐστηρός· ἀπὸ Βιβλίνης ἔτω καλουμένης Θρᾳκίας ἀμπέλου. *BIBLINVM*, inquit, *vinum austeritate pollet: ita dictum a vite Biblina, quae in Thracia gignitur*. Hujus autem austeritas tanta erat, ut locum ignoti poetae senariolo dederit, qui ab eodem subjicitur, haud dubie proverbialis.

Ὕδωρ δὲ πίνει, τὸν δὲ Βίβλινον συγεῖ.
Biblini odio bibisse mavult frigidam.

Itaque ubi jam Thraciam (tam fortem aemulam, quippe aliquot veterum suffragio vallatam) de medio submovimus; quid aliud relinquitur, nisi ut de Heracleae agro unice cogitemus, cui haec Tabula Βυβλίαν asserit; unde & ceterae regiones petebant Byblinam vitem? Petierunt inde quidem Syracusani *Byblinam*, quae in optimo solo minime degeneravit. Indidem fortassis etiam Thraces arcessiverunt. Verum ex soli vitio vinum inde confectum, adeo ingratum fuit, ut odio mortalium potius celebraretur, ut in superiore iambo.

Atqui nescio cur id, in quo rei caput erat, ad ultimum reservaverim. Nam ubi Rheginus Hippias (sive Hippys est) apud Athenaeum *vitem Bybliam* ex Italia Syracusas fuisse traductam narrat, is haud dubie *Italiae* nomine non aliam intellexit, quam quae quingentis ante Christum annis (h. e. Darii & Xerxis temporibus, quibus Hippys ille aequalis fuit) *Italia* vocabatur. Nimirum *Italia* primitus non aliud quam *Chonia* erat, h. e. circumjecta urbi *Siri*, quae postea Heraclea fuit, regio. Mox Italiae nomen etiam ad eam peninsulam, quam postea Bruttii occupaverunt, est prorogatum; ac porro processu temporis longius semper latiusque prorepsit. Vide Parecbasin de Italiae nomine p. 56. Et illis quidem angustissimis terminis in Hippyos narratione accipi *Italiam* debere, indicio est nomen alterum vini Byblini, nempe *Polium* (cujus nominis non solus Hippys in Athenaeo, sed & Pollux, & Aelianus meminerunt) quod nomen a *Polieo* illo venit, quod Siritano sive Heracleotico agro continebatur.

§. 5. *Conclusio superius dictorum. An Byblia vitis adhuc in supra dicta regione supersit.*

Ostendi hactenus *Bybliam* vineam, ex qua celebre illud *Byblinum* gignebatur, in Heracleae agro beatissimo primitus excultam fuisse, indeque alio translatam; nec aliud esse istud ΒΥΒΛΙΑΝ, quod ver. 10. legitur, & illud Βυβλίναν ver. 44.

Quod siquis a me quaesierit ulterius, unde domo isthaec vitis *Byblia* fuerit; in Chonia ne (h. e. primitivâ illa circa Polieum sive Sirin Italia) primum sponte sua germinaverit, an ex alia regione allata heroicis forte temporibus; sic respondebitur. Prior quidem opinio (nempe quod vetus Italia fuerit ejus primitivum solum) non est inter ἀδύνατα referenda. Verum non moror, quin *Byblia* aliunde in Italiam venerit. Itaque quibus temporibus fervebant Phoenicia commercia, tum sane Phoenices videntur ex urbe nobilissima *Byblo* vitem selectissimam (cujusmodi in Phoenice ad miraculum celebrantur) attulisse in vetustissimam Italiam, quae circa Heracleam erat: quae a loco nativitatis dicta sit *Byblia*. At postmodum Syracusani (forsan & alii) Italicam *Bybliam* arcessiverunt: quae plerumque ipsa potius a se nomen locis omnibus, quo peregre profecta fuit, imposuit (ita ut *Byblina* loca illa dicerentur) quam ut ab iis acciperet.

Ac fuit cum *Zebibam* (51) agri Bruttii uvam longe selectissimam ad veteris Bybliae prosapiam, ductus qualicumque παρονομασίᾳ, suspicarer posse referri. Verum cito me revocavi, simul atque intellexi, *Zebibum* Arabicam esse vocem, qua uva passa designatur: de qua voce vide Arabica lexica Golii atque Castelli. Atque ex diutino Saracenorum incolatu videtur id uvae nomen in agro Bruttio adhuc haesisse.

(51) ZEBIBBVM genus lectissimae hodie vitis est apud Bruttios, & loca vicina: ex qua uva tum alba tum etiam nigra (haec albae antefertur) gignitur: ex qua uvae illae *passae* saporis exquisitissimi parantur copiâ tantâ, ut non in diversas tantum Italiae regiones, sed & in transmarinas oras transvectae, in principum virorum deliciis habeantur.

Digitized by Google

PRIORIS HERACLEENSIS TABVLAE PARS ALTERA

EJVSDEM ARGVMENTVM.

QVodnam ſit partis hujus τὸ ὑποκείμενον (*ſubjectum*) ſatis ipſo lemmate (Συνθήκα &c.) declaratur. Poteſt tamen haec univerſa τῶν συμβολαίων (*pactorum*) comprehenſio ſubdiſtingui rurſus in partes duas: quarum prior, ad verſum uſque 65. pertinens, leges quasdam cunctis conductoribus communes complectitur: altera a ver. 65. ad 131. peculiaria pacta continet ad ſingulos conductores ſpectantia. Nam quia, ut ex priore Tabulae parte intelleximus, ager univerſus Dionyſiacus in μερείας, ſive, ut alibi, μερίδας [*portiones*] quatuor diviſus fuit; earum ſingulae ſingulis elocatae fuerunt. Ergo a ver. 65. ad ver. 131. ſeorſum ſingulis uniuſcujuſque partis conductoribus eae imponuntur leges, quae ſuorum χωρων [*camporum*: ſic enim vocantur, quae ſupra *Portiones* appellatae fuerant] naturae conveniant. Ad ultimum a ver. 131. ad finem adſcribuntur nomina ſingulorum, qui ſingulas portiones conduxerant. Hactenus de argumento.

Tempus Συνθήκας [*conventionis*] hujus non idem fuiſſe, ac totius ſuperioris actûs, ex indiciis pluribus oſtenditur. Eodem quidem Apellaeo menſe (qui populi conciliis deſtinatus videtur, ut pag. 147. dictum) utraq. haec acta fuerunt; ſed non eodem anno. Priora acta ſub Ephoro Ariſtarcho conſignantur: haec autem ſub Ariſtione Ephoro. Εφορεία annuus magiſtratus erat. Heracleenſibus autem vel ſi plures fuerint, ut Laconibus, Ephori; at unus eorum ἐπώνυμος erat, cujus ſcilicet nomine appoſito anni conſignabantur ac diſtinguebantur. Ac facile uno tantum anno conventa, quae nunc ſubjicimus, poſteriora ſunt ſuperioribus actis. Nec enim cauſa fuit, cur poſt dimenſionem & γαιωδαιτίαν [*terrae partitionem*] jam ante peractam, diutius uno anno locatio protraheretur.

Stylus autem *Synthecae* hujus multo eſt a parte priore diverſus; ac ſane multis partibus ſalebroſior atque ἀρχαιότερος. Neque id mirum. Vt enim hodie tabellionibus ſuae ſunt formulae ab vulgi ſermone remotiores, ſic & olim γραμματεῖς [*ſcribae*] pleraque omnia κατὰ τεχνικὴν γλῶτταν eloquebantur. Porro ſcribae illi, qui hanc συνθηκαν contexuit, nomen *Ariſtodamo* fuit: quod in fine notatur. Habes cur ſalebris omnia ſcateant. Sed & archaiſmis multo plus haec, quam ſuperiora, abundant. Cauſa in aperto eſt; quia maxima harum pactionum pars, ex antiquioribus συνθήκαις repetita totidem fere verbis fuit; quod ad v. 80. & alibi monebitur. Niſi quod videntur ita ſuperiorum pactionum formulae hîc iteratae; ut tamen orthographia, quae ſub Ariſtionis (qui hîc praeſcribitur) ἐφορείᾳ adhibebatur, interdum uſurparetur, antiquiore neglecta: quod locis (*) aliquot obſervavi.

PARS

(*) Exemplo eſſe poteſt quod antiquitus Tarentini (quorum dialectum Heraclea ſequebatur) νόμμος, & ἀμπίσασθαι &c. dicebant: quorum loco hîc Νομως ver. 75. legitur, & ver. 77. Αμφισταθαι, ut ad ea loca notabimus. Nam nolo nunc in ipſo enecare aditu.

Digitized by Google

PARS ALTERA

CVM INTERPRETATIONE ET COMMENTARIO.

46 ΣΥΝΘΗΚΑ ΔΙΟΝΥΣΩ ΧΩΡΩΝ	ΣΥΝΘΗΚΗ ΔΙΟΝΥΣΟΥ ΧΩΡΩΝ
47 Επι Εφορω Αριστιωνος μηνος Απελλαιω Ͱα πολις και τοι πολιανομοι ΑΣ βοτρυς Τιμαρ	Ἐπὶ Ἐφόρου Ἀρισ̣ίωνος μηνὸς Ἀπελλαίου ἡ πόλις καὶ οἱ πολιανόμοι, Ας. βότρυς Τίμαρ-
48 χος Νικωνος ⊏Ε ανθεμον Απολλωνιος Απολλωνιω και τοι οριστοι ⊏Ε τριπους Φιλωνυ	χος Νίκωνος, ⊏ε· ἄνθεμον Ἀπολλώνιος Ἀπολλωνίου, καὶ οἱ ὁρισ̣οὶ, ⊏ε· τρίπους Φιλώνυ-

46. *PACTA CONVENTA* (locati conducti) *CAMPORVM DIONYSI.*

47. *Sub Ephoro Ariſtione, menſe Apellaeo. Civitas & praefecti urbani: AS. Racemus, Timar-*

48. *chus Niconis filius: VE. Flos, Apollonius Apollonii filius & Finitores: VE. Tripus, Philony-*

VERSV 46. ΧΩΡΩΝ] Quid χώρος num. plurativo noſtrum Aes vocet tum hîc, tum ſup. v.38. & inf. v.51. & paſſim alibi, apertum eſt ex totius terrae Dionyſiacae partitione, quae fragmento Britannico continetur. Nam ibi in μερείας ſive μερίδας quatuor tota terra diviſa fuit. Quae portiones hîc & in ſequentibus χῶροι vocantur. Hinc ver. 65. Ͱο τον πρατον χωρον μισθωταμενος is intelligitur, qui primam portionem ex deſcriptis in fruſto Brit. conduxit: & ſic deinceps Δευτερον, Τριτον, Τεταρτον χωρον ad easdem illas μερίδας refer. Ac mihi perquam videtur probabile, primariam τῆ χώρᾳ notionem eam eſſe, ut ſit definita, & undique terminata μερεία (*terrae portio*) cujusmodi a Latinis *Campus* vocatur. Hoc ita eſſe, oſtenditur ex voce cognata Χωρὶς, *ſeorſum*, *ſeparatim*, & ex hinc derivato verbo χωρίζω, *ſegrego*, *ſejungo*, cum ſua totâ proſapia. Ergo ſi a me quaeras, quid proprie Χῶρος ſit in his tabulis; reſpondebitur, eſſe μερείαν aut μερίδα τῆς γῆς (*terrae portionem*) ſed κεχωρισμένην *limitatam*; quod χώρᾳ vox ipſa ſonat. Et hoc loco quidem (*Camporum*) vertimus. At infra ubi Χωρος πρατος, δευτερος &c. memorantur, licebit reddere, ſi ſic libeat, *Portionem primam*, *ſecundam* &c.

VERSV 47. επι Εφορω Αριστιωνος] Spartae Ephori quini erant. Vnus ne an plures Heracleae fuerint, non liquet. Etiamſi tamen plures numero fuerint; unus tamen eorum ἐπώνυμος vocabatur, quod ejus nomine acta publica conſignarentur; &, ubi annus aliquis deſignandus erat, ut Romae Conſulum nominibus, ita Ephori ἐπωνύμῳ addito nomine is annus diſtinguebatur. Ergo hic annus, quo Ariſtion ἐφορεύειν dicitur, alius ab eo eſt, quo Ariſtarchus (qui fruſto Brit. praeponitur) ἐφορείαν gerebat, ut modo in Argumento monebam. Vterque ἐπώνυμος fuit, ſed eodem anno non potuerunt. Sane quod Ariſtion Ephorus ejuſmodi fuerit, cujus nomine ſignarentur anni, declaratur infra ver. 74. ⊏ετεος ἡ Αριστιων εφορευει, ut ibi monebimus. Adde ver. 117. 118. Pulchrum autem hoc eſt, quod cum ceterorum magiſtratuum atque civium nominibus notae illae duae diſcriminantes praeponantur, de quibus copioſe dixi ſupra pag. 148. Adnot. 12. tamen Ephori nomini nihil praeeſt. Scite factum. Nam Ephorus, praeſertim ἐπώνυμος, ipſe per ſe notior erat, quam ut notis illis indigeret.

Ibid. τοι πολιανομοι] Altum apud ſcriptores de hoc magiſtratu ſilentium. Nec porro ullos

Digitized by Google

49 μος Ζωπυρισκω ΠΕ καρυκειον Απολλωνιος Ηρακλητω ΑΙ πελτα Δαζιμος Πυρρω
50 ΚΝ θρινακ Φιλωτας Ιστιειω ΜΕ επιστυλιον Ηρακλειδας Ζωπυρω Μισθωντι γως Ηι

μος Ζωπυρίσκου, Πε· καρύκειον Α'πολλώνιος Η'ρακλήτου, Αι. πέλτη Δάζιμος Πύρρου,
Κν. θρίναξ, Φιλώτας Ι'στιείου, Με. ἐπιστύλιον Η'ρακλείδης Ζωπύρου, Μισθοῦστε τοὺς ἰ-

49. mus Zopyriſci filius: PE. Caduceum, Apollonius Heracleti filius: AE. Pelta, Dazimus Pyrrhi filius:
50. CN. Tridens, Philotas Hiſtiei filius: ME. Epiſtylium, Heraclidas Zopyri filius: locant ſa-

ullos Lacedaemone aliiſve in urbibus *Polianomos* novimus: unde merito hoc vocabulum abeſt a lexicis omnibus. Atqui Heracleae eos fuiſſe ac valuiſſe multum (ſtatim enim poſt Ephorum & ante finitores nominantur) ex hac Tabula diſcimus. Etſi tamen re vera & alibi eos fuiſſe, ex Dione arguimus: qui in rebus Jul. Caeſaris numquam in urbe Roma πολιανόμους vocaſſet eos, quos Suetonius *praefectos* urbanos appellat, niſi πολιανόμων nomen in Graecis urbibus uſitatum ſciviſſet, eoſque Romanorum praefectis urbanis pares animadvertiſſet. Nam cum Suetonius in Julio cap. 76. ſcribat: *Praefectoſque* (urbanos) *pro praetoribus* (Caeſar) *conſtituerit, qui abſente ſe res urbanas adminiſtrarent:* horum loco Dio lib. 44. ſic poſuit: ἐν τῇ ἀποδημίᾳ τῇ τοῦ Καίσαρος οἱ ΠΟΛΙΑΝΟΜΟΙ τὰ ἐν τῷ ἄστει πράγματα μετὰ τοῦ Λεπίδου ἱππαρχοῦντος ἔσχον. *Caeſare profecto* (in Hiſpanias) *POLIANOMI res urbanas cum Magiſtro equitum Lepido adminiſtrarunt.* Hoc, inquam, Dio vocabulum a Graecis urbibus in Romanam ſub Caeſaris dictatura tranſtulit. Accedit & parilitas Collegii. Nam ſicuti Heracleae binos Polianomos oſtendit haec tabula; ſic & Romae duos tunc fuiſſe Dio ibidem ſcripſit, quos & alibi πολιανομοῦντας vocavit. Ex quo intelligimus verbum Πολιανομεῖν eſſe *Vrbi praeeſſe*. Quod ſane verbum in Platonis epiſt. 13. (quae νοθείας ſuſpicione non vacat) cum legeretur, non intellectum fuit. Ibi ſic ſcribitur: ὃς τότε, ὅθ' ἡμεῖς ἀπεπλέομεν, ἐπολιανόμει: quod H. Stephanus (t. 3. col. 468. d) vertit, *Caneſcebat*, ſic quaſi eſſet a Πολιός *Canus*. Verum ne dubita ſic reddere: *Qui nobis abnavigantibus, urbis praefecturam* (1) *gerebat*. Poſtremo non mirum ſi nihil de πολιανόμοις apud Graecos proditum reperiatur; cum is magiſtratus videatur non tam tranſmarinae Graeciae forſan fuiſſe, quam Graeciae Magnae (de qua teſtatur haec Tabula) nec non & Siciliae civitatium. Nam Platonis (ſive cujuſvis alius) epiſtola Dionyſio regi Syracuſano inſcribitur.

VERSV 49. AI. ΠΕΛΤΑ Δαζιμος &c.] Hoc ipſum nomen Maittairus in Comm. ad Fragm. Britan. v. 5. ita ſemper ſcripſit, ut Πελται num. plur. exhibeat: quod & ipſe ad eum locum ſum ſecutus. Nunc tamen animadverti, in Tabulae ſpecimine quod Maittairus in aere inciſum praemiſit, in verbo ΠΕΛΤΑΙ vocalem I per puncta ſignari, quaſi dubiam. Eam vero & importunam eſſe pluribus de cauſis ſcio. Praeterea haec eadem vox tum in hoc aere (quod complementum Britannici eſt) tum etiam Tab. II. ver. 4. ΠΕΛΤΑ, prorſus ſine I, ſcribitur. Quocirca I illud obelo notetur cenſeo, ita ut necubi plurale ſit, ſed ubique ſingul. πέλτα.

VERSV

(1) Nam ſicuti ab ἀστυνόμος fit ἀστυνομέω; ab ἀγορανόμος, ἀγορανομέω; ab ἀκονόμος, ἀκονομέω; ita pariter a πολιανόμος gigni debuit pari analogiâ πολιανομέω: quod eſt *Polianomiae magiſtratum gerere*.

Quamvis autem ἄστυ & πόλις ſint ferme ſynonyma; tamen cave Aſtynomos Athenienſes Polianomis Heracleenſibus pares facias. Nam tanto major Polianomorum (qui bini tantum erant) quam Aſtynomorum (quos Athenis viginti fuiſſe Ariſoteles apud Harpocrationem docet) auctoritas fuerit neceſſe eſt, quanto praeſtat eſſe duovirum, quam XXvirum. Accedit Dionis locus, qui *Polianomos* (quos uti ſupra innui, videtur ex Graecis olim Magnae Graeciae Siciliaeque rebuspublicis cognitos habuiſſe) praefectis urbanis aequiparavit: ipſos vero praefectos urbanos loco praetorum a Caeſare inſtitutos Suetonius ſcripſerat. Ex quibus vis & auctoritas Heraclienſium Polianomorum poteſt intelligi.

Digitized by Google

51 αρως χωρως τως τω Διονυσω εχοντας Ϝως εχοντι κατα βιω καθα τοι Ϝηρακλειοι διε-
52 γνον τοι δε μισθωσαμενοι καρπευσονται τον αει χρονον Ϝας κα πρωγγυως ποταγων
53 τι και το μισθωμα αποδιδωντι παρ ϽΕτος αει παναμω μηνος προτερειαι κ αικ εμ-
προσθα

ερους χώρους τοὺς τοῦ Διονύσου, ἔχοντας ὡς ἔχουσι, κατὰ βίου, καθὰ οἱ Ἡρακλεῖοι διέ-
γνωσαν· Οἱ δὲ μισθωσάμενοι καρπεύσονται τὸν ἀεὶ χρόνον ἐὼς ἂν πρόυγγύους προσάγω-
σι, καὶ τὸ μίσθωμα ἀποδιδῶσι παρ' ἔτος ἀεὶ Πανέμου μηνὸς προπερείᾳ, καὶ εἰ ἂν ἔμ-
προσθεν

51. *cros campos Dionyſi, ſic ſeſe habentes uti* (nunc) *ſe habent, per totam vitam ita, uti Heracleenſes ſcive-*
52. *runt. Conductores autem utentur fruentur toto uſque tempore, quamdiu praedes dede-*
53. *rint, & mercedem ſolverint quotannis ſemper Panemi menſis principio, tametſi maturius*

VERSV 51. εχοντας Ϝως εχοντι] Hoc expoſuimus ſup. ad Brit. ver. 50. qui noſtrae hujus Tab. verſus ſecundus eſt.

Ibid. κατα βιω] Hoc quoque ibidem explicavimus. Verum iſtud conductionis genus, quo ad vitae tempus alicui fundus elocabatur, ad ἐμφυτεύσεως crepundia eſſe referendum, ex conditionibus, ad quas conductor adigebatur (nempe ut arbores tot quotannis plantaret) oſtenditur ex ver. 66. & ſeq. ut ibi notabitur.

VERSV 52. καρπευσονται τον αει χρονον] Non tantum activum Καρπεύω uſurpatur pro eo quod eſt *Vti frui*, ſed & medium Καρπεύομαι reperitur in Dionyſio Halic. in Stephani Theſ.

Sequitur: Ϝας κα] Iſtud κα in hac Συνθηκῃ tritiſſima eſt δυνητικὴ particula, etſi apud alios (2) rara. At illud Ϝας non aeque notum eſt. Tametſi Heſychius (quo nemo his tabulis commodior) id tanto ante monſtraverat his verbis: Ϝ̔ΑΣ· ἕως· ὅπως· μέχρις οὗ. Hunc tamen Heſychii locum ſuſpectum habuit H. Steph. in Indice. Merito: nam debuit (ſicuti certe in hac Tabula eſt Ϝας) δατύνεσθαι in hunc modum ᾶς. Quo facto, omnia belle procedent. Nec aliud, quam ἕως, & μέχρις οὗ (*quamdiu*) hoc tabulae loco monoſyllabum illud ſignificat. Nam idem ᾶς legitur & apud Pindarum Olymp. X. 61. ubi Scholiaſtes ſic monet: Ϝ̔ΑΣ, ἀντὶ τοῦ ἕως· καί ἐστιν ἐπίῤῥημα χρονικόν. Nec alibi, quod ſciam, μόριον iſtud occurrit.

Statim ſequitur: πρωγγυως] Novum eſt vocabulum, nuſquam alibi occurrens, quam in hac altera parte Tabulae, & quidem duodecies. Interdum cum Σωματος jungitur (ut ver. 133. 134. 137.) quod quam vim habeat, in loco dicemus. Interim ne dubita, quin Πρωγγυος in hoc aere noſtro *praedem*, *ſponſorem*, *fidejuſſorem* deſignet. Eo nos ſententiae ſcopus ducit. Nec eſt derivatio difficilis. Ex Ϝ̔Εγγυος (*fidejuſſor*) componebatur Προέγγυος: ex quo conſuetâ contractione fiebat Προὔγγιος: poſtremo, diphthongo hac Dorice in Ω tranſeunte, factum eſt Πρώγγυος.

VERSV 53. παναμω μηνος] Sicuti pro ἱερὸς ſcribunt aera noſtra Ϝιαρος, ita pro πάνεμος nunc demum ſaltem colligimus KA non aliud Dorienſibus noſtris fuiſſe, quam poeticum illud KE ſive KEN, quod δυνητικῷ μορίῳ (*potentiali particulae*) Αἲ reſpondet.

Et iſtud quidem KA ab aere ſecundo abeſſe innui: quin abeſt quoque ab hoc aere primo uſque ad Συνθήκην: in qua demum tricies, ut dixi, ſcalpitur. Ex eo vero, & aliis plurimis archaiſmis oſtenditur, hanc Συνθήκην ex συνθήκαις longe antiquioribus plurima totidem verbis repetiviſſe: hinc vero demum ſtyli diſſimilitudinem tantam exſiſtere, quae incurrit ſtatim in omnium oculos.

(2) Doribus (E in A ſaepe mutantibus) KA, idem quod illud poetarum KE (ſeu KEN) fuerit oportet. Et tamen KA iſtud abeſt a Lexicis. Niſi quod in iis Αἶκα conjunctim afferri ſolet: quo uſus cernitur Plutarchus in Lycurgo (αἶκα τύχωμεν, *ſi adepti fuerimus*) Theocritus Id. 2. ac fort. alii: quod etiam in hac Συνθήκῃ frequens eſt. Hoc αἶκα autem ſi reſolvas, ex ἀι (pro εἰ, *Si*) & ex Κὰ factum reperietur. Non erat igitur, cur a Lexicis omnibus (in quibus KE locum tuetur ſuum) KA tamen exſularet. At recte eſt, quod ex hac Συνθήκῃ (in qua tricies partim cum ἀι, partim cum quibuſvis vocibus aliis iſtud KA copulatum altero quoque verſu legitur) nunc demum ſaltem colligimus KA non aliud Dorienſibus noſtris fuiſſe, quam poeticum illud KE ſive KEN, quod δυνητικῷ μορίῳ (*potentiali particulae*) Αἲ reſpondet.

Et iſtud quidem KA ab aere ſecundo abeſſe innui: quin abeſt quoque ab hoc aere primo uſque ad Συνθήκην: in qua demum tricies, ut dixi, ſcalpitur. Ex eo vero, & aliis plurimis archaiſmis oſtenditur, hanc Συνθήκην ex συνθήκαις longe antiquioribus plurima totidem verbis repetiviſſe: hinc vero demum ſtyli diſſimilitudinem tantam exſiſtere, quae incurrit ſtatim in omnium oculos.

Digitized by Google

54 αποδινωντι απαξοντι ες τον δαμοσιον ρογον και παρμετρησοντι τοις σιταγερταις τοις | ἀποδίνωσιν, ἀπάξουσιν εἰς τὸν δημόσιον ρογόν, καὶ παραμετρήσουσι τοῖς σιταγέρταις τοῖς

54. *tritura fiat. Afferent autem in publicum horreum, & admetientur Sitagertis illo-*

πάνεμος (menſis Macedonici nomine) uſurpavere παναμος. Suidas: Πάνεμος· ὄνομα μηνὸς παρὰ Μακεδόσιν, ὁ Ἰούλιος παρὰ Ρωμαίοις. *Panemus, apud Macedones nomen menſis, qui Romanis Julius eſt.* Etſi vero alii (3) aliter; hîc certe Julius intelligitur.

Sequitur: παναμω μηνος προτερειαι] Sicuti Pindarus Olymp. Od. 13. epod. 4. ἀρχεῖαι pro ἀρχαῖαι dixit, pari ratione hîc προτερείᾳ pro προτεραίᾳ videbatur accipi. Eſt autem τῇ προτεραίᾳ tantumdem quod *Pridie*, & patrium caſum poſt ſe regit. Itaque παναμω μηνος προτερειαι verti poſſet, *Pridie Kal. Julias*. Niſi quod illud me unum angit quod τῇ προτεραίᾳ (*pridie*) praeire genitivo ſoleat, non poſtponi. Plato Phaed. τῇ προτεραίᾳ τῆς δίκης. Nec facile aliter, quod ſciam. Quid ſi alia vox eſt? Nam videtur potius προτερεια non adjectivum a προτεραῖος, ſed ſubſtantivum a verbo in ευω naſcens. Erit igitur a προτερεύω (quod eſt *Prior ſum*) προτερεία: quam proinde vocem verti *Principium*. Quam vellem, poſſet Kalendas ipſas menſis notare; quia ſolutio certo diei potius, quam vago (veluti ubi dicitur, *Principio* menſis) affigi ſolet. Sed recte habet. Nam quia Graecis ſolebat menſis in tres dividi decadas, quarum prima ἀρχομένυ μηνός, altera μεσοῦντος, tertia φθίνοντος, aut aliis vocabulis, dicebatur; non incongrue apud Heraclienſes prima illa decas, προτερεία (*principium*) vocata fuerit. Verum de tota re permitto aliis arbitrium.

Pergit: κ αικ εμπροσθα αποδινωντι: quod verti, *Etſi antea triturandi conſuetudo ſit*. Monoſyllabum illud ex tribus particulis integris coaluit, ex και, ex αι (pro εἰ) & ex δυνηπκῷ Dorienſium κα. Itaque hoc monoſyllabum ſi ſeorſum ſcribatur, erit κ' αἰ κ', quod vertimus *Etſi*.

VERSV 54. αποδινωντι. Eſt a Δίνω, aut Δινέω *Circumago*. Hîc tamen ad eam circumactionem, quae in frugum tritura fit, referri debet; quod ex Heſiodo poteſt oſtendi: apud quem Ep. ver. 157.

Δμωσὶ δ' ἐποτρύνειν Δημήτερος ἱερὸν ἀκτὴν
Δίνεμεν . . . . .
Χώρῳ ἐν εὐαεῖ, καὶ εὐτροχάλῳ ἐν ἀλωῇ.
Tunc famuli excutiant ſpicis Cerealia dona . . . .
Area ſed plananda prius, perflabilis auris.

Quo loco Δίνεμεν Moſchopulus exponit, τῇ δινήσει τῶν βοῶν ἀλοᾶν, *bovum circumactu triturare*: Proclus idem hoc aliis verbis explicat. Atqui proprie Δινέω & δίνω eſt in gyrum agere: verum per hypallagen poeticam *Cereris donum circumagi* Heſiodo dicitur, pro eo quod eſt *Gyrare quadrupedes*, ex quo circumactu frumenti excuſſio ſequebatur. At in hac Tabula abſolute αποδινωντι ſine ullo accuſativo uſurpatur, h. e. *In gyrum agant*, pro *Triturae vacent*. Jam ſicuti apud Hebraeos tertia pluralis deſignat communem conſuetudinem (ut in Evang. *Neque accendunt lucernam* . . . pro *ſolent accendere*) eamdem locutionem antiquis etiam Grajorum uſurpatam haud raro inveni: qua de cauſa totum iſtud κ αικ εμπροσθα αποδινωντι, ſic reddidi: Solvant, inquit, ineunte Panemo menſe, nec citius adigantur, *etſi ante* (id tempus fruges vulgo) *excutere ſoleant*. Ea vis paucis his verbis ineſt. Ceterum ſi pro praeſenti αποδινωντι, aliam poſuiſſet praeteritae ſignificationis vocem, tunc ſane ſine Hebraiſmo redderem, *Etiam ſi forte ante eum diem triturae operam dederint* conductores.

Se-

(3) Scio inter viros eruditos non parvum in eo eſſe certamen, quibuſnam Romanis menſibus tum alios quosdam Graecorum menſes, tum hunc ipſum Panemum, reſpondiſſe exiſtimandum ſit. At certum eſt tamen tam Macedonibus (quos Italiotae noſtri in menſium nominibus uſurpandis tunc temporis ſecuti videntur) quam aliis, *Panemum* Quinctili ſeu Julio Romanorum reſpondiſſe. Idque etiamſi ſit incertiſſimum, vel hinc tamen evidentiſſime patet. Nam cum in Panemi initium tritura frugum (quae non niſi exeunte Junio in Italia colliguntur) & penſitatio praeſcribatur; ex eo luce mera clarius eſt, Panemum non alium fuiſſe quam Julium.

Digitized by Google

55 επι των Ϲετεων τωι δαμοσιωι χοι μεττως | ἐπὶ τῶν ἐτέων, τῷ δημοσίῳ χοῖ, μεσοὺς τοὺς
τως χους κριθας κοθαρας δοκιμας Ϝοιας | χόας, κριθὰς καθαρὰς, δοκίμας, ὅιας
κα Ϝα γα | ἂν ἡ γῆ

55. *rum annorum publico choëo hordea pura, proba, cujuſmodi terra* (iis locata)

Sequitur: ες τον δαμοσιον ρογον] *In publicum horreum*. Ρογὸν vocem eſſe Graecorum Sicilienſium Jul. Pollux (IX. ſeg. 45.) docuit: cujus locum huc integrum adſcribam, & quidem ut in ſcriptis melioribus repertus a viris eruditis fuit: τῶν δὲ πυρῶν ταμεῖα καὶ Σιτοβολεῖα εἶπε Μένανδρος, ἃ ΡΟΓΟΥΣ᾽ Σικελιῶται ὠνόμαζον· καί ἐϛι τοὔνομα ἐν Επιχάρμῳ Βυϛίριδι. *Frumentaria horrea etiam* σιτοβολεῖα *Menander vocavit: quae* ῥογὰς *Graeci Sicilienſes appellabant. Exſtat id nomen in Epicharmi Buſiride*. Videꝛ in his, quae cauſa Polluci fuerit, ut ῥογᾶ vocabulum Graiis Sicilienſibus proprium faceret, nim. quod qui eo utitur Epicharmus, Σικελιώτης eſſet, Verum ſi Polluci haec Tabula innotuiſſet; non unis Sicilienſibus, ſed & Italienſibus Graecis, praecipue Tarentinis & horum colonis Heracleenſibus, commune id feciſſet. Neque hîc vero Heſychium, cui tam multa debeo, tacitum omittam, ſic notantem: Ρογοί· ὅροι σιτικοὶ σιτοβολῶνες. Illud ὅροι σιτικοὶ merito ſuſpectum, viri docti ex altero ejus loco juverunt, in quo Σιτοβολῶνες tantumdem ſunt, quod ὅρια. Vltima vox eſt ex Latino Graeca, & *Horrea* ſignificat. Ergo & in priore loco pro ὅροι σιτικοὶ, repone ὅρια σιτικά. *Horrea frumentaria* dixit, quia ceteroqui *Horreum* pluribus rebus commune.

Ibid. παρμετρηϛουντι τοις σιταγερταις] Ιδιολέκτως poſita haec ſunt. Nam παραμετρεῖν eſt ad exploratam menſuram rei quantitatem examinare: eaque eſt vis praep. παρά. Lucianus: ὅτω γάρ ἂν καὶ τὸ μέγα δειχθείη ἂν μέγα, εἰ τῷ μικρῷ παραμετροῖτο. *Ita demum*, inquit, *quid magnum oſtendetur, ſi parvo juxta poſito menſurabitur*. Hîc quoque παρμετρηϛουντι uſurpavit, ut notaretur, ad publicum χόα (de quo mox) frugum modum exigi debuiſſe.

Jam vero Σιταγέρται vox in re frumentariâ eſt plane nova: cui tamen plurimas ſimilis notionis fudit dives illa verborum Graecia. Σιτολόγοι, ſicuti & σιτῶναι ferme *Sitagertis*, reſpondent. Erant etiam apud Athenienſes Σιτομετρῆται, quorum munus hoc verſu *Sitagertae* exercent. Iisdem Athenienſibus majore dignatione Σιτοφύλακες erant: de quibus vide Harpocrationem (4) & Suidam. At horum etiam partes hi noſtri implebant: quorum maxima ſecundum Polianomos auctoritas in re frumentaria exſtitit. Itaque infra bis (5) junctim leguntur. Mitto Romanorum *Praepoſitos rei frumentariae* ſive *Curatores*, de quibus Feſtus, nec non *Menſores frumentarios* ex marmoribus, & Paullo JCto notos.

VERSV 55. τωι δαμοσιωι χοι μεττως τως χους] Qui Latinis congius dicitur, is Atticis *Choëus* aut *Chus* (nam Latini etiam Graeco vocabulo utroque uſi) quorum prius Graece eſt Χοεύς, χοέος; alterum autem inſtar τῦ Νόος, νῦς, flectitur. Itaque ex recto χόος & contracte χοῦς fit gen. χοὸς, dat. χοῖ (quod hîc legitur) ſicut & acc. plur. χόας, quod hîc tamen peculiari dialecto χους ſcribitur. Equidem Graecum ipſum menſurae nomen cum Fannio & aliis retinendum in interpretatione duxi: etſi ſatis ſcirem χοῦν congio parem ab omnibus fieri. Quis enim non riſiſſet, ſi *congios hordei plenos* uſurpaſſem? At in Graeca voce plus interpreti pudoris, minus apud legentes offenſionis ineſſe fui ſuſpicatus. Ad rem quod attinet: quid, inquis, in frugibus dimetiendis χοῦς facit, quem

(4) *Sitophylaces* (Harpocration ait) . . . *Magiſtratus Athenis erat, quibus curae fuit, ut frumentum, farina & panes juſto pretio venderentur. Horum quindecim in urbe erant, quinque in Piraeeo; ut Ariſtot. in rep. Athen.* Hunc numerum Petitus, pro imperio refictis Harpocrationis verbis, ad XV. in totum reduxit: fruſtra: nam eadem verbis totidem Suidas habet. Idem plane παράγραμμα in Aſtynomorum numero admiſſum a pluribus eruditorum fuit. Nec quid eis impoſuerit, ſcire intereſt.

(5) Verſu 62. de αμπωλημαϛι (de quo ſuo loco) Polianomi & Sitagertae cognoſcunt. Item ver. 129. tranſgreſſores Συνδικας hujus ſiſtuntur Polianomorum & Sitagertarum judicio.

Digitized by Google

56 φερει ποταξοντι δε πρωγγυως τοις πολιανομοις τοις αει επι των ⊏ετεων ενταστιν παρ | φέρει· προσάξουσι δὲ προύγγύους τοῖς πολιανόμοις τοῖς ἀεὶ ἐπὶ τῶν ἐτέων ὅστι, παρά

56. profert. Adducent autem praedes polianomis prout quique in annos creantur, per

auctores ad unum omnes inter liquidorum menſuras recenſent, & Latino congio aequiparant? Prorſus, fateor, haerebat hîc aqua, niſi in tempore Pollux juviſſet, apud quem comicus Strattis *choëa* ad metiendum triticum adhibet. Vide comici (6) locum. Ergo antiquioribus temporibus *Chus* non tantum humidorum, verum & aridorum menſura fuit. Ceteroqui *Medimnus* (qui in aere utroque noſtro ſaepiſſime occurrit) non tam realis menſurae, quam ſummae, ex minoribus collectae modulis, fuiſſe nomen videtur. Nam cum *Medimnus* choëas octo contineret (quorum ſinguli ſenis choenicibus abſolvebantur) integro medimno ad dimetiendum uti moleſtum fuiſſet; eoque choëum uſurpabant. At choëorum ſumma deinde in medimnos redigebatur; ita ut debere conductor diceretur tot medimnos, & inſuper choëos tot, choenices tot. Sic Tab. II. ver. 57. τριακοντα δυων μεδιμνων χοος, tantumdem eſt quod *medimnûm triginta duûm* (& inſuper) *choëi*; & illud v. 36. ⊏εξηκοντα Ͱεννεα μεδιμνων χοος δυων χοινικων, eſt *ſexaginta novem medimnûm, choëi* (unius) *choenicum duarum.*

Ibidem: μεστως τως χους] *Plenos choëos* Aes jubet inferri, h. e. hoſtorio derafos & aequatos; nam illud Lucae VI. 38. *Menſuram bonam, confertam & coagitatam, & ſuperfluentem*, non neceſſitatis eſt, ſed ad benigni menſoris largitatem eximiam pertinet. Sequitur: κριθας κοθαρας δοκιμας Ͱοιας κα Ͱα γα φερει] *hordea pura, proba, qualia tunc terra iis locata protulerit.* Horum primum κοθαρας (novo Doriſmo pro καθαράς) frumenta jubet non niſi *pura* inferri, h. e. impermixta, & ab aceribus aliiſque purgamentis permundata: de quo videndus eſt (7) Columella. Alterum δοκιμας verti *proba*. Potuiſſem & *Accepta* interpretari. Hoc enim nunc leges colonicae ferunt, uti fruges domino fundi quotannis inferantur *acceptae* ſive (ſi ſic malumus) *acceptabiles*, vulgo *Atte a riceverſi*; puta ut non permundatae tantum, ſed & perficcatae fuerint, nec aliquid vitii contraxerint, quo minus tuto perennare in horreo poſſint. Τὸ Δοκίμιον autem h. e. probationis ſive explorationis hujuſmodi jus, ſiqua forte controverſia incideret, non dubito quin penes Sitagertas fuerit. Tertium illud Ͱοιας κα &c. eo ſpectat, ut fruges afferantur eopte ex agro collectae: non quin, ſi ex meliore ſint, reſpuantur, ſed ne ex uliginoſo vitioſove campo coactae inferantur. Hodie dum hoc jure utimur, ut, quod ſtipulari ſolent, uti fruges pendantur ex locato ipſo fundo collectae, id ea interpretatione temperetur, ne afferre liceat ex deteriore redactas.

VERSV 56. *Adducent vero praedes polianomis* (τοις αει επι των ⊏ετεων ενταστιν) *ut*

(6) Julius Pollux lib. IV. ſeg. 168. non tantum cotylam ſed & cophinum, ut aridorum aeque ac liquidorum eſſe menſuram oſtendat, affert Strattidis comici locum in Cineſia. Hic Strattis circa Olymp. XCV. Athenis claruit aevo Ariſtophanis. Ejus locus varie in Polluce inquinatus, ſic a Cuhnio conſtituitur:

Τὰ δ' ἀλφιθ' ὑμῖν πῶς ἐπώλουν; τεσσάρων
Μάλιστα, τὸν κόφινον· τί λέγεις;
Μέτρῳ ἐχρῶντο κοφίνῳ; ἦν παῦθ' ὅτι
Οἶνος κόφινος δυνάμενος τρεῖς ΧΟΑΣ
ΠΥΡΩΝ, ταὐτὰ τοῖς κοφίνοις.

Quo pretio nobis farina veniit? Drachmis quatuor omnino ſtat cophinus. Quid ais? Ad metiendum utebantur cophino? Fuit ita: quia vini cophinus valens tres CHOAS TRITICI, idem facit cophinis. Ex his vides τὸν *Choëa* aeque aridorum ac liquidorum fuiſſe uſitatam menſuram.

(7) Columella II. 21. *Vbi paleis immiſta ſunt frumenta, vento ſeparentur. Ad eam rem Favonius habetur eximius, qui lenis aequaliſque aeſtivis menſibus perflat . . . At ſi pluribus diebus undique ſilebit aura; vannis expurgentur, ne poſt nimiam ventorum ſegnitiem vaſta tempeſtas irritum faciat totius anni laborem. PVRA deinde frumenta, ſi in annos recondantur, REPVRGARI* (cribro ſcilicet diligenter excerni) *debent. Nam quanto ſunt expolitiora, minus a curculionibus exeduntur. Sin protinus uſui deſtinantur, nihil attinet REPOLIRI.* Vides hinc quid noſtrum aes *pura hordea* vocet. Non tantum mundari vult, ſed & *repurgari* & *repoliri*, ut exempto omni pulviſculo, a curculionibus ſint immunia.

Digitized by Google

57 παρ πενταϝετηριδα ϝως κα εθελοντες τοι πολιανομοι δεκωνται και αι τινι κα αλλωι
58 παρδωντι ταν γαν ϝαν κα αυτοι μεμισθωσωνται η αρτυσωντι η αποδωνται ταν ε

πενταετηρίδα, οὓς ἂν ἐθέλοντες οἱ πολιανόμοι δέχωνται· καὶ εἴ τινι ἂν ἄλλῳ
παραδῶσι τὴν γῆν, ἣν ἂν αὐτοὶ μισθώσωνται, ἢ ἀρτύσωσι, ἢ ἀποδῶνται τὴν ἐ-

57. *quinquennium* (fidejuſſuros : nec alios, quam) *quos polianomi volentes admittent. Si cui vero forte alteri*
58. *tradiderint terram, quamcumque* (ſive ipſi) *conduxerint, ſive coluerint, ſive* (cujus) *vendiderint*

ut quique (ſuccedentibus) *annis ſunt*, ſive creati reperiuntur. Eadem enim particulae ἀεὶ vis eſt hoc loco, quae Thucydidi familiaris eſt, quaeque per *Vt quiſq.* commode exprimitur. Nam hic I. c. 21. περὶ τῶν ἀεὶ παρόντων τὰ δέοντα μάλιστα εἰπεῖν. *Rebus, VTI quaeque in praeſens urgerent* (ſive *ut quaeque inciderent*) *conſentanea loqui :* vulgo *Secondo che accadono*. Sic etiam III. c. 77. τὰς ἀεὶ πληρωμένας (ναῦς) ἐξέπεμπον... *Naves, uti ſingulae* inſtructae erant (vulgo: *A meſſura che ſi trovaſſero arredate*) *emittebant in hoſtes*. In hiſce locutionibus τὸ Ἀεὶ perpetuitatem ſucceſſionis notat, tamquam ſi barbare diceres, *Succeſſive ſemper*. Eadem plane locutio in hac ipſa Tabula reperitur verſib. 62. 69. 107. 130.

VERSV 57. παρ πενταϝετηριδα] Ex hoc loco vides inter ⊏ & ϝ fuiſſe non parum cognationis, ita ut in medio vocum compoſitarum Digamma (quod ſemper in ⊏ετος praeponitur) in ϝ interdum degeneraret. Illud *Per quinquennium* cave Polianomis tribuas (quorum annuus, non quinquennalis magiſtratus erat) cum unice ad praedes ſit referendum. Sponſores ad quinquennium admittebantur. Nam in diuturnioribus ſponſionibus periculum erat, ne morte fidejuſſoris extingueretur actio perſonalis. Ibid. Δεκωνται pro δέχωνται. Ab antiquis grammaticis mutatio aſpiratae in tenuem verbi hujus non niſi Ionibus tribuitur. At hinc vides, Doribus peraeque fuiſſe uſurpatam. Etiam in derivatis Πάνδοκος pro πάνδοχος &c.

VERSV 58. Illud μεμισθωσωνται (*conduxerint*) non niſi conjunctivi modi eſſe, ex Ω in penultima & tota συνεχεία oſtenditur. At de tempore nunc quaero vocis hujus. Sane ſi ſcriptum eſſet Μεμισθῶνται (ſicuti δεδηλῶνται) eſſet conjunctivi praeteritum. Nunc iſtud Μεμισθωσωνται formam habet *Paullo poſt futuri:* quo tamen tempore modus conjunctivus caret. Itaque aut ex ſcalptoris incogitantiâ duae illae mediae irrepſerunt litterae ΩΣ, quibus ſublatis, remanebit regulare conjunctivi praeteritum μεμισθωνται; aut potius Με illud initiale ad rariorem aliquem (8) anadiplaſiaſmum pertinet, itaut eo rejecto, quod relinquitur μισθωσωνται ad Aor. 1. pertineat. Aut poſtremo quidquid hoc aliud eſt, de eo eruditi grammaticorum decreverint.

Ibidem: η αρτυσωντι] ſic etiam ver. ſeq. αρτυσει. Αρτύω, & ἀρτύνω apud Homerum eſt *paro*, *inſtruo*; ac non niſi de rebus incorporalibus (puta inſidiis, nece, pugna, conſiliis) quod ſciam, uſurpatur. At apud alios Αρτύω (& quidem plerumque abſolute poſitum) eſt *Condio*, eſtque coquinarium verbum. Τὰ ἀρτυτικὰ aut ὀψαρτυτικὰ h. e. condimentariam diſciplinam, plurimi antiquorum ſcripſerunt. Sicuti autem apud Graecos verbum Αρτύω (h. e. *paro*) ceſſit coquinae peculio; ſic

(8) Augmentum illud, quod eſt praeteriti perfecti peculiare, quam ſaepiſſime cum aliis temporibus modiſque communicatur, praeſertim cum Aoriſtis, veluti κέκαμον, λελαβόμην, πετυχόμην, adhaec κέκλυθι &c.

Interdum ea augmenti tranſmiſſio inde oritur, quod ex praeterito jam formato fit thema novum (ut ex κέκραγα, κεκράγω) quod proinde per omnes modos, ac tempora eamdem illam duplicationem propagat. Sic futurum πεπιθήσω fit a πεπιθέω, quod ex praet. medio πέπιθα ortum fuerat. Quidni igitur ex perfecto μεμίσθωμαι fluxiſſe praeſens μεμισθόομαι mente concipiatur (nam ejuſmodi themata ſunt interdum imaginaria) ex quo conjunctivi Aoriſtus 1. iſte μεμισθωσωνται exſtiterit? Haec eadem conſtitui & aliis modis poterant: ſed non neceſſe fuit.

Digitized by Google

59 πικαρπιαν αναυτα τα παρ⊢εξονται πρωγ-
γυως ⊢οι παρλαβοντες η ⊢οις κ αρτυσει
η ⊢οι πρι
60 αμενοι ταν επικαρπιαν αν ⊢α και ⊢ο
εξ αρχας μεμισθωμενος ⊢ος τις δε κα
μη ποταγει πρωγυ
61 ως η μη το μισθωμα αποδιδωι κατα
γεγραμμενα το τε μισθωμα διπλει απο-
τεισει το επι τω ⊏ε
62 τεος και το αμπωλημα τοις τε πολιανο-
μοις και τοις σιταγερταις τοις αει επι
τω ⊏ετεος ⊢οσσωι κα

πικαρπίαν, ἄναυτα τὰ παρέξονται πρόυγγύους
οἱ παραλάβοντες, ἢ οἷς ἀν ἀρτύσει, ἢ ὅσ πρι-
άμενοι τὴν ἐπικαρπίαν, ἀν' ἃ καὶ ὁ ἐξ ἀρχῆς
μεμισθωμένος· ὅσις δὲ ἂν μὴ προσάγει πρόυγγύ-
ους, ἢ μὴ τὸ μίσθωμα ἀποδιδῶ κατὰ τὰ γεγραμμένα, τὸ τε μίσθωμα διπλῆ
ἀποτίσει τὸ ἐπὶ τοῦ ἔ-
τεος καὶ τὸ ἀναπώλημα τοῖς τε πολιανόμοις
καὶ τοῖς σιταγέρταις τοῖς ἀεὶ ἐπὶ τοῦ
ἔπεος ὅτῳ ἂν

59. *fructus ; ſecundum eadem dabunt praedes tum qui* (terram a tradentibus) *acceperint , tum* (illi) *a quibus* (quis terram) *exercendam conduxerit, tum qui coë-*

60. *merint fructus : ſecundum* [ea vero praedes dabunt ſecundum] *quae & ipſe conductor primus dederat. Quiſquis autem non afferet prae-*

61. *des , neque mercedem ſolverit ſecundum ſcriptas has tabulas , is tum mercedem ejus anni duplo rependet,*

62. *tum etiam id quanti intereſt fruges minoris fuiſſe venditas : Polianomis autem & Sitagertis , ut quique in annos ſingulos ineunt magiſtratum* [pendet] *id quanti*

etiam apud Italos *Apparecchiare* , verbum eſt prorſus condimentarium. At hîc Αρτύω abſolute de terra uſurpatur , ubi cultu multiplici ad ſemina recipienda *paratur* . Id quoque noſtris Italis dicitur *Apparecchiar la terra* , quod tantumdem noſtris eſt ac *exercere* ſive aratro , ſive ſarculo . Vides igitur quid hîc meo judicio ſit Αρτύω.

VERSV 59. αναυτα τα] Ανυτα hîc tantum & infra ver. 78. legitur . Ab uno vero Heſychio his verbis exponitur : ΑΝΑΤΤΑ · ἐπειρωτικὰ (ſcribe cum Iſ. Voſſio : Ηπειρῶται καὶ) Ταραντῖνοι παραχρῆμα λέγουσιν . Hoc eſt , *Epirotae & Tarentini pro* παραχρῆμα *uſurpant* Ἀναυτα . Hoc ſi reſolvas , erit ἀν' ἀυτὰ , *ſecundum ea* . Simile eſt, quod idem Heſychius de Παραυτα (h. e. παρ' ἀυτὰ) docuit . Vide (9) locum. At equidem ſicuti non dubito quin Tarentini & noſtri Heracleenſes τὸ Ἄναυτα crebro pro *ſtatim* uſurparint , ita in hoc aere ei vocabulo vim longe aliam tribuo; maxime cum articulus τα hîc & ver. 78. ſequatur . Reſolvenda eſt igitur ῥῆσις iſta in tres voculas haſce , ἀν' ἀυτὰ τὰ , *ſecundum haec* (quibus ſponſores tenebantur) *praedes dabunt* . Sic etiam in fine verſus 78. ἀν' ἀυτὰ δὲ τὰ &c. *ſecundum vero haec ipſa* : aut potius , *Secundum eadem* . Nam ὁ ἀυτὸς (quod exponitur *Idem*) interdum tranſpoſitum reperi . Itaque hîc ἀν' ἀυτὰ τὰ , idem prorſus quod ἀνὰ τὰ ἀυτά . Hocque verius . Ceterum ſi Ἄναυτα cum Heſychio *Statim* reddas , ſequens τὰ otioſum erit. Vis particulae ἀνὰ plane eadem v. ſequenti elucet : ἀν' ἃ , *ſecundum quae*.

VERSV 61. διπλει] pro διπλῆ. Dorum eſt : quibus ſimilem vocalium mutationem non inuſitatam fuiſſe alibi dictum. In αποτεισει vero I longum penultimae in EI tranſiit : quod Graecis omnibus familiare fuiſſe , marmora & ſcripti codices oſtendunt . Iſtud διπλει αποτεισει locutio eſt Homerica : apud quem Il. A legitur , Τρι-

(9) Heſychius : ΠΑΡΑΤΤΑ · παραχρῆμα , ἐυθέως, παραυτίκα . Ac mirum ni, ſicuti ex παραυτα eſt παραυτίκα ; ſic & ex ἄναυτα etiam ἀναυτίκα in uſu fuerit ; quamvis hoc alterum exemplis nunc careat .

Digitized by Google

63 μειονος αμμισθωθη παρ πεντε ⊏ετη τα πρατα Ͱο τι κα τελεθει ψαφισθεν Ͱαμα παν τωι πρατωι

μείονος ἀνεμισθώθη παρὰ πέντε ἔτη τὰ πρῶτα· ὅπ ἂν τελέθει ψήφισθὲν, ἅμα πῶν τῷ πρώτῳ

64 μισθωματι και τα εν ται γαι πεφυτευμενα και οικοδομημενα παντα τας πολιος εσσονται εργαξον

μισθώματι· καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ πεφυτευμένα καὶ ᾠκοδομημένα, πάντα τῆς πόλεως ἔσονται· ἐργάσον-

65 ται δε κατταδε Ͱ Ο MEN TON ΠΡΑΤΟΝ ΧΩΡΟΝ μισθωσαμενος τον παρ τον αντομον τον Ͱυπερ παυδοσι

ται δὲ κατὰ τάδε. Ὁ MEN TON ΠΡΩΤΟΝ ΧΩΡΟΝ μισθωσάμενος τὸν παρὰ τὸν ἄντομον τὸν ὑπὲρ Παυδοσί-

63. *minoris relocatus fuerit* [campus] *per quinque primos annos: quantumcumque calculatum fuerit, id simul omne primae*

64. *pensionis tempore* (repraesentabit): *cuncta vero in campo consita & inaedificata civitatis erunt. Opus*

65. *vero* [conductores singuli] *faciunto secundum haec* [pacta]. *IS QVIDEM QVI PRIMVM CAMPVM conduxit* (*qui* campus *est juxta limitem, qui supra Pandosi-*

Τριπλῆ τετραπλῆτ' ἀποτίσομεν, *Triplo quadruploque rependemus*.

VERSV 62. Το αμπωλημα] Legitur iterum v. 107. των αμπωληματων. Dorice scribitur pro ἀνατώλημα, h. e. *quod revenditur*, aut *revenditio*. Tam ἀναπώλημα, quam Doricum ἀμπώλημα absunt a lexicis. Verbum autem ἀναπωλέω, *Revendo*, non alibi quam apud (10) Pollucem reperio. Jam vero τὸ αμπωλημα hîc & v. 107. non est neque res revendita, nec simplex actus revendendi; verum (si hic locus cum ver. 107. comparetur) apparet esse indemnitatis praestandae vocem. Est autem, nisi vehementer fallor, cum, qui fruges non suo tempore repraesentavit (maxime si in alium annum distulerit, quo ex uberiore proventu annona viluerit) damnatur ad solvendum id, quanti interest, eas ex mora fuisse minoris distractas. Locus hic totus haud plane facilis.

Ibidem: τοις τε πολιανομοις] Hinc altera multa incipit, qua tenentur ii, quorum causâ sacrum Dionysi campum aliis relocari necesse fuerit. Graece est αμμισθωθη, *relocatus fuit*. Tam ἀναμισθόομαι autem, quam Doricum ἀμμισθόομαι non alibi occurrunt. Multa vero ejusmodi est, ut id, quanti minoris proximo quinquennio relocabitur ager, totum (& quidem simul unâ solutione) Polianomis ac Sitagertis tempore primae mercedis repraesentetur. *Polianomis*, inquit, *& Sitagertis*, τοις αει επι τω ⊏ετεος. Dixi modo ad ver. 56. illud ἀεὶ commode reddi per *Vt quisque*; ita ut successivam perpetuitatem notet, veluti si vertas: *Qui*, *unus alteri*, *succedunt semper in annos singulos*.

VERSV 64. πεφυτευμενα και οικοδομημενα] Posterius participium augmento caret praeter communem morem. Aristoteles certe in Probl. ᾠκοδομημένα scripsit. Verum pluribus de causis interdum augmenta negliguntur. Ad rem quod attinet, plantata, *immolita* (vox est Digesti legum Heracleensium infra edendi) inaedificataque solo cedunt. Hinc recte praedicitur hisce emphyteutis, ea omnia ἐμπονήματα (*melioraturae*) non emphyteutae, sed civitati acquiri; nam bona templorum publici juris sive civitatium sunt.

VERSV 65. εργαξονται δε κατταδε] Post haec verba desinunt leges in commune omnibus conductoribus datae, & incipiunt singulorum conductorum contractus: etsi horum primus, qui & longissimus, maximam partem communia omnibus pacta continet. Ergo primus (singulorum autem initia signavi majusculis lit-

(10) Iul. Pol. VII. seg. 12. ait: *Aliquid secundo vendere dicas* ἀναπωλεῖν καὶ ἀναπιπράσκειν h. e. *revendere*. Tum qui hoc faciunt ἀναπωλῶντας vocari ait, & quae revenduntur, ἀναπωλούμενα dici.

Digitized by Google

66 ας αγοντα τον παρ τα Ηρωιδα αχρι τας τριακονταπεδω αμπελων μεν φυτευσει μη μειον η δεκα

67 σχοινως ελαιαν δε φυτα εμβαλει ες ταν σχοινον Ηεκασταν μη μειον η τετορα ες ταν

68 δυναταν γαν ελαιας εχεν αι δε κα μη φαντι τοι μεμισθωμενοι δυναταν ημεν ελαιας ε

69 χεν τοι πολιανομοι τοι αει επι των Ϝετεων εντες και αι τινας κα αλλως τοι πολιανομοι ποθε

70 λωνται απο τω δαμω ομοσαντες δοκιμαζοντι και αναγελιοντι εν αλιαι θασαμενοι ταν

71 γαν ποτταν των επιχωριων επιμελησονται δε και των Ηυπαρχοντων δενδρεων αι δε τινα κα

ας ἄγοντα τὸν παρὰ τὰ Ἡρωιδεῖα ἄχρι τῆς τριακονταπέδου, ἀμπέλων μὲν φυτεύσει μὴ μεῖον ἢ δέκα

σχοίνους, ἐλαιῶν δὲ φυτὰ ἐμβαλεῖ εἰς τὴν σχοῖνον ἑκάστην μὴ μεῖον ἢ τέσσαρα εἰς τὴν

δυνατὴν γῆν ἐλαίας ἔχειν· εἰ δὲ ἂν μή φασιν οἱ μεμισθωμένοι δυνατὴν εἶναι ἐλαίας ἔ-

χειν, οἱ πολιανόμοι οἱ ἀεὶ ἐπὶ τῶν ἐτέων ὄντες, καὶ εἴ τινας ἂν ἄλλους οἱ πολιανόμοι προσέ-

λωνται ἀπὸ τοῦ δήμου, ὀμόσαντες δοκιμάσουσι, καὶ ἀναγγελιοῦσιν ἐν ἀλίᾳ, θησάμενοι τὴν

γῆν πρὸς τὴν τῶν ἐπιχωρίων· ἐπιμελήσονται δὲ καὶ τῶν ὑπαρχόντων δενδρέων· εἰ δὲ τινα ἂν

66. *am ducit: qui eſt juxta Heroidea & ad triacontapedam uſque pertinet) vitium quidem conſerito ne minus decem*

67. *ſchoenos, olearum vero plantas inſerito in ſchoenos ſingulas ne minus quatuor, ſi quidem*

68. *ea terra oleas ſuſtinere valeat: ſin autem conductores negent terram illam oleis educandis eſſe ido-*

69. *neam; Polianomi, ut quique per annos ſingulos ineunt, & quoſcumque alios Polianomi ſibi inſuper*

70. *ex populo adlegerint* [hi inquam] *jurati* [a conductoribus dicta] *probanto, &* [ſecundum ea] *pronuntianto in concilio, poſtquam comparaverint*

71. *terram* [de qua quaeritur] *cum vicinalibus agris. Porro* [conductores iidem] *curam gerunto arborum jam conſitarum: ſi quae vero*

litteris, quo inter ſe facilius diſtinguantur) incipit, Ηο μεν τον πρατον χωρον.

VERSV 66. & 68. In ver. 66. in Ηρωιδα deeſt ſolita dipth. Ει: errore an judicio? VERSV 68. ες ταν δυναταν γαν ελαιας εχεν] Verbum ſi verbo appendas, erit ſic: *In terra valente oleas habere*; ſive *ferre*; hoc enim hîc ἔχω ſignificat. Niſi mavis ſimplex pro compoſito Ανέχω (*ſuſtineo*) poſitum, cujus notionis vide exempla Homeri, & Heſiodi in H. Steph. in Εχω. Illud vero elegans ac plane Thucydideum, quod δυνατὸς hîc cum infinitivo jungitur. Nam ſic quoque non raro (11) Thucydides.

VERSV 72. εκπετωντι] Novum hîc verbum occurrit πέτω. Quamquam non tam novum, quam inuſitatum, ac tantum in ſua laeta proſapia ſuperſtes a doctis habebatur. Nam a πέτω ſunt illa, Δυσπετὴς, εὐπετὴς, παλιμπετὴς, περιπετὴς, προπετὴς, cum ſtolonibus ſuis. Imo & verbi ipſius antiqui quaedam adhuc ſunt in uſu tempora. Nam a futuro inuſitato Πέσω adhuc ſpiritum ducunt Futurum medium πεσοῦμαι

&

(11) Thucydides lib. I. δυνατὸς δὲ δοκῶ εἶναι ταῦτα πράξαι. Lib. II. cap. 72. καὶ ἄλλο ἔτι δυνατὸν ἐς ἀριθμὸν ἐλθεῖν. *Et ſiquid aliud cadere in numerum poteſt.* Lib. III. c. 12. εἰ γὰρ δυνατοὶ ἦμεν ἐν τῷ ἴσῳ καὶ ἀντεπιβουλεῦσαι . . . Ibid. c. 46. δυνατὴ ἦσα ἔτι τὴν δαπάνην ἀποδοῦναι. Nec ſecus pluries in ſacris paginis.

Digitized by Google

72 γηραι ἡ ανεμωι εκπετωντι αυτοι ⊢εξοντι ταυτα δε παντα πεφυτευμενα παρ⊢εξον. τι και ενδε	γήρᾳ ἢ ἀνέμῳ ἐκπίπτωσιν, αὐτοὶ ἕξουσι· ταῦτα δὲ πάντα πεφυτευμένα παρέξουσι, καὶ ἐνδε-
73 διωκοτα ⊢οσσα εν ται συνθηκαι γεγραψαται εν τωι πεμπτωι και δεκατωι ⊏ετει απο τω ποτεχει ⊏ε	διωκότα ὅσα ἐν τῇ συνθήκῃ γεγραμμένα εἰσὶν, ἐν τῷ πέμπτῳ καὶ δεκάτῳ ἔτει ἀπὸ τοῦ προσέχει ἔ-

72. *ſive ſenio ſive vi tempeſtatis deciderint, eas ipſi ſibi adquirunto, verum has omnes* [ab integro] *plantatas repraeſentanto,* [ſicuti] *&* 73. *dein-ceps ſequentia, quaecunque ſcripta in conventione reperiuntur* [idque] *intra quintum decimum annum a decurrente an-*

& Aor. I. ἔπεσαν aliaq. plura. At hîc plane volupe eſt ipſum totius generis auctorem cognoſcere, ac de facie agnoſcere. Ergo hi noſtri homines πέτω & ἐκπέτω pro πίπτω & ἐκπίπτω uſurpabant.

VERSV 73. ενδεδιωκοτα] Ambigua in hoc praeterito omnia, tum thema, tum etiam ſignificatio. Poterat venire a Δίω, pro quo putatur etiam Διόω, & ἐνδιόω uſurpatum, unde fieret partic. activum ἐνδεδιωκότα. Poteſt etiam praet. medium eſſe a διώκομαι, ejuſque novo compoſito ἐνδιώκομαι. Plurimos propaginis hujus (nempe verborum δίω, δίομαι, δίεμαι, διώκω, ἀποδιώκω) voces Heſychius affert, quibus fruſtra immorer. Atque ineſt his verbis notio multiplex nimirum perſequendi, expellendi, judicio perſequendi, ac perſequendi oratione, ſive exponendi. Hoc ultimum ſum ſecutus. Vult enim praeſtari (παρ⊢εξοντι) omnia pacta *perſequendo* ſive *ordinatim deinceps deſcripta* in συνθήκῃ hac.

Ibidem γεγραψαται] Pro γεγραμμένα εἰσί. Notum eſt, tertiam plur. paſſivi praeteriti Ionice non circumſcribi per particip. & verbum ſubſtantivum, ſed a tertia ſing. (A inſerto) formari. Vide grammaticos. In hoc ergo verbo tertia perſ. plur. eſſet Ionice γεγράφαται, tenui ſcil. in aſpiratam versâ. At ex hoc loco nunc primum conjicimus, ne Dores quidem hac formatione caruiſſe: ſed tamen hoc utrinque intereſt, quod Iones a tertia ſingulari formant, tenui in aſpiratam mutata, Dores autem (modo hic locus mendo careat, nec ſcalptori ψ pro φ exciderit) a ſecunda ſingulari cum nullius mutatione litterae, ſed tantum immiſſo A, ut a γέγραψαι, γεγράψαται: quod Doriſmi genus novum eſſet. Poſtremo quodcumque demum iſtud γεγράψαται rei eſt (de quo eruditi judicent) tamen certiſſimum eſt, hîc συνεχείκν non aliud prorſus tempus admittere, quam indicativi modi praeteritum perf. paſſivum: quod in interpretatione poſui.

Ibidem ποτεχει] Doricum eſt pro communi προσέχει. Atqui προσέχω abſolute poſitum interdum eſt *Permaneo*. Sic illud Hippocratis, προσέχει ἡ νοῦσος, Galenus interpretatur παραμένει, *permanet*. Ergo προσέχω eſt, *Adhaereo*, *praeſens ſum*. Porro ſicuti Marci XIV. 41. Απέχει adverbii loco eſt, & *Amodo*, *Jam nunc*, aut *Habet*, *Satis jam*, explicari debet (vide in imo (12) loca Evangeliſtae, & Anacreontis) ſic etiam iſtud προσέχει naturam adverbii induit, notatque *In praeſentia*; ac praecedente articulo vertetur *Praeſens*: απο τω ποτεχει ⊏ετεος, *a praeſenti anno*. Nihil certius eſt. Ac ſimul ex hoc aeris noſtri loco (ubi ποτέχει ſine dubio adverbii loco eſt) etiam ille Marci mirifice illuſtratur. Tam enim Απέχει quam προσέχει impersonalia ſunt, & vim habent adverbii, ac praecedente articulo, ut hîc, notionem nominis induunt. Haud dubie quantilibet pretii locus.

VER-

(12) Marci XIV. 41. Απέχει· ἦλθεν ἡ ὥρα: quod Vulgatus interpres: *Sufficit: venit hora*. Cui adſtipulatur Heſychius, in quo paullo extra alphabeti ſeriem legitur: Απέχει· ἀπόχρη, ἐξαρκεῖ. Alii malunt, *Habet* (quod nihilo minus impersonale eſt) alii *Amodo*, ſeu *Jam nunc*.

Nec alterius ſignificantiae eſt Anacreontis illud Od. 28. qui visâ mulierculae depicta effigie, exclamavit, Απέχει· βλέπω γὰρ αυτὴν. *Habet* (aut *Satis habet*) *certe ecciillam video*.

Digitized by Google

74 τεος η αριστιων εφορευει αι δε κα μη πεφυτευκωντι κατ̣τα γεγραμμενα κατεδικασθεν παρ μεν ταν	πεος ἢ Ἀριστίων ἐφορεύει· εἰ δέ ἂν μὴ πεφυτεύκωσι κατὰ τὰ γεγραμμένα, κατεδίκασθησαν παρὰ μὲν τὴν
75 ελαιαν δεκα νομως αργυριω παρ το φυτον ⊢εκαστον παρ δε τας αμπελως δυο μνας αργυριω παρ ταν	ἐλαίαν δέκα νούμμους ἀργυρίου παρὰ τὸ φυτὸν ἕκαστον, παρὰ δὲ τὰς ἀμπέλους δύο μνᾶς ἀργυρίου παρὰ τὴν

74. *no, quo Ariſtion ephoreiam gerit. Quod ſi minus ſecundum* [conventa haec] *ſcripta plantaverint* [jam nunc] *denuntiantur damnati, pro*

75. *oleis quidem, denis nummis argenteis in ſtirpes ſingulas, pro vinetis vero duabus argenti minis in*

VERSV 74. η Αριστιων εφορευει] Haec junge cum proxime praecedentibus (Απο τω ποτεχει ⊏ετεος η Αριστιων εφορευει) & ſic interpretare: *A praeſenti anno, cum Ariſtio ephoratum gerit*, numerabitur ille annus quintusdecimus, quem v. 73. dixit. Illud (η) hîc expono *Cum*; quamvis enim exemplis hujus notionis deſtituar, non poteſt tamen hîc aliud ſignificare. Tametſi hoc illud mihi videtur eſſe, quod inter ceteras μορίᾳ hujus ſignificantias, quas Euſtathius numerat, ait etiam particulam διασαφητικὴν (*declarativam*) eſſe. Hîc certe eam ipſam vim habet: *Quintodecimo*, inquit, *anno* (quem numerabis) *a praeſenti anno* (η) *cum* ſcil. *Ariſtio ephoratum gerit*.

Sequitur, κατεδικασθεν pro κατεδικάσθησαν, *Damnati ſunt* (ſicuti ἐτύφθεν, ἐτύπην &c.) quae Dorica ſunt, ac tribuuntur in primis Boeotis & Aeolibus: quorum utrique Dores.

VERSV 75. Quid δεκα νομως αργυριω intelligat, non ambiguum eſt. Νόμισμα Graecis monetam ſignificat, quod a νόμος (*lex*, *mos*, populi *conſenſus*) arceſſit Ariſtoteles. Hinc ergo appoſite diſcimus antiquitus non νόμισμα ſed Νόμον pro Latinorum *Nummo* (quod inde fluxit) Magnis Graecis his noſtris fuiſſe uſurpatum.

Quid quod non tam ex Νόμος Latini fecere *Nummum*, quam potius haec vox ipſiſſima Νῦμμος ab Italienſibus & Sicilienſibus Graecis invariata ad Latinos tranſiit? Non ab re erit, ſi ex Polluce carptim huc quaedam adſcribam. Jul. Pollux l. IX. ſeg. 79. extremo ait: ὁ δὲ νῦμμος δοκεῖ μὲν τοὔνομα &c. *NVMMVS autem putatur quidem Romanae monetae fuiſſe nomen: re tamen vera Graecum nomen eſt Dorienſium, qui in Italia* (h. e. Magna Graecia) *& Sicilia habitarunt*. Deinde ubi duo Epicharmi comici Siculi loca attuliſſet (quae (13) praetereo, utpote ad Siculorum uſum vocis hujus pertinentia) ex Ariſtotele haec ſubjicit: Καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ταραντίνων πολιτείᾳ φησὶ, καλεῖσθαι νόμισμα παρ' αὐτοῖς ΝΟΥΜΜΟΝ· ἐφ' ᾧ ἐντετυπῶσθαι Τάραντα τὸν Ποσειδῶνος δελφῖνι ἐποχούμενον. *Et Ariſtoteles in Tarentinorum Republica tradit, numiſma ab ipſis vocari NVMMVM, & in eo ſcalptum eſſe Tarantem Neptuni filium, delphino inequitantem.* Habes eximiam nummorum Tarentinorum, itemque Brunduſinorum, & Heracleenſium, quorum copia obruimur, deſcriptionem. Typus is tribus his oppidis erat uſitatus (nam ceteroqui & alius formae quam plurimi ſunt urbium earumdem) ceterum non niſi inſcriptionibus ſuor. oppidorum inter ſe diſtinguuntur. Verum de Tarentinorum & Heraclienſium nummorum ſatis obviorum effigie, ab Ariſtotele adamuſſim deſcriptâ, obiter. Illud interim ex Polluce & ex Ariſtotele certum oſtenditur, Romanos *Nummi* nomen ex Tarentinis Magniſque Graecis proximioribus potius, quam ex remotioribus Siculis didiciſſe.

In

(13) Quae autem eſt invidia, quin ea huc ſaltem adſcribam? Epicharmus in Ollis . . . Αλλ' ὅμως
Καλαὶ καὶ πῖοι ἄρνες, ἐυρήσουσι δέ
Μοι καὶ νούμμους.
Sed tamen, inquit, *quam pulchrae nitidaeque agnae! & hae mihi nummos acquirent*. Rurſus: Κῆρυξ ἰὼν,
Εὐθὺς πριῶ μοι δέκα νέμμοις μόσχον καλήν.
I praeco, emito mihi celeriter pulchram vitulam nummis decem.

Digitized by Google

In Tabula autem ſic ſe habet integra locutio: δεκα νομως αργυριω, *Decem argenti nummos*. Iſtud Αργυριω caſu patrio uſurpatum oſtendit, tam *Nummum* quam cetera numiſmatum nomina, ponderum potius vocabula primitus fuiſſe, quando in ſolvendo pretio metalla appendebantur. Malui tamen interpretari uſitato modo, *Decem nummos argenteos*.

Tametſi neutrius gen. Αργύριον non pro metallo apud ſcriptores accipitur, ſed potius γενικῶς pro *Pecunia*: veluti ſi hîc dicamus, *Decem nummos pecuniae*. Cur tamen malim hîc pro argenti metallo accipi, in imo (14) exponimus, & ex Varrone firmamus.

Jam vero ad νόμων iſtorum valorem quod attinet; haud dubie credo, hunc in Italia illa vetere, h. e. Magna Graecia, ἰσοδυναμοῦντα (*ejusdem valoris*) fuiſſe atque in Sicilia. Siculo autem *Nummo* hemiobolia tria Pollux tribuit. Ita cum drachma obolis ſex conſtaret, ſive hemioboliis duodecim; nummus tum Siculus tum & Magnae Graeciae, quarta pars drachmae fuerit. Sicuti igitur apud Romanos nummi ſeſtertii quatuor denarium, ita noſtratium Graecorum nummi totidem drachmam (denario fere parem) aequabant. Ita fit, nummos iſtos argenteos, de quibus hîc Tabula loquitur, ferme Romanis ſeſtertiis fuiſſe aequales. Siquis plura de hac re cupiat, Diſquiſitionem mox in Adnot. 16. ſubjiciendam adeat. Poſtremo nolo de ea re diſtinere lectorem, quid cauſae fuerit, cur in aere noſtro NOMΩΣ, ac non potius NOΥMMΩΣ cum Ariſtotele ſcribatur. Vel ſic tamen paucula inferne (15) illevi.

Sequitur: Δυο μνας αργυριω] *Minae* hîc & aliis locis quatuor hujus tabulae memoratur. At ejus apud hos noſtros valor comparate tum ad talentum (cujus mina pars eſt) tum ad nummum, quem continet, non poteſt paucis expediri. Itaque e re futurum arbitror, ſi totum hoc rei monetariae Heraclienſium noſtrorum negotium in ſubjectam (16) Diſquiſitionem conferam.

(14) Etſi in lexicis omnibus Ἀργυρος metalli vox eſt, neutrum autem Ἀργύριον non aliud quam γενικῶς *Monetam* notat; tamen ajo, nunc ſaltem primum hunc repertum eſſe locum, in quo Ἀργύριον (aut fortaſſis nova maſc. gen. vox Ἀργύριος) ſit *Argenti* metallum. Nam huic Tabulae loco reſpondet locus ille Varronis in IV. de L. L. pag. 41. *In argento Nummi: id a Siculeis*.

Si quis vero quaerat, quo M. Varronis illud *In argento* ſpectet; brevi expediam. Proxime antea partium aſſis h. e. monetae aereae originationes tradiderat. Tranſit jam ad argenteae origines, a *Nummo* exorſus. Sic ergo incipit: *In argento* (ſive in argentea moneta) *NVMMI* (h. e. nummi nomen) *id* (nomen) *a Siculeis*. Deinde perſequitur argenteos ceteros, puta *denarios*, *quinarios*, *ſeſtertios* ordinatim. Porro cur idem *Nummi* vocem a Siculis repetat, qui debuiſſet eam vicinis Italiae veteris Dorienſibus tribuere, in Adnot. ſeq. oſtendam: nim. quia Varronis aevo vox Νόμμος in Magna Graecia deſueverat: at in Sicilia ut cum maxime uſurpabatur.

Dixi Notae hujus initio, forſitan iſtud αργυριω non tam a neutro Αργύριον (*moneta*) quam a novo nomine maſculino Αργύριος, pro ἄργυρος (*Argentum*) prodiiſſe. Quam non temere id conjecerim, appareret infra ex ver. 92. ubi nova vox maſculina ἀχύριος legitur, quae ejusdem formae eſt ac ὁ ἀργύριος loci hujus.

(15) Poſſet hoc principio obtendi, in hoc vocabulo pro diphthongo OT, tantum praepoſitivam vocalem fuiſſe ſignatam (quod olim in uſu fuiſſe volunt) ceteroqui vel ſic νόμος conſueviſſe legi. At, quia in his Tabulis nondum O pro OT poſitum animadverſiſſe videor; his abſtineo.

Quid ergo eſt cur hîc νομως, Ariſtotele reclamante ſcribitur? Ajo, Stagiriten paullo antiquiorem aere noſtro fuiſſe: nec ipſum quidem luſtraſſe Italiam veterem h. e. Graeciam Magnam, verum quidquid de Tarentinis Νόμον uſurpantibus tradit, id ab antiquiore alio didiciſſe, cujus aetate vox νόμος a Tarentinis uſurpabatur. Atqui poſtea trecenteſimo ferme ante Chriſtum anno (quando haec aera prodierunt) vox νόμος obſoleverat: cujus loco, ſi minus a Tarentinis, at certe ab Heracleenſibus (tunc jam rerum ſuarum arbitris) vox νόμος uſurpari coepit. At interim apud Sicilienſes vox νόμος uſque ferme ad Varronis aetatem perennavit: apud quem in IV. de L. L. p. 41. illud legitur: *In argento NVMMI: id a Siculeis*.

Nec tamen, quod Varronis, aut eâ quae Varroni anteceſſit, aetate *Nummi* Siculis dicerentur, continuo efficitur, id nomen Romanos a Siculis didiciſſe. De Romanor. enim caſcis nunc agitur: qui quo tempore *Nummi* vocabulum uſurpare coeperunt, a Tarentinis potius proximioribus id nomen procul dubio arripuerunt, quam a remotioribus Siculis, & freto aeſtuante diſcretis.

(16) *DISQVISITIO de vetere Tarentinorum, Heraclienſium, aliorumq. ejus orae & Siciliae Dorienſium moneta.*

§. 1. *Pollucis de moneta horum populorum loca recitantur, corriguntur, & illuſtrantur.*

Jul. Pollux lib. IX. ubi extremo ſegmento 79. docuiſſet *Nummi* vocabulum falſo Romanis auctoribus tribui, cum re vera prius a Graecis Dorienſibus veteris Italiae (quae & Magna Graecia fuit) Siciliaeq. incolis uſurpatum fuerit (id quod Epicharmi (ea voce) uſi iambis confirmat) ſtatim ex Ariſtotele ea de Tarentinis docet, quae nos in Comm.

ad

Digitized by Google

ad hunc v. 75. Gr. & Lat. dedimus, hîc vero ſaltem Latine iterabimus : *Et Ariſtoteles in Tarentinorum Republica tradit, monetam ab ipſis vocari NVMMVM, & in ea ſcalptum eſſe Tarantem Neptuni filium, delphino inequitantem.* Quibus verbis Tarentinorum, Heraclienſium, & Brundiſinorum numiſmatum, hodie nunc tritiſſimorum, graphicam contineri deſcriptionem, ibidem adnotatum fuit. Haec quidem de Tarentinorum moneta Ariſtoteles docuit: cujus typus etiam Heraclienſibus, utpote Tarentinorum colonis, convenit. Ac vidi equidem argenteos cum typo Tarantis delphino vecti, & inſcriptione ΗΡΑΚΛΕΙΩΝ. Sed & νόμμα nomen, & valorem Heraclienſes non poterant non communia cum Tarentinis habere, tum quia Heraclienſes hi Dorienſes erant (de quorum moneta in commune ibi loquitur Pollux) tum quod eſſent genere Tarentini, etſi poſtea ἀυτόνομοι evaſerint.

Sequitur alter ejusdem grammatici locus multo uberior ex lib. IX. ſeg. 87. in haec verba : Τὸ μέντοι Σικελικὸν τάλαντον ἐλάχιστον ἴσχυε· τὸ μὲν ἀρχαῖον, ὡς Ἀριστοτέλης λέγει, τέσσαρας καὶ εἴκοσι νούμμους· τὸ δὲ ὕστερον, δυσκαίδεκα· δύνασθαι δὲ τὸν νόμμον τρία ἡμιωβόλια. *Talentum vero Siculum quam minimum valuit. Vetus quidem, ut Ariſtoteles tradit, viginti quatuor nummos: poſterius vero duodecim: valere autem nummum hemiobolia tria.* De eo quod nummus ex tribus hemioboliis conſtaret, dictum ſuperne ad ver. 75. At illud quis ferat, quod a talento tranſitur ad nummos, nullâ *minae*, quae inter talentum, interq. ſive drachmam ſive nummum, media eſt, mentione facta? Sane nihil vero propius mihi videtur, quam ut apud Pollucem (apud quem, etſi toties permundatum, adhuc haerent ulcuſcula plurima) pro νούμμους ſubſtitui μνᾶς oporteat. Cauſa cur ſcioli pro Μνᾶς repoſuerint νόμμους, ea forſitan fuit, quod ſtatim ad valorem *nummorum*, non vero *minarum* auctor gradum facit. Verum quid moror? quid aliud quam μνᾶς ſcripſerit Pollux, cum apud Diodorum in ſimili loco non niſi μνᾶς Suidas & Nanzianzeni Scholiaſtes invenerint? Quorum jam loca adſcribam, huc mirifice profutura, utpote Polluce copioſiora.

§. 2. *Superior Pollucis correctio ex Diodoro apud Suidam & Nanzianzeni ſcholiaſten firmatur.*

Suidas in Τάλαντον ita poſuit : *Talentum, ut ait Diodorus in de ponderibus, valet LX. minas: mina drachmas centum: drachma ſex obolos: obolus ſex chalcos: chalcus* (χαλκοῦς) *minuta ſeptem. Talentum vero, quod nunc apud Siceliotas* (h. e. Graecos Sicilienſes) *vocatur Atticum* (τὸ μὲν ἀρχαῖον ἦν ΜΝΩΝ κδ', νυνὶ δὲ ιβ') *primitus valebat MINAS XXIV., nunc vero XII.* Obiter noto, verbis Diodori illis, *Talentum vero* (τὸ νῦν λεγόμενον Ἀττικὸν παρὰ Σικελιώταις) *quod nunc apud Sicelienſes vocatur Atticum*, non hoc ſignificari, Sicilienſes id conjunctis vocibus *Talentum Atticum* appellaſſe (cur enim illud *Atticum* dicerent, quod erat Attici pars multeſima?) ſed potius abſolute *Atticum* nuncupaſſe, tamquam ſubſtantivâ formâ. Et aliquid certe incidit, cur ita vocaretur: veluti ſi ab Athenienſibus aliquando victoribus impoſitum tributum tot talentorum fuerit; ac mox tributi diminutio his legibus impetrata, ut de talentorum quidem annuorum numero nihil decederet (idque ob nominis Athenienſis gloriam) at interim ſingulorum valor ad minas XXIV. contraheretur: quae indulgentia eo uſque poſtea proceſſit, ut minae duodecim talentum unum abſolverent. Sic equidem hariolabar.

Sed conjectionum incerta mittens, ajo, quae ex Suida retuli, ea totidem verbis in ſcholio quodam ad Nanzianzeni orat. funebrem in Patrem (apud J. Camerarium, & apud Jungermannum ad Pollucem) haberi: in quo nihilo ſecius talentum Sicelioticum non ex nummis, ſed ex minis componitur. In hoc ſcholio ad finem additur : *Valet autem* (ὁ νόμμος τρία ἡμιωβόλια) *nummus tria hemiobolia*: quae ex Pollucis recitato loco videtur hauſiſſe.

Ex his vides, qui in Polluce contaminato *Nummi* ſunt ſive XXIV. ſive XII., eos in Diodoro *Minas* vocari, idque veriſſime; quandoquidem apud Graecos univerſos Talentum ex minis, has ex drachmis conſtitiſſe, nemo ignorat.

Scio tamen quid ſciolis cauſae fuerit, cur in Polluce Minas in nummos mutaverint. Ea videtur fuiſſe duplex: prior, quod proxime antea grammaticus Talenta quaedam non in minas, ſed in drachmas (quae minas componunt) reſolverat, dum ait, Talentum Atticum ex 6000. drachmis, Babylonicum ex 7000. componi, & alia in eumdem modum: ex quo factum ut etiam Siculum ad ſuas partes, i. e. nummos, ſubmotis minis intermediis, reducendum ſemidocti putaverint. Altera cauſa videtur fuiſſe illa, quod ſtatim ad nummorum valorem Pollux tranſitum faciat. Ac plura equidem afferre poſſem ad duas haſce ratiunculas redarguendas. Verum quid opus eſt? cum ex hoc Tabulae verſu 75. manifeſtiſſimum ſit, Talentum Siculum, & Magnae Graeciae antiquum ex minis (quot numero, incertum; ſed facile XXIV.) conſtitiſſe; deinde minas ſingulas ex nummis XX. aut potius XXIV. fuiſſe compoſitas. Id age adgrediamur.

§. 3. *Ex aliquot hujus Tabulae locis oſtenditur, monetam Heraclienſem nec minis nec nummis caruiſſe: quorum exploratur valor; & Pollux ſupplendo emendatur.*

Jam primum omnium verſuum 66. & 67. deinde & hujus (cui enodando nunc immoror) verſûs 75. ſedulo relegi periochas, & comparari jubeo. Ergo ex verſib. 66. & 67. intelligitur, vineta ex terrae ſchoenis tot, oliveta vero ex olearum ipſarum numero aeſtimari conſueviſſe. Diſcrimen ex eo naſcebatur, quod oleae quidem notabili ab ſe invicem ſpatio diſtare debebant, ita ut facile eſſet paciſci, quotnam oleae ſingulis terrae ſchoenis ſerendae eſſent, nimirum ne minus quatuor, ut hîc praeſcribitur. Idem & in vitibus arbuſtivis praeſtari potuiſſet. At in his vitibus nec arbuſtivis neque jugatis, utpote denſioribus, moroſae ſubtilitatis fuiſſet velle conductori praeſcribere, quot ſulcos unaquaeq. ſchoenus pateretur, tum quot in ſulcis ſingulis viviradices aut malleoli depangendi eſſent. Hinc in locationis inſtrumento, ubi de vineis ageretur, ſatis erat ſtipulari, *Vinetum ſchoenorum decem plantato*: at ubi ad olivetum ventum eſſet, inſuper cavendum erat, *In ſchoenis ſingulis oleas ne minus quatuor ſerito*.

His jam intellectis; ad minae Tarentinae & Heraclienſis (qua etiam Siculi utebantur) valorem venio. Hoc ex ver. 75. haud obſcure obſtetricando elicitur: ubi ob ſingulas vineti ſchoenos non plantatas duarum minarum multa indicitur: at ob ſingulas oliveti ſchoenos minime conſitas, nummûm quadragenûm multa intentatur. Dixi quadragenos, quia ſi in ſingulas oleas decem nummos pendebat conductor, in quaternas (h. e. in unam oliveti ſchoenum, quae quaternas admittebat) multabatur quadruplo h. e. nummis quadraginta. Ac ſecundum hos calculos Minae duae nummos XL., una vero vicenos aequabat; modo ſi verum ſit, in ſchoenos ſingulas ſive vineti ſive oliveti otioſas relictas parem indictam fuiſſe multam.

Ve-

Digitized by Google

76 σχοινον εκαστην τως δε πολιανομως τως επι τω ϹΕτεος ποθελομενως μεταυτος αυτων απο τω	σχοῖνον ἑκάστην. Τοὺς δὲ πολιανόμους, τοὺς ἐπὶ τοῦ ἔτεος, προστελομένους μέταυτος αὐτῶν ἀπὸ τοῦ
77 δαμω μη μειον η δεκα ανδρας αμφισταϲθαι η κα πεφυτευκωντι παντα κατταν συνθηκαν	δήμου μὴ μεῖον ἢ δέκα ἄνδρας, ἀμφίστασθαι εἰ ἂν πεφυτεύκωσι πάντα κατὰ τὴν συνθήκην·

76. ſchoenos ſingulas. Porro polianomi ejuſmet anni, poſtquam ſibi adlegerint ex

77. populo viros ne minus decem, diſceptando anquirunto, utrum plantaverint omnia ſecundum haec pacta conventa:

VERSV 76. ποθελομενως μεταυτος αυτων] Novarum aeris hujus vocum quae finis eſt? Nam & Μεταυτος nuſquam eſt gentium. Eſt vero praepoſitio, cum caſum poſt ſe ſecundum regat. Ac, quantum ſententiae συνεχεία ſuadet, idem videtur ac praepoſitio Μετὰ, pro *Cum*. Ergo polianomi decem ex populo viros jubentur ſibi adlegere, de ea re ſecum diſceptaturos.

VERSV 77.78. αμφισταϲθαι η κα πεφυτευκωντι παντα &c.] Αμφίστασθαι Homero & Sophocli eſt, quod vox ipſa indicat, nim. *Circumſtare*. At hoc loco non aliud eſt, quam quod Heſychius (aeris hujus anchora ſacra) in ſuo lexico poſuit: ΑΜΦΙΣΤΑΣΘΑΙ· ἐξετάζειν. Verbum judiciale eſt, quod interpretari verbis duobus libuit. Nam poſui, *Diſceptando anquirere*: quorum verborum prius ad exprimendum Heſychianum ἐξετάζω valet, alterum vero (quod unum ceteroqui poterat ſatis eſſe) proxime accedit ad vim verbi ἀμφίσασθαι. Notandum vero hoc eſt, quod Heſychius idem hoc verbum ſupra cum tenui littera loco aſpiratae produxerat: Ἀμπίσασθαι ſcil. & Ἀμπισάτηρ. Quae dubitanti mihi an non ad Dorienſium aliquam ἐπιχώριον dialectum eſſent referenda, omnem ſtatim dubitationem idem Heſychius amicus noſter exemit. Apud quem ſic legitur: ΑΜΠΙΟΥΡΟΝ (ſed recte Iſ. Voſſius punctum, quod ex ventre τῦ Θ extritum fuerat, reſtituens, legit ΑΜΠΙΘΥΡΟΝ) Πυλῶνα· Ταραντῖνοι. Tarentinae igitur dialecti (quam etiam Heraclienſes, Tarentinorum coloni, uſurpabant) fuit, ut in Αμπιστ. loco aſpiratae Φ, tenuem ſubrogarent. Quo modo

Verum non aequali prorſus multâ in olivetis ac in vineis ſerendis incuriam caſtigari decuit. Nam vineae majore prorſus impendio colebantur, itemque terram meliorem requirebant, ſicuti & proventus uberiores dabant. Ex quibus efficitur majorem multam in vineti, quam in oliveti, ſchoenum unam neglectam intentari debuiſſe. Proinde ſi nummis XL. oliveti ſchoenus una neglectui habita multabatur, majore pecuniâ vineti ſchoenus omiſſa puniri debuit. Quo fit nummis XL. minas duas non abſolvi, ſive nummos vicenos eſſe infra minae unius valorem: ne ſcil. vineti incuria oliveto relicto prorſus aequiparetur. Hac de cauſa, ac ſimul quod in talento Siculo (itemq. Tarentino) vetere numerus XXIV. ſicuti in recentiore numerus XII. ſollemnis fuit; exiſtimo, minas loci hujus, in quo verſamur, ſingulas ex XXIV. nummis conſtitiſſe. Quod quidem ad aeris hujus antiquitatem pertinet; quia poſtea temporis talentum duplo pauciores minas, mina duplo pauciores nummos habuit.

His jam praeſtructis a me fundamentis, videtur Pollucis de Siculo Talento locus (quantilibet omnino pretii; quippe cum Siculum iſtud etiam Tarentinis in uſu fuerit, ut ex Nummorum in utroque talento uſu & pari valore conſtat) videtur inquam Pollucis locus (quem ſuperne ad hunc ver. 75. exhibui) prorſus ad nos mutilus perveniſſe, atque in hunc maxime modum reſtituendus: *Talentum quidem Siculum quam minimum valuit. Vetus quidem Ariſtoteles tradit valere (minas XXIV. poſterius vero minas XII. Deinde minam antiquitus continuiſſe) nummos XXIV. at poſtea nummos duodecim: valere autem nummum hemiobolia tria.* Quae uncis incluſi, ea ducibus Diodoro (apud Suidam, & apud Nanzianzeni ſcholiaſten) & hujus Tab. ver. 66. 67. & 75. reſtituenda Polluci reor.

Antequam hinc abeo; merito Pollux talentum *Siculum* (cujus nomine etiam Tarentinum, & anguſtioris illius Italiae veteris veniebat) *minimum* valuiſſe dixit. Nam ſi cum Attico (quod tamen Babylonio & Aeginaeo vilius erat) comparaveris; vide quam immania ſint utrinque diſcrimina. Nam Atticum minas LX. Siculum autem primitus XXIV. poſtea XII. dabat. Deinde mina Attica drachmas ſexcentas, Sicula non drachmas, ſed nummos (longe ſcil. viliores) antiquitus XXIV. poſtmodum XII. continebat. Dixi nummum drachmâ viliorem fuiſſe; quia drachmam oboli ſex, ſive hemiobolia XII. aequabant, cum nummus hemiobolia tria contineret, Romanorum ſeſtertio fere par. Ex paritate vero valoris factum, ut tam Romanorum ſeſtertio, quam Siculo proxime deſcripto numiſmati commune Νόμμα (*Nummi*) vocabulum fuerit.

Digitized by Google

78 και τως πεφυτευκοτας ανγραψαι ες δογμα ανγραφεν δε ⊢οσσα κα πεφυτευκωντι αν αυτα δε τα	καὶ τοὺς πεφυτευκότας ἀναγράψαι εἰς δόγμα· ἀναγράφειν δὲ ὅτα ἂν πεφυτεύκωσι· ἀν' αὐτὰ δὲ τὰ
79 και ει τινες κα μη πεφυτευκωντι κατταν συνθηκαν ανγραψαντω και επελασθω τα επιζαμι	καὶ εἴ τινες ἂν μὴ πεφυτεύκωσι κατὰ τήν συνθήκην, ἀναγραψάτωσαν, καὶ ἐπελάσθωσαν τὰ ἐπιζήμι-

78. *qui porro plantaverint, eos in ſciti* (hujus) *acta referunto, ſicuti & plantas* (ipſas) *referunto in acta, quas ſeverint: tum ſecundum haec eadem*

79. *ſi qui forte non conſeverint ſecundum has conventi tabulas, eos in acta referunto, & exſequuntor mul-*

do dixiſſe videntur ἄμπω pro ἄμφω: quod & Latinorum veterrimos uſurpaſſe poſſim ex Feſto in CATAMPO (h. e. κατ' ἄμπω pro ἄμφω) oſtendere; ubi Scaligero noli credere corrigenti CATAMBO. Ergo, uti dixi, Tarentinorum fuit tum Αμπίθυρον vocare *januam*, tum etiam & ea, quae proxime addit his verbis: ΑΜΠΙΣΤΑΤΗΡ· ἐξεταστής: & ΑΜΠΙΣΤΑΣΘΑΙ· ἐξετάζειν. Itaque in vetuſtioribus συνθήκαις, ex quibus haec tralatitia fluxit, fortaſſis fuerat Αμπιστασθαι. At poſtea Heraclienſes commune Αμφισταθαι, veluti mollius, praetulerunt.

Ibid. η κα] Prior particula pertinet ad Ἡ διαπορηματικὸν, ſive ad illud quod Heſychius particulae εἰ (quoties haec exponitur *Vtrum*) aequipollere tradit. Ac ſi-

cuti infra ver. 88. ⊢ης pro ⊢εις Doriſmo novo ponitur, ita hîc ἦ pro εἰ, *utrum*.

VERSV 78. αν αυτα δε τα] De hoc ante dictum ad v. 59.

VERSV 79. ανγραψαντω] Hoc juxta ſingularem, nec hactenus auditam, Heraclienſium noſtrorum dialectum uſurpatur pro tertia plurali Aor. 1. Imperativi Ανγραψάτωσαν; ſicuti & ſequens επελασθω pro ἐπελάσθωσαν. Quae quibus gradibus facta fuerint, in imo (17) exponimus. Interim hujus dialecti imitatione apud Latinos illud *Amanto* in futuro imperativi formatum fuit, ſicuti & in aliis conjugationibus *Scribunto*, *docento* &c.

Ibid. και επελασθω τα επιζαμια] De hujus

(17) *De novo noſtrorum Heraclienſium Doriſmo in imperativi temporibus uſitato: quem & Latini expreſſerunt.*

Quid Attici in modi hujus temporibus ſibi permiſerint, nemo neſcit. Nimirum in activo imperativo tertiam pluralem non in τωσαν (ut in dialecto comm.) finiebant, ſed in ντων, ita ut a genitivo plurali participii ejusdem temporis non diſſideret: veluti τυπτόντων efferebant pro τυπτέτωσαν: ſic etiam pro τυφάτωσαν, τυφάντων, & cetera ſexcenta. Hinc Diogenes Laer. in Socrate refert, in hujus judicio aſcendiſſe in ſuggeſtum Platonem, atque ita incepiſſe: *Minimus natu cum ſim, Viri Athenienſes* (τῶν ἐπὶ τὸ βῆμα ἀναβάντων) *eorum qui in tribunal aſcenderunt*: his vero auditis, ſtatim reclamaſſe judices hac una paronomaſia uſos, ΚΑΤΑΒΑΝΤΩΝ, h. e. *Deſcendunto*. Nam etſi Laertius ſic explicat, τυτέστι Κατάβηθι (h. e. *deſcende*) is tamen idcirco num. ſing. id extulit, ut ad ſollemne illud judicum a judicio repellentium verbum Κατάβα, κατάβα (quod pluries cumulat Ariſtophanes Veſpis ver. 973.) intenderet digitum. Ceterum judices, in re quamvis tam ſeria riſuri Platonem, ἀντίσυχον ſimulque ὁμοιόπτωτον illud, Καταβάντων (*deſcendunto*) joculariter uſurparunt potius, quam ſeverum alterum Κατάβα, a quo aberat jocus omnis.

Et ſic quidem Atticis loqui libuit. At nunc primum ex hoc Aere diſcimus, Doribus (ſive in commune omnibus, ſive peculiariter Heraclienſibus atque finitimis) placuiſſe, N illud finale abjicere, ut hîc ανγραφάντω pro Attico ἀναγραφάντων, h. e. *In acta referunto*. Nec aliunde, quam ex his Dorienſibus Italiotis, ſua illa *Regnanto*, *ſcribunto* cum reliquis Latinos primitus hauſiſſe neceſſe eſt, ut ſuperne dictum.

Venio ad alterum illud επελασθω pro ἐπελάσθων. Nam iidem Attici in ejusdem imperativi paſſivae ſive mediae vocis tertia plurali (quae in σθωσαν communiter exit) illud σθωσαν vertebant in σθων. Exempla apud veteres Atticos (veluti Thucydidem, Ariſtophanem &c.) ſunt ſatis obvia. Ergo ab ἐπελάομαι (quo antiqui pro ἐπελαύνομαι utebantur) tertia plur. praeſentis imperativi ſive paſſivi ſive medii erat ἐπελάσθωσαν. Pro eo Attici ἐπελάσθων uſurpabant; ſicuti Plato in ejusdem characteriſticae imperativis dixit, διατάσθων, & in Aor. 1. medio θεασάσθων. At Heraclienſes hîc ignotâ hactenus dialecto uſi, N finale extriverunt, & ἐπελάσθω ſcripſerunt.

Digitized by Google

80 α τα γεγραμμενα ποττωι αλλωι μισθωματι αι δε τις κα επιβηι η νεμει η φερει τι των εν ται Ϝιαραι	α τὰ γεγραμμένα πρὸς τῷ ἄλλῳ μισθώματι· εἰ δὲ τις ἂν ἐπιβῇ, ἢ νέμει, ἢ φέρει τι τῶν ἐν τῇ ἱερᾷ
81 γαι η των δενδρεων τι κοπτηι η θραυηι η πριωι η αλλο τι σινηται Ϝο μεμισθωμενος εγδικαξη	γῃ, ἢ τῶν δενδρέων τι κόπτῃ, ἢ θράυῃ, ἢ πριῷ, ἢ ἄλλο τι σίνηται, ὁ μεμισθωμένος ἐκδικάσῃ.

80. *tas ſcriptas, praeter mercedem ceteram* (quot annis aliunde ſolvendam). *Jam ſi quis irrumpens, ſive pauerit, ſive quid abſtulerit eorum quae in ſacra*

81. *terra ſunt, ſive ex arboribus abſciderit quidpiam, ſive fregerit, ſive ſecuerit, ſive quam aliam noxam intulerit; ipſe conductor vindica-*

huius Doriſmi ratione dictum eſt in ſuperiore Adnot. 17. Ad rem quod attinet, vox επελασθω eſt Imperativi medii Praeſens ab ἐπελάομαι pro ἐπελάυνομαι. Eſtque tertia (*) plur. nam dialecto ſubmotâ, dicendum fuiſſet ἐπελάσθωσαν. Nunc quaero quidnam ſit ἐπελαύνεσθαι τὰ ἐπιζήμια. Verbum ἐλαύνομαι interdum judiciale eſt, & eſt *Perſequi judicio*. Sic illud Ἡράκλειτος ἐλαύνεται ἀτεβείας, Budaeus explicat, *Impietatis arceſſitur*. Eadem prorſus ſignificatio compoſiti ἐπελαύνομαι hîc cernitur, cujus nullum antea exemplum hoc ſignificatu fuerat. Quid vero τα επιζαμια (comm. τὰ ἐπιζήμια) fuerit? Pollux VIII. ſeg. 21. inter *Multae* vocabula ſubſtantivum hoc ἐπιζήμιον recenſet; ſicuti & inter eadem ſynonyma ſeg. 149. refert ζημίωμα & ἐπιζημίωμα. Verte igitur, *Exſequuntor multam.*

VERSV 80. ποττωι αλλωι μισθωματι] Illud quidem ποττωι nemo non videt eſſe Dor. pro comm. πρὸς τῷ. Quo loco Πρὸς ſignificat *Praeter*, ut in ῥήσεσιν illis, Πρὸς εἰρημένοις, πρὸς τόδοις, *praeter dicta, praeter* (ſive *Ad*) *haec*. Ἄλλος vero interdum idem eſt ac *Ceterus, Reliquus*. Sic in Hippocrate, Ἄλλη κοιλίη, Erotianus expoſuit ἡ λοιπή. Ideo verti, *Praeter mercedem ceteram.*

Ibid. η νεμει η φερει] Illud abſolutum Νεμει expoſui *Paverit*, pecus ſcil. in ſacra terra. Simile eſt illud Thucydidis lib. V. μηδετέρους οἰκεῖν τὸ χωρίον, ἀλλὰ κοινῇ νέμειν. Vbi duas voces ultimas Scholiaſtes exponit, κοινὴν νομὴν ἔχειν ἐν αὐτῷ, h. e. *ibi in commune paſcere*. Budaeus Xenophontis illud; νέμω τὸ χωρίον, reddit, *Vtor agro pro paſcuo*. Sequitur: Η φερει. Simplex φέρω, *Fero*, pro comp. ἀποφέρω, *Aufero*. Sic Latini: *Omnia fert aetas*. Si ſit Φερεῖ fut. inuſitatum; loco magis conveniet. Sic & νεμεῖ.

VERSV 81. η θραυηι] Verti *fregerit*, vulgatam notionem ſecutus; cum ceteroqui potuiſſem ex Heſychio & ex Graeco V. Foederis paullo aliter transferre: de quo in ima (18) pagella. Sequitur: Η πριωι. Verbum πριόω, *ſeco*, hîc primum legitur. Tametſi hujus verbale nomen πρίωμα (*ſcobs*) jam ex Heſychio innotuerat, apud quem legitur: ΠΡΙΩΜΑΣΙ· πρίσμασι· Pergit: Εγδικαξηται. De verbo ἐκδικάζομαι dixi pag. 171. ad Brit. ver. 49. ubi etiam ΕΓ pro ΕΚ ἐυφώνως uſurpatur. Ibi quia cum δίκας jungitur; vertimus *Irrogare multam.* At hîc idem verbum, utpote nullum poſt ſe caſum gerens, eſt *Vindicare*.

VER-

(*) Si vox iſta ſit ſignificatûs activi (uti plerumq. in verbis mediae vocis) tertia pluralis ſit oportet, haud ſecus ac praecedens ανγραψαντω. Quod ſi notionem paſſivam habeat; poſſit ſine ulla dialecto eſſe tertia ſingularis, & quidem cum neutro plur. τα επιζαμ. concordans. Sicuti infra ver. 123. προκαδδιδικασθω tertia ſing. eſt. Tamen veriſimilius mihi fit, prius illud επιλασθω tertiam eſſe pluralem ſignificatu activo, ita uti Latine reddidi.

(18) In Graeco Vet. Teſt. θραύω plerumque eſt *percutio*, ſicuti & θραῦσις & θραῦσμα *plagam* notant. Heſychius Θραῦσις... πληγή. Ac rurſus Θραῦσμα... πληγή. Itaque potuiſſem hîc reddere, *Plagam inflixerit*, aut *Vulneraverit*. Sed *Fregerit*, convenientius.

Digitized by Google

82 ται ⊢ως πολιστων και ⊢οτι κα λαβει αυτος ⊢εξει τας δε τραφως τας δια των χωρων ρεωσας και | ται· ὁὺς πολίσων, καὶ ὅτι ἂν λαβῆι, αὐτὸς ἕξει· τὰς δὲ τάφρους τὰς διὰ τῶν χώρων ῥεούσας, καὶ

82. *to: quoſcumque civium, quamve cumque rem prehenderit, ipſe* (jure nexi) *habeto. Porro foſſas, per campos defluentes, item*

VERSV 82. ⊢ως πολιστων και ⊢οτι κα λαβει] In ⊢ως (pro comm. ὅυς) deeſt conſuetum κα: quod tamen (quia ſtatim poſt ⊢οτι ſequitur) ea particula hîc ἀπὸ κοινῦ ſupplenda eſt. De Πολιστων vero, quid ſit, de eo prudentum reſponſa libenter didicero. Interim de *civibus* accipio; idque in ſubjecta Adnot. (19) ſuadeo: qua etiam de *jure Nexus* deque *Nexo* (quorum utrumque huc facit) pauca delibavi. Illud Λαβῆι futurum 2. a λαμβάνω eſt: quod futurum ab inuſitato λήβω factum, haud opinor alibi reperies. Sequitur Τραφως, Dorica metatheſi pro τάφρους. Ex his primum Tabulis haec vox tam nove uſurpata innoteſcit: quae non modo hîc, ſed & Tab. II. ter occurrit. Ac ſane mirabar, ſi hanc Heſychius (quem harum Tabularum lexicographum unicum vocare ſoleo) praeteriviſſet: cum ecce tibi, non praetermiſerat ille quidem, ſed in expoſitione vocis damnum unius litterulae paſſus, ex his viciſſim Tabulis praeſtatur indemnis. In eo ſic legitur: ΤΡΑΦΟΣ· τάφος. Voculae alteri reſtitue loco ſuo caninam: eritque, ΤΑΦΡΟΣ. Additur, ρεωσας. Quid τραφως ρεωσας intelligit? Nec enim *foſſas* ſive *alveos fluentes* (quod peculiare fluidorum, non alvei) aptiſſime dixeris. Verum hoc loco Ῥέω, quamvis nullum poſt ſe caſum regat, activum eſt, & pro χέω, *fundo* poſitum. Quo modo illud eſt, quod ex Euripidis Hecuba Budaeus affert, ἔῤῥει . . . χοὰς, *fundebat libamina*. Galenus adhaec ex activo paſſivum fecit, ſcribens ὑδρῶπι ῥεόμενος, *ſudore irrigatus*. Poſtremo nihil frequentius apud LXX. reperias verbis illis, *In terram* (ῥέουσαν γάλα καὶ μέλι) *fluentem lac & mel*. Ibi tamen interpres, cum ab hac locutione Latium abhorreret, quartum caſum ſcite in ſextum mutavit, *Lacte & melle*. Ergo & hîc ſubaudietur acculativus ὕδωρ,

(19) *De* πολισ῀ης, *deque* πόλισος. *Heſychius explicatur. De jure nexus.*

Locus hic Tabulae haud facilis ad expediendum eſt. Scio τὸν Πολισ῀ην eum accipi ab omnibus, qui conditor & auctor civitatis ſive deductor coloniae fuerit: quod tamen hîc locum non habet. Videbatur locus erroris manifeſtus, ac ΠΟΛΙΣΤΩΝ pro πολιτων fuiſſe ſcalptum. Quid ſi nulla reſidet in ſcalpello culpa? Nam credibile eſt, ab Heraclienſibus noſtris non tantum auctores urbium, ſed etiam cives πολισ῀ὰς fuiſſe vocatos. Aut ſi hoc analogiae repugnare videbitur; iſtud ΠΟΛΙΣΤΩΝ non erit a πολισ῀ὴς (*conditor*) verum a πόλισος: qua voce (etſi inuſitata, ſed tamen juxta analogiam facta) ſignificabitur is, qui in coloniam, ſive civitatem adſciſcitur, quaſi civitate donatum h. e. civem dicas. Quid ſi tandem oſtendo, τὸ πόλισος non inuſitatum Graecis Italienſibus atque Sicilienſibus olim fuiſſe? Locus eſt apud Heſychium aut corruptus, aut aenigmati ſimilis, ita conceptus: ΠΟΛΙΣΤΗΝ· Σικελίαν, ἀντὶ τῦ νῆσον. Ex pluribus criticorum explicationibus illa Gujeti magis arridet, qua poſt νῆσον ſubaudiri rurſus πολίσην jubet in hunc modum: Πολίσην· Σικελίαν· ἀντὶ τῦ Νῆσον Πολίσην. Ait Siciliam fuiſſe dictam *Poliſten*, h.e. *urbibus frequentatam*; quaſi ſi integra locutio fuerit Πολίση νῆσος: etſi uſus obtinuerat, ut ſine νῆσος abſolute Πολίση diceretur, ac Sicilia deſignaretur. Ex his vides, Graecis noſtratibus praeter τὸν πολισ῀ὴν activae ſignificationis, h. e. *conditorem*, in uſu etiam fuiſſe Πόλισος paſſivo ſignificatu, quod tum de terra urbibus frequentata uſurparetur, tum etiam de *colonis* ſive de *civibus*: qua notione in interpretatione accepi.

Forſan hîc aliquis abſurdiſſimum fore dixerit, ſi tantum licentiae conductori permitteretur, ut non tantum in bona violantium ſacram terram, ſed &, in eorum corpora vindicaret. *Conductor*, ait Tabula, *vindicato: quoſcumque civium, aut quamcumque rem illorum prehenderit, ipſe habeto*. Verum non quia hoc a noſtris moribus hodiernis abhorret, continuo fuiſſe tunc temporis abſonum dixeris. Pertinet hoc enim ad jus nexûs perſonaeque captionis, quo Romani olim ita abutebantur, ut in debitores ſaevirent modis incredibilibus: de quo Varro, Livius, Salluſtius, alii. Ne hîc longum faciam, non nulla de eo forſan infra ad ver. 133. (ad illud πρωγυνις τω σωματος) aſpergam. At eam Romani in corpora crudelitatem haud dubie a Graecis, maxime noſtratibus, didicerunt, cum jura ſua ex Graecis his Magnis magnam partem contraxerunt.

Differt vero a nexu corporum, *Nexi datio*, quae & pignori datio vocari poteſt, qua quid alicui obligabatur, de qua Feſtus in *Nexum*, aliique loquuntur: quae huc etiam pertinet ob illud, quod ſtatim ſequitur: ⊢οτι κα &c. *Quamcumque rem illorum prehenderit, ipſe habeto*, tamdiu certe, quoad pro damno illato ſatisfecerit.

Digitized by Google

83 τως ροως ου κατασκαψοντι ουδε διασκαψοντι τωι Ηυδατι ουδε εφερξοντι το Ηυδωρ ουδ αφερξον

84 τι ανκοθαριοντι δε Ηοσσακις κα δεωνται τα παρ τα αυτων χωρια ρεοντα ουδε τας Ηοδως τας απο

85 δεδειγμενας αρασοντι ουδε συνΗερξοντι ουδε κωλυσοντι πορευεσθαι Ηοτι δε κα τουτων τι ποι

τοὺς ῥόους οὐ κατασκάψουσιν, οὐδὲ διασκάψουσι τῷ ὕδατι, οὐδὲ ἐφέρξουσι τὸ ὕδωρ, οὐδ' ἀφέρξου-

σιν· ἀνακαθαρίσουσι δὲ ὁτάκις ἂν δέωνται τὰ παρὰ τὰ αὐτῶν χωρία ῥέοντα· οὐδὲ τὰς ὁδοὺς τὰς ἀπο-

δεδειγμένας ἀράσουσιν, οὐδὲ συνέρξουσιν, οὐδὲ κωλύσουσι πορεύεσθαι, ὅτι δὲ ἂν τούτων τι ποι-

83. *fluenta ne ſuffodiunto, neve tranſverſe perfodiunto ad* (corrivandam privatim) *aquam, neve coercento aquam, neve abarcen-*

84. *to: ſed permundanto, quotieſcumque quae per eorum campos decurrunt, opus habuerint; neve vias* (a finitorib.) *con-*

85. *ſtitutas corrumpunto, neve intercludunto, neve quo alio modo quo minus ſint ultro citroque meabiles, prohibento: quidvis vero horum*

ὕδωρ, idemque Latine in auferendi caſum mutabitur: *Foſſas* (aquâ) *manantes*. Poſtremo non temere illud ρεωτας additum: nempe ut foſſae ad aquas tranſmittendas paratae ab alterius generis meatibus diſtinguerentur.

VERSV 83. τως ροως ου κατασκαψοντι ουδε διασκαψοντι τωι Ηυδατι] Verti *Fluenta* (quorum nomine etiam alvei continentur) *Fluenta*, inquit, *ne ſuffodiunto, neve tranſverſe perfodiunto ad* (corrivandam privatim) *aquam*. Recte an ſecus tranſmutarim, aliorum eſto judicium. Huc tamen videtur illud facere, quod Vlpianus l. 1. §. 4. *De aqua & aq. pl. arc.* habet: *Sed & foſſas agrorum ſiccandorum cauſa factas, Mucius ait fundi colendi cauſa fieri: non tamen* (oportere) *corrivandae aquae cauſa fieri*.

Ibid. ουδε εφερξοντι το Ηυδωρ ουδ αφερξωτι] De verbo hoc nove ſcripto, noviſque compoſitis ditato, pauca dicam. Vnicum Ἔργω, idque leniter aſpiratum, duplex vero Εἴργω (denſum unum, lene alterum) agnoſcit H. Stephani Theſaurus. Itaque tria inde genealogica ſtemmata derivatorum atque compoſitorum texuit; cum tamen ſignificatio eadem ubique ſit, tantum pro vi particularum componentium variata. Verum quid moror? Verbum unum eſt, pro dialectorum diverſitate ſive aſperatum ſive lenitum. Vt ecce Ἔργω cum E ſimplici, non niſi cum leni flatu in H. Steph. occurrit. At contra hi noſtri (quibus libuit quam ſaepiſſime diverſe ab aliis animare vocales initiales) non niſi Ἀφέργω & Ἐφέργω hîc ſcribunt; & infra verſu 85. cum inſerta aſperante littera, ΣυνΗερξοντι: cum tamen Iones (ut ex Herodoto & Hippocrate conſtat) Ἀπέργω & Ἀπείργω uſurparint. Porro illud noſtrum cum Ἐπὶ compoſitum nunc primum in his tabulis cernitur. Horum duor. Ἀφέργω quidem *Abarcendi*, alterum autem *coercendi* hîc mihi videtur notione uſurpatum. Ab Ἔργω (cum leni) veniſſe Latiare *Arceo*, facile quivis agnoverit: quo minus miror tanto ante id vidiſſe Nunneſium.

VERSV 84. 85. ανκοθαριοντι] *Repurganto*, ſupple ροως (*decurſus aquarum*) quos modo nominavit. Καθαρίζω jam in lexicis recenſebatur: hîc autem novum compoſitum occurrit, & quidem Doriſmo multiplici inſignitum. Nam 1. ων pro ἀνὰ: 2. κοθ pro καθ (de quo dixi ad ver. 55.) 3. futurum in ιω exiens pro ισω: 4. tertia plur. in ιοντι pro ισωσι. Sequitur: *Quotieſcumque fluentes* (Gr. ρεοντα: ſed ſubaudi ὕδατα) *per eorum campos aquae opus habuerint*. Mox τας Ηοδως τας αποδεδειγμενας non alias intelligit, quam a finitoribus *conſtitutas*, & in forma univerſitatis agri

Digitized by Google

86 ωντι παρ των συνθηκαν τοι πολιανομοι τοι αες επι τω Cετεος επικαταβαινοντι και ζαμιωσοντι	ῶσι παρὰ τὴν συνθήκην, οἱ πολιανόμοι, οἱ ἀεὶ ἐπὶ τοῦ ἔτεος, ἐπικαταβήσουσι καὶ ζημιώσουσιν
87 αχρι Hω κα αφομοιωσωντι κατταν συνθηκαν ου κοψει δε των δενδρεων ουδε θραυσει ουδε πριωσει	ἄχρι οὗ ἂν ἀφομοιώσωσι κατὰ τὴν συνθήκην· οὐ κόψει δὲ τῶν δενδρέων, οὐδὲ θράυσει, οὐδὲ πελώσει,
88 ουδε Hις ουδε Hεν ουδε αλλος τηνωι ουδε γαιωνας θησει παρ τως Hυπαρχοντας ουδε σαρμευσει	οὐδεὶς οὐδὲν οὐδὲ ἄλλος ἐκείνῳ, οὐδὲ γαιώνας θήσει παρὰ τοὺς ὑπάρχοντας, οὐδὲ σαρμεύσει,

86. *adverſus pacta conventa fecerint ; polianomi , ut quique ſingulis annis ineunt* (in rem praeſentem) *deſcendentes* (ignominia illos) *multanto*

87. *donec in ſtatum priſtinum* (omnia) *reſtituerint juxta conventorum formulam . Ne quis ex arboribus abſcindito, neve frangito , ſecatove :*

88. *nemo* (inquam) *unus* (ſupra ſcriptarum rerum) *quidpiam , nec* (quivis) *alius in* (hujus aut) *illius gratiam* [tacito] *neve geonas* (h. e. terri-venales, ſive adſcriptitios) *paſcito ſupra adſcriptorum numerum: neve arenarias fodito,*

agri ab initio *deſignatas* . Has vero vias ver. 85. corrumpi vetat . Vbi illud αρασοντι, nec ab ἀράομαι, *Imprecor* , nec ab ἀράσσω, *laedo* , venit (quorum prius huc non convenit ; ab altero vero dici oportuiſſet ἀράξοντι) verum eſt ab Aʹράω, *Corrumpo* , *laedo* : de quo pauca in imo (20) margine .

VERSV 86. 87. επικαταβαινοντι] Futurum vetus regulare (quippe rectâ a βαίνω cadens , etſi nulli dum uſitatum) Καταβανῶ pro καταβήσω. Novi compoſiti Επικαταβαίνω deeſſe exempla, ante H. Stephanus conquerebatur. VERSV 87. αφομοιωσωντι, *aſſimilaverint* , h. e. ita omnia ſimilia ſtatui priori fecerint , nihil ut utrinque interſit . Ea de gratia verti , *In ſtatum priorem reſtituerint* . Totum comma iſtud , ζαμιωσοντι αχρι Hω κα αφομοιωσωντι &c. verti poterat *Ignominia afficiunto* (veluti inter aerarios ſive capite cenſos referendo) *donec judicatum fecerint* . Haec enim Romani videntur a vicinis Graecis ſuſtuliſſe . Sed ſatius fuit Tabulae verbis , quoad fieri potuit , artius adhaerere .

VERSV 88. ουδε Hις ουδε Hεν ουδε αλλος τηνωι] Mihi dubium non eſt quin Hις pro Hεις (*unus*) poſitum fuerit Doriſmo novo , quo diphthongus EI in H tranſibat (*) . Itaque locus hic, & ille alter ſup. ver. 77. quo H pro particula EI (*utrum*) uſurpatum dixi , ferunt ſibi invicem auxiliares manus. Forſitan & in decurſu hujus & alterius aeris exemplum ſimile occurrerit ; nec enim ſatis memini . Ergo hunc locum ſic reddere (neglecto Helleniſmo negationum cumulatarum) licebit: *Nemo quidquam , nec quivis in illius gratiam* . Sane pronomen ILLE Latini etiam quam ſaepiſſime , praeſertim in ferendis legibus , aut in reſpondendo jure , pro eo uſurpant , qui Graecis ὁ δεῖνα (Italis *Il tale*) dicitur . Non ſecus hîc diviſim ουδε Hις & ουδε Hεν binis

(20) Verbi Aʹράω natales ingenuos aperuit Heſychius , apud quem exſtat ΑΡΑ΄ . . . βλάβη . Conſentit Etymologus iisdem verbis : ἀρὰ· ἡ βλάβη . Sicuti igitur ab Αρά , ubi *preces* notat , fit ἀράομαι , *precor* ; ita ab eodem ſignificante *damnum* , fiebat Αράω, *Laedo* , unde iſtud Αρασοντι oritur .

Quamquam quid rivos peto , qui ex fonte haurire queam ? Homerus Il. Ω. & Od. P. ἀρὴν . . . ἀμῦναι . Il. Σ. ἀρῆς ἀλκτῆρα . Quibus locis non dubium eſt quin *noxa* , *damnum* notetur . Jam vero ab activo ἀράω Poeta paſſivum illud ἀρημένος formavit (quo ſaepe utitur) quod ab Euſtathio exponitur βεβλαμμένος . De hoc participio vide H. Steph. tom. 1. pag. 510.

(*) Sic etiam & apud Thucydidem & antiquiores Atticos Βασιλῆς pro Βασιλεῖς occurrit ; & pro ἱππεῖς ſcribitur ἱππῆς cum iota ſubſcripto .

Digitized by Google

nis vocibus usurpatur, ac infra ver. 109. μηδε ἕνα. Nec alioqui ista sejunctim scripta ὅδε ἕις, μηδὲ ἕις inusitata aliis Graecorum sunt. Exemplis abstineo.

Ibidem γαιωνας quos vocet Tabula, haud expeditum est, cum ea vox absit a lexicis omnibus: nisi quod in Hesychio legitur nescio quid (21) huc tamen non magnopere pertinens. Magis videbatur huc posse facere id quod Hesychius idem infra recensuit: ΓΕΩΝΟΜΑΙ· οἱ ἐν ταῖς ἀγροικίαις διαιτώμενοι κληρῦχοι, καὶ νέμοντες τὴν γῆν. Atque hîc quidem Hesychianam (22) scriptionem minime cum Kustero sollicito. Quod si quid mutandum sit, potius pro eo, quod nunc in Hesychio γεωνόμαι legitur, ΓΕΩΝΑΙ scripserim; quippe quod nec seriem Alphabeti turbat, & ad nostros hosce Γαιώνας scite referri potest; nam tota Hesychiana explicatio ad terrae cultores pertinet. Quamvis autem κληρύχων vocabulum (eorum scil. quibus sorte pars agri possidenda assignatur, qui Latinis *Coloni* vocabantur) honestius, quam pro hujus loci συνεχείᾳ videatur; tamen altera saltem sequens expositio (καὶ νέμοντες τὴν γῆν) pulchre potest ad mercede conductos, a quibus hic locus minime abhorret, pertinere. Hesychiana enim interpretatio sic inverti Latine potest: Γεωνόμαι (sive, si malumus, γεῶναι) sunt *in villis degentes coloni*: sunt item *colentes terram*. Vtrum hi demum sint Γαιῶναι illi, quos hîc Tabula multiplicari vetat, aliorum esto judicium. Equidem eosdem esse non veto.

Posset hic locus forsitan & ad Γειώρας LXXvirales Exodi XII. referri, liquidis Rho & N inter se tantum permutatis. Verum Γειώρας illos prorsus a nostris dissidere, inferne (23) efficimus.

Quidnam ergo γαιώνας nostros interpretabimur? Vox quidem etsi inaudita, at mere Graeca est: quam si resolvas; ex γαῖα, *terra*, & ex ὤνιος, *venalis*, compositam fuisse manifestum est, quasi si γαιώνας *terrivenalicios* interpretere. Horum servorum terrae colendae addictorum conditionem jure gentium introductam, ex eo constat, quod omnibus (24) late gentibus in usu fuerit, in primis (25) Romanis,

Ff item-

(21) Hesychius: ΓΕΩΝΑ· ὗς θήλεια· Λάκωνες. In eo quod vocem esse Laconicam monet, sane salivam movebat; ac videndum ducebam, an non in Tabula porcae ultra numerum ali vetarentur. Verum huic loco nihil cum porcis feminis commune; maxime cum ex masculino ὑπάρχοντας scrofae hîc intelligi nequeant.

Idem Hesych. infra: Γρωνάδες· θήλειαι σῦες. Quo loco motus Kusterus, prius illud Γειώνα scribi debuisse ΓΡΩΝΑΣ suspicatur: quasi vero non plurima sint synonyma, quae vix unâ litterulâ differant.

(22) Kusterus hîc reponebat Γεωνόμοι. Non recte: nam vix alia, quam praeter morem dicta, amat Hesychius promere. Ac profecto qui communi idiomate γεωνόμοι vocabantur, iidem speciali idiotismo dicti γεωνόμαι videntur. Nominum ex tertia in primam declinationem transitus Graecis non rarus erat.

(23) *Inter* Γειώρας *Hebraicos interque* Γαιώνας *Heracleenses quid sit discriminis.*

Discrimen maximum in eo est, quod Γειώρας re ac nomine sit Hebraicum negotium, illud vero alterum re ac voce mere Graecanicum.

Nam quem Hebraei גר, *Ger*, (h. e. *peregrinum*, sed tamen in communionem ejusdem religionis cum Hebraeis adscitum) Helleniſtae vero *Proselytum* nominabant, eumdem Syri Chaldaeique גיור, *Gior* (emphatice *Giora*) vocabant. Hinc ea vox in Judaeorum Helleniſtarum atque Christianorum libris frequentata fuit, ut & in Graecis interpretibus. Nam Ex. XII. 19. τοῖς γειώραις legitur (quae tritior scriptura est, usurpata ab Jul. Africano, Eusebio, Theodoreto, aliisque plurimis) Isaiae vero XIV. 1. γειώρας: quae scriptio in Justino M. & Suida reperitur. Est & scriptura tertia per E in eodem Hesychio in Γέωρες. De hoc vocabulo plurimas eruditorum adnotationes corrasit Joannis Alberti diligentia in suo nupero Hesychio in Γειώρας: quem cupidi videant.

At vero Γαιώνας nostros re & nomine Graecos puros puros esse, ex dictis atque dicendis constabit. Nisi quod Hesychius ex insito Grajae genti ingenio, quo quaslibet peregrinas voces ad origines suas ingratiis rapiunt, simile quiddam molitus est in ΓΕΙΩΡΑΣ. Quod dupliciter explicat: γείτονας, inquit, ἐξ ἄλλου γένους καλυμένους τῷ Ισραὴλ· προσηλύτους. Hactenus ex Hebraeis hausit: at in iis quae addit, jam profecto pergraecatur: ἢ τοὺς, inquit, περὶ τὴν γῆν διατρυμένους. Haec ultima sunt plane ejusmodi, quasi diceres, eum Γαιώνας nostros sibi ad interpretandum proposuisse. Quod tamen hinc alii etiam Graecorum grammaticorum arripuerunt.

(24) Hebraeorum genti fuisse usitatos, non est dubium. De Graecis Romanisque infra ostendemus. Verum quid moror? Post barbarorum in Italiam ceteramque Europam inundationes, in quonam Europae angulo immensae illae servorum familiae, agris exercendis addictae, non usitatae fuerunt? Qui quidem mos non multis ab hinc saeculis in Italia, Gallia, Hispania abolitus, adhuc tamen in remotioribus Europae partibus septentrioni subjectis ut cum maxime perseverat.

(25) Apud Romanos id genus servi *Adscriptitii* (Justiniano ἐναπόγραφοι) dicebantur, quia terrae alicui exercendae in perpetuum adscripti, L. 54. §. ult. D. *Locati*, L. 32. D. *De pign.* Quare non immerito alicubi *servi glebae* vocantur, quasi non tam domino quam praedio servientes: unde & ab eo se nusquam movere poterant, & omnia bona praedio, h. e.

Digitized by Google

89 αι μη ⊢οστα κα εν αυται ται γαι ⊢αι μεμισθωται οικοδομηται ουδε τοφιωνας εν ται ⊢ιαραι γαι ποιησει	εἰ μὴ ὅτα ἂν ἐν αὐτῇ τῇ γῇ, ᾗ μεμίσθωται, ᾠκοδόμηται· οὐδὲ τοφιῶνας ἐν τῇ ἱερᾷ γῇ ποιήσει,

89. niſi quatenus aedificationis in ipſa terra ſibi locata ratio exigat: neve tophaceas lautumias in ſacra terra facito,

itemque (26) Graecis. Ergo non alii quam ſervi terrae exercendae addicti Γαιῶναι hi noſtri intelliguntur.

Sequitur: Θησει] quod mihi quidem ſignificantius aliquid complecti videtur, quam pro vulgatis verbi τίθημι (pono) notionibus. Imo certiſſimum habeo, θησει iſtud longe aliunde repetendum quam a τίθημι: a quo ſi veniret, θάσει potius quam θησει dixiſſet; ſicuti ſupra ver. 70. θατάμενοι ſcriptum fuit, quippe quod haud dubie a τίθημι proficiſcitur.

Ergo iſtud θησει, niſi toto caelo aberro, verbum eſt plane δηλικὸν, atque e ſervili peculio promptum. Qua de gratia verti, *Paſcet* aut *paſcito*: quo modo Latini dicebant, *PASCERE* (27) *ſervos tot*, pro eo quod eſt, eos in peculio habere; nec enim his aliud quam demenſum debebatur.

Nec temere ita verti. Heſychius: ΘΗΣΑΙ· θρέψαι, θηλάσαι (*alere*, nutrire) at idem ΘΗΣΑΤΟ expoſuit, ἐδούλευσεν, *ſervivit*. Nam ſicuti verbi cauſa locator activo verbo dicebatur μισθῶσαι (*locare*) conductor autem voce media μισθώσασθαι (*locari* h. e. conducere) pari modo θῆσαι de dominis adverſus ſervos, θήσασθαι vero de his adverſus dominos uſurpabatur. Si originem verbi hujus (cujus thema inuſitatum eſt) quaeras; nihil vero propius, quam ſi ab aliqua communi origine repetatur, ex qua ſurculi modo recenſiti omnes pullulaverint. Id vero non aliud quam Θάω (28) fuerit oportet, hodie inuſitatum. Ad ſummam ſervos adſcriptitios ſupra illorum numerum, quibus in laterculo deſcriptis demenſa dabantur, adſcribi alios Tabula vetat. De (ουδε σαρμευσει) vide ad ver. ſeq.

VERSV 89. ουδε σαρμευσει αι μη ⊢οστα . . . οικοδομηται] Σαρμεύω quid ſit, con-

h. e. ejus domino adquirebant. Hi quidem interdum honeſtiora nacti nomina, veluti *colonorum* aut *agricolarum*; eâq. gratia juris paullo aequioris prae mancipiis urbanis habebantur (maxime quia herorum ſaevitiae minus obnoxii) ſed tamen ne ſe extollant; ſervos fuiſſe meros, clamat L. *Ne diutius* 21. C. *De agric. & cenſitis. Quae enim*, inquit, *differentia inter ſervos & adſcriptitios intelligatur, cum uterque in domini ſui poſitus ſit poteſtate, & poſſit ſervum cum peculio manumittere, & adſcriptitium cum terra dominio ſuo expellere?* Ex ultimis verbis vides, adſcriptitios iſtos terrae fatum ſequi conſuviſſe, quia alienato fundo, ſimul & adſcriptitiorum familiae, ſic quaſi fundi inſtrumentum, ea venditione continebantur. Idem jus aevo ſequiore obtinuit, quo ſimul cum manſo (h.e. villa) etiam ſervi ei adſcripti venibant: qui quidem aevo medio *Servi maſſarii* (ut pote *maſſae* addicti) *beneficiarii* (quia adſcripti praedio in beneficium conceſſo) aliiſque pluribus vocabulis deſignabantur.

(26) Hujus generis ſervi apud Graecos vocabantur δῆτες; ac fuere antiquiſſimi, quippe quorum apud Homerum & Heſiodum exſtat mentio. Hi Athenis (ubi maximo in uſu erant) ad ſextam claſſem pertinebant. Ex quo intelligimus δῆτας Athenis fuiſſe longe honeſtiore loco, quam ἀνδράποδα veroſque δοῦλος, in quos tantopere ſaeviebatur. Erant igitur δῆτες Athenis cives infimi cenſus, a magiſtratibus gerendis excluſi, ſed tamen (τῷ συνεκκλησιάζειν καὶ δικάζειν μόνον μετέχον τῆς πολιτείας) *in populi conciliis & forenſibus actionibus aequo jure cum civibus utebantur*; idque ex Solonis inſtituto, teſte Plutarcho in ejus vita. Poſtremo Pollux III. ſeg. 82. Πελάται δὲ (in MSS. Πενέσται: πενέσται Heſychio ſunt, qui natu ingenui, inopiâ coacti ſervire cogebantur) καὶ δῆτες ἐλευθέρων ἐστὶν ὀνόματα &c. Ait igitur *Pelatas* (ſive *Peneſtas*) itemque *Thetas liberorum eſſe nomina, ob inopiam mercede ſervientium*. Verum *Thetum* ſive mercenariorum iſtorum jura non ubique pariaſſe conjicio. Nam cum Romanorum adſcriptitii haud multo honeſtiores ceteris ſervis eſſent; crediderim δῆτας aliorum Graecorum, ac maxime Italienſium (a quibus plurima decemviri arripuerunt, ut p. 48, & ſeq. dictum) non ingenuos fuiſſe, etſi eſſent mancipiis aliquanto ſuperiores. Iſtos certe Γαιώνας, quos hîc Tabula nominat, *venalicios* fuiſſe vox ipſa ſignificat, h. e. ad terram colendam alimentorum tantum praeſtatione (de qua mox dicam in voce ΘΗΣΕΙ) conductos.

(27) *Paſcere* proprie de ſervis uſurpari, uſus auctorum frequentiſſimus oſtendit. Horatius II. ſat. 6. ver. 67. *Vernas paſcere* dixit. Juvenalis ſat. 3. ver. 141. *Quot paſcit ſervos*. Apuleius Apol. *Pauciores habeo ſervos? parcius paſco, levius veſtio*: nam his praeter demenſum, etiam veſtimenta dabantur. Ex quo Apulei loco patet, *Paſcere*, quamvis abſolute poſitum, de ſervis uſurpari. Praeterea apud JCtos (qui non niſi ἰδιολέκτοις uti amant) nihil uſitatius. L. 11. D. Ad exhibend. *Paſcere ſervum*. L. 20. D. De adquir. aut omit. hered. *Servos hereditarios pavit*. L. *Sed ſi vir*. D. de don. int. vir. & ux. *Familiam domeſticam uxoris aut venalitiam pavit*. L. 6. D. De leg. Fab. *Qui operas ſuas locaverint ut paſcerentur*.

(28) Etymologus Magnus huic originationi fidem

Digitized by Google

90 ουδε αλλον εασει αι δε μη Ηυπολογος εσσηται Ηως . ταν Ηιαραν γαν αδικιων οικοδομησηται δε και οι

ὐδὲ ἄλλον ἐάσει· εἰ δὲ μή, ὑπόλογος ἔσηται ὡς τὴν ἱερὰν γῆν ἀδικιῶν. Οἰκοδομήσηται δὲ καὶ οἱ-

90. *neve alium* (facere) *ſinito: qui ſecus faxit, obnoxius eſto tamquam ſi ſacram terram violaſſit. Aedificato autem & villam ru-*

conjicere ex Heſychio poſſumus : apud quem ΣΑΡΜΑΤΑ inter cetera exponitur, κόπρια παρὰ Ρἰνθωνι. *Sunt*, inquit, *Stercora* (ſive potius *ſterquilinium*) *apud Rhintonem*. Id ſi placeat; iſtud οὐδὲ σαρμεύσει, erit *nec ſterquilinium faciet*, praeter quod in ea terra *aedificatum eſt* : de quo mox ver. 91. 93. ubi μυχὸν vocat. At idem Heſychius in Σαρμὸς hac explicatione utitur, Σωρὸς γῆς . . . ἄλλοι ψάμμον. Eſt igitur Σαρμὸς *acervus terrae*. . . *alii Arenam malunt*. Et hoc alterum verius eſt: ex quo & illud prius de *acervo terrae*, non niſi tamquam effectus a cauſa gignitur. Nam effodiendo arenam in operis ſtructorii gratiam, non poteſt non erutae arenae acervus aſſurgere. Itaque vetat arenam aedificandi gratia in agro ſacro effodere, ſive *arenarias facere*, ne ager cavernoſus evadat. Eâdem de cauſa mox latomias cavari vetat hoc eodem verſu. Verum ita ab eruenda arena interdicit, ut ſtatim excipiat, *niſi*, inquit, *aedificandi cauſa in eadem terra, quae iis locata fuit*. In Graeco mirum & inauditum attractionis relativi genus eſt in Ηαι (nempe ut cum γαι praecedente conveniat) pro Ηα. Id non tantum Latinis verum & Graecis ipſis auribus abſonum mihi viſum. Quis enim ſic unquam locutus? *In terra QVA* (pro *Quae*) *locata fuit*. Nec tamen hoc tam ad ſcalptoris ſomnum retulerim, quam quod ita hi noſtri loquerentur. Nunc ut eo, unde diſceſſi, redeam : de ceteris σαρμὸς & σάρματος ſignificationibus, ſimulque de harum vocum radice in imo (29) margine pauca aſpergam.

Sequitur: ουδε τοφιωνας] Nullum prorſus apud Graecos ſignatum exſtat hujus vocis veſtigium. At recte eſt, quod Latini, qui ex Graecis hiſce vicinis verba multa didicerant, id vocabulum incolume ſervaverunt. *Tofus* ſive *Tofum* quid ſit, ſtructores non latet. At id de Graeco fuiſſe ſublatum, nemo (30) vel eruditiſſimus norat, abſque hoc aere fuiſſet.

VERSV 90. Ηυπολογος εσσηται] Ὑπόλογος pro *obnoxio*, *reo*, hîc primum reperio (ſicuti & infra pluries eâdem ſemper notione) cum ea vox in lexicis ſit longe aliud: in quibus ποιεῖσθαι ὑπόλογον & ποιεῖσθαι λόγον tantumdem ſunt, nempe *Rationem habere*. Verum haec altera notio ab ea, qua utitur Tabula, fluit. Nim. cum hoc aut illud ὑπόλογον facio (h. e. penſi duco) tunc illud obnoxium rationi facio, quippe id ejuſmodi judico de quo ſit habenda ratio. Τὸ εσσηται videri poterat errore pro εσσεται ſcriptum. Verum quî error ſit, cum infra quatuor locis aliis item cum *Eta* notetur? Ergo ſicuti Futurum Ἔσομαι

dem adſtruit: apud quem Θῶ eſt τὸ τρέφω, itemque τὸ θηλάζω, & inde fieri aut Θηλη, *Papilla*. Hinc Heſychius Θωμένης affert pro θοινομένης, ἐυωχημένης, & Θῶνται pro θοινῶνται, ἐυωχῶνται. His adde item Heſychiana illa θωτῆναι, θώσασθαι, θῶσται, θῶται. Indidem & noſtrum Θήσει, & Heſychiana θῆσαι & θήσασθαι.

(29) Apud Etymologum in Σαρέμενον ſcribitur : Σάρμα γὰρ τὸ χάσμα φασιν. *Σάρμα eſſe hiatum ajunt*.

Heſychius autem his verbis utitur : Σάρματα· καλλύσματα (aut potius καλλύμματα, *purgamenta*, a καλλύνω, *Verro*) καὶ κόπρια (*ſtercora*) παρὰ Ρἰνθωνι. Adhaec idem : Σαρμὸς· σωρὸς γῆς (*terrae acervus*) καὶ κάλλυμμα (*purgamentum*) ἄλλοι ψάμμον (*arenam*) ἄλλοι χόρτον. At horum omnium radix una eſt Σαίρω : quod plerumque eſt *Verro* : unde ejus derivata notant *purgamenta*, ac etiam *ſtercora*. Ea purgamenta plurimum ex pulvere ſeu terra conſtant : ex quo ſignificatio tum *terrae acervi*, tum & *arenae* in ejus verbi derivata manavit. Poſtremo ab eodem illo Σαίρω fit σεσηρέναι, quod eſt *hiſcere*, oris hiatum oſtendere ; ſicuti σεσηρὼς, *hians*. Hinc igitur σάρμα & χάσμα pro ſynonymis habentur ab Etymologo.

(30) Hinc Voſſio danda eſt venia, reprehendenti illos, qui cum PH *Tophum* ſcriberent, cum ſit, inquit, vox mere Latina. Quid aliud ediceret ille, cui haec Tabula latuit? At nos (quibus jam origo vocabuli a Tarentinis & Heracleenſibus innuit) & *Tophum* ſcribi debere fatemur ; & tamen ſi qui *Tofum* adhuc malunt, hos antiquorum conſuetudine excuſabimus, apud quos & *Filippus*, & *Fryx* & ſimilia ὀρθογραφεῖσθαι mos erat : tantum abeſt ut a TOFVS abhorruerint.

Digitized by Google

91 χιαν εν τοις χωροις τουτοις βωνα μυχον αχυριον τον μεν βωνα το μεν μακος ειχατι και δυων πο

χίαν ἐν τοῖς χώροις τούτοις, βοῶνα, μυχὸν, ἀχύριον· τὸν μὲν βοῶνα, τὸ μὲν μῆκος εἴκοσι καὶ δυῶν πό-

91. *ſticam, in* (ſuis quiſque) *portionibus biſce* (nimirum) *bubile, ſeceſſum, palearíam apothecam: bubile quidem longum duos & viginti pe-*

μαι ſic haberi debet, tamquam ſi a verbi ſubſtantivi medio Ἐμαι deſcenderit: ſic & Εστηται noſtrum (nova plane verbi ſubſtantivi vox) non aliud erit quam Aoriſtus 1. conjunctivi medii.

Sequitur: ϝως ταν ϝιαραν γαν αδικιων] Si ſit recta ſcriptura (quid ni vero rectiſſima?) ab novo verbo ἀδικιάω iſtud αδικιων contractum fuit. Sicuti autem ab Ἀκηδία fit ἀκηδέω ſimulque ἀκηδιάω & alia plurima ejusdem modi; ita ab ἀδικία tum ἀδικέω tum & ἀδικίαω fluxere: quorum poſteriora plus aliquid, quam priora notare videntur. Verbum ἀδικεῖν Cicero (31) *Violare* reddidit: qua notione, neglectis aliis, hîc uti libuit; ſacrae enim terrae violatio, ſacrilegio & impietati par habita. Apud Xenophontem Socrates, qui in deos impie ageret, ἀδικεῖν (32) ſimpliciter dicitur.

Pergit: οικοδομηστηται δε και οικιαν] Illud οικιαν *Villam ruſticam* reddidi: nec verti aliter debuiſſe, *bubilis, receſſûs, apothecae palearíae* mentio oſtendit: quarum mox ſtatim partium dimenſiones ſingillatim praeſcribuntur. Itaque οἰκίαν hîc tantumdem eſt quod ἀγροικίαν, quo modo paſſim uno verbo pro ἀγρίαν οἰκίαν uſurpabant. Ceterum & ipſum ſimplex οἰκίαν pro compoſito ἀγροικίαν poni conſueviſſe, ex Heſychio (33) didici, & ex hac etiam Tabula. Non poſſum hîc autem ſatis mirari tantam exiguitatem villae: de cujus modo etſi graviter antiqui (34) monent; ea tamen praecepta longo hîc intervallo ſuperantur. Vel vide ad ver. ſeq. ubi ſuadeo, in hac tota aedificatione nihil de ruſticorum habitatione cogitatum, ſed iis aliter fuiſſe proviſum.

VERSV 91. εν τοις χωροις τουτοις] Hinc patet non ad primum conductorem unum pertinere hoc pactum, verum ad ſingulos in χώροις (*portionibus*) ſuis. Idque ſum interpretando ſecutus. Nec enim poterat una caſa quatuor conductoribus ſatis eſſe, nec, ſi unâ uſi eſſent, rixis caruiſſet negotium.

Sequitur: βωνα μυχον αχυριον] His tribus οικια illa tota abſolvebatur: quocirca ἐπεξηγητικῶς inſerui τὸ *Nimirum*. Jam ea ſingula luſtremus. Βοῶνα non aliud quam *Bubile* eſſe, vel ipſa vocis effigies declarat, quae formam nominis collectivi habet. Vox prorſus ignota lexicis eſt. Tametſi ne hanc quidem omiſerat Heſychius: niſi quod aliorſum accipit, dum Βοῶνας exponit ἀγροικίας: qui potius interpretari debuiſſet, τῶν βοῶν ϛάσεις aut ϛαθμούς, *Bovum ſtabula*. Tamen recte haec Heſychiana habent; nam quia bubile praecipuum caſarum illius temporis membrum erat, idcirco partis hujus potiſſimae nomen pro villae ruſticae ſynonymo habebatur.

Jam vero Μυχὸν, non aliud quam quod ſonat, nempe *Seceſſum*, ſive *Receſſum* reddidi. Quod ſi quis a me quaerat, quo is *Receſſus* pertinuerit; ad exonerandum ventrem haud dubie valuiſſe dicam. Accedit Heſychius, qui unus hanc notionem, quamvis recte, deſignaverat his verbis: Μυχοί· αἱ καταδύσεις, οἱ ἐνδότατοι καὶ ἀπόκρυφοι τόποι. Tam enim καταδύσεις, quam

(31) Euripidis Phoeniſſis iambos illos (Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι Κάλλιστον ἀδικεῖν· τἄλλα δ' ὐσεβεῖν χρεών) ita vertit:

Nam ſi violandum eſt jus, regnandi gratia
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.

(32) In Socratem ſententia apud Xenophontem I. Απομν. his verbis concipitur: Αδικεῖ (*impie agit*) Σωκράτης, οὓς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεοὺς, οὐ νομίζων.

(33) Heſychius ait Βοῶνας (ad verbum *bubilia*: de quo ad v. 91.) eſſe ἀγροικίας h. e. ruſticas villas: at idem ſuperius paullo extra ordinem alphab. ſcripſerat: Βοῶνα· οἰκία. Per quod oſtendit, ἀγροικίαν etiam ſimpliciter οἰκίαν fuiſſe dictam.

(34) Cato cap. 3. *Ita aedifices, ne villa fundum quaerat, neve fundus villam.* Varro I. R. R. 13. antiquorum frugalitatem in aedificanda villa laudat, poſterorum luxuriam damnat. *Illi* (antiqui) *enim faciebant ad fructuum rationem, hi faciunt ad libidines indomitas.* Mitto alia in eam ſententiam ſcite dicta.

Digitized by Google

quam quae mox addit, ſunt receſſus illi interiores, in quos quiſque, alvo ſtimulante, ſe abdit. Ecquis vero dubitaverit ſic accipere, cum & Latinorum *Latrina* fuerit a latendo (35) dicta, & eadem Graecis ἀφεδρὼν a *ſeorſum ſedendo* ſit nuncupata? Poſtremo quod *Receſſum* potius, quam *Receſſum* tranſtulerim, id in cauſa fuit, quod Iſidori Gloſſae *Latrinam* & *Receſſum* pro ſynonymis afferunt; & quod Graecorum ἀφοδευτήριον e regione reſpondet *Receſſui* Latino. Hoc enim honeſtiore vocabulo ſordium locus deſignabatur. Qui locus ſimul humanae neceſſitatis erat, ſimul etiam maximae ad ſtercorandum utilitatis. Plurima exſtant de ſterquilinio, deque ſtercoratione oracula apud Catonem, ceteroſque ruſticos auctores: apud quos & ſtercorum genera reperies, & ecquod cui praeſtet. De humano ita praecipit Columella XI. 3. *Quod* (ſtercus) *homines faciunt, quamvis habeatur excellentiſſimum; non tamen neceſſe eſt adhibere, niſi aut nudae glareae, aut ſine ullo robore ſolutiſſimae arenae, cum major ſcilicet vis alimenti deſideratur*. Eâ igitur etiam de cauſa tanta *Receſſûs* hujus cura fuit, nempe ut ſtercora humana & bovina ſimul, in unum coacta locum, ad opportunos fundi uſus reſervarentur.

Poſtremo Αχύριον, voce ſuapte oſtendit, pro *palearum* (*paleae* vero ambitu cetera quoque pabula continebantur) *apotheca* poni. Vox ſane ignota lexicis. Sed tamen experiamur, an non eam Heſychius commonſtrarit. In eo ſic hodie legitur: ΑΧΥΡΟΣ· ὁ ἀχυρών. At equidem ex hujus Tabulae indicio in Heſychio reſtituerim: Αχύριος· ὁ ἀχυρών. Quis porro hîc maſculinum credidiſſet, niſi haec Tabula mox ver. 92. aperte τον αχυριον ſcalptum gereret, nempe ex recto Heſychiano ὁ ἀχύριος? Quamquam ſiquis illud Ἄχυρος triſyllabum retinere in Heſychio malit, poteſt non (36) infeliciter id quoque ſuaderi.

Illud miraculo eſſe poſſit, quod in hac villa ruſtica, bobus, paleis, receſſui & ſterquilinio conſulitur: interim de villico deque *geonis* tecto ſtratoque recipiendis mira ſecuritas. An quemque ſibi ſuas caſas, ſive mavis *Tuguria* ex culmis, ex ulva paluſtri, ex arundinibus, opere temerario parare moris fuit; idque in diverſis campi finibus, quo eum a furibus nocturnis tutum praeſtarent? Ita prorſus cenſeo, idque tunc moribus agrariis fuiſſe cautum ſuſpicor, oſtendente JCto (37) Pomponio. Ex hactenus dictis vides quam non immodice, imo quam intra modum *villae ruſticae* hîc forma tradatur. Nulla de villico, nulla de geonis cura (ipſi enim ſibi con-

(35) *An Lavatrinae vox contracta in* Latrina *fuerit. Varrone excuſato, Nonius arguitur.*

Latrinam a latendo ſic vocatam verius eſt, quam a lavando, quaſi *Lavatrinam*. Voſſius quidem & Turnebus (quibus poſterius etymon arridet) Varronem & Nonium ſunt ſecuti: quorum loca in propatulo ſunt. Equidem fateor Varronem a *lavando* derivaſſe *Latrinam*: verum id viro ſummo (quamvis in etymologiis juxta cum antiquis aliis haud raro caecutienti) impoſuit, quod ab his receſſibus non ſolebant aquarum ductus abeſſe eluendarum ſordium cauſa; eoque permotus a *lavando* deduxit. At poſteriorum induſtria fortaſſis melius a *latendo* arceſſivit. Cui opinioni etiam μυχὸς vox in hoc aere velificatur, & ἀφοδευτηρία, ut cetera taceam.

Ceterum Nonio non accedo, qui *Latrinae* nomine *balneum* accepit, Nam nec is, ad quem ibi Nonius ſpectavit, Varro id dixit (quem puto *Latrinae* nomine non aliud, quam quod hodie vulgo accipimus, intellexiſſe; quamvis a lavando adſciverit) nec antiquorum loca a Nonio producta, praeſertim Laberii, balneum potius quam ἀφεδρῶνα notant. In primis apud Plautum Curcul. IV. 4. ancilla illa, *quae latrinam lavat*, cur non ridenda eſſet, ſi lavacrum potius, quam τὸ ἀφοδευτήριον emundaret?

Tametſi (nolim enim videri pertinax) ex eo quod cum hiſce receſſibus plerumque ductus aquarum jungerentur; ab eo potuit vox ambigua fortaſſis evadere, ut interdum lavacrum ſolum, alias ſolum neceſſitatis locum ſignificaret.

(36) Retineatur, per me licet, Ἄχυρος (nova vox) ſed ita ut ſequens (ὁ) ad praecedens Ἄχυρος referatur. Vult igitur, iſtud Ἄχυρος ὁ (articulum poſuit, quo diſtinguatur a τὸ ἄχυρος, ἀχύρεος, quod olim videtur etiam in uſu fuiſſe) vult, inquam, τὸν ἄχυρον tantumdem quod ἀχυρῶνα (*palearium*) notaſſe. Sicuti autem noſtri Heracleenſes ab Ἄργυρος ὁ, fecere ὁ ἀργύριος (*argentum*) ſup. ver. 75. & 95. ita ab Ἄχυρος ὁ (*palearium*) fecerunt ὁ Αχύριος, notionis ejusdem. Τον αχυριον habes ver. 92.

(37) Pomponius L. *tugurii* D. De verb. ſig. non tantum *Tugurii* ſtructuram deſignat, verum etiam id *rei ruſticae magis cuſtodiendae convenire, quam urbanis aedibus*, ſcribit. Porro *aedium urbanarum* nomine non aliud Pomponius intelligit, quam id quod Columella *Villam urbanam* vocaverat. Hic enim tripertito Villam ita diviſit, ut aliam *Vrbanam* (in uſum domini ſcilicet: quae & ambitioſe *Praetorium* vocabatur) aliam *Ruſticam* (ad quam ſane *tuguria* illa pertinere Pomponius reſpondit) aliam *fructuariam*, condendis fructibus aptam, eſſe doceret. Ergo in hoc campo non defuere *Geonarum* ſive adſcriptitiorum hoſpitia, quae ipſi ſibi ſcil. ſtramentis, ceſpitibus, paleaque inſtruebant, ſive in vicino bubilis, ſive potius, opinor, circa campi fines, alius alibi. His intellectis, jam nemo non videt, ea tuguria non tanti viſa Polianomis & finitoribus, ut ea inter aedificationes tres illas recenſerent & ad architectonicas rationes exigerent.

Digitized by Google

92 δων το δε ευρος Ͱοκτω και δεκα ποδων
τον δε αχυριον μη μειον το μεν μακος
Ͱοκτω και δεκα ποδων
93 το δε ευρος πεντε και δεκα ποδων τον
δε μυχον πεντε και δεκα ποδων παντ αι
ταυτα δε παρεξοντι οικο
94 δομημενα και στεγομενα και τεθυρωμενα
εν τοις χρονοις εν Ͱοις και τα δενδρεα
δει πεφυτευκημεν αι
95 δε μη κατεδικασθεν παρ μεν τον βοωνα
Ɛξ μνας αργυριω παρ δε τον αχυριον
τετορας μνας αργυριω

δων· τὸ δὲ ἔυρος ὀκτὼ καὶ δέκα πόδων· τὸν δὲ ἀχύριον μὴ μεῖον τὸ μὲν μῆκος ὀκτὼ καὶ δέκα πόδων,
τὸ δὲ ἔυρος πέντε καὶ δέκα πόδων· τὸν δὲ μυχὸν πέντε καὶ δέκα πόδων παντᾶ. Ταῦτα δὲ παρέξουσιν ὠκο-
δομημένα καὶ στεγόμενα καὶ τεθυρωμένα ἐν τοῖς χρόνοις, ἐν οἷς καὶ τὰ δένδρια δεῖ πεφυτευκέναι· εἰ
δὲ μή, κατεδικάσθησαν, παρὰ μὲν τὸν βοῶνα ἓξ μνᾶς ἀργυρίου, παρὰ δὲ τὸν ἀχύριον τέσσαρας μνᾶς ἀργυρίου,

92. des, latum octodecim : palearium longitudinis ne minus octodecim pedum,
93. latitudinis vero quindecim : ſeceſſum quoquo verſu pedum quindecim. Haec vero praeſtanto aedi-
94. ficata, contignatione tectoque operta, januiſque munita intra ea tempora, in quae plantatio deſinit. Qui
95. ſecus faxunt, multantor pro bubili decem argenti minis, ob palearium quatuor argenti minis,

conſulere caſis temporariis debuerunt) niſi tantum de bubus, de eorum pabulis, deque eo loco, quem ſequioris aevi Graecia χρείαν, item media Latinitas *Neceſſarium* (38) κατ' ἐξοχήν vocitavit. Dixi modo villam tantum *ruſticam* hîc deformari (unam ſcil. ex tribus villae partibus quas Columella I. 6. deſcripſit) nam nec *Vrbanâ* hîc opus fuit (nec enim ullus dominus erat, niſi deus Dionyſus, & hujus nomine Civitas) nec *villae fructuariae* uſus erat, quia hordea (& ceteros, opinor, fructus) conductores primo quoque tempore Sitagertis admetiebantur, ea in publico condituris.

Hoc & ſequentibus duobus verſibus dimenſiones *bubilis*, & *palearii* traduntur ejuſmodi, ut appareat, eas aedificationes fuiſſe altera parte longiores : at contra *ſeceſſus* παντ αι (h. e. *quoquo verſu*) patebat pedibus quindecim. Jam pridem notaverant lexica, quod πάντη dialecto comm. ſcribitur, id Dorice ſcribi παντᾶ : de quo vide H. Steph. Theſ. At nemo unus animadverterat, id ſcribendum fuiſſe παντᾶ, ex παντ αι iſto Heracleotico ſcilicet.

VERSV 93.94.95. ταυτα δε παρεξοντι οικοδομημενα] Παρεξοντι hîc quidem ſine Ͱ inſerto ſcribitur : qui flatus ſup. ver. 59. & 72. eidem verbo ſedulo includitur. Ex quo licet colligere, in mediis compoſitis dictionibus ſpiraculum illud ita pertinuiſſe ad ſcriptoris diligentiam, ut tamen omitti ſine reprehenſione liceret. In οικοδομημενα non tantum hîc, ſed & ſup. ver. 64. & 89. augmentum negligitur.

Ver. 94. στεγομενα] Hoc reddidi *Contignatione tectoque operta*. Eam ſignificationem ex nomine Στέγη (quae vox tum ipſa, tum in ſuis derivatis compoſitiſque, modo contignationem, modo tectum, modo utrumque ſignificat) hauſit in hac Tabula verbum Στέγω. Nec dubito quin τὸ στέγω in aedificationibus hoc ipſum olim deſignaverit; tamen ejus exempla in lexicis deſiderantur, nec noſtrae aetatis tantum ſed & in antiquis. Niſi quod Pollux lib. V. ſeg. 147. hoc ipſum Στεγόμενα attulit, verum ut ſynonymum vocis ἄφθεγκτα, *non propalanda*. Itaque τὸ στεγόμενα Polluci *tecta* quidem, ſed translate, ſignificat. Ex quo liquet, hoc idem proprie *Tecta* ſignificaſſe, ubi ad aedificia refertur. Vtut eſt hoc primum propriae ſignificationis exemplum

(38) Vide Du-Freſnium in NECESSARIA. Nec aliter Graeci : qui loca ad alvum exonerandam, χρείας h. e. *neceſſitates* nuncupabant. Vide ejusdem Gloſs. Gr. in Χρεῖαι.

Digitized by Google

96 παρ δε τον μυχον τρις μνας αργυριω των δε ξυλων των εν τοις δρυμοις ουδε των εν τοις σχιροις ου πωλη
97 σοντι ουδε κοψοντι ουδε εμπρησοντι ουδε αλλον εασοντι αι δε μη ⊢υπολογοι εσσονται κατ τας ρητρας
98 και κατταν συνθηκαν ες δε τα.εποικια χρησονται ξυλοις ες ταν οικοδομαν ⊢οις κα δηλωνται και ες τας
99 αμπελως των δε ξηρων κοψοντι ⊢οσσα αυτοις ποτ οικιαν ες χρειαν τοις δε σκιροις και τοις δρυμοις χρη
100. σονται τοι μισθωσαμενοι αν ταν αυτω μεριδα ⊢εκαστος ⊢οσσαι δε κα ταν αμπελων η των δενδρεων απο

παρὰ δὲ τὸν μυχὸν τρεῖς μνᾶς ἀργυρίου· Τῶν δὲ ξύλων τῶν ἐν τοῖς δρυμοῖς, οὐδὲ τῶν ἐν τοῖς σκιροις οὐ πωλή-
σουσιν, οὐδὲ κόψουσιν, οὐδὲ ἐμπρήσουσιν, οὐδὲ ἄλλον ἐάσουσιν· εἰ δὲ μή, ὑπόλογοι ἔσονται κατὰ τὰς ῥήτρας,
καὶ κατὰ τὴν συνθήκην. Εἰς δὲ τὰ ἐποίκια χρήσονται ξύλοις εἰς τὴν οἰκοδομὴν, οἷς ἂν δήλωνται, καὶ εἰς τὰς
ἀμπέλους· τῶν δὲ ξηρῶν κόψουσιν ὅσα αὐτοῖς πρὸς οἰκίαν εἰς χρείαν· τοῖς δὲ σκίροις καὶ τοῖς δρυμοῖς χρή-
σονται οἱ μισθωσάμενοι ἀνὰ τὴν αὐτοῦ μερίδα ἕκαστος. Ὅσαι δὲ ἂν τῶν ἀμπέλων ἢ τῶν δενδρέων ἀπο-

96. *ob ſeceſſum tribus argenti minis*. (Hoc amplius ne) *ex lignis quae in ſaltibus* (ſylveſtribus) *neu quae in ſylvis* [condenſis] *ſunt, vendun-*
97. *to, neve caedunto, neve comburunto, neve* [quemvis] *alium ſinunto* [id facere]. *Sin minus damni tenentor ſecundum rhetras,*
98. *& ſecundum hanc legem locationis. Niſi quod ad caſas utuntor lignis ad aedificandum aptis, quaecumque voluerint, & ad* [jugandas]
99. *vites: at ex aridis caedunto quaecumque ipſis ad uſus domeſticos neceſſaria. Sylveſtribus vero ſaltibus atq. ſylvis utun-*
100. *tor conductores, in ſua quiſque* [conducti] *portione*. Hoc amplius, *quaecumque vites* (aliaeve) *arbores con-*

plum huic Tabulae debemus.

Sequitur & hoc pactum, ut ea aedificia perfecta & abſoluta praeſtanda ſint eo tempore, quo plantatio deſinit: *quibus*, ait, *temporibus fuiſſe plantatum neceſſe eſt*. Cur ita cautum? nempe ut uno eodemque judicio, quo ex plantationibus neglectis multa exigitur, ſimul propter aedificationes omiſſas emphyteutae multentur. Multarum in ſingulas exſtructiones neglectas modus ſtatim v. 95. & 96. exponitur. Ad Doriſmum loci hujus quod attinet; extremo v. 94. πεφυτευχημεν legitur; cum tamen grammatici doceant, Doricum perfecti infinitum a τύπτω fuiſſe πετυφέμεν aut πετυφέμεναι: ex quo ſequitur; a φυτεύω fuiſſe πεφυτευχέμεν pen. brevi. At equidem aeris hujus tanta accuratione exarati auctoritate frangor, ne iſtud πεφυτευχημεν damnem. Quid quod a ſubſtantivo εἰμὶ fit Doricum infin. ἦμεν hîc pluries, ut & apud alios obvium? Illud etiam novum eſt, quod ΤΡΙΣ pro τρεις tum hîc v. 96. & bis in fragm. Brit. tum etiam quater in aere altero ſcribitur. At commune ΤΡΕΙΣ in altera tantum tab. legitur, nec niſi tribus locis: ex quo arguitur, quo tempore aes alterum ſignabatur, jam coepiſſe in quibusdam Heraclienſes a rigore Doriſmi prioris ad conſuetudinem viciniae deflectere. Nam cetera Graecia hoc inter Τρὶς & Τρεῖς intereſſe voluit, quod prius illud adverbii, alterum nominis vicem gereret.

A VERSV. 96. ad 100. των δε ξυλων των εν τοις δρυμοις ουδε των εν τοις σκιροις &c.] Σκίρον & Δρυμὸς pluries in Britannico prioris Tabulae fragmento uſurpantur: quibus locis omnibus Mich. Maittaire, illius fragmenti editor, Σκίρον expoſuit *Gypſum*: non recte ille quidem, qui gypſi metalla ibi quaereret, ubi cultu-

Digitized by Google

ram

turam γεωργικὴν ſpectari credendum fuit. Atqui ex hoc loco quid σκίρα ſint, puto me liquido demonſtraturum. Verum cum genuina τῶν Σκίρων hujus loci notio nec in proclivi ſit, nec paucis expediri queat; ſeorſum de ſumma re in ſequenti Diſcuſſione tranſigam.

DISCVSSIO.

De vera τῶν Σκίρων loci hujus acceptione, & quo a Δρυμοῖς diſcernantur: deque SALTVS genuina notione.

§. 1. *De proprio Δρυμὸς ſignificatu.*

Δρυμὸς proprie *quercetum* notat. Tamen quia Δρῦς alias etiam notat arbores, & Δρυὸς pleraque proſapia ad omne genus arborum refertur; vulgo obtinuit, ut Δρυμὸς pro *ſylva* quarumlibet arborum accipiatur. Quantum autem judicare poſſum, Δρυμὸν denſitas maxime conſtituit; ita ut niſi condenſa ſit, haud recte Δρυμὸς vocetur. Id ex Heſychio didici, qui ſic definit: ΔΡΥΜΟΣ· Δάστος (for. Δαστὺς καὶ) σύμφυτος τόπος, αὐτοφυὴς καὶ σύνδενδρος: h. e. Δρυμὸς *eſt denſitas*, *naturâ conſitus locus*, *nativus atque condenſus*. Cum vero hoc Tabulae loco nomen iſtud plurale ſit, non gravabor & hoc alterum Heſychii adſcribere; ΔΡΥΜΑ· Δρυμώδεις καὶ σύνδενδροι τόποι καὶ ἔυξυλοι. Sunt Δρυμὰ, inquit, *ſylvoſa & condenſa loca*, & *probatae materiae*. Nunc a δρυμοῖς quo differant σκίρα, videamus.

§. 2. *De diverſis σκίρος notionibus, quidve hîc potiſſimum notet.*

Nolo hîc diverſis τῦ σκίρος aut σκίῤῥος, aut σκείρος (tot enim modis ſcribitur) acceptionibus immorari: quas ſatius erit cupidis ſeorſum (39) apponi. Inter tot autem notiones non niſi duae ſunt, quae huic tabulae convenire poſſint: quarum utramque Heſychio debemus. Prior acceptio rei alicujus duritiem notat, quam Heſychius ibi tradidit, ubi ΣΚΕΙΡΟΝ ait eſſe λατύπην (h. e. quod de marmore, dum dolatur, abraditur) ἢ σκληρόν, h. e. quidvis *durum*. Huic alteri notioni ſatis hoc convenit, quod medicis σκίρος aut σκίῤῥος tumorem durum notat: & quod idem Heſychius τὸ Σκειρώσασθαι exponit σκληροῦσθαι, *durari*. Haec quidem notio fragmenti Britannici verſui 19. & ſeq. pulchre conveniret, ubi σκίρον cum ἀῤῥήκτῳ jungitur, ut plane videatur durior terra notari, quae ſcindi nequit. At cum credibile ſit, non niſi eâdem ſemper notione τὸ σκίρον in hac tabula uſurpari, neque in hoc ver. 96. terrae durities, ſed aliud quiddam ſpectetur; ea mihi cauſa eſt, ut de alio ſignificatu cogitandum putem qui utrobique congruat: de quo videamus.

Alteram notionem ſic idem Heſychius explicat: ΣΚΕΙΡΑ . . . χωρία ὕλην ἔχοντα εὐθετῶσαν εἰς φρύγανα: h. e. verbis totidem: Σκεῖρα ſunt *Loca ſylvam ad virgulta aptam habentia*. Infra ab eodem Heſychio Σκεῖρος exponitur ἄλσος καὶ δρυμός, h. e. *Saltus & ſylva*. Hanc vero alteram notionem huic verſui 96. unice convenire prius oſtendam: deinde eamdem & locis prioribus Tabulae ſatis apte quadrare, demonſtrabitur.

§. 3. *Quod poſterior Heſychiana τῦ σκίρος expoſitio unice non tantum loco huic, ſed & Fragmento Britannico congruat.*

Ad eum igitur, qui prae manibus locus eſt, quod attinet; is locus a v. 96. ad 100. Latine ſic ſonat (v. 96.) *Ne ex lignis quae in* δρυμοῖς *ſunt, neu quae in* σκίροις (ver. 97.) *vendant* (aliquid) *neque caedant, neque comburant, nec alium* (ea facere) *ſinant. Sin minus, damni ſecundum rhetras* (ver. 98.) & *ſecundum pacta conventa tencantur. Ad caſas* (40) *autem utentur*

(39) Σκίρον, uti dixi, modo cum ſimplici, modo cum duplici caninâ, interdum & diphtongo EI legitur. Videtur autem a σκιὰ factum: unde primario *Vmbraculum* notat; & τὰ Σκίρα, feſtum in honorem Minervae Σκιράδος celebratum, menſe qui Σκιροφοριῶν inde dictus, in eo loco, qui Σκίρον appellatus. Feſtum vero etiam τὰ Σκιροφόρια vocatum, quia umbraculum Athenis ex arce geſtabatur.

Σκιράδριον vero locus ubi teſſeris luditur, & qui ludit σκιραφευτής.

Σκίρον & σκίῤῥον ſunt etiam ſordes, quae cruſtis caſeorum adhaerent. Interdum & terram albam, veluti *gypſum* notat: id quod Mich. Maittaire in exponendo fruſto Brit. fraudi fuit.

Sed & Σκίρος aut σκίῤῥος medicis tumor durus eſt: ex quo plura derivantur vocabula.

Etiam Arcadiae locus ſic vocabatur. Σκιρῖται apud Spartanos excubitorum genus dicebantur.

Duas vero σκίρα aut σκίρων notiones Heſychianas habes a me ſuperne expoſitas §. 2.

(40) Εποίκιον pro *villa* ſeu *caſa* legitur in Graeco Joſ. XVIII. 24. & 1. Paral. XXVII. 25. Vide de hac voce H. St. to. 2. pag. 1214. ubi & quemdam a Suida recitatum notionis hujus locum affert.

Digitized by Google

tur lignis ad aedificandum quaecumque (41) *voluerint, & ad* jugandas (ver. 99.) *vites. Ex aridis vero* (lignis) *caedent quaecumque ipsis ad usum necessaria fuerint.* Σκιροις *autem ac* δρυμοις (ver. 100.) *utentur conductores, in sua quisque* conducti *portione.*

Ex his satis vides, δρυμὰ & σκίρα in re agraria res fuisse congeneres, nec nisi gradu inter se fuisse discretas. Vtrumque enim nomen ad sylvarum genus pertinet; nisi quod quantitate & qualitate dissident, cum δρυμὰ condensas arbores habeant, easque ἐυξύλους h. e. probatae ad domos navesque fabricandas materiae; cum contra σκίρα non nisi fecundâ virgultorum fruticatione scateant; tum si quas rariores arbores alant, hae ipsae, utpote in solo ὑποπέτρῳ (quod & σκίρος nomen designat) natae, nodosae, humiles, ac distortae sint, minimeque ad fabricandum idoneae. Id quod vel ex hoc loco potest animadverti. Nam ubi ver. 96. & seq. lignorum usus vetatur, incipitur a δρυμοῖς atque in σκίρα definitur: quasi pacta ista conventa hoc velint, non tantum in δρυμὰ (quae Hesychio sunt ἔυξυλα h. e. probatae ad quodvis opus materiae) sed ne in σκίρα quidem, quae longe viliora, moliri quidquam licuisse. Contra vero ver. 99. ubi conductoribus usus eorumdem conceditur, contrarius ordo servatur: quasi lex innuat, conductoribus lignorum usum non tantum ex proventu τῶν σκίρων (quae futiliora erant) verum etiam τῶν δρυμῶν (ex quibus materia praestantissima gignebatur) concedi. Confer cum his, quae de δρυμῷ & σκίρῳ §. 1. & 2. ex Hesychio docuimus: sat scio, haud fore de re summa litem.

Nunc porro videamus an non eadem Σκίρος notio etiam priori loco (nim. Fragm. Britan. ver. 19. & in sequentibus passim) conveniat. Ac sane convenit. Ibi sacer Dionysi ager in genera duo summa dividitur: quorum unum, cum ἐρρηγὸς h. e. terrae arabilis fuerit, sequitur, alterum terrae ἀνηρότου (*non arabilis*) debere intelligi. Hoc vero rursum inculti soli genus tripartitum fuit; nam aliud σκίρον, aliud ἀῤῥηκτος (γῆ) aliud δρυμὸς erat. Hîc si tu illud σκίρον verteris *Durum* (quae duarum σκίρος notionum, quas sup. §. 2. ex Hesychio attulimus, prior fuit) nihil egeris; nam idem plane erit atque ἄῤῥηκτος (*infragilis*) quod statim sequitur. Relinquitur igitur notio altera, quam §. 2. explicuimus, ut sit terrae genus, non ad sata, nec ad ligna, nisi καύσιμα, idoneum, ad pabula vero & fruteta comparatissimum. Hoc quidem soli genus tum ab ἀῤῥήκτῳ differt (quia σκίρον locis aliquot exerceri potest & interdum aratur) tum etiam a δρυμῷ, uti supra declaravimus.

§. 4. *Quaenam Latinae voces* σκίρῳ *&* δρυμῷ *Tabulae hujus respondeant.*

Δρυμῷ quidem non aliud quam *Sylvae* nomen Latini opposuerunt, uti cum *Sylvam Hercyniam* dicunt, quae Graecis Δρυμὸς Ερκύνιος nominabatur. Ecquid autem σκίρον vocabimus? Ajo in his Tabulis σκίρον tantumdem esse quod Latine *Saltum*. SALTVS in vet. Glossis idem est quod ὑλώδης τόπος. *Sylvosus* quidem *locus* definitur in his Glossis vox *Saltus*, sed non ut sit plane *sylva*, sed ut sit fruticetum. *Sylvosum* de fruticantibus usurpatur, non item de sylva, quae rectius *condensa* dicitur. Sed nemo scitius Aelio Gallo apud Festum notionem *Saltûs* aperuit his verbis: *SALTVM* (Festus ait) *Gallus Aelius . . . ita definit: Saltus est, ubi SYLVAE* (non condensae, sed quae verius *fruteta* appellentur) *& PASTIONES sunt, quarum causa casae quoque.* Duas res igitur vox *Saltus* imbibit, ut sylvas minime condensas habeat (sive ut sit *locus sylvosus*, ut in Glossis) & ut pastiones habeat; quocirca recte a nonnullis sic definitur saltus, ut sit *Locus pascuus atque sylvosus*. Ceterum sic idem Gallus recte subjicit: *Siqua particula in eo saltu, pastorum aut custodum causâ aratur, ea res non peremit nomen saltui* (antique, pro *saltûs*). Ex quo vides, etiam saltus locis aliquot idoneis seri consueviisse: verum pleraque saltûs non nisi ad pastiones & ad fruteta valuisse.

Eadem fere in Varronis IV. de L. L. reperies, ubi in *saltibus* agnoscit quidem *sylvas*, verum *Id genus* (sylvas) *ubi pe-*

(41) Δύλωνται pro βύλωνται aut pro θέλωσι Doricum est. Vtitur Theocritus; ad quem videbis Casaub. Vtitur & Timaeus Locrus *de anima mundi* (edit. Amstel. apud Wetsten. pag. 546. v. 4.) ubi tamen pro Δυλεόμενος puto rescribendum δηλόμενος.

Ibid. ver. 9. pro δήλεσθε repones ἐδήλεσθε. Plures hujus verbi voces recenset Hesychius: veluti Δήλεσθαι· θέλειν, βύλεσθαι. Et Δηλή· βυλή. Et Δήλονται· θέλωσι. Idem: Εδηλόμαν· ἐβυλόμην.

Digitized by Google

101 γηρασωντι αποκαταστατοντι τοι καρπιζομενοι ⊢ως ημεν τον ισον αριθμον αει ουχ υπογραψονται | γηράσωσιν, ἀποκαταστήσουσιν οἱ καρπιζόμενοι, ὡς εἶναι τὸν ἴσον ἀριθμὸν ἀεί. Οὐχ ὑπογράψονται

101. *ſenuerint, reſtituunto uſufructuarii, ita ne deſit aequalis ſemper* (plantarum) *numerus. Ne pignori opponunto*

eus poſſit paſci: quibus verbis non δρυμὰ h. e. *condenſas ſylvas* in ſaltibus ponit, ſed fruticeta mera h. e. non *caeduas ſylvas* ſed (*) *paſcuas*. Idem in II. R. R. 3. *Nec multo aliter tuendum hoc pecus* (caprinum) *in paſtu, atque ovillum: quod tamen* (caprinum) *habet ſua propria quaedam, quod potius SYLVESTRIBVS SALTIBVS delectantur, quam pratis. Studioſe enim de agreſtibus fruticibus paſcuntur*. Cur *ſtudioſe* dixerit, ſtatim exponit his verbis: *Atque in locis* (ſaltuum) *cultis* (non niſi) *virgulta carpunt*. Quo autem ſtudio ſparſa in cultis ſaltuum partibus virgulta carpunt, eodem frugis herbam evitant.

Poſtremo cum ſaltum, ut ſit vere *ſaltus*, Varro *Sylveſtrem* eſſe jubeat; Sylvaeque ut τῷ δρυμῷ reſpondeat, τὸ σύνδενδρον (h. e. ut condenſa ſit) adſit neceſſario oporteat; ea de cauſa in hac Tabula σκίρον quidem *Sylveſtrem ſaltum* cum Varrone perpetuo reddidi, δρυμὸν autem *Condenſam ſylvam*. Id eo factum, nequis forte legentibus error obreperet.

§. 5. *De τῶν Σκίρων deque τῶν ⊢ακροσκιριᾶν ſitu in ſacro Dionyſi agro.*

Pandoſiae collem ab occidente ſole ſacrum Dionyſi agrum terminaſſe, alibi, ubi de ejus terminatione, oſtendi. Non alibi vero quam in eo colle fuiſſe τὰ Σκιρα, non eſt dubitandum. Nam ut omittam, quod hujuſmodi ſaltus ſylveſtres (utpote impatientes aratri, oleis vero, de quibus plantandis ſup. ver. 67. & ſeq. plura exſtant pacta, feraciſſimi) haud facile alibi quam in ὑποπέτροις atque montanis locis ſolent occurrere: his inquam omiſſis, re vera in eo colle potiſſimum τὰ σκιρα exſtitiſſe, declarat vox ⊢ακροσκιριᾶν, h. e. *ſummorum ſaltuum*. Nam vocis ingenium prope clamat, τὰς ⊢ακροσκιριας in ἀκρωρεία (*in ſummo colle*) fuiſſe: ad quorum diſcrimen, quae ſimpliciter σκιρα (quae nunc quaero) dicuntur, quid aliud reſtat, niſi ut a ſummo colle continua ſerie ad πρόποδα (*radicem*) Pandoſiae pertinuerint? Ac Diſcuſſionis jam hujus ſatis. Vide pag. 188. ad ver. 17.

VERSV 101. απογηρασωντι) Litterae *Rho* tantum haſtile rectum in aere viſitur; quia, opinor, caninae cetera detriverat ſenium. Nam ceteroqui απογηιασωντι nihil eſſet; &, in quo rei caput, ſententia unice quod ſcripſi, poſtulat.

Ibidem: ουχ ⊢υπογραψονται δε τως χωρως] Nova eſt verbi ὑπογράφω, & medii ὑπογράφομαι ſignificatio: quam quidem in interpretatione non niſi ſententiae ductu poſui. Tametſi poſtea ex Etymologo ſatis mihi praeſidii ad eam firmandam comparavi. In Etymologico ita ſcribitur: ΥΠΟΓΡΑΦΩ . . . βεβαιῶ. Atqui βεβαιῶσαι ſaepe tantumdem eſſe quod *pignori opponere*, Budaeus in Commentario (42) demonſtravit. Vetantur igitur conductores noſtri ſacros hoſce campos ὑποθέναι, *pignori opponere*, ſive cuiquam obligare.

Accedit quod hanc notionem verbum ὑπογράφω hinc facile contraxit, quod in agris oppigneratis ſolebat ea pigneratio ὑπογράφεσθαι (*ſubſcribi*) cippo. Pollux lib. 3. ſeg. 85. λίθος δ' ἦν, ἢ στήλη δηλοῦσα, ὡς ἐστιν ὑπόχρεων τὸ χωρίον. *Lapis vero erat, ſive cippus aliquis oſtendens, fundum aere alieno obſtrictum eſſe*.

VER-

(*) Vide quo pacto Caius l. 30. D. de V. S. *ſylvam caeduam* diſtinguat a *paſcua*, *quae*, inquit, *paſtui pecudum deſtinata eſt*. Hanc verius *ſaltum* cum Varrone vocaveris.

(42) Budaeus (edit. Baſil. 1530. col. 920.) ait: *Eſtque βεβαιῶσαι id, quod ICti dicunt, praeſtare ut habere liceat ei, cui ſtipulatione & ſponſione evictionis cautum eſt*. Mitto cetera quae ibid. docet. Βεβαιῶσαι Latinis dicitur *Auctorem* eſſe, *Auctorem* fieri, *auctoritatem* alicui accommodare. Atqui *auctoritas* omnis ei tandem fundamento nititur, ut auctor bona ſua pignori opponat ad id, quod ſponſione continetur, praeſtandum. Hanc vero agri Dionyſiaci (in emphyteuſim διὰ βίου, *ad vitam*, conceſſi) *pignerationem* hîc, ſi me audis, *Syntheca* vetat, idque ὑπογράφεσθαι vocat: quod ab Etymologo exponitur verbo Βεβαιῶ.

Digitized by Google

102 δε τως χωρως τουτως ϝοι μισθωσαμενοι ουδε τιμαμα ϝοισοντι ουτε των χωρων ουτε τας επιοικοδο	δὲ τοὺς χώρους τούτους οἱ μισθωσάμενοι, οὐδὲ τίμημα οἴσουσιν, οὔτε τῶν χώρων, οὔτε τῆς ἐποικοδο-
103 μας αι δε μη ϝυπολογος εσσηται κατ- τας ρητρας αι δε τις κα των καρπιζο- μενων ατεκνος αφωνος απο	μῆς· εἰ δὲ μή, ὑπόλογος ἔσεται κατὰ τὰς ῥήτρας. Ἐι δὲ τις ἂν τῶν καρπιζομένων ἄτεκνος, ἄφωνος ἀπο-

102. *conductores has ſuas portiones, nec pretii nomine quidquam recipiunto ſive pro campo, ſive pro inaedifi-*
103. *cato: ſin minus* (mulctis quiſque) *obnoxius eſto ſecundum rhetras. Quod ſi quis uſufructuariorum improlis exſorſve vocis occum-*

VERSV 102. ϝοι *μισθωσαμενοι*] Pluralis articulus (*οἱ*) *τῷ Tau* initiali privatus ter tantum in his tabulis occurrit, ſemel hîc, bis vero ſup. v. 59. Nam ſemper alias *τοι* Dorice uſurpatur. Ad ſummam ſicuti nobis Italis permiſſum eſt pluralem articulum *Li*, multare primore littera, idque non ſine euphoniae gratia; ita & olim Dores interdum id ſibi permiſerunt ut *οἱ* pro *τοὶ* dicerent. Id quia mollius viſum fuit; paſſis ulnis Iones, Attici, ceteriq. vulgo Graecorum admiſerunt.

Pergit: *ουδε τιμαμα* ϝοισοντι] Quamvis *τίμημα* quam ſaepiſſime pro multa accipiatur; hîc tamen, ni fallor, pretium rei alienatae, aut pecuniae quamlibet quantitatem pro fundo oppignerato receptam mihi notare videtur. Itaque laxioribus uſus ſum verbis: *Nec pretii nomine quidquam accipiunto ſive pro campo, ſive pro inaedificato*. Fut. ϝοισοντι hîc tantum occurrit cum flatu denſo: alibi lene eſt.

VERSV 103. *καττας ρητρας*.] *Ρῆτραι* quid Laconibus fuerint, monere putidum fuerit. Apparet hinc Heraclienſes noſtros ſuas habuiſſe leges, eaſque more Laconico *Rhetras* appellaſſe. Ac de genuino *Rhetrae* ſignificatu, deque *Rhetris* Tarentinis & Heraclienſibus inferne (43) non

(43) Rhetrae quid proprie Homero, quidve Lycurgo fuerint. His Tarentinos (quorum coloni Heraclienſes) non caruiſſe, ex Etymologo oſtenditur.

Plutarchus in Lycurgo ſcribit, hunc novi juris conditorem ſuas leges vocaſſe *ῥήτρας*, quaſi *χρησμούς τινας* (*oracula quaedam*) etſi alii *breves editiones* interpretantur. At verius puto Lycurgum Homericam *τῆς ῥήτρης* notionem eſſe ſecutum. Homero enim *ῥήτρη* non aliud quam *conventio* Od. Ξ.

Ἀλλ' ἄγε δὴ ῥήτρην ποιήσομεθ' . . .
Verum age conventum faciamus.

In quem locum Euſtathius: Ἔστι δὲ *ῥήτρη συμφωνία καὶ συνθήκη ἐπί τισι ῥητοῖς, ὅ ἐστιν ὡρισμένοις. Eſt autem Rhetra conventio ſub pactis quibusdam.* Etſi ſtatim poſtea, Homero poſteriores *ῥήτρην* accepiſſe pro *δημηγορίᾳ* (*populi adlocutione*) notat, Lycophronem laudans. Lycophronis verſus eſt 470. quem Euſtath. deſignat. Nec aliud, quam quo modo Homerus uſurpavit, Heſychius tradidit. ΡΗΤΡΑΙ, inquit, *συνθῆκαι διὰ λογων*. Ac ſtatim: ΡΗΤΡΑΣ· *συνθήκας*. Ergo Lycurgus, qui non diu poſt Homerum floruit, non alio modo *ῥήτρας*, quam notione Homerica, prorſus uſurpavit.

Quid, inquis, legibus Lucurgeis cum ſponſionibus conventiſque commune? Sane plurimum. Nam antiquorum leges tamquam ſtipulando perferebantur. Is qui cum populo agebat, legem aliquam rogabat (h. e. ſtipulabatur) ſimulque ſuadebat. Deinde poſt illam ſtipulatoriam formulam, *Velitis jubeatis*, ſequebatur populi conſenſus (*Vti rogas*) ſive diſſenſus. Itaque plebiſcita in morem conventionum condebantur; eâque de cauſa Lycurgi leges vocatas fuiſſe *ῥήτρας* puto. Nec alio modo *Rhetras* iſtas (ad quas hîc & ver. 97. digitus intenditur) fuiſſe perlatas judico, in *ἀλίᾳ* (*concilio populi*) rogantibus Polianomis, aut forſan Ephoro, in modum ſponſionum pactionumque.

Dixerit aliquis, ſi *Rhetra* idem quod Συνθήκαι fuit; ex eo ſequetur, ubi hîc mulctis per Rhetras conſtitutis tranſgreſſores pronuntiantur obnoxii, id non de legibus antiquis, quas Heraclienſes *Rhetras* vocarent, ſed de hac ipſa *συνθήκῃ* eſſe prorſus capiendum.

Atqui reſpondeo, I. ver. 97. *ρητρας* atque *συνθηκαν* tamquam res diſtinctas proponi. II. Deinde id, in quo rei caput eſt, reipſa Tarentinis ſuas fuiſſe leges, quae *Rhetrae* vocarentur, in Etymologico Magno reperio. At Heraclienſes *ἀνέκαθεν* Tarentini fuerunt. Temperare mihi nequeo quin locum huc integrum Etymologi adſcribam: ΡΗΤΡΗ· *ἡ ἐπὶ τοῖς ῥητοῖς συνθήκη*. Hactenus etymologia eſt: quo ſpectant illa Euſtathii ad Il. Φ. ad illud Μισθῷ *ἐπὶ ῥητῷ*, notantis: Μισθὸς *ῥητὸς, ὁ ὡρισμένος· ὅθεν καὶ Ῥῆτραι, αἱ ὡρισμέναι συνθῆκαι*. Pergit Etymologus *ῥήτρην* definiens: Ῥήτρα· *συνθήκη, ὁμολογία*. Poſtremo id addit, quod auro contra non earum eſt. Ταραντῖνοι δέ, inquit, *νόμον καὶ οἷον ψήφισμα*, *Tarentinis vero* Rhetra eſt *Lex in modum plebiſciti lata populi calculis*. Servabant ergo Tarentini ſuas leges, quas Laconico vocabulo Lacones ipſi

Rhe-

Digitized by Google

104 θανει τας πολιος πασαν την επικαρπιαν	θανεῖ, τῆς πόλεως πᾶσαν τὴν ἐπικαρπίαν
ημεν αι δε χ υπο πολεμω εγκηληθιωντι	εἶναι. Εἰ δὲ καὶ ὑπὸ πολέμου ἐξηλη-
ὧς τε μη εξημεν	θιῶσιν ὥστε μὴ ἐξεῖναι
105 των μεμισθωμενως καρπευεσθαι ανι-εω-	τοὺς μεμισθωμένους καρπεύεσθαι, ἀνεῖσθαι τὴν
σθαι την μισθωσιν καθα κα τοι Ηρα-	μίσθωσιν καθὰ ἂν οἱ Ἡρακλεῖοι διά-
κλειοι διαγνωντι και μη	γνωσι, καὶ μὴ
106 ημεν Ηυπολογως μητε αυτως μητε των	εἶναι ὑπολόγους μήτε αὐτοὺς μήτε τοὺς πρόυγ-
πρωγγυως των εν ται σηνθηκαι γεγραμ-	γύους τῶν ἐν τῇ συνθήκῃ γεγραμμένων·
μενων των δε πρωγγυ	τοὺς δὲ πρόυγγύ-

104. *bet, ad civitatem ſolida perceptio fructuum pertineto. Quod ſiqui forte ſub belli tempus in velitum claſſem redacti fuerint, ita ut non liceat, ubi jam*

105. *conduxiſſent, uti frui; iis locationis obligatio remittitor, prout Heraclienſes diſceptata cauſa decreverint, neve*

106. *tum ipſi, tum eorum praedes deſcriptis in locationis inſtrumento legibus obnoxii ſunto. Porro prae-*

nulla aſpergimus. Hîc vero tantum ea vox occurrit, & ſup. ver. 97. ubi eadem prorſus, quae hîc, integra φρασεολογία legitur: niſi quod ibi etiam *Syntheca* additur, his verbis: Ηυπολογοι εσσονται κατ-τας ρητρας και κατταν συνθηκαν. Ibi, inquam, *Syntheca* additur, quia illa facti ſpecies, in quam ver. 97. animadvertitur, praeter rhetras, etiam ſynthecae hujus mulctis obnoxia erat.

Sequitur: των καρπιζομένων] Sunt *uſufructuarii* ſive utiles domini, cujuſmodi erant conductores iſti, ſive emphyteutae.

Pergit: Siquis horum utilium dominorum ατεκνος αφωνος αποθανει. Verbum ſi verbo appendas, erit, *ſine filiis, ſine voce perierit*. Verum ne dubita, quin horum prius *heredes ſuos*, alterum *heredes ſcriptos* excludat. Hodieque apud Italos obtinet, ut *mori ſine lingua* tantumdem ſit atque inteſtatum mori.

VERSV 104. 105. 106. αι δε χ υπο πολεμω εγκηληθιωντι ωστε μη εξημεν . . . καρπευεσθαι. . . Reliqua vide in textu.

EXERCITATIO

De εγκηληθιωντι, *deque Latinorum Velitibus. Locus Tabulae difficillimus expeditur.*

Quantam maximam loci hujus difficultatem tum plura alia, tum in primis vocis εγκηληθιωντι mira & prodigioſa novitas creat: cujus verbi (compoſiti cum particula Εκ, ſed tamen in Εγ mutatâ, ut in Εγδικαξ. ſupra ver. 81. & in Brit. ver. 49.) cujus, inquam, verbi thema ſive eſt εγκηληθιζω, ſive potius εγκηληθιαω. Tamen ſi ſententiae ductum ſequamur; poterit verti locus non uno modo, prout particulam Ὑπὸ acceperis: quae hoc loco tum cauſam ſignificare poterit (υπο πολεμω, *propter bellum*, *belli cauſa*) tum etiam tempus. Nam ſicuti cum dicimus, ὑπὸ βασιλέως, erit *ſub rege* illo; ita ὑπὸ πολέμω, *ſub bello*, erit idem ac belli tempore. Adhaec Μίσθωσις primario locationis contractum notat: verum nemo prohibet quin pro μισθώμαπ h. e. pro mercede locati conducti accipiatur. Nunc interpretamenta ſingula, loco ipſi congrua ſubjiciamus.

Primum ergo ſic licebit invertere: *Quod ſi bello capti* (aut *propter bellum deturbati ſedibus*: vide inferne (44) adnota-

Rhetras vocabant: imo & Heraclienſes habebant, ut ex hoc ver. & ſup. ex 97. conſtat. Vltima Etymologi illa ſunt, quibus etiam ῥητροφύλακας fuiſſe ait, quos reddit γραμματοφύλακας. Interpretationem non improbo. At Tarentinis & Heraclienſibus ſi ῥητροφύλακες erant, ii νομοφυλάκων vices implebant.

(44) *Bello captis* tum vicinitas verbi ἁλῶ, *capio*, tum Laconici nominis (quod ut alibi oſtendi, ab ἁλῶ videtur haud dubie derivatum) nim. ἅλως, ωτος, aut ἁλώτης, h. e. *captivus* (fuit enim ſervorum Laconicorum vocabulum) patrocinatur.

At vero ut iſtud εγκηλη. *Sedibus exturbatos* notet, ſuadere poſſit vicinia verborum ἐξελαύνω & ἐξέλαω (*expello*) nec non illius Σύλατο, quod affert He-

Digitized by Google

tata) *fuerint*, *ita ut non liceat conductoribus fructus colligere, remitti eis mercedem locationis* (aut potius, *rescindi locationis contractum*) jus fasque esto, *prout Heraclienses sciverint; nec* &c. Haec interpretandi ratio, si vera sit; non tam ipsos conductores juvabat (nam sive servitutis sive ἐξορισμῦ calamitas satis ipsa per se conductores exonerabat) quam fidejussores obligatione liberabat, ne ipsi pro conductoribus solverent. Quod etiam in sequentibus interpretamentis valet.

II. Altera vertendi ratio ab eo pendet, si εγϲηληθιωντι de summa inopia intelligatur, ad quam redacti nec agros colere, nec solvere mercedem valerent. Nec probabiles rationes desunt, cur ea vox quod dixi significet: quas deinceps depromo. Vertes igitur: *Quod si propter bella redacti ad extremam egestatem fuerint, ita ut conducto uti frui* (h. e. colere & colligere) *non liceat, rescindi locationis contractum placet, prout Heraclienses*, &c. Illud sane demonstrari necesse esset, τὸ εγϲηληθ. posse ad infimam egestatem referri. Verum hoc num. seq. ostendetur. Ac placeret sane haec expositio, si afferri ratio posset, cur ad bella tantum id restringatur. Quid si enim pacis tempore redactus quis ad inopiam fuerit? an non eadem indulgentia valitura erga ipsos erit?

III. Postremo ita haec eadem reddentur: *Quod si belli tempore inter VELITES censiti fuerint, ita ut* (prae inopia) *non liceat conductoribus uti frui* (h. e. colere & colligere) *rescindi locationis contractum* (oporteto) *prout Heraclienses*, &c. Restat nunc exponendum, cur illud εγϲηληθ. verterim *Inter velites recensiti fuerint*: quod paucis expedire non facile quiverim.

Itaque jam inde usque incipiam. Sex civium classes Romae a Ser. Tullio, opum potissimum habita ratione institutas, nemo quisquam ignorat. Id eo valebat maxime, ut qui plus ceteris possiderent, iis potiora reipublicae & militiae munera traderentur. Nam quorum maxime intererat rempublicam salvam esse, in iis majora militiae firmamenta esse decebat. Harum sex classium ultima, quae ex proletariis & capite censis h. e. inopum faece constabat, hac eâdem de causa a militia plerumq. arcebatur; aut (quod Dionysius Halic. lib. VII. extrema p. 464. tradit) quamvis ut a tributis sic a delectibus immunis esset, tamen si vellet, militiam voluntariam sequebatur. Eadem in obsidione Capuae leviter armatorum ordinem, quos *Velites* vocare solent, conflasse dicitur. At equidem, si quid video, *Velitum* vocem pro infimo militum ordine non nisi citimis temporibus usurpari coepisse reor: at antea *Velitum* vocabulum potius censuale fuisse, ita ut pauperrimos, ex quibus VI. Classis coaluerat, tantum significaret. Tametsi diu postea, quia ex ea potissimum classe levis armaturae milites legebantur; ab eo factum ut *Veles* evaserit leviter armatorum nomen. Atque hujus suadendae rei in ima (45) ora latagimus.

His

Hesychius & ita exponit: Ἔστησεν, ἐτίναξεν, κατέβαλεν, ἔρριψε. Porro in hoc ultimo (Σήλατο) Heraclienſe ϲ in Σ transiit, sicuti ex ϲξ Latini fecere *Sex*. Hoc idem σήλατο an ex Aor. medio ϲηλησατο per syncopen factum? Cetera lectori permitto. Nisi quod prope praeterieram verbum Αλάομαι (*erro*): ex quo Aor. ἤλᾱσθην fit, unde partic. Αλητός.

(45) *Quod VELITIS vox primitus quidem classem civium infimam notaverit: postea, quod ex ea classe plurimi leviter armarentur, ad designandum quartum militum ordinem translata fuerit.*

Sexta civium Romanorum classis ex proletariis (h. e. prole tantum gignenda, ut ἐτυμολογῶσι, remp. juvantibus) & ex capite censis (quorum non possessiones, quibus carebant, sed capita censebantur) constabat. Atque hi primitus inopiae causa (ut qui suis impendiis militare nequirent) ad sacramentum non adigebantur, uti pluries dictum. Ergo hanc classem summa inopia ab aliis distinguebat; eaque de causa ii verbo antiquo *Velites* i. e. egentissimi vocabantur. Verum ne laxioribus habenis oratio vagetur, duo ante omnia enitar ostendere: I. Polybii aetate (qui CL. circiter ante Christum annis scribebat historias) quartum militiae ordinem, qui postea *Velitum* nomen sibi proprium fecit, non dum id sibi nomen quaesiviſſe, idque non nisi ultimis reip. temporibus contigisse: II. deinde *Velitis* nomen fuisse primitus appellativum, quo proprie *pauperes* & capite censi notarentur.

I. A Polybio incipiam, antiquissimo simulque accuratissimo omnium rei militaris scriptorum. Is quia diutissime post Capuae obsidionem (quo tempore velitum ordinem inventum volunt) floruit; infimum hunc ordinem militum, de quo agimus nec ignoravit, nec praeterivit, sed aliis prorsus usus vocabulis, quam *Velitum*: tametsi idem lib. VI. cap. 19. non refugit ceterorum militum Latina nomina. Nam ibi & Τριαρίους (*Triarios*) nominatim appellat, & Πρίγκιπας (*Principes*) & Ἀστάτους (*Hastatos*). Cur non etiam Ουιλιτας (*Velites*) nominasset; nisi quia id nomen tunc egentissimis civium commune erat, non vero ullius militum συστήματος pro-

Digitized by Google

His intellectis, jam locum hunc ita licebit paullo aliter elimare: *Quod ſi ſub belli tempus* (ὑπο πολεμω enim videtur uſurpatum pro ὑπο πολεμον, conſuetâ praepoſitionum ἐναλλαγῇ) *in velitum* (ſive *capite cenſorum*) *claſſem redacti fuerint... iis locationis obligatio remittitor, prout Heraclienſes diſceptata cauſa decreverint; neve tum ipſi, tum eorum praedes, deſcriptis in locationis inſtrumento pactis obnoxii ſunto*. Nam quia nec impenſis ad agrum colendum, nec mercedi ſolvendae pares erant; contractus reſcindebatur, & tam ipſi quam praedes liberabantur.

Dixerit aliquis, cur tantum ſub belli tempus id accideret? an non pacatâ republica poterat quis attritus inopiâ, ſtatim in imam capite cenſorum claſſem redigi? blica

proprium? Ceterum hunc ipſum militiae ordinem ſic ſcite deſcribit: διαλέγων τῶν ἀνδρῶν τὸς μὶν νεωτάτως καὶ πενιχροτάτως εἰς γροσφομάχως. Vbi interpres: *Natu minimos & pauperrimos* (tribuni) *ſeligunt in Velites*. Atqui *In jaculatores* vertere debuiſſet; id enim iſtorum munus fuiſſe, vox Polybiana γροσφομάχως diſerte ſignificat. Aut ſi verbis antiquis uti voles, poteris ita uſurpare: *Natu minimos, itemque* VELITES (hi enim ſunt Polybiani illi πενιχρότατοι) *in jaculatores deligunt*. Notabis autem, hunc infimum ordinem ex duûm generum hominibus conſtitiſſe, ex natu minimis (qui, opinor, ex levi armatura poſtea ad gravem promoverentur) & ex pauperrimis, quamvis aetate provectioribus, qui proprie, opinor, *Velites*, id quod erant, vocabantur. Ac quis ſcit, an non eadem mens Livio fuerit, ubi *Levem armaturam* a *Velitibus* videtur diſtinguere? Lib. XXIX. *Eques, leviſque armatura & velites circumductis alis in latera incurrebat*. Eod. lib. *Elephanti tumultuoſo genere pugnae equitum velitumque & levis armaturae conſternati*. Quibus locis, ni fallor, *levis armatura natu minimos* illos Polybianos deſignat; *Velites* vero illos ejusdem ſcriptoris *pauperrimos*. Niſi vero *levis armatura* ad auxilia pertineat. Sic enim lib. 42. *Ipſe velitibus ad firmanda levium armorum auxilia adjectis... procedit*.

Verum ut ad Polybium redeam; quia ſuo tempore *Triariorum*, *Principum*, *Haſtatorum* vocabula pro ſubſtantivis propriiſq. nominibus ordinum militarium capiebantur; eâ de cauſa Polybius ea non invertit, ſed prorſus invariata retinuit. At *Velites* cum adjectivi nominis vicem gererent, ad infimam fortunam pertinentis; non potuit non πενιχροτάτως interpretari. Quis vero ſcit an non etiam ille, quicumque fuit, cujus proverbiale dictum (*SCVRRAM VELITEM*) a Cicerone uſurpatur, ſui temporis notionem ſecutus, *ſcurram* ex ima claſſe *egentiſſimum* intellexerit? Tullii locus exſtat IX. Fam. 20. initio: *Me autem a te, ut SCVRRAM VELITEM* (h. e. ex faece Romulidarum) *malis oneratum eſſe, non moleſte tuli*. Prorſus, ſi quid judico, ea biga nominum verbum vetus continent, ex quo Cicero riſum captat. Hactenus de Polybio dictum.

Nec aliter Dionyſius cum peculiaria rerum militarium, aut ritualium, ſimiliumque nomina numquam reſpuat, eaque ſuae intexere hiſtoriae in deliciis habeat; nuſquam tamen ὑπλιτας uſurpavit, ſed nominibus appellativis uſus, modo τὸς ἀπόρως, modo ἀπορωτάτως nuncupavit: quem vide, ſi tanti ſit, lib. IV. pag. 223. V. pag. 331. VII. pag. 464.

Quod ſi Livius ceterique id aetatis, ibi etiam, ubi res temporum antiquiorum deſcribunt, utuntur *Velitum* vocabulo ad eos deſignandos qui levibus uterentur armis; in eo ſuorum temporum conſuetudini ſunt obſecuti. Quippe ultimis Reipublicae temporibus, quia ex infima potiſſimum claſſe (quae ceteras ſimul omnes multitudine ſuperabat) levis armatura deligeretur; hinc iis *Velitum* nomen (h. e. *egenorum*) quaeſitum fuit.

Adhaec ceteri Graecorum γυμνῆτας eosdem vocarunt, quippe veris armis (puta lorica, ſcutoque: cujus loco hi parmam gerebant) nudatos. Occurrit hoc vocabulum in vet. Onomaſtico, in Heſychio & aliis pluribus. At quis ſcit an non poſſeſſionum nuditas vocabuli cauſa fuerit? Leve hoc quidem: tamen non temere hoc eſt, quod idem Heſychius, qui γυμνῆτας recenſuit, Γυμνηλὸς proxime ante poſuerat his verbis: ΓΥΜΝΗΛΟΙ· ὰ ακτήμονες καὶ πένητες, *Qui nihil poſſident*, ſive *pauperes*. Quae ſextae claſſis deſcriptio eſt.

II. Poſtremo ad id, in quo non minima vis eſt, venio: ad veriloquium ſcilicet. Ac ſane Latini (non ſemper optimi etymologiar. magiſtri) in eo ſibi placuerunt, ut *velites*, quaſi *volitantes* dictos crederent: quod minime probo. Melius Iſidorus XVIII. 57. *VELITES .... a civitate Hetruſcorum, quae VELETES vocatur*. Et id quidem oppidum nulli dum mortalium innotuit. Quocirca aliud ex Iſidoro elici non debet, niſi nomen id Tuſcae originis (h. e. ab Oriente petitae) fuiſſe. Re vera a בלה *Vala* (quod Hebraeis Chaldaeiſque eſt *atteri*) optime *Veles* repetetur. Nam (praeterquam quod Pſ. XVIII. 46. יבלו eſt *atteri*, ſed pro *depauperari* ſumitur) quaecumque verba apud Hebraeos atque Chaldaeos *Pauperem* deſignant, eadem nomina in origine ſua *Attritum* ſonant. In Vajikra Rabba ſect. 33. inter uſitatiſſima pauperum nomina haec prae ceteris recenſentur: דך, *dac*: דל, *dal*: מך, *mac*. Atqui tria haec, ſi ſpectes genuinam thematis notionem, non aliud quam *Attritum* ſive *Attenuatum* notant. Adhaec Pſ. X. 10. illius חלכאים, *hhelcaiim* (quod *Pauperes* exponitur) cum Maſorethae radicem neſcirent; maluerunt diviſim legere חל כאים, *hhel caiim*, h. e. *Turba attritorum*, ſive *pauperum*. Vides igitur quam non abſurde Etruſcum *Velitis* nomen a בלה *Vala*, quod eſt *atteri* repetatur: unde ſi quis etiam τὸ *Vilis* adſciverit, equidem non refragabor. Et ad Romanos quidem aut a vicinis Etruſcis *Velitis* nomen manavit, aut a Magnis Graecis: quos id uſurpaſſe, ex hoc Tabulae loco conſtat. Graecos hos autem ipſos primitus ſive a Tuſcis, ſive ab aliis Orientis hominibus, qui Tarentinam oram primitus inhabitarunt, id didiciſſe, credibile eſt.

Fateor equidem laxatas a me hactenus conjecturis habenas liberiores. Verum id quoque fateor, quae hac Adnotatione ſcripſi, ea ſi ſeorſum ſpectentur, viſum iri conjectiones meras: non item ſi cum hujus Tabulae ver. 104. 105. 106. junctim diſpiciantur. Nam cum his locis collatas, nulli hominum, quamvis faſtidioſiſſimo, non ſe probaturas, auguror.

Digitized by Google

107	ως τως αει γενομενως πεπρωγγυευκημεν	ους τοὺς ἀεὶ γενομένους πεπρόυγγυευκέναι
	των τε μισθωματων και των επιζαμιω-	τῶν τε μισθωμάτων, καὶ τῶν ἐπιζημιωμά-
	ματων και των αμ	των, καὶ τῶν ἀνα-
108	πωληματων και των καταδικαν και αυ-	πωλημάτων, καὶ τῶν καταδικῶν, καὶ αὐτοὺς,
	τως και τα χρηματα ⊢α κα επιμαρ-	καὶ τὰ χρηματα ἃ ἂν ἐπιμαρτυρήσωσι,
	τυρησωντι και μη ημεν μητε ⊢αρ	καὶ μὴ εἶναι μήτε ἄρ-

107. *des, qui ſibi* (invicem poſt quinquennia ſingula) *continenter ſuccedunt, fidejubere oporteto tam pro locati mercedibus, quam pro mulctis, itemque pro re-*

108. *venditionibus* [quanti intereſt minoris eſſe tranſactas] *proque judicato faciendo, & tam ipſos* [obligari oporteto] *quam bona, quaecumque teſtato profeſſi fuerint: nive inſiti-*

Potuiſſet id fieri quidem, ſed non moris fuit. Nam credo Heraclienſes, tum maxime cum bella impendebant, ante quam delectus fieret, recenſuiſſe populum, ac pro ſingulorum cenſu ſuas ſingulis aſſignaſſe claſſes, quoſque inveniſſent, ſive auxiſſe ſive minuiſſe peculium, eos de priore claſſe, ſi opus facto, in aliam tranſtuliſſe. Nam, ut ante dictum, is cenſus eo maxime ſpectabat, ut ſingulis pro modo facultatum ſuus militiae gradus aſſignaretur. Adde quod imminente bello, quia tunc de ſumma reip. periculum erat, perneceſſarium videbatur, eos potioribus muniis admovere, quorum praeſentis ſtatûs civitatis minime poeniteret, imo quorum maxime intereſſet remp. ſalvam eſſe; inopes autem & capite cenſos aut prorſus arcere a militia, aut, ſi delectus in anguſto eſſet, hos leviter tantum armare.

Porro illud αν⊢εωσθαι, quod medio ver. 105. legitur, pro communi ἀνεῖσθαι, *remitti* ponitur. In H. Stephani Indice thematum anomalorum, τὸ Ανέωνται pro ἀνεῖνται ex nonnullorum opinione Atticum judicatur. Sed hinc apparet fuiſſe Doricum, aut ſaltem Doribus Atticiſque commune. Infinitiva iſta αν⊢εωσθαι, ημεν, & mox in ſequentibus alia plura, in legibus paſſim pro imperativis poni, tritum eſt.

Poſtremo vel me tacente, quivis intelligit, ex iſto. Magnae Graeciae ſalebroſo vocabulo, cui explicando tamdiu immoror, non modo *Velitum* nomen (quatenus imam civium claſſem capite cenſorum deſignat) manaſſe ad Romanos, ſed & totum ipſum hujus inſtituti negotium. At hanc Tarentini & Heracleenſes vocem videntur ex primis orae hujus colonis orientalibus hauſtam retinuiſſe: vide Adn. 45.

De poteſtate Heraclienſis elementi ⊏ (quod tum Hebraico *Beth*, tum & Aeolico Digammati reſpondet) Diatr. III. pag. 128. actum fuit.

VERSV 107. 108. 109. 110. In hac tota periocha, in quam prima locatio conductio deſinit (etſi eadem, uti praedixi, pleraſque leges communes omnibus continet) plura occurrunt nova prorſus verba, ut, praeter alibi notata, ver. 107. πρωγγυεύω, & ἐπιζαμιωμα. Hoc alterum Pollux attulerat VIII. ſeg. 149. ubi ζημίωμα & ἐπιζημίωμα recenſet; tamen utrumque abeſt a lexicis. Adhaec nova ſunt ver. 108. αμπωλημα (de quo dixi ſup. ad I. v. 62.) ver. 109. ⊢αρνησις cum ſpiritu denſo. Haec nova, aut nove ſcripta hîc occurrunt. Nunc pauca his adſpergam.

Ver. 107. πρωγγυως τως αει γενομενως, *Praedes prout ſibi invicem ſemper ſuccedunt*. Hoc ideo ſcribitur, quia non perpetui, ſed ex ver. 57. *quinquennales* erant. Sequitur πεπρωγγυευκημεν των τε μισθωματων &c. Εγγυάω non raro cum patrio caſu conſtruitur. Thucyd. lib. 3. ὀκτακοσίων ταλάντων . . . διηγγυημένοι. Demoſth. contra Onet. ὀφλήματος προσεγγυήσασθαι.

Ver. 108. τα χρηματα ⊢α κα επιμαρτυρησωντι] h. e. *Bona, quae teſtato denuntiaverint* (de *denuntiandi* notione vide H. Steph. to. 2. col. 796. extremâ & 797.) ſive *profeſſi fuerint*. Nec neceſſario adhibitis teſtibus profeſſio fiebat: nam & quod *ex animi ſui ſententia* denuntiabatur, id quoq. & *teſtato* & *jurato* fieri intelligebatur. Romae certe *Ex animi ſententia* verbum cenſuale ſollemne fuit, idemque uſitata in

109 νησιν μητε παλινδικιαν μηδε κατ αλλαν μηδε ⊢ενα τροπον ται πολι πραγματα παρεχειν μηδε τοις ⊢υ	νησιν μήτε παλινδικίαν μηδὲ κατ' ἄλλον μηδένα τρόπον τῇ πόλει πράγματα παρέχειν, μήδε τοῖς ὑ-
110 περ τας πολιος πρασσοντασσι αι δε μη ατελες ημεν ΔΕΥΤΕΡΟΣ ⊢ο δε τον δευτερον μισθωσαμενος	πὲρ τῆς πόλεως πράσσουσιν, εἰ δὲ μή, ἀτελὲς εἶναι. ΔΕΥΤΕΡΟΣ· Ὁ δὲ τὸν δεύτερον μισθωσάμενος

109. *anto neu actiones redintegranto, nec alio quovis modo nec civitati moleſtiam exhibento, nec ne-*
110. *gotiorum geſtoribus civitatis. Sin minus; infectum eſto negotium. SECVNDVS. Alteram portionem qui conduxerit,*

in (46) cenſu jurisjurandi conceptio.

Ver. 109. ⊢αρνησιν tranſtuli *Infitiationem*: quae cum ad praedes ſupra dictos referatur; judicialis infitiatio intelligitur illa, cum quis ſe fidejuſſiſſe negat. Id vero, ſi nihil aliud, moleſtum creditori erat; quia per actionum ambages ſolutio debiti in longum protrahebatur. Qua de cauſa Romanis moribus *adverſus infitiantem in duplum actio* erat ex Lege Aquilia, l. 2. & l. 23. §. *ſi dolo*. *D. ad leg. Aquil.* cum contra *in confitentem* actio tantum in ſimplum detur. Eſt & illud *confitentium* beneficium, ut inter eos dividatur actio, uti ſcribitur l. 10. §. 1. D. *De fidejuſ. & mand.* nam contra *Infitiantibus auxilium diviſionis non eſt indulgendum* ut ibid. ſubjicitur. Jam vero infitiationis vitio cognatum eſt alterum παλινδικίας: quod eorum proprie eſt, qui ſaepius damnati; numquam ab eisdem actionibus reſtituendis abſiſtunt. Quod vitiligatorum genus quam ſit vetus, docebunt antiquorum loca a Budaeo & H. Steph. collecta, quae in ima (47) ora exſcripta damus.

Ibidem, & ver. 110. vetantur conductores itemque praedes ullo modo *civitati negotium* faceſſere (μηδε τοις ⊢υπερ τας πολιος πρασσοντασσι) *nec negotiorum geſtoribus civitatis*. Υπέρ τινός πράσσειν (totidem verbis, *Res pro aliquo gerere*, *Fare per alcuno*) haud trita locutio eſt. Vtitur tamen Iſocrates apud H. Steph. Τῶν πραττόντων, inquit, ὑπὲρ αὐτῆς. Quem locum in Iſocr. non vacat inſpicere: in quo tamen ſi ad πόλιν referatur illud αὐτῆς, erit germana Tabulae hujus ῥῆσις. At Demoſthenicum illud πράττειν ὑπὲρ Φιλίππου, non tam negotiorum geſtionem notat, quam, Philippo ſtudere, eiq. συμπράττειν: quod & uno verbo vocabant φιλιππίζειν.

Eod. ver. 110. αι δε μη ατελες ημεν] Videbatur ατελες pro ἀτελεῖς poſitum; ſicuti infinitiva ſemper in his tabulis in εν finiuntur pro ειν, ut ver. ſuperiore παρεχεν, & alia ſexcenta, in quibus expuncto I, reſtat prior una diphthongi vocalis E. Hoc ſi ſequimur; reddi poterit, *Expertes ſunto* (qui haec faciunt) *capiendorum munerum & honorum*. De hac interpretatione vide in ora (48) pagellae. Verum aegre eſt, quod quartus horum nominum pluralis caſus non

(46) In cenſu hanc jurandi formulam fuiſſe uſurpatam, apparet ex joculari dicto illo, quod Gellius in IV. cap. ult. ita narrat. *Cenſor agebat de uxoribus ſollemne jusjurandum. Verba ita erant concepta: & tu ex animi tui ſententia uxorem habes? Habeo equidem, inquit, ſed non hercle ex animi mei ſententia* (quippe habebat, ſed minus complacitam) *Tum cenſor eum, quod intempeſtive laſciviſſet, in aerarios retulit*. Mitto cetera Ciceronis, Livii, aliorumque de hac formula antiquorum loca.

(47) *De* Παλινδικία *H. Stephani locus.*

Theſauri to. 1. col. 1010. A. ſic habet. „ Παλινδικος . . . ὁ πάλιν περὶ τῶν αὐτῶν δικαζόμενος, „ Bud. ὁ τοιάκις δικαζόμενος, Pollux. Demoſthenes „ vero παλινδικον dixit etiam τὸν βίαιον, eodem Pol„ luce teſte. Hinc Παλινδικία eſt, Actio reſtituta. „ Herodian. παλινδικίας δίδους τοῖς ἀδίκως κατακριθεῖσι. „ *Iterum dans actionem, Referendi judicii poteſtatem „ faciens*. Plut. in vita Dem. pro verſutia hominis „ litigioſi, numquam ſatis condemnati, πολλὰς δια„ δόσεις καὶ παλινδικίας εὑρίσκοντας, i. e. *lites ſeu con„ troverſias recidivas e damnatis cauſis & mortuis ex„ ſuſcitantes*. Haec in lex. Bud. ſcribens in Comm. „ παλινδικίαν δίδόναι vel διαδικασίαν ἀποκαθιστῶσαι, „ eſſe, reſtituere actiones iis quorum petitiones „ damnatae ſunt, aut etiam iis quorum prae„ ſcriptiones exceptioneſque rejectae ſunt, & pro „ nihilo habitae a judicibus. Et παλινδικίω, *contro„ verſiam judicatam refero*. Bud. „ Haec ex Theſ. Stephani.

His adde Heſychium, cujus iſta ſunt: ΠΑΛΙΝΔΙΚΕΙ· ἐπισυνάπτει δίκην, h. e. *judicium aliud ex alio nectit*. Rurſus: ΠΑΛΙΝΔΙΚΙΑ· ἡ ἐξ ἀρχῆς δίκη, *reſuſcitata ab exordio cauſa*.

(48) Ασυλὸς reſpondet plerumq. Latino *Immunis*. Vtrumque in meliorem & optabiliorem partem accipitur, quippe cum immunitatem a vectigalibus, item-

Digitized by Google

III χαρπευσηται απο τας τριακονταπεδω	χαρπεύσηται ἀπὸ τῆς τριακονταπέδου τῆς διὰ
τας δια των τετρωων αγωσας επι τον	τῶν τετρώων ἀγούσης ἐπὶ τὸν ἄντομον
αντομον τον πρατον Ηοσ	τὸν πρῶτον, ὅ-
II2 σος κει και πρ ξει παντα κατταν συν-	σος ἂν ᾖ, καὶ πράξει πάντα κατὰ τὴν συν-
θηκαν και Ηυπολογος εσσηται και αυ-	θήκην, καὶ ὑπόλογος ἔσεται καὶ αὐτὸς
τος και τοι πρωγγυοι Ηοτι κα	καὶ οἱ πρόυγγυοι ὅπ ἂν
II3 μη πραξει κατταν συνθηκαν ΤΡΙΤΟΣ	μὴ πράξει κατὰ τὴν συνθήκην. ΤΡΙΤΟΣ.
Ηα δε τον τριτον. χωρον μισθωσαμενος	Ὁ δὲ τὸν τρίτον χῶρον μισθωσάμενος
καρπευσηται απο τω αν	καρπεύσηται ἀπὸ τοῦ ἀν-
II4 τομω τω ανωτερον τας τριακονταπεδω	τόμου τοῦ ἀνώτερον τῆς τριακονταπέδου πρὸς
ποττον αντομον τον δευτερον απο τας	τὸν ἄντομον τὸν δεύτερον ἀπὸ τῆς τρια-
τριακονταπεδω και	κονταπέδου, καὶ
II5 πραξει παντα κατταν συνθηκαν και Ηυ-	πράξει πάντα κατὰ τὴν συνθήκην, καὶ ὑπό-
πολογος εσσηται και αυτος και τοι	λογος ἔσεται καὶ αὐτὸς καὶ οἱ πρόυγγυοι
πρωγγυοι Ηοτι κα μη πρα	ὅπ ἂν μὴ πρά-

III. *utitor fruitor a triacontapeda* (via) *quae per terminorum quatrionem ducit, ad limitem primum, quan-*

II2. *tacumque* (ea portio finita limitibus ſupra ſcriptis) *eſt, facitoque omnia ſecundum pacta conventa, & obnoxius eſto tam ipſe quam praedes, pro eo quodcumque*

II3. *minus quam pro lege conventionis faxit. TERTIVS. Tertiam portionem, qui conduxerit, utitor fruitor a li-*

II4. *mite, qui ſupra triacontapedam* (viam) *eſt, ad limitem a triacontapeda ſecundum: item*

II5. *omnia ſecundum pacta conventa facito, eſtoque obnoxius, tum ipſe tum praedes, pro eo quodcumque minus fa-*

non dum mihi in ες pro εις terminatus occurrerit. Quocirca hoc aliud potius ſequar ſimpliciſſimum interpretandi genus, ut in Ατελες ſubaudiatur μίσθωμα, ita ut ſententia ſit, *Sin minus; irrita eſto locatio*, aut *habetor pro reſciſſa*. Quamquam quid neceſſe eſt hanc formulam, quae mihi videtur contractibus fere omnibus apponi conſueviſſe, ad μίσθωμα (*locationem*) reſtringere? Itaque magis eſt, ut id potius ſuppleatur, quod in ἔλλειψιν omnibus ſubaudiri ſolet, puta πράγμα, *negotium*. Verte igitur, *Sin minus; infectum eſto negotium*, nempe iſte locationis contractus. Ac ſane ex duabus τῆς ἀτελοῦς notionibus, illa, quâ *Imperfectus* aut *infectus* notatur, multo antiquior eſt alterâ, quae *Immunem* ſignificat. Nam utitur ea notione quam ſaepiſſime Thucydides, aliique aevi vetuſtioris. Illud in primis ad aeris noſtri notionem facit, quod ex Platone de Leg. afferri video: apud quem ἀτελὴς ὁμολογία eſt *Pactum irritum*, non ſervatum, infectum.

VERSV II0. III. II2. ΔΕΥΤΕΡΟΣ Ηο δε τον δευτερον μισθωσαμενος &c.] Hinc incipit ſecundae portionis locatio. Hîc & in ſequentibus locationibus, ΔΕΥΤΕΡΟΣ,

itemque a muneribus oneroſis atque laborioſis (cujuſmodi militaria erant munia) notet. Vtraque immunitas ambiebatur, & non niſi S. C. Principumve reſcriptis indulgebatur. Raro *Immunis* in partem deteriorem capitur; ut tamen accipitur apud Ciceronem de Amic. *Non eſt enim inhumana virtus, neque immunis* (h. e. otioſa) *neque ſuperba*. Adde Ovidium IV. Triſt. El. 2. 62. *Immunes tanti nec ſinit eſſe boni*, h. e. expertes. Similiter autem & τῦ Ατελὴς in eam partem accepti, ut expertem magiſtratuum & dignitatum notet, nunc quidem exempla non mihi ſuppetunt; ſed alicubi reperiri vix dubito, qui ſciam τέλος apud Thucydidem & antiquiſſimum quemque dignitates, & honorifica munera paſſim notare, & τὸς ἐν τέλει eos intelligi qui magiſtratus & honores gerunt. Hoc ſi ſequimur, interpretari hunc locum licebit: *Sin minus* (ignominiae cauſa) *expertes munerum capiendorum ſunto*. Refertur hoc non ad illam tantopere expetendam ἀλειτουργησίαν (*immunitatem*) verum ad ignominioſam alteram, quam forſitan ἀτέλειαν vocabant, per quam dignitatum incapaces reddebantur.

Digitized by Google

116	ξει κατταν συνθηκαν ΤΕΤΑΡΤΟΣ	ξει κατὰ τὴν συνθήκην. ΤΕΤΑΡΤΟΣ. Ὁ
	⊢ο δε τον τεταρτον χωρον μισθωσαμενος	δὲ τὸν τέταρτον χῶρον μισθωσάμενος
	παρ τε των πολιανο	παρά τε τῶν πολιανό-
117	μων των επι Αριστιωνος εφορω και των	μων τῶν ἐπὶ Αεισίωνος Εφόρου, καὶ τῶν ὁρι-
	οριστων και παρ των πολιανομων των	σῶν καὶ παρὰ τῶν πολιανόμων τῶν ἐπὶ
	επι Αριστάρχω τω ⊢ηρα	Ἀεισάρχου τοῦ Ἡρα-
118	κλειδα εφορω ⊢α ανθεμα φιλωνυμω τω	κλείδου Ἐφόρου ⊢Α· Ἄνθεμα Φιλωνύμου τοῦ
	φιλωνυμω ⊢α εμβολος ⊢ηρακλειδα τω	Φιλωνύμου, ⊢Α. Ἔμβολος Ἡρακλείδου
	τιμοκρατιος καρπευ	τοῦ Τιμοκράπος καρπευ-

116. *xit quam pro conventorum legibus. QVARTVS. Quartam portionem qui conduxit tam a poliano-*
117. *mis, qui ſub Ariſtione ephoro ſunt, & finitoribus, quam a polianomis, qui ſub Ariſtarcho Hera-*
118. *clidae F. ephoro fuerunt* (nim. *HA. Roſae, Philonymo Philonymi F. HA. Navis Roſtrum, Heraclide Timocratis F.*)*uti-*

ΤΡΙΤΟΣ &c. ſunt loco lemmatum. Nam in aere ſcribuntur grandioribus litteris; ac praeterea per ſe ſtant, nec cum ſequentibus conſtruuntur. Ver. 111. illud τετρωρων explicavimus ſup. ver. 42. Ibi vide.

Ibid. & ver. 112. ⊢οσσος κει ſcribitur. Vbi τὸ κει (quod hîc tantum legitur) faceſſit negotium. Id vero poteſt duobus expediri modis, ſive ut ſit vox unica; ſive ut ſit duplex, nim. κ' & ει. Si ſit unica; ea videtur venire poſſe ab antiquo Κέω, *jaceo*: cujus nulla alia vox reperiebatur quam κέονται apud Homerum atque Theocritum, itemque imperf. κέοντο: niſi ſi quid forte aliud rarius exſtat. At hinc intelligimus (ſi a κέω veniat) antiquitus a Κέω fuiſſe uſurpatam tertiam ſingularem κεῖ, *jacet*. Tam Graecis autem Κεῖσθαι, quam Latinis *Jacere* interdum eſt (ut alicubi demonſtravi) *porrigi, extendi*. Itaque poſt deſcriptos limites ſubjicitur, ὁσσος (χῶρος) κεῖ, h. e. *quantuſcumque* inter notatos limites *interjacet*.

At illud magis arridet, ut monoſyllabum κει ex κα potentiali (quo raro in hoc aere caret pronomen ⊢οσσος) & ex ει componatur. Iſtud autem εἶ nova vox eſt verbi ſubſtantivi, quam nunc primum ex hac Tabula adipiſcimur. Apud Graeciam remotiſſimi temporis Ἔω (a quo εἰμὶ, *ſum*) verbi ſubſtantivi vicem praeſtabat. Hujus verbi ſecunda perſona praeſentis erat εἶς (quae nunc quoque pueris in verbo. Εἰμὶ ediſcenda proponitur) quo modò tertia perſona debuit eſſe εἶ. Verum nec exempla hujus monoſyllabi ſuppetebant; nec ejus, ne quidem ut exoletae vocis, veteres grammatici meminerunt. Itaque debemus hoc Tabulae huic, quod novam verbi ſubſtantivi vocem vetuſtiſſimam ſuppeditarit. Atque hinc intelligitur, hanc tabulam alterâ aliquanto vetuſtiorem videri. Nam in aere altero ver. 80. Εστι ſcribitur, numquam vero ει. At in hoc non εστι (quod nuſquam legitur) ſed ει uſurpatur. Niſi vero totum hoc antiquitatis argumentum (quod tum ex hoc tum ex aliis pluribus verbis exoletis proditur) malit quis ad ſolam συνθηκαν (quippe ex antiquioribus tralatitiam) conferre, quam ad univerſam priorem tabulam. Poſtremo iſtud ὅσσος refertur ad χωρος, ut in ver. 110. *Quantuſcumque eſt*, ille *campus*, qui intra limites ſupra ſcriptos porrigitur.

VERSV 116. 117. 118. Hinc quarta locatio incipit, duabus proxime ſuperioribus longior, quia uſque ad verſum 131. pertinet. Primi tres verſus Latine ſic ſonant. *Qui quartum campum* (ſive portionem) *conduxit, tum a polianomis ſub Ariſtione ephoro, & finitoribus, tum & a polianomis qui ſub Ariſtarcho Heraclidae filio fuerunt* (nempe)... *Philonymo Philonymi F... Heraclide Timocratis F. is utatur fruatur* &c. Hîc autem ſcire intereſt, cur huic tantum locationi quartae praeponantur polianomi & finitores ſub utroque ephoro.

Dicam quid ſentiam, ab eo uſque incipiens. I. Ariſtarchus ephorus nec plus, nec minus anno uno praeceſſit Ariſtioni epho-

Digitized by Google

119 σηται απο τω αντομω τω τριτω απο τας τριακονταπεδω επι τον αντομον τον οριζοντα τως τε τω Διο	σηται ἀπὸ τοῦ ἀντόμου τοῦ τρίτου ἀπὸ τῆς τριακονταπέδου ἐπὶ τὸν ἄντομον τὸν ὁρίζοντα τούς τε τοῦ Διο-
120 νυστω χωρως και τα φιντιας Ͱο κρατινω παμωχει Ͱο δε ανΗελομενος εργαζηται τα μεν αλλα κατταν	νύστου χώρους καὶ τὰ Φιντίας ὁ Κρατίνου παμώχει· ὁ δὲ ἀνελόμενος ἐργάσηται τὰ μὲν ἄλλα κατὰ τὴν

119. *tor fruitor a limite, qui eſt a triacontapeda* (via) *tertius, ad eum uſque limitem, qui dirimit Dio-*

120. *nyſi campos ab iis bonis, quae Phintias Cratini F. poſſidet. Hanc* (partem) *qui conduxit, opus facito tum in aliis ſecundum*

ephoro : non minus, quia in hoc aere tam ſub Ariſtarcho quam ſub Ariſtione geſta, ad menſem unum Apellaeum pertinent, ſed certe non ejusdem anni: nec plus anno interceſſit, quia ſub Ariſtarcho coepta, ſub Ariſtione vero perfecta negotia, non plus annuo intervallo requirunt, maxime cum quarta locatio utriuſq. ephoreiae h. e. anni utriuſq. particeps fuerit. II. Ergo priore anno ſub Ariſtarcho agri Dionyſiaci dimenſio, limitatio, terminatio, quadripartita diviſio facta fuit: ſub Ariſtione vero, qui proxime Ariſtarcho ſucceſſit, quatuor portiones illae totidem conductoribus elocatae ſunt. Niſi quod quarta portio jam quidem ſuperiore anno locata fuerat (nec enim vel uno anno eam vacare expediens erat: quae, quantum ex mercede conſtat, ceteris portionibus tribus ſimul ſumptis plus duplo fructuoſior erat : vide infra a ver. 132. ad 137.) ſed ea locatio anno vertente ſub Ariſtione ſimul cum aliis locationibus confirmata fuit. III. Ea de cauſa tribus prioribus locationibus non praemittuntur polianomorum & finitorum nomina, quia haec jam ſup. a ver. 48. ad 50. ſignata fuerant poſt Ariſtionis nomen, ad cujus ephoreiam tres priores locationes unice pertinent : at contra ubi ad quartae partis (in qua robur erat agri Dionyſiaci) locationem ventum eſt, quia haec duobus annis geſta fuit; praenotari utriuſque ephoriae polianomos & finitores oportuit. IV. Et vero Polianomos & finitores, qui ſub Ariſtione fuerunt, nominatim recenſeri non neceſse fuit, quod eorum nomina initio Synthecae proſtarent a v. 48. ad 50. nec etiam finitores ſub Ariſtarcho recitari opus fuit, quod illi jam in fragm. Brit. initio Tabulae ſcalpti fuiſsent. Itaque hoc tantum unum relinquebatur, ut Polianomorum ſub Ariſtarcho nomina, quae nuſquam in hac Tabula exſtabant, hîc adſcriberentur: quod & ſedulo factum fuit. V. Ne mireris autem Ariſtionem ephorum, qui Ariſtarcho ſucceſſit, hîc nominari priorem. Nam *Ariſtodamus ſcriba* (is, qui in fine Tabulae nomen ſuum ſubſcripſit) ab eo quod brevius (quamvis tempore poſterius) exorſus, in id deſinit, quod longius ad exponendum fuit. Poſsem moris hujus ex Moſe ipſo (uti Gen. X. in Noae filiis ordine retrogrado recenſitis, & alibi pluries) aliiſque Divinis ſcriptoribus exempla laudare, ſi opus facto eſset. VI. Cur Ariſtarchi nomini (hîc & initio fragm. Brit.) patris nomen de more ſubjiciatur : ea vero ἀκρίβεια in Ariſtione hîc & initio Synthecae, imo & in Dazimo (Tab. II. initio) negligatur ; libenter ab aliis didicero, potius quam ut quidquam temere effutiam. Tentabimus tamen hunc nodum Tab. II. ver. 1.

Ver. 118. illud παραστήμα, ſeu inſignis vocabulum Ἄνθεμα expoſui *Roſae*, ducem ſecutus Ariſtophanis Scholiaſten in Achar. ver. 991. (ubi Cupido inducitur, ἔχων στέφανον ἀνθεμῶν) ſic ibi interpretantem: Ἀνθέμων, ἀντὶ τῶν ῥόδων. Ibidem Cupidinem Athenis a Zeuxide (ἐστεμμένον ῥόδοις) *cum corona roſea* exhibitum refert ; eoque ibi ſpectaſſe comicum. Haec eadem ex ſcholiaſte Suidas deſcripſit, ſed paullo obſcurius. Eo igitur *Roſas* reddidi. Abſque hac cauſa fuiſſet; Euſtathium ſequerer, cui ſingulare Ἄνθεμον eſt *Flos*: unde & hoc idem ſing. Ἄνθεμον ſup. ver. 48. reddidi, *Flos*. Porro ubi Euſtathius ait, Ἄνθεμον eſse *florem*, quia addit, κατὰ γλῶτταν ; id poteſt ad Ἰταλιώτιδα γλῶτταν referri.

VERSV 120. παμωχει quid ſit, abſque uno Heſychio noſtro neſciremus. Apud

Digitized by Google

121 συνθηκαν καθως και τως λοιπως γεγραπται τας δε αμπελως τας ⊢υπαρχωσας εργαζηται ⊢ως βελτι	συνθήκην καθ' ὡς καὶ τοὺς λοιποὺς γέγραπται. τὰς δὲ ἀμπέλους τὰς ὑπαρχούσας ἐργάσηται ὡς βέλπ-

121. *pacta conventa*, *ſecundum reliquos* (ſcilicet ſuperiores conductores tres) *de quibus* (ſupra) *ſcriptum fuit*, *tum* [in primis] *vites ibi exſiſtentes colito quam accu-*

quem ita reperio: ΠΑ'ΜΩΧΟΣ· ὁ κύριος. Ιταλοί. *Italos* ubi citat auctores, ibi haud dubie Ιταλιώτας intelligit, h.e. *Graecos Italienſes*, quorum ambitu Heraclienſes continentur. His igitur Πάμωχος idem quod *Dominus* ſive *poſſeſſor*. Hinc verbum παμωχέω quid fuerit, intelligis. Proxime ante ſcripſerat: ΠΑΜΜΩΧΙΩΝ· κεκτημένος, h. e. *poſſeſſor*. Ergo & Παμωχέω (teſte hac Tab. tum hîc, tum in Brit. v. 14. quo loco illud επαμωχη a Britanno editore non intellectum fuit) dicebatur ab Heraclienſibus pro *Poſſideo*, itemque Παμμωχιάω, aut παμμωχιέω. Haec ſatis ad hujus loci captum. Vocis autem veriloquium cognoſcere ſiquis cupiat, id contuli in extremam (49) oram.

Ibid. αν⊢ελομενος hîc & ver. 128. eſt μισθωσάμενος (*conductor*) etſi enim ἀνελέσθαι proprie eſt *Tollere*; tamen ſicuti ſermone agrario apud noſtrates *Pigliare* abſolute dicitur pro *Pigliare a ferma*, ita Heraclienſes *Tollere* aut *Accipere* abſolute de conductore uſurpabant. Nec aliter in locatione loquebantur, quod ruſtici noſtri *Tradere* ſeu *Dare alicui* dicunt pro eo quod eſt *locare*.

VERSV 121. καθως και τως λοιπως γεγραπται] Quam hic locus ſit ad expediendum difficilis, qui non perſentiſcit, nae is ἀναισθήτως ἔχει. Ab eo ordiar. Supra in Britannici coalitione cum aere noſtro v. 50. (ſeu 2.) αφων eſt pro αφ' ⊢ων (vide ibi notata) & in II. 30. αφας pro αφ' ⊢ας. Ergo & hîc καθως non adverbium eſt ſimilitudinis, ſed in duo reſolvendum καθ' ⊢ως pro communi καθ' ὁὺς, *ſecundum quos*. Jam vero quod ſequitur τως λοιπως, id per attractionem (de qua grammatici loquuntur) eod. caſu ponitur, quo praecedens relativum, ſicuti in ſuperioribus exemplis. Nam in Brit. ver. 50. εμισθωθη αφ⊢ων κατεσωισαμες pro ἐμισθ. ἐκείνοις, ἀφ' ὧν &c. Sic etiam II. 30. ποτθεντες ... αφας κατεσωιξαμες γας pro προσθέντες ἀπὸ γᾶς ἣν κατεσώσαμεν. Ergo & hîc attractione demptâ, locutio recta fuiſſet, κατὰ καὶ τοὺς λοιπὸς (ſupple μισθωσαμένους) περὶ ὧν γέγραπται, *Secundum & reliquos*

(49) *De nominis* Πάμωχος, *verbique* Παμωχέω *etymologia.*

Harum vocum duarum, itemque cognatorum plurium vocabulorum prima ſyllaba in aliis cum M ſimplici, cum duplice in aliis ſcribitur. In hoc quidem aere hîc & in fragm. Brit. ſcribitur cum M ſimplo, ut & Πάμωχος in Heſychio: at in eodem Heſychio Παμμωχιῶν duplicat liquidam. Nec temere hoc diſcrimen eſt: quod jam expoſitum eo.

Verbum Πάω, & contracte Πῶ eſt primus auctor proſapiae totius: quod teſte Euſtathio tum *poſſidendi*, tum etiam *paſcendi* (nam & Latinum *Paſco* indidem eſt) notionem obtinet. A Πάω praeſ. temporis eſt πατὸς (quo Nicander utitur) *affinis* (quia affines non naſcuntur, ſed acquiruntur: unde Πατὸς exponitur ab Euſtathio, ὁ ἐξ ἀγχιστείας ἐπίκτητος συγγενὴς) qui dialecto comm. πητὸς dicitur. A πατὸς deſcendit Laconicum Παῶτης apud Heſychium his verbis: ΠΡΑΩΤΑΙ (ſed, ſi nihil aliud, ſaries alphabetica reponi jubet παῶται)· συγγενεῖς, ἀκροι· Λάκωνες.

Jam vero a πάομαι eſt praeter. πέπαμαι, quod exponitur κέκτημαι: quorum utrumque non modo praeterita ſed & praeſenti notione praeditum eſt. Vtitur hoc praeterito Solon ita canens: Χρήματα δ' ἱμείρω μὲν ἔχειν, ἀδίκως δὲ πεπᾶσθαι οὐκ ἐθέλω. *Bona quidem parare cupio, at injuſte poſſidere nolo.* Euripides πεπᾶσθαι γαμβρὸν (*generum adquirere*) dixit. At in Heſychio etiam Aoriſtus occurrit: ΠΑΣΣΑ'ΜΕΝΟΣ· γευσάμενος, κτησάμενος. Itemque ΠΑΣΑ'ΜΗΝ· ἐδεξάμην.

A πέπαμαι igitur duo derivantur Πάμα, & πάμμα, quorum utrumque Euſtathio eſt κτῆμα (*poſſeſſio*) qui tamen πάμμα Doricum putat. Ab horum priore fit Παμωχος Heſychii, & Παμωχέω hujus aeris Heracleotici: ab altero fit Heſychianum Παμμωχιῶν, & Πολυπάμμων, quo Homerus utitur, quod Euſtathio exponitur Πολυκτήμων.

Nequid vero prorſus praeteream; τὸ Πάμωχος (unde verbum παμωχέω) non tantum ex πάμα fit, ſed & ab ἔχω. Ex utroque fiebat comm. dialecto παμοῦχος. At pro eo noſtri Dorienſes (quibus amicum fuit ου in ω commutare) Παμῶχος uſurpare maluerunt: unde & eorum verbum παμωχέω.

Digitized by Google

122 στα ϟοσσαι δε κα ταν αμπελων 'απο-
γηρασκωντι ποτιφυτευσει ϟωττε αει ϟυ-
παρχεν τον ισον αριθμον ταν
123 σχοινων τον νυν ϟυπαρχοντα ϵικατι τε-
τορας σχοινως αι δε μη προκαδδεδικασ-
θω δυο μνας αργυριω
124 παρ ταν σχοινον ϟεκαστταν τας δε ελαι-
ας και τας συκιας και τα αλλα δεν-
δρεα τα ϟημερα τα ϟυπαρχον
125 τα παντα εν ται μεριαι ταυται πε-
ρισκαψει και ποτισκαψει και περικοψει
τα δεομενα και αι τινα κα γηραι η

ϛα· ὅσαι δ' ἂν τῶν ἀμπέλων ἀπογηράσκωσι,
προσφυτεύσει, ὥϛε ἀεὶ ὑπάρχειν τὸν
ἴσον ἀριθμὸν τῶν
σχοίνων τὸν νῦν ὑπάρχοντα, εἴκοσι τέσσαρας
σχοίνους· εἰ δὲ μή, προκαταδεδικάσθω
δύο μνᾶς ἀργυρίου
παρὰ τὴν σχοῖνον ἑκάϛην· τὰς δὲ ἐλαίας καὶ
τὰς συκέας καὶ τὰ ἄλλα δένδρεα τὰ
ἥμερα τὰ ὑπάρχον-
τα πάντα ἐν τῇ μερίδι ταύτῃ περισκάψει
καὶ προσκάψει καὶ περικόψει τὰ δεόμε-
να· καὶ εἴ τινα ἂν γήρᾳ ἡ

122. *ratiſſime* : *quotcumque vero vitium earum conſenuerint*, *alias* [in earum locum] *ſufficito*, *ita ne aequalis unquam numerus deſit* (vineti)

123. *ſchoenorum*, *qui nunc eſt*, *nim. quatuor & viginti ſchoenorum*. *Si ſecus faxit*, *jam nunc damnas eſto duas argenti minas dare*

124. *in ſchoenos ſingulas*. *Hoc amplius*, *oleas*, *& ficus*, *aliaſque ſativas arbores*, *quae exſi-*

125. *ſtunt in hac portione*, *omnes circumfodito*, *eiſque humum circumfundito* [aggeratoque] *& quâ opus*, *circumcidito*, *tum ſiquae ſenio aut*

liquos (tres priores conductores) *de quibus ſcriptum eſt* ſupra. Nihil certius.

Ibid. quas vites portionis hujus (ϟως βελτιστα) *curâ ſummâ* excoli jubet; videndum an non eae ad vineam Byblinam (de qua ſup. ad I. 44. dixi pag. 199.) ſint referendae. Ac dubium nullum eſt, quin haec ipſiſſima *Byblia* ſit. Nam ubi de Byblia agitur (nim. I. 10. & 44.) ea παρ τα Φιντια h. e. juxta (τὰ χρήματα) *poſſeſſiones Phintiae* fuit, illius ſcil. Phintiae, cui collimitium erat cum hac quarta Dionyſiaci campi portione, uti ver. ſuperiore dicitur: qua de re iterum dicam infra ad ver. 132. Ibi vide.

Ergo ne dubita, quin vites, quae hîc (ϟως βελτιστα) *quam accuratiſſime*) jubentur excoli, *Byblinae* fuerint. Obiter hîc monebo, mihi ſup. pag. 199. ſeq. de *Byblia* agenti excidiſſe locum Characis eximium, quo Bacchum memorat, ad Tyrrhenicam expeditionem proficiſcentem, reliquiſſe in Italia (hac utique vetuſtiſſima, ubi Siris erat, quae poſtea Heraclea fuit) Silenorum decrepitos: ab his vero ibi vineta fuiſſe conſita, eâque cauſa Italiam illam veterem vini feraciſſimam evaſiſſe. Ab illis vero uſque temporibus heroicis, ad quae haec fabula refertur, mihi videtur *Byblia* in veterem hanc Italiam illata, nec aliunde quam ex urbe inter Phoenicias veterrimâ *Byblo*: unde & vineae nomen inditum. In hujus rei memoriam, ac ſimul quod hic campus Baccho ſacer eſſet, jubentur Byblinae vites, a Dionyſi Silenis olim primitus in hoc campo conſitae, curâ impenſiſſima coli. Characis locus apud Magnum Etymologum in Κολώνεια exſtat: quem locum in Diſſert. de Noachica vini inventione ad Gen. IX. illuſtravi. Vbi prae ceteris animadverti, Characem, quamvis Auguſteo ſaeculo ſcripſerit, tamen in narrationibus heroicorum temporum non aliam Italiae notionem potuiſſe uſurpare, quam qua antiquiſſimi auctores, ex quibus ea hauſit, utebantur: ſicuti & Dionyſius Halic. in tam remotis hiſtoriis & plerique alii fecerunt.

VERSV 123. 124. 125. προκαδδεδικασθω] Eſt tertia perfecti paſs. imperativi. Verbum προκαταδικάζεσθαι jam ante ex Polluce innotuerat lib. VIII. ſeg. 24. ubi Dinarchum auctorem citat. Significatur autem

Digitized by Google

126 ανεμωι εκπετωντι αποκαταστατει μη μειω τον αριθμον των Ηυπαρχοντων ποτιφυτευσει δε και ελαιας	ἀνέμῳ ἐκπέσωσιν, ἀποκαταστήσει μὴ μείω τὸν ἀριθμὸν τῶν ὑπαρχόντων· προσφυτεύσει δὲ καὶ ἐλαίας
127 εν ται ψιλαι Ηομολογως ποιων τοις Ηυπαρχονταστι δενδρεοις και τον αριθμον τον Ηισον καθως και εν ται	ἐν τῇ ψιλῇ, ὁμολόγους ποιῶν τοῖς ὑπάρχουσι δενδρέοις καὶ τὸν ἀριθμὸν τὸν ἴσον, καθὼς καὶ ἐν τῇ
128 αλλαι συνθηκαι γεγραπται Ηοτι δε κα μη πραξει Ηο ανΗελομενος κατταν συνθηκαν η μη εν τοις χρο	ἄλλῃ συνθήκῃ γέγραπται· ὅτι δ' ἂν μὴ πράξει ὁ ἀνελόμενος κατὰ τὴν συνθήκην, ἢ μὴ ἐν τοῖς χρό-
129 νοις τοις γεγραμμενοις Ηυπολογος εστηται τοις πολιανομοις και τοις σιταγερταις τοις επι τω εετεος	νοις τοῖς γεγραμμένοις, ὑπολόγος ἔσεται τοῖς πολιανόμοις καὶ τοῖς σιταγέρταις τοῖς ἐπὶ τοῦ ἔτεος
130 καθως και εν ται αλλαι συνθηκαι γεγραπται αι δε κα τοι πολιανομοι τοι αει επι των Cετεων εντες μη πρα	καθὼς καὶ ἐν τῇ ἄλλῃ συνθήκῃ γέγραπται· εἰ δ' ἂν οἱ πολιάνομοι οἱ ἀεὶ ἐπὶ τῶν ἐτέων ὄντες μὴ πρά-

126. *vi tempeſtatis prociderint, reſtituito: id ne minore, quam qui nunc eſt, numero facito. Conſerito autem & oleas*
127. *in* [terra arboribus] *nuda, conſentaneas parique numero ante ſatis arboribus faciens, ſicuti & in*
128. *reliqua conventionis hujus tabula ſcriptum eſt. Quidvis horum conductor non ſecundum conventa faxit, aut non tem-*
129. *poribus* [in tabula] *ſcriptis faxit, eſto obnoxius polianomis & ſitagertis illius anni*
130. *ſicuti & in reliqua conventione ſcriptum eſt. Quod ſi polianomi, ut quique ſingulis annis ineunt, non*

tem hoc verbo, jam nunc *praedamnatum* intelligi illum, quicumque iſtud, de quo hîc agitur, pactum non ſervaverit. Ergo quos conſtabit neglexiſſe plantationes, in eos nullo peculiari judicio opus erit, ſed tantum exſecutione multae, binarum ſcil. in ſchoenos ſingulas minarum.

Verſu 124. συκιας cum littera I, quas ceteri συκεας vocant, hîc primum reperio.

Verſu 125. Ποτισκαψει novum verbum eſt. Significat autem humum circa plantam adgerere. Ad verba haec duo (περισκάψει & ποτισκάψει) commentatum diceres Columellam verbis illis lib. XI. cap. 2. ſeg. 46. *IV. Id. Jun. . . . omnes arbores fructiferae CIRCVMFOSSAE* (hoc illud eſt περισκάπτειν) *AGGERARI* (hoc alterum eſt ποτισκάπτειν) *debent, ut ante ſolſtitium id opus peractum ſit.* Nim. ne calore nimio radices exareſcerent, circumfundebatur humus ante ſolſtitium.

VERSV 127. 128. 129. In 127. ubi legitur εν ται ψιλαι, ſubaudiendum eſt γαι, *terra*. Herodoto ψιλὸς δενδρέων eſt *nudus arboribus*. Similiter & Homero ψιλὴ ἄροσις eſt *nudum* plantis *arvum*. Apud Demoſthenem γῆ πεφυτευμένη opponitur ψιλή. Sic & Ariſtoteles Polit I. 7. ψιλῇ γεωργίᾳ opponit τὴν πεφυτευμένην. In Philoxeni Gloſſis: ψιλὴ χώρα, ἡ σχολάζουσα: *Vacua*. Vacua ſcilicet ſativis arboribus; nam nativis & ſylveſtribus numquam vacat. Hac notione ψιλὸς in Tab. II. ſaepe accipitur.

Ver. 128. εν ται αλλαι συνθηκαι. Si ἄλλος ſit pro *Alter*; poteſt referri ad συνθήκην (*locationem*) portionis primae, ubi ea ſunt, ad quae nos Tabula rejicit. Sed magis eſt, ut Ἄλλος accipiatur pro *Ceterus*, *Reliquus* uti ſup. ad v. 80. p. 221. adnotavimus. Ergo ſecundum hanc vetuſtiſſimam τῦ Ἄλλος notionem non aliud συνθήκην vocat, quam *conventa*, ſeu totum id quod v. 46. ΣΥΝΘΗΚΑ inſcribitur, quodque illinc ad aeris uſque finem pertinet. Hoc alterum verius eſt tum hîc, tum iterum mox ver. 130.

Ver. 129. In aere αὐτογράφῳ EETEOΣ pro ⊏ET. legitur: nempe ſcalptoris culpâ, qui litteram ⊏, additâ media tranſversâ corrupit.

VER-

Digitized by Google

131 ξωντι παντα κατταν συνθηκαν αυτοι ⊢υπολογοι εστωνται κατταν συνθηκαν Επι τουτοις εμισθωταν	ξωσι πάντα κατὰ τὴν συνθήκην, αὐτοὶ ὑπόλογοι ἔστωνται κατὰ τὴν συνθήκην. Ἐπὶ τούτοις ἐμισθώσαν-
132 το ταν μεν πρατων μισθωσιν απο των τω ⊢ηρωιδα με κιβωτιον βορμιων φιλωτα πεντηκοντα ⊢επτα μεδι	το, τὴν μὲν πρώτην μίσθωσιν ἀπὸ τῶν τοῦ Ἡρωΐδα ΜΕ. κιβώτιον Βορμίων Φιλωτα πεντήκοντα ἑπτὰ μεδί-

131. *omnia ſecundum conventa faxunt, ipſi ſecundum conventi tabulas obnoxii ſunto. Eiſce legibus conduxe-*
132. *runt primam locati portionem ab Heroideis* [incipientem] *ME. Arcella, Bormio Philotae, ſeptem & quinquaginta medi-*

VERSV 132. *απο των τω ⊢Ηρωιδα... βορμιων φιλωτα* &c.] Nodus videbatur in ſpeciem impeditiſſimus: qui nunc tamen ſimilium locorum collatione expedietur. Quinquies in hac Tabula *τα ⊢ηρωιδεια* legitur, ſed ita ut loci nomen eſſe manifeſtum ſit, quia ſemper cum *παρὰ* jungitur, quarto ſubſequente caſu; cujus praepoſitionis hoc modo conſtructae vis ea eſt, ut quod ſequitur ſit loci nomen: eccujus, incertum. Atqui & illud ver. 66. *παρ τα ⊢ηρωιδα* non eſſe mendoſum, ſed idem eſſe, quod *⊢ηρωιδεια*, ſatis apparet tum ex ejusdem praepoſitionis indicio, tum quod loci alterius nomen ſtatim ſubſequitur. Sane ſi ver. 66. dictum fuiſſet *παρ τα τω ⊢ηρωιδα*, haud dubie idem, quod *τα ⊢ηρωιδεια* fuiſſet. At articuli *τω* omiſſio fraudi eſſe non debet, utpote creberrima in hac Tabula, praeſertim gignendi caſu, ut hîc *βορμιων φιλωτα* pro *τω φιλωτα*, & aliis mille locis. Ergo quae antea *⊢ηρωιδεια* dicta fuerant, ea *τα (τω) ⊢ηρωιδα*, plane eodem intellectu, ver. 66. vocantur. At poſtremo hoc ver. 132. ne deeſt quidem articulus *τω*, ſed pulchre exprimitur: *απο των*, inquit, *τω ⊢ηρωιδα*, h. e. *ab Heroideis*: nempe illis ipſis a quibus in Brit. v. 15. primae portionis deſcriptionem auſpicati finitores fuerant. Ac vide quaeſo quam verſus ille Brit. 15. cum hoc 132. pulchre conſpiret. Ibi ſcribitur: *Primam portionem ab eo limite, qui (παρ τα ⊢ηρωιδεια) ſecundum Heroideia vadit . . . uſque* &c. Hîc autem ubi eadem prima portio Bormioni locatur, ita ea pars agri breviſſime deſignatur: *Conduxit locati portionem primam (απο των τω ⊢ηρωιδα) ab Heroideis* incipientem . . . *Bormio Philotae F.*

Nunc quidnam rei iſta Heroideia fuerint, expendamus. Sane ad Brit. ver. 15. Adnot. 31. *Heroidum monumenta* exponi poſſe conjeceram: qui ſi tunc eum locum cum hoc ver. 132. comparaſſem; haud dubie vidiſſem illa *Heroideia* ab *Heroida* quodam, de quo hîc, fuiſſe appellata. Nunc igitur ibi dicta revoco, & quaſi glandem fruge reperta reſpuo.

Quandoquidem autem *τα ⊢ηρωιδεια* non aliud ſunt quam *τὰ τω ⊢ηρωιδα* (quemadmodum plene hîc ſcribitur: ver. autem 66. *τα ⊢ηρωιδα* ſine *τω*) id non aliud expoſueris, quam *γενικῶς* hoc modo: *Quae ad Heroidam pertinent*, aut *quae ſunt Heroidae*: quo modo in Thucydide lib. 1. *τὰ τῆς παρασκευῆς* ſunt, *Quae ad apparatum pertinent*, quaſi ſi *πράγματα* ſuppleas. Verum ſi genitivus, qui *τὰ* ſubſequitur, ſit dei alicujus; tunc templum (50) ſignare ſolet: ſi ſit hominis (ut in aere noſtro) *domum* notabit, ſi *ἴδια* (51) ſubaudias: ſi *χρήματα* ſuppleas, notabit latifundia reſque

(50) Apud Joſephum in I. cont. Apion. *Auream columnam poſuit (ἐν τοῖς τῦ Διὸς) in templo Jovis.* Sic Luc. II. 49. Jeſus conquerenti Matri, a ſe Filium diu conquiſitum, reſpondit: Neſciebatis quod (*ἐν τοῖς τὰ Πατρός μυ*) *in aede Patris mei oportet me eſſe?* Nec culpo vulgatum Interpretem, qui verbis affixus poſuit, *In his quae Patris mei ſunt.* Nam haec ipſa *Templum, aedem*, ſive (ut ſolet in Evangelio vocari) *Domum Patris* deſignant. Certe ut reſponſio compellationi Matris congrueret, non de *πράγμασι* (*negotiis*) verum de loco reſponderi oportuit.

(51) Nam *τὰ ἴδια domum* cujuslibet propriam ſignificat. Eſth. V. 10. & VI. 12. Hebr. *Baith* i. e. *domus*, vertitur *τὰ ἴδια*. Joan. XIX. 27. *Accepit eam Diſcipulus (εἰς τὰ ἴδια) in ſua*, h. e *in domum ſuam.* Ad quem locum memini me plura Graecorum ſcriptorum comportaviſſe loca ſimilia.

Digitized by Google

resque soli: quorum alterutrum hîc debet intelligi, ac facile ultimum. Sed malui tamen *Ab Heroideis* interpretari, uti cum superioribus locis omnibus, sicuti re, ita & dictione congruat hic versus.

Idem & de τα φιντια (quod saepe legitur) sentiendum. Nimirum Τα Φιντια (supple χρήματα, *bona*) sunt quae Phintias Cratini F. (ut dicitur I. v. 120.) possidebat. Ergo Φιντια est Doricus genitivus a recto Φιντιας, ita ut τα Φιντια sit τα τω Φιντια; & deinde omisso genitivo articuli, sit ut τὰ Ἡρωιδα loci hujus. Jam vero ad notionem verbi Φιντια quod attinet, equidem ad Brit. ver. 44. (ubi primum istud τα Φιντια occurrit) p. 163. Adnot. 48. conjeceram esse loci nomen ad aurigationem exercendam comparati; quia scil. vox Φίντις Pindaro *aurigam* designat. Quod nunc revoco. Nam sicuti hîc & ver. 66. τα Ἡρωιδα sunt τὰ χρήματα h. e. *possessiones Heroidae*; ita ubicumque τα Φιντια legitur, hoc non est aliud quam *bona Phintiae*, sive *bona quae Phintias Cratini fil. possidebat*, uti sup. ver. 120. plene ac dilucide dicitur. Ergo ad has posteriores curas tota illa Adnotatio 48. refingenda est; itemque ubicumque τα Φιντια legitur, ibi in Latina translatione non *Phintia* (tamquam si sit neutrum plur., ponendum est, sed *bona Phintiae*, cum Φιντια sit genitivus personae.

Ibid. & ver. seq. Bormioni (52). & Arcadi unum idemque tum tribûs (aut *Obae* sive *Curiae*) tum παραστήμια (*insignis*) nomen praefigitur, certe quod essent germani fratres. Sane piget, quod sup. pag. 148. *Exercitationem de Insignibus* istis pertexenti mihi nescio quo fato locus hic, qui hinc ad finem usque Tabulae pertinet, itemque sup. versus 118. exciderit: certe ex hisce virorum nominibus (quibus sua Curiarum itemque insignium vocabula praeeunt) tractationem illam dare locupletiorem licuisset.

VERSV 133. Καδδιχος] Hic est ille Caddichus qui sup. v. 4. supra medimnos superfluit. De hoc *Caddicho* copiose eodem ver. 4. disputavi. Eadem vox in aere altero frequentissima est.

Sequitur: Πρωγγυος τω σωματος: de quo licebit pauca proloqui. I. Vox πρωγγυος nullo ex scriptore aut monumento nota, in hoc tantum aere priore, & quidem saepissime, legitur. Verum alibi πρωγγυος sine additamento usurpatur. At hîc & in aliis tribus sequentibus periochis additur τω σωματος. II. Atqui ea adjectio supervacanea videbatur, propterea quod πρώγγυος est ex Ἔγγυος, haec autem vox (si ejus etymon recte teneo) satis ipsa per se corpus obligatum notabat. Etenim Γῦον (unde Ἔγγυος) non tantum manus & pedes, sed membra cetera, ipsumque corpus, notare creditur: quae illi, quocum contrahitur obligatio, traduntur, & obligantur in nexum. Tamen fieri potest, ut & essent, qui corpus minime obligatum haberent, ad quorum discrimen hîc σωματος additur: aut vero eo πολυλογίας (qua numquam non in concipiendis συμβολαίοις laboratum fuit) morbus processit, ut numquam satis sibi cautum reus stipulandi putaret, nisi alter non tantum se πρώγγυον statueret, sed & exsertis verbis τω σωματος adjiceret. Ceterum jam supra v. 108. satis prolixe cautum fuerat, ut praedes *tum* (αυτως) *seipsos* i. e. corpora, *tum etiam possessiones, quascumque professi fuerint, in nexum obligarent*. III. Moribus Romanis idem fuisse observatum, ut praedes corpore suo essent luituri, quoad creditori non satisfieret, frustra sim, si ostendere adnitar. Fuit autem & illud in Duodecim scriptum apud Gellium XVI. 10. quod praestabit huc afferre prout a Gothofredo transmutatum, omissis Xviralibus ἀρχαϊσμοῖς, legitur. *Locupleti vindex* (i. e. fidejussor) *locuples esto: pauperi* (in XII. apud Gellium est *proletario* h. e. prolem tantum sufficienti reip.) *quilibet vindex esto*. Recte: nam satis erat, si pro eo, qui corpus tantum tradere in nexum poterat, talis sponderet, qui nihil aliud quam corpus obligare valeret. IV. Ac memini alibi a me supra adnotatum, jus istud in corpora saeviendi videri

(52) Bormionis nomen est a βόρμος: quae vox Hesychio videtur *Avenam* significare. Sic enim describit: ΒΟΡΜΟΣ· ὃν καὶ βρόμον λέγουσιν· ἔστι δὲ τροφὴ τετραπόδων (eisdem verbis βόρμος definitur ab Etymologo) τὸ πολλαχῆ μὲν σπειρόμενον, ἐνίοτε δὲ καὶ αὐτομάτως φυόμενον. Βόρμος: *quem & βρόμον dicunt. Est autem quadrupedum pabulum, quod saepe seritur, interdum & sponte enascitur*. Videndum & de βρόμος idem Hesychius, ubi vocat σπέρμα λεπτῆς κριθῆς. In Glossis βρόμος· ὁ καρπός: quod ibidem exponitur, *Habena* (pro *Avena*). Gazae quoque βρόμος *avena* est.

Digitized by Google

133 μνων καδδιχος πρωγγυος τω σωματος με κιβωτιον αρκας φιλωτα ταν δε δευτεραν μισθωστιν Ⱶα

134 εμβολος Δαμαρχος Φιλωνυμω τετρωκοντα μεδιμνων πρωγγυος τω σωματος . . . . . Θεοδωρος Θε

135 οδωρω ταν δε τριταν μισθωστιν ⊏ε γυιον Πεισιας Λεοντισκω τριακοντα πεντε μεδιμνων πρωγγυος

μνων κάδδιχος. προύγγυος τοῦ σώματος ΜΕ. Κιβώπον, Ἀρκὰς Φιλώτα. Τὴν δὲ δευτέραν μίσθωστιν Ἀ.

Ἔμβολος, Δάμαρχος φιλωνύμου τεσσαράκοντα μεδίμνων· προύγγυος τοῦ σώματος Θεόδωρος Θε-

οδώρου. Τὴν δὲ τρίτην μίσθωσιν ⊏Ε. Γυῖον, Πεισίας Λεοντίσκου τελάκοντα πέντε μεδίμνων· προύγγυος

133. *mnis* [unoque] *caddicho* : *ſponſor corporis ME. Arcella , Arcas Philotae : ſecundam locati partem HA.*

134. *Roſtrum navis, Damarchus Philonymi, quadraginta medimnis: ſponſor corporis . . . . . Theodorus The-*

135. *odori : tertiam locati partem VE. Gyion , Piſias Leontiſci , quinque & quadraginta medimnis: ſponſor*

videri Romanos e Magnis Graecis imitatos. Quod nunc revoco. Non enim ex Xvirali, ſed ex jure regio mos ille manavit: quem Servius Tullius rex popularis ingenii eradicare ſtuduit: qui apud Dionyſium lib. IV. ita concionatur: *Caveboque lege, ne jus ſit foeneratoribus* (ἐπὶ σώμασιν ἐλευθέροις) *in libera corpora, ſed contenti ſint facultatibus debitorum.* Verum poſtea praeterquam quod Superbus rex alias omnes Servii leges abolevit, etiam poſtea Xvirali jure obaerati in nervum ducebantur: niſi quod tantum dilata paulliſper crudelitas fuit. Haec enim Gellius XX. 1. ex XII. recitat: *Aeris confeſſi* (53) *rebuſque jure judicatis, XXX. dies juſti ſunto.* Datur hoc IVSTITIVM (ſic Gellius illud *juſtos* interpretatur) intra quod debitor *Mercedem* (uti loquitur Horatius) *aut nummos undeunde extricet.* In XII. ſequitur: *Poſt deinde manûs injectio eſto: in jus ducito. Ni judicatum facit . . . vincito aut nervo aut compedibus: XV. pondo ne majore, aut, ſi volet, minore vincito.* Cetera proſtant apud Gellium. Mitto ſerviles operas, quibus praeſtandis nexi macerabantur.

VERSV 134. poſt πρωγγυος τω σωματος, non minimum intercedit ſpatii, quantum ſcil. caperet monoſyllabum curiae index, nec non & παραστήμα vocabulum; utrumque enim tunc ei, qui ſcribendo aderat, latuit, opportune adjectûro, ubi reſciviſſet. Idem v. 136. in Ariſtodamo fit.

Ver. 135. ⊏Ε· γυιον. Heſychius de hac dictione ſic habet: ΓΥΙΑ· μέλη, χεῖρές τε καὶ πόδες, καὶ τὰ λοιπά. Cum ait Γῦα eſſe generaliter *membra*, id καταχρηστικῶς eſt intelligendum. Nam proprie *manus* aut *pedes* ea vox ſignificat. Imo Etymologus, ſuâ etymologiâ ductus, proprie ad pedes refert. Etſi in fine addit, καταχρηστικῶς δὲ καὶ ἐπὶ τῶν λοιπῶν μελῶν. Sic & Scholiaſtes Nicandri Γῦα δέ, inquit, νῦν τὰς πόδας. Homerus Il. Ψ. v. 627. ubi γῦα nominaſſet, epexegeticῶς ſubdit, πόδες & χεῖρες. Haec cum ita ſint, cumque ſingulo numero γῦον hîc uſurpetur, horum alterutrum licebat interpretari, ſive *Manus*, ſive *Pes*. Et quidem utrumlibet ex uſitatorum inſignium numero fuiſſe, ex nummis didici, in quibus non raro ſive *manus*, ſive *pes* ſcalpitur. In nummis Romae cuſis *Manus* uſitatiſſima fuit. In quodam pulcherrimo Magnae Graeciae numiſmate *Pes* cum adjuncto crure exhibitum vidi. Ad ſummam, utrumvis horum poſuiſſem, non caruiſſem reprehenſione; quia & alterum pro inſigni adhibere hic noſter Piſias poterat. Quare haec adnotaſſe contentus, Graecum ipſum vocabulum GYION in interpretatione retinui.

Ver.

(53) Alii malunt *Aeris confeſſo*, alii *Reis confeſſis*. At neutrum neceſſe. Nam vult, *triginta dies juſtos* h. e. juſtitii) *eſſe in gratiam illius, qui aeris alieni compertus ſit*. In his ſecundum ne an tertium caſum uſurpes, perinde erit. Quod ſi quid mutandum, potius ab illo *Rebuſque* abſtulerim encliticum μόριον.

Digitized by Google

136	τω σωματος χν σφαιρωτηρες Αριστοδα- μος . . . . . Ταν δε τεταρταν μισ-θω- σιν αλ λωτηριον	τοῦ σώματος ΚΝ. Σφαιρωτῆρες, Αεισόδα- μος . . . . . Τὴν δὲ τετάρτην μίσ-θω- σιν ΑΛ. Λουτήριον
137	Φιλιππος Φιλιππω διακατιων Ηεβδε- μηκοντα Ηοκτω μεδιμνων πρωγγυος τω σωματος πε χαρυκειον	Φίλιππος Φιλίππου, διακοσίων ἑβδομήκοντα ὀκτὼ μεδίμνων· Προύγγυος τοῦ σώματος ΠΕ. Καρυκεῖον
138	Απολλωνιος Ηρακλητω	Ἀπολλώνιος Ἡρακλήτου
139	γραμματευς ⊏ε γυιον Αριστοδαμος Συμ- μαχω γαμετρας Χαιρεας Δαμωνος νεαπολιτας	Γραμματεὺς ⊏Ε. Γῦιον Ἀεισόδαμος Συμμά- χου. Γεωμέτρης Χαιρέας Δάμωνος Νεαπολίτης.
140	N	N

136. *corporis KN. Calcei lora, Ariſtodamus . . . . . : quartam locati portionem AL. Lavacrum,*
137. *Philippus Philippi, ducentis ſeptuaginta octo medimnis: ſponſor corporis PE. Caduceum,*
138. *Apollonius Heracleti.*
139. *Scriba VE. Gyion, Ariſtodamus Symmachi. Geometra Chaereas Damonis Neapolites.*

Ver. 136. Σφαιρωτηρες in Heſychio & Suida calceorum lora ſunt, ſive corrigiae. Eadem vox Ex. XXV. & XXXVII. compluries uſurpatur, ſed aliter quam pro calcei corrigia. Adhaec ex Gen. XIV. 23. affertur ἕως σφαιρωτῆρος ὑποδήματος. Ibi tamen alii σφυρωτῆρος eodem ſignificatu exhibent; ut ſit a σφύρα, *Malleolus*. Ac meo quidem judicio ſi id vocabulum a malleolo ſit repetendum; credo olim & σφαιρωτ. & σφυρωτ. fuiſſe ſcriptum; ſicuti & malleolus non tantum σφύρα ſed & σφαῖρα, ut opinor, a figura vocabatur. Verum de uſu vocis σφαιρωτ. pro *Loro calcei* non eſt dubitandum ob Heſychii & Suidae auctoritatem. Qui duo quid vocent ζηνίχιον σανδαλίου (ſic enim σφαιρωτ. interpretantur) ex clarioribus expoſitionibus elucet: apud Heſych. quidem, σχύτος, κόμμα λώρου: apud Suidam autem, λωρίον τοῦ ὑποδήματος. Chryſoſtomus Orat. in XL. Mart. τὸν σφαιρωτ. non tantum, quod dixi, interpretatur, ſed & etymologiam producere ſatagit. Greg. Nanz. Or. εἰς τὰ Ἐπιφάνια ſcripſit: ὁ σφαιρωτὴρ τοῦ ὑποδήματος, ὃν ὁ λύει ὁ βαπτίζων Ἰησοῦν.

Statim ſequitur: Αριστοδαμος. Poſt quod ſequitur intervallum ad patris nomen adſcribendum, ubi innotuiſſet.

Ibidem: ΑΛ. Λωτηριον. Doricum eſt Λωτήριον pro Λουτήριον; noſtri enim in his Tab. amant ου in Ω vertere; ſicuti & Lacones Λῶτρον vocabant, quod ceteris Λοῦτρον (*lavacrum*) dicebatur: quod me docuit Heſychius his verbis: ΛΩΤΡΟΝ· Δηλιονὸν ἄλειμμα. Λακωνες. De voce Λουτήριον pulchra attulit ex Polluce & Athenaeo veterum loca H. Stephani diligentia.

Ver. 137. 138. Sponſor corporis ultimus (h. e. *Apollonius Heracleti*) etiam ex finitoribus unus erat, uti perſpicue conſtat ex hoc loco collato cum Brit. v. 4. & 9. & initio Synthecae ver. 49. Nec enim tantum nomina ipſius & parentis, verum etiam inſignia illa praevia conveniunt.

Poſtremo ſi lector mercedes haſce, quas ſinguli conductorum quot annis ſolvere tenebantur (ita uti a ver. 132. ad 137. exponitur) in unam ſummam redegerit; profecto exſiſtet medimnûm decem ſupra quadringentos numerus, ſed *Caddicho* inſuper addito. Atqui is ipſe numerus, etiam cum caddichi auctario ver. 4. continebatur p. 176. col. 2. Vide ibi dicta. Ibid. explicui, quonam ſyntaxeos genere utrobique Καδδιχος recto caſu efferatur, cum contra μεδιμνων patrio uſurpetur. Sed tamen quidquid id ῥήσεως eſt; certiſſimum nominativi abſoluti exemplum eſt. Quae recti abſoluti ſyntaxis Hebraeis quidem amiciſſima eſt: at apud Graecos non dum certo reperta, nunc primum in hoc aere occurrit tum v. 4. tum 133. ſine mendi ſuſpicione.

VERSV 139. γραμματευς. Fuere urbes Graecanicae, in quibus Magiſtratus ſupre-

Digitized by Google

premus γραμματέως nomine insigniebatur: de quo videatur Ez. Spanhemius in De praest. & usu numism. At hic noster longe a summo abfuit. Huic profecto scribae debetur hujus Tabulae stylus: nisi quod in *Synthecam* plurima ex superioribus locati instrumentis translata fuisse, ἀρχαϊσμῶν copia longe major demonstrat.

Sequitur: ⊏Ε· γυιον. Haec insignia huic Aristodamo Symmachi cum Pisia Leontisci (de quo ver. 135.) sunt communia; sive quod aliquo cognationis gradu vincti essent, idemque forsitan hospitium incolerent, sive quod haec παράσημα toti vico aut συνοικίᾳ essent communia.

Pergit: γαμετρας. Dorismus novus. Hinc vero discimus, praeter finitores, qui usum tantummodo tenebant metiendi, partiendi, limitandi, ceterorumque, adhibitum praeterea fuisse *Geometram*, qui ejus artis universae comprehensionem non ex usu sed ex ἐπιστημονικῇ θεωρίᾳ derivaret, quique difficultatibus emergentibus, valeret nova problemata solvere. Nisi vero malumus, in Finitoribus, tamquam in magistratu honorifico, fuisse auctoritatis quantum ad hoc & similia necesse fuit: ceterum peritiam universam a Geometra fuisse petitam.

Extremo versu: Νεαπολιτας. Haec nostra Neapolis est: cujus civem hunc *Chaeream Damonis F.* eumque geometram, ex hoc aere cognovisse, volupe sane fuit. Absunt ab eo duo illa praevia παράσημα, quae civibus non item inquilinis fuisse peculiaria, hinc ostenditur. Ad gentile urbis Parthenopeae nomen quod attinet, non levis est circa vocalem alterius syllabae difficultas. Nam si ad Neapolitanos ipsos nummos provocaverimus, in plerisque ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ legi, non dubium est; etsi interim in paucioribus aliis numismatis ΝΕΑΠΟΛΙΤΩΝ cum A scriptum invenerim. Contra vero in auctoribus cujusvis aevi omnibus, itemque in Ethnicographo scriptore (cujus in his auctoritas valere debet) non aliter quam ΝΑπολ. perscribitur: quibus accedit hujus aeris antiquissimi & emendatissimi fides. Quid ergo statuendum? Aut quidnam Neapolitano magistratui monetario respondebimus, plerumque νεΟπ. cum vocali quarta cudenti? Mihi sane videtur, antiquitus νεΑπ. ab ipsis nostratibus fuisse etiam in nummis scalptum. At, opinor, exstitere postea rei monetariae praefecti, quibus propositum hoc maxime fuit, uti nostram Neapolim a cognominibus aliis urbibus discriminarent; eoque A in O (non praeter analogiam) commutarunt. Ea vero perscribendi nominis ratio nummorum tenus stetit: ceterum scriptores omnes modo Νέαν πόλιν, modo junctim ΝΕΑπολιν, ita ut ante exarabatur id nomen, cum A in scriptis suis enotarunt.

VERSV 140. Ν] Istud Ν (quod post aliquot versuum vacuum intervallum cernitur solitarium) si sit nota numerica, erit numeri quinquagenarii signum: quo notabitur, in tabulario fuisse hoc aes pro quinquagesimo numeratum. Nec equidem aliter acciperem, si cum alia nota numerica junctum cerneretur. Nunc quia solitarium scribitur, liberum est sive pro quinquaginta, sive pro XIII. accipere. Cur hoc posterius, inquis? Eâ, inquam, numerandi ratione, quam in libris Homericis aliisque olim utebantur; quamque nunc etiam typographi adhibent in foliis prelo impressis recensendis. Nam prima libri folia XXIII. litteris totidem Alphabeti Latini distinguuntur. Atqui is mos apud Graecos est vetustissimus. Fuit enim hoc sollemne antiquissimis criticorum, ut libros clarorum scriptorum a se recensitos ita partirentur, ut Graeci alphabeti litteris pares essent, quae & iis praefigebantur. Qui dissolutas Homeri rhapsodias primi in libros dispescuerunt, numero Graecorum elementorum delectati, in utroque poemate parem alphabeto numerum sunt secuti. Theophrasti Νόμων κατὰ στοιχεῖον, κδ', h. e. *Legum libros quatuor & viginti* (quot in Gr. alphabeto litterae) habes apud Laertium seg. 44. Idem seg. 26. ubi Aristotelis memorat Φυσικῶν κατὰ στοιχεῖον βιβλία λή, Casaubonus numeros refingi jubet in κδ'. Inscriptionis rationem reperies apud Coelium (54) Rhodiginum: qui & in ceteris libris

(54) Rhodiginus XVII. 17. ita posuit: *Aristoteli... tria philosophiae munia suscepta pertractataque sunt, physicum, metaphysicum & morale: sed ita ut alphabetis tribus omnia sit complexus*. Imo non ipse, sed alius aliquamdiu postea, uti dictum. Pergit: *Nam physicorum libri elementa implent omnia* (id quod subductis rationibus mox ostendit) . . . *Huic veto sententiae vetus suffragatur attitulatio, in qua more Homerico ita enotabatur librorum ordo, ut Physicorum diceretur Alpha qui primus, Beta qui secundus, & deinceps*. Quam rationem in Moralibus, itemque in Metaphysicis observatam, mox idem demonstrat.

Digitized by Google

libris idem factum ostendit. Eam tamen ἀκρίβειαν sive Tyrannioni, sive Andronico Rhodio (qui Stagiritae scripta digessit in Πραγματείας) aut demum cuivis alteri grammatico, quam huic ingeniorum coryphaeo, malim equidem adscribere. An horum exemplo, non quidem Esdras, sed posteriores magistri; canonicos Scripturae libros numero XXII. esse voluerunt, nim. ut Hebraico alphabeto ἰσαρίθμους facerent? qui certe potuissent plures aut pauciores, & quidem aptius numerare, nisi propositum habuissent libros divinos alphabeto Judaico aequiparare. Verum in eo Graecos ne ipsi, an contra Graeci Judaeorum antiquos doctores sint imitati, non habeo dicere. Nam & apud Orientis populos id olim in usu fuit. Manetis opus quoddam memorat Epiphanius inscriptum Μυσταγωγία: qui liber (τμήμασι λόγων) *sectionibus librorum* XXII. pro numero litterarum alphabeti Syriaci divisus fuit. Videatur Epiphanius Haer. LXVI. 13. Hactenus Tabula Heracleensis prior est.

PARTIS I. FINIS.

MONITVM.

CVm primũ anno MDCCL. *Excell. Carolus Guevara e Ducibus Bovinensium, Eq. Hieros. nunc apud Regem Lusitan. Orator, id mihi negotii dedisset, uti Tabulas Heracleenses, a se tum recens comparatas, instruerem congruo commentario, ut eo qualicumque amictu ornatae, ita demum REGI nostro talium cupidissimo sisterentur, ac statim exempla cum orbe litterato communia fierent; magna, uti fit, per Europam commota exspectatio fuit Epigrammatum praestantissimorum. Dum vero opperiundo, dum scitando ecquid iis factum sit, delassantur; prope fuit, ut ego unus conviciis dirisque proscinderer, quasi qui morarer publica commoda. Me nimirum criminabantur impedimento esse, quo minus, quae post bis millesimum annum vix tandem tellus Heraclienses enixa fuerat, ea contemplanda publice proponerentur.*

Quibus ego criminationibus ita respondeo, me meam Guevarae eruditiss. ita obligasse fidem, modo pensis antecaptis finem prius imponerem, quam Tabulas Heraclienses attingerem. Pensa vero antecapta duo maxime erant. Tertius in marmoreum Ecclesiae Neapol. Kalendarium tomus, superioribus longior & operosior; adhaec autem & Dissertatio de SS. Ecclesiae Neap. Episcopis, quae duobus comprehensa tomis nuper prodiit (propter quae duo Eminentiss. Card. Spinello jamdiu fidem oppigneraveram) elucubranda, adhuc tunc imminebant cervici meae: quae duo vix postea tandem prela evaserunt.

Inter haec autem praeter opinionem meam tempus ejusmodi incidit, quo, qui meum omne tempus amicorum temporibus transegissem, ne cui prorsus hominum aliquando deessem, non poteram Canonicis Cathedralis Eccl. Neap. ornatissimis collegis meis non venire suppetias sine turpi desertae fidei dedecore. Itaque bonâ cum Guevarae humanis. venia, in collegarum gratiam de summa existimationis periclitantium, operosissima illa De Cathedrali Ecclesia semper unicâ Dissertatio *spissa prodiit: quae sicuti propter aevi medii caliginem magno mihi labore stetit, ita gratissime a civibus exterisque excepta fuit.*

Nolo jam quotidianas lucubratiunculas, molestia interpellatorum expressas, causari. Nec obtendam enectum languorum perpetuitate corpusculum; ne quis ex transverso incurrens, cum Afro comico occinat, Id populus curat scilicet.

At illud ad ultimum reservavi, quod os obtrectatoribus obstruat. Nam cum REX optimus & clementissimus, quique immerentem plurimis benefactis ornaverit, in rebus litterariis adhibere me non sine maximâ existimatione meâ minime dedignetur; quis non intelligit, me fore mortalium scelestissimum, nisi qua possim alacritate, jussis obtemperavero?

Credo me tibi, Lector, probasse causam defensionemque meam. Aliud nunc majus accipe. Nam quod horum Commentariorum (qui uno simul volumine junctim prodituri fuerant) nunc tantum Pars prior, abscisa videlicet a reliquo corpore, foras prodiatur in publicum; id non alia quam communis exspectationis gratia factum fuit. Quod si cui prius volumen istud paullo gracilius ac macilentius fortasse videbitur; is facile huic malo medebitur, si hanc Partem I. nunc quidem rudi opere conglutinandam curaverit, posthac junctim cum Parte altera in volumen unum compingendam: id quod & ceteroqui numerorum in summis paginis signatorum continuata series glutinatorem docebit.

Pluries monui lectorem, ut Tabular. verba obscuriora, ad quae nihil adnotatum reperiet, in Indice vocum (quem in fine Partis II. exspectari volo) quaerat. Ex locis vero in Indice notatis primum quemque seligat, eumque in Commentario requirat; ibi, siquid forte animadversum fuerit, reperturus.

COM-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ALEXII SYMMACHI MAZOCHII
Neapolit. Eccleſiæ Canonici, Regii Sacrae Scripturae Interpretis

COMMENTARIORVM
IN REGII HERCVLANENSIS MVSEI


AENEAS TABVLAS HERACLEENSES

PARS II.

Qua tum Graeca altera Heraclienſis inſcriptio ad agrum Minervae Poliadi ſacrum pertinens, tum vetuſtiſſimi legum Romanarum Digeſti capita plura, coaleſcentia cum aere Britannico, illuſtrantur.

Additis in fine Collectaneis quibusdam & Indicibus ſane quam neceſſariis

Partis hujus conſpectus proſtat in fine operis.



NEAPOLI CIↃIↃCCLV.
Ex officina BENEDICTI GESSARI.
AVCTORITATE PVBLICA.
APUD JOANNEM GRAVIER.

Digitized by Google

Digitized by Google



HERACLIENSIS TABVLAE ALTERIVS

ARGVMENTVM.



POST praemiſſa Ephori & Finitorum nomina, cetera ſic procedunt. I. Dimenſio agri a v. 10. ex abrupto incipit, nullius certae methodi praemonito lectore, ac perturbate porro continuatur. Sed quantum datur intelligi, primum a v. 10. ad 27. jugeratio quaepiam ſic praemittitur, tamquam totius negotii baſis: qua jugeratione adhibitâ, a finitoribus deprehenſum fuit, duas agri lacinias, a privatis interverſas, ex univerſitate campi Minervii deceſſiſſe: quas finitorum induſtria deae Minervae recuperavit. Ita uſque ad ver. 27.

Deinde a ver. 29. inſcio lectore, nec generalis cujuſquam partitionis, nec methodi repente mutatae admonito, tres omnino in partes agri Minervii univerſitatem fuiſſe diviſam, arguitur. Principio igitur v. 29. primam agri ſectionem Tabula aggreditur, eamq. in partes duas ſubdiſtingui, non verbo, ſed facto oſtendit; nam utramque metitur, & elocat ſub aſſignata mercede, eoque modo uſque ad totum ver. 41. progreditur. Hinc jam a v. 42. latenter ſecunda incipit agri Minervii ſectio, ſubdiſtincta in minores partes quatuor, ſigillatim dimenſas & elocatas, uſque ad ver. 71. Tandem a ver. 71. tertia ſectio tacite de more exorſa, ad finem uſque ejus, quod nunc ſupereſt, æris pertinet. Haec ultima ſectio partes numero plures, quam duae ſuperiores, continet. Et quidem tantum ſex in ære nunc lacero ſuperſunt. Verum an alias praeterea, aut quot numero ſubnexas, nobis calamitas æris hujus eripuerit, incertum habere cogimur. Haec de argumento Tabulae.

II. Atqui illud mirari ſubit, cur, cum iidem finitores in hoc ære inſcribantur (etſi ex quinque, qui in priore leguntur, duo hîc

Digitized by Google

desint) eâque de causa non magnum temporis intervallum duas hasce tabulas distinguat; tamen non minimum inter utramque interfit discriminis. I. Nam primum non nulla est in verbis dialectoque diversitas (ut in decursu licebit animadvertere) sed ita ut appareat hanc alteram paullo recentiorem videri primâ. II. Artis mensoriae methodus est hîc paullo, quam in superiore intricatior, per *jugera*, *tribemigya*, *trigya*, *penthemigya* procedens (vide a ver. 14. ad 21.) quae tamen ratio ad deprehendendas fraude interceptas agri lacinias visa necessaria fuit: de quo vide in (1) ima pagina. III. Prior Tabula viâ ac methodo se commendat. Nam ibi dimensio totius agri, ac mox quadripartita sectio, praecedunt: sequitur limitatio & terminatio: ad ultimum locati conducti Syntheca Tabulam absolvit. At hîc non praemonito de generali tripartita sectione lectore, in res medias statim irrumpitur; ac nulla generali partitione praemissa, singulae cujusque portionis particulae singillatim dimensae, postea & elocatae lectori proponuntur. Hoc vero totum, quantumcumque discriminis est, non tam finitores habuit auctores, quam scribam: qui quidem in superiore Aristodamus Symmachi fuit: hîc vero quisnam scribendo adfuerit, mutilato nunc ære, ignorare cogimur. At certe alius ab Aristodamo illo fuerit, necesse est.

III. Adhaec Minervae Poliadis ager, de quo hîc agitur, immane quantum Dionysiaci modum superabat. Hoc non tantum ex singulis dimensionibus, si singularum schoenos in unam conferas summam, dignoscetur in loco, verum & ex portionum singularum mercedibus in summam unam coactis.

IV. Postremo (quantum nunc quidem animo providere valeo) aeris hujus mutili commentarius prolixitatem superioris facile suâ brevitate compensabit; tum quia prioris aeris cum Britannico juncti (additâ praesertim scripturae illius, si qua alia, confertissimâ spissitudine) textus universus prae hoc altero est plus duplo longior; tum quia major vocabulorum pars copiose exposita in superiore fuit.

V. Id vero semel monendus est lector, ut in utriusque aeris commentario, siquando vocabula (maxime abstrusiora) luce nullâ perfusa in Commentario animadverterit, sciat se illa in superioribus reperturum. Adeat ergo verborum indicem utriusque Tabulae, ac primum quemque locum consulat, quo ea vox usurpata fuit. Quod etiam de Latini Legum Digesti, quod deinceps dabitur, intelligi jubeo.

TA-

(1) Siquis a me quaerat, cur usque ad v. 21. jugerationis (quae in longum & in latum patere solet) ratio servetur, non vero solitae mensurae longitudinum (ut in ære superiore, & in hoc ipso inferius) usurpentur; non aliud a me respondebitur, nisi quod exstabat in publico tabulario vetus campi hujus Minervii deformatio: quae quidem *Planta* a nostratibus dicitur: at scriptoribus agrariis modo *Forma* vocatur, modo *Aes*; plane quod olim camporum authentica ichnographia, uti quam diutissime perennaret, in ære scalperetur. Exstabat igitur, uti dixi, hujus campi forma vetustior: ad quam in hac Tabulâ intenditur digitus ver. 23. & 27. ubi significatur, restituta Minervae fuisse interceptas agri lacinias, κατὰ ἀρχαία h. e. *secundum pristinam formam*, illam scilicet in qua erat ichnographia agri hujus. Sicuti ergo sicubi finium regundorum incidunt hodie controversiae, ad antiquae formae ἀνθεντίαν recurritur: quae forma in rem praesentem recognoscitur, & secundum eam dimensio redinteratur (id nunc nostris hominibus dicitur, *Praticar la pianta*) haud secus id ab Heracliensibus tunc fuisse factum, haec tabula innuit, quo fraus invasorum in apricum prodiret. Ac re vera fraudem apparuisse ex ver. 21. ad 27. ostenditur. Itaque tam in jugeratione, quae a ver. 14. incipit, quam in ceteris Tabulae dimensionibus, omnia ad formae illius pristinae praescriptum peracta fuerunt. Hactenus dicta illustrari ex scriptoribus agrariis possent. Vt verbi causa in libello de coloniis qui Frontino inscribitur, Acerranus, Atellanus, & plurium coloniarum *Ager in jugeribus assignatus* dicitur, quia jugeratione divisus initio fuerat. Alibi *in laciniis*, *praecisuris* &c.

Digitized by Google

TABVLA HERACLIENSIS ALTERA

1 Εφορος Δαζιμος Ⱶα πολις	Εφορος Δάζιμος, ἡ πόλις;
2 και τοι οριστται ⊏Ε Τριπους Φιλω	Καὶ οἱ ὁρισταί, ⊏Ε. Τριπους Φιλω-
3 νυμος Ζωπυρισκω ΠΕ Καρυκειον	νυμος Ζωπυρίσκου, ΠΕ. Καρυκεῖον
4 Απολλωνιος Ⱶηρακλητω ΑΙ Πελ	Ἀπολλώνιος Ἡρακλήτου, ΑΙ. Πέλ-

INTERPRETATIO.

1. *Ephorus Dazimus. Civitas,*
2. *& Finitores: VE. Tripus, Philo-*
3. *nymus Zopyriſci* [filius]: *PE. Caduceum,*
4. *Apollonius Heracleti* [filius]: *AI. Pel-*

COMMENTARIVS.

VERSV 1. Εφορος Δαζιμος] Non injucundum ſcitu eſt, cur Ephori hujus Dazimi non prodatur parentis nomen. Ephori, inquam, Dazimi: nam Dazimi finitoris nomini in hac & priore Tabula ſemper patris nomen adjicitur, ſicuti & ceterorum finitorum, & polianomorum, imo & conductorum & fidejuſſorum vocabulis: quibus ita perpetuo genitorum nomina ſubjiciuntur, ut ſiquando ea memoriae non ſuccurrerent, intervallum inane relinqueretur, quo ea poſtea ſubnecti poſſent, ut in extrema priore Tab. bis factum obſervavimus. Hanc vero paterni nominis reticentiam Dazimus ephorus cum ephoro Ariſtione communem habuit: qui alter in ære priore cum ſaepe memoretur (nim. ver. 47. 74. 117.) numquam tamen ejus pater oſtenditur.

Dixerim, fortaſſis id eo factum, quod finitores, conductores, & hujuſmodi alios, utpote obſcuriores, praeſtabat non tantum ſuis, verum etiam ex nominibus parentum dignoſci: contra vero ephoros notiores fuiſſe oportuit, quam ut ex parentibus diſtingui debuerint; praeſertim cum ephoris eâdem de cauſa nec monoſyllaba curias deſignantia, nec παράτημα (*inſignia*) praeponantur, ſicuti factum in ceteris omnibus obſervavimus. Hac tamen exceptione forſitan ceteris ſatisfecero; mihi ipſe non facio ſatis. Nam ut exempla omittam non modo Romanorum Conſulum, Dictatorumque, ſed & Regum Graecorum, quibus raro non parentum nomina ſubjiciebantur; ad hos ipſos Ephoros Heracleenſes provoco. In his enim ipſis Heracleae monumentis initio fragmenti Britan. & I. 117. Ariſtarcho ephoro patris *Heraclidae* nomen ſubnectitur. Cur vero in Dazimo, & Ariſtione patrum nomina ubique neglecta? Ac ſane non de nihilo ita factum fuiſſe, locus ille unus docebit, qui I. 117. 118. legitur hiſce verbis: *Tam a polianomis qui ſub Ariſtione ephoro ſunt . . . . quam a polianomis qui ſub Ariſtarcho Heraclidae filio ephoro fuerunt.* An quiſquam tam plumbeus eſt, quin ſtatim videat, aut utriuſque ephori patrem fuiſſe prodendum, aut utriuſque tacendum? Nunc vero Ariſtion ita e conſpectu Ariſtarchi ponitur, ut hic parentem oſtendat ſuum, ille quaſi ἀπάτωρ, non queat monſtrare patrem. Vidi hanc difficultatem ad I. v. 117. eamq. huc demum expediendam rejeci; etſi jam tum eâ ἀντιθέσει notari Ariſtionis νοθείαν, conjecerim. Verum huc eam diſcuſſionem rejiciendam duxi.

Atqui ne nunc quidem ab eadem ſententia deducor. Nec turbet quemquam, quod indignum videatur ſi ad ἐφορείας apicem etiam ſpuriis aditus Heracleae patuiſſet. Nam nemo ignorat, regum compluribus νοθείαν quaeſiviſſe *Nothi* cognomen.

Ac

Digitized by Google

Ac ſcitum eſt etiam, nec apud Graecos, nec apud Romanos νοθείαν aſperſiſſe quemquam infamia. Quamquam quid neceſſe eſt, aliunde argumenta corrogari, cum quantalibet ephororum dignitas fuerit, tamen (ſi quidem ex urbe illa, in qua Ephori primum nati, nempe Sparta, capi generis eorum documenta libeat) ex ima populi faece illos plerumque delectos ſciamus, praeſertim auctore Ariſtotele: qui dum id teſtatur dilucide, ſimul tamen ipſe reprehendit. Erat certe tum Spartae tum etiam in ejus coloniis ephoreia prorſus popularis magiſtratus, ad tuendam populi libertatem, oppoſitus potentium & optimatum auctoritati, ferme uti Romae tribunicia poteſtas. Quo fit ut in Ephoris (illo etiam primo; qui faſtos ſignabat, quique ἐπώνυμος dictus: quales hi ſunt qui in his Tab. memorantur) non tam genus aut opes requirerentur, quam libertatis incenſiſſimum ſtudium, acre ingenium, pectus gratia metuque indomabile. Hiſce de cauſis non mirari oportet, ſi Ariſtion atque Dazimus, cum eſſent ἀπάτορες, nec digitum ad patrem valerent intendere, nec eumdem in his Tabulis adſcribere, tamen primum ephoreiae ἐπωνύμου locum occuparint.

Quamquam ne apud noſtros quidem, moribus Romanis viventes, uſque adeo abjecta naturalium filiorum conditio fuit, quin ad ſummas in patria ſua dignitates interdum evecti fuerint. Docebit id celebris Mamerciana inſcriptio Abellini reperta apud Grut. p. 434. n. 4. quae talis eſt. C· MAMERCIO · SP· F· (*ſpurio filio*) * IANVARIO · Q· AED· PRAET· * IIVIR· Q· IT. * P· PACCIVS · IANVARIVS * FILIO · NATVRALI · ET * MAMERCIA · GRAPTE * MATER · INFELICISS· FILIO * ET · COGNATAE · PIISSIMIS * FECERVNT. Vbi optime Scaliger ſubnotavit, τὸ SP. F. idem eſſe quod *Spurio filio*; nec enim caſu patrio *Spurii* (ita ut praenomen Rom. ſit) *filio* hîc recte interpretaberis. Sicuti nec illud probo, quod alii *Sine patre filio* explicant. Cur huic alteri expoſitioni hîc minime aſſentiar, cupidis ſeorſum (2) oſtenditur: ubi ſimul & alia quaepiam hujus argumenti aſperguntur. At interim vides Spurium iſtum

(2) Τὸ (SP. F.) *in Mamerciano aliiſque marmoribus quid accipere oporteat. Plutarchi locus expenditur.*

Heineccius (in Syntagm. Antiq. ad Inſtit. Juſtin. in Appendice ad tit. X.) in Mamerciano lapide illud SP. F. interpretatur *Sine patre filius*, idque ſe in Comm. ad Leg. Jul. Pap. pluribus ſuaſiſſe ait: quem commentarium nunc ad manus non habeo. Anſam huic interpretationi praebuit notiſſimus Plutarchi locus in Quæſt. Rom. quo loco ceteras vocis *Spurii*, quatenus vulgo quaeſitos notat, originationes rejiciens, hanc unam adprobat. Nim. *Spurius* (ubi praenomen erat) duabus litteris SP. ſignabatur: nec ſecus incerto patre nati eisdem duab. litteris enotabantur. Verum hoc intererat, quod in priore τὸ SP. *Spurius* pronuntiandum erat, in altero *Sine patre*. Sic quidem antiquitus. At poſtea (cum praeſertim nota praenominis frequentius prae alterâ τῦ ἀπάτορος notâ occurreret) vulgi errore uſuveniebat, ut etiam ubi ἀπάτωρ intelligendus erat, *Spurius* pronuntiaretur. Id ubi tractu temporis alte radices egit; jam incerto patre nati paſſim omnes *Spurii* vocabantur. Ex quibus duo haec licet intelligere: I. jam ab aevo Plutarchi obtinuiſſe, ut vulgo concepti, *Spurii* vocarentur. Nec enim alia exempla Plutarcho & JCtis antiquiora, *Spurios* hac notione accipientia, ad nos perveniſſe reor: II. Etymologiam vocis a Chaeronenſi philoſopho traditam mihi quidem videri veriſſimam: quam & ii amplexi videntur, qui ſic ἐτυμολογῆσαι reperiuntur: *Spurii*, *quaſi ſine patre*. Nec enim volunt *Spurii* nomen a vocibus *Sine patre* concretum; verum non aliud quam Plutarchi originationem in pauca contrahere ſtuduerunt. Quocirca cum aperte Plutarchus teſtetur, jam ante ſua tempora uſu veniſſe, ut qui tamquam ἀπάτορες duabus illis litteris ſignabantur, ii Romano praenomini cognomines fierent, h. e. *Spurii* vocarentur; non poſſum eorum probare conſilium, qui ubi de talibus in marmoribus agitur, τὸ SP. *Sine Patre* efferri jubeant. Tunc probarem, cum duae illae litterae puncto intermedio in ipſo marmore dirimerentur.

Et antiquitus quidem (cum nondum error a Plutarcho deſcriptus inoluiſſet, aut nondum id ab omnibus pro rato haberetur) videtur caute obſervatum, ut ſiquando praenomen non eſſet, iis litteris punctum interjiceretur. Quod poſtea negligi placuit; quia jam eâ notâ *Spurium*, non vero *Sine Patre* intelligi ac legi receptum fuerat.

Atque ad genus quidem antiquioris ſcripturae referri poteſt Reineſianum epigramma (Claſ. IX. n. 5.) ita perſcriptum: L. VOLVSENO S. P. F. (h. e. *ſine patre filio*; etſi Reineſius in margine notaverit *Spurii filio*) * VICTORI * VOLVSENA. RESTITuta * ET. AGRYPINVS. CAES (*Caeſaris ſervus*) * FIL. PIISSIMO &c. Mater prior notatur, non tantum quia ingenua, ac ſervo concubino dignior, verum etiam quia τὸ FILIO ad eam peculiariter referebatur. Porro inter ingenuam & ſervum conſiſtere non poterant juſtae nuptiae, ut ex Pandectis conſtat: at nihil vetabat, quominus eadem ſervum aut libertinum ſibi in concubinatum adſciceret, ut factum hîc vides.

Ad poſteriorem vero ſcriptionem non tantum Mamercianum pertinet marmor, ſed & plura alia, quae in inſcriptionum συναγωγαῖς repertum iri a ſagacioribus auguror. Ad me certe abhinc paucos annos

Digitized by Google

5 τα Δαζιμος Πυρρω Αθαναι Πολιαδι	τη Δάζιμος Πύῤῥου, Αθηνῃ Πολιάδι.
6 ανεγραψαν τοι οριστται τοι Ϝαιρεθεντες	Ανέγραψαν οἱ ὁρισταὶ οἱ αἱρεθέντες ἐπὶ τοὺς
επι τως χωρως τως Ϝια	χώρους τοὺς ἱε-
7 ρως τως τας Αθανας τως εν κοιλαι Φιλω-	ρους τοὺς τῆς Αθήνης τοὺς ἐν κοίλῃ, Φιλώνυ-
νυμος Ζωπυρισκω Απολ	μος Ζωπυρίσκου, Απολ-
8 λωνιος Ϝηρακλητω Δαζιμος Πυρρω καθα	λώνιος Ἡρακλήτου, Δάζιμος Πύῤῥου καθὰ
ωριξαν και συνεμε	ὥρισαν καὶ συνεμέ-

5. *ta, Dazimus Pyrrhi* [filius] *Minervae Poliadi.*
6. *In acta retulerunt finitores creati ad* [metandos] *campos ſa-*
7. *cros Minervae, qui in Coele ſunt* (nim. *Philonymus Zopyriſci, Apol-*
8. *lonius Heracleti, Dazimus Pyrrhi*) *quem in modum finiverint, & commen-*

iſtum *Mamercium* (qui quidem nomen gentilitium non a naturali patre *Paccio*, ſed a Matre *Mamercia* adſcivit: quod valde (3) notandum) honores ſummos in colonia ſua conſecutum. Nam hujus rei gratia hunc titulum adſcripſi.

Ibid. cur *menſis Apellaeus* (quem cogendis populi conciliis deſtinatum, ad initium fragm. Brit. notavimus) hîc omittatur, qui tamen tum fragmenti Brit. tum Synthecae initio, poſt Ephori nomen adſcribitur, alii quaeſierint. Vtut eſt; hinc apparet, minore accuratione hanc tabulam prae ſuperiore fuiſſe ſcriptam. Vel ſi enim alius quivis is menſis fuiſſet; ſane decuiſſet apponi. Sed is forte menſis a fine tabellae, quo caremus, non aberat.

VERSV 5. ΑΘΑΝΑΙ ΠΟΛΙΑΔΙ] Πολιὰς Αθηναίη Athenis dicebatur, teſte Herodoto (4) lib. V. c. 82. quam ſolent *Minervam Urbanam* aut *Urbicam* apud hiſtoricorum principem interpretari. Lucianus in Lapith. *Poliadem* abſolute vocavit: ὤμοσα κατὰ τῆς Πολιάδος, *juravi per Poliadem*. Eadem Πολιοῦχος aut Πολισσοῦχος vocabatur, quaſi urbis cuſtos atque tutatrix; ita ut haec videatur vera nominis Πολιάδος interpretatio. At Πολιάδος cultus in urbem Heracleam jam inde a Siri (quae poſtea in Heracleam traducta fuit) urbe Troicis temporibus aequali, aut potius ſuperiore, transfuſus re vera fuit: ex cujus deae cognomine urbs ipſa Siris alio nomine Πολίειον dicebatur. Niſi forte a *Polieio* factum, ut Minerva Siritana (de qua aes noſtrum hîc loquitur) Πολιὰς nuncuparetur. Plura de his habes Diatr. II. in Siri.

VERSV 6. 7. *Ad campos ſacros Minervae*

annos eruditiſs. Franciſcus Caracciolus, e Marani Principibus, pulcherrimum epigramma, in eodem ſuo feudo (quod Neapoli proximum) repertum, miſit, his verbis conceptum:

D· AVIANIVS · SP· F· RVFVS
D· AVIANIO · SALVIO · PATRI
AVIANIAE · D· L· CHRESTENI
MATRI · ET
P· AEMILIO · FIRMO · AMICO
SVIS · LIBERTIS · ET · LIBERTABVS
H· M· S· S· E· H· N· SEQ·

Vel me tacente, omnes vident verſu 1. illud SP. F. non *Spurii filius* (nam ejus pater naturalis ver. ſeq. *Decimi* praenomen gerit) ſed *Spurius filius* eſſe legendum. Hinc interim vides hunc ipſum Rufum, qui hunc titulum poſuit, non probro ſibi duxiſſe, ſe *Spurium* inſcribere: certe quod intelligeret, nullam inde infamiam in ſe redundaturam, uti ſuperne adnotatum fuit. Ver. 3. mater *Chreſtene* antea dicebatur, uno, utpote ancilla, contenta nomine: at poſtquam a ſuo συμβιώτῃ D. Avianio manumiſſa fuit, nomen manumiſſoris adſumpſit. Verſus ultimus ſic exponitur, *Hoc monumentum, ſive ſepulcrum eſt, heredem non ſequitur.*

(3) Notandum id viris induſtriis ſuadeo; nam ſicubi reperiatur aliquis, qui gentilitium nomen a matre potius quam a patre mutuetur, is facile ἀπάτωρ reperietur. At nolo id ad cognomina porrigi: nam inſcriptionum exempla ſunt, ὅσα χόρις, in quibus filii ſicuti gentilitia nomina a genitoribus, ita cognomenta a genitricibus (ſed ea plerumque ad diminutivi formam flexa) ſibi arrogant.

(4) Apud Herodotum V. 82. Epidaurii ab oraculo moniti, uti ad avertendam ſterilitatis calamitatem ſimulacra ſibi *Damiae* & *Auxeſiae* ex oleae ſativae ligno fabricarent, ab Athenienſibus (apud quos unos tunc oleae colebantur) id lignum ea lege impetrarunt (ἐπ' ᾧ ἀπάξουσι ἔτεος ἑκάστου τῇ Αθηναίῃ τε τῇ Πολιάδι ἱρὰ καὶ τῷ Ερεχθέϊ) *modo quot annis ſacra tum Minervae Poliadi, tum Erechtheo afferrent.* Circumfertur Demoſthenis quoddam de Minerva Poliade Athenienſi dictum, quod nunc reperire non tanti fuit.

Digitized by Google

9 τρησαν και ετερμαξαν και εμεριξαν των Ηρακλειων δια	τρησαν καὶ ἐτέρμασαν καὶ ἐμέρισαν τῶν Ἡρακλείων δια-
10 γνοντων εν καταχλητωι αλιαι συνεμετρησαμες δε αρξαμενοι	γνόντων ἐν καταχλήτῳ ἀλίᾳ. Συνεμετρήσαμεν δὲ ἀρξάμενοι

9. *si sint, & terminaverint, & partiti fuerint, Heraclienſibus ſci-*
10. *ſcentibus in convocato* [populi] *concilio. Commenſi ſumus, exorſi*

nervae (τως εν Κοιλαι) *qui in Coele ſunt.*] In voce κοιλαι ſubaudiendum eſt γαι, ut ſit *Cava terra*, ſicuti *Syria Coele* ſive *Cava* dicitur, & ſicuti κοῖλαι *Coelae* (ſupple νῆσοι) vocantur Plinio parvae circa Troadem inſulae. Situs ergo ſacri Minervae campi erat in *Coele* (ſic enim abſolute vocabatur) h. e. in ea terra cava, quae circa Acirin fuit. *Coele* opponitur tam montanis, quam ὑπωρείαις (*montium radicibus*) idque eſt laudatiſſimum terrae genus.

VERSV 9. ετερμαξαν] Haec eadem vox occurrit in fragm. Brit., niſi quod ibi Maittairus edidit ετειμαξαν. At nos ibid. eam vocem reſtituimus, nim. ex loci hujus collatione. Τερμάζω novum verbum eſt, quod unice Tabulis hiſce debemus; etſi cetera vocis hujus proſapia jam ex Heſychio, & ex uſu auctorum innotuerat; veluti ſunt τέρμα, & τερματίζω cum ſuis deſcendentibus: ad haec τέρμις, & τέρμων cum derivatis atque compoſitis.

VERSV 10. Poſt Καταχλητωι αλιαι (h. e. *calatis comitiis*, ut ad Fragm. Brit. dictum) ſequitur, συνεμετρησαμες, & ſic ſemper perſonâ 1. plur. Hinc enim finitores ex ſua perſona loquuntur, eoque in eum modum concipiuntur fere omnia, ut conſtat ex illo ποτεδασσαμεθα (quod ſaepe recurrit ad finem uſque) Tabulae I. h. e. ad v. 109.

DISCVSSIO.

De jugeratione tabulae hujus.

Hinc jam, aut certe a v. 14. ad 21. procedit (5) jugeratio, h. e. diviſio atque delimitatio per jugera tum ſimplicia (ut hinc uſq. ad v. 15.) tum etiam compoſita, puta ſeſquijugera, trigya, penthemigya, ut in ſequentibus uſque ad ver. 30. fit. Ea jugeratio idcirco videtur adhibita, quod antiqua agri Minervii deformatio jugeratim peracta fuerat. Quam ut recognoſcerent, animadverterentque num ſalva omnia Minervae atque integra ſupereſſent; idcirco jugeratio uſurpata fuit: ex qua quaedam a privatis interverſa, facile recuperare licuit.

Atque hîc gravis incidit dubitatio; qua nim. notione hîc jugera accipienda ſint, utrum tamquam merae longitudinum menſurae, an vero ut ἐπίπεδα in longum atque latum porrecta. Si Latinam jugerum notionem attendimus; non aliter quam ſenſu poſteriore hîc jugera capienda erunt. Apud Latinos enim etſi jugera pro diverſis regionibus varios modos capacitatis acciperent (uti licet ex agrariis ſcriptoribus diſcere) tamen non eſt dubium quin plerumque jugera pedibus CXX. in latum CCXL. in longum protenderentur; quippe quae ex duobus actibus quadratis (quorum ſinguli quaquaverſum pedes CXX. patent) confieri traduntur. Nec unquam memini, apud Latinos *Jugera* pro mera longitudinis menſura reperiſſe.

Tamen apud Graecos vox Πλέθρον (quod eſt γύας ſynonymum, eſtque longe uſitatiſſimum jugeri vocabulum) etſi pro menſura quaquaverſum patente, ac ferme Latinis jugeribus (6) reſpondente haud raro accipiatur; tamen interdum etiam pro modo longitudinis ſumitur. Suidas enim in Πλέθρον memorat πλεθριαῖον διάστημα (*jugeralem diſtantiam*)

(5) In Scriptoribus agrariis p. 253. ex Caio & Theodoſ. affertur: *Veteranorum agri ſecundum modum* (bonitatis) *jugerationes acceperunt*; ita ſcil. ut minor jugeri modus in agro fertili, quam in infecundo aſſignaretur. Nam jugeri modus non idem ſemper, nec ubique fuit.

(6) Plutarchus in Ariſtide prope finem, *centum* πλέθρα γῆς πεφυτευμένης (*jugera terrae arboribus conſitae*) Ariſtidis filio ab Athenienſibus donata, ſcribit: etſi Suidas, hoc idem ex incerto auctore narrans, paullum diſſentit in numero jugerum. Illud minus miror, ſi Graeci ſcriptores, ubi res Romanas attingunt, πλέθρον pro area jugerali accipiant. Itaque quod Livius de Camillo ſcripſerat lib. V. *Tulit hic legem, ne quis plus quingenta jugera agri poſſideret*; id Plutarchus in Camillo ita interpretatur; ἐκέλευσεν ἕκτος μηδεὶς πλέθρων πεντακοσίων πλείονα χέρσον κεκτῆσθαι.

Digitized by Google

ΙΙ απο τω αντομω τω απο καινεων αγοντος επι ταν ϝοδον ταν τρι | ἀπὸ τοῦ ἀντόμου τοῦ ἀπὸ Καινῶν ἄγοντος ἐπὶ τὴν ὁδὸν τὴν τρι-

11. *a limite, qui a Caenis ducit ad viam Tri-*

ſtantiam) quam quidem cubitis LXVIII. determinat, ita ut ſit pars ſtadii ſexta. Suidae locus eſt paullo perturbatior: quem tamen ſtuduit Kuſterus refingere. Atqui non eſt dubium, quin diſerte Suidas doceat πλέθρον eſſe ſtadii partem ſextam, quod & antiquiores affirmaverant: in primis Strabo in VII. ad finem pag. 322. ubi ſic poſuit, δίπλεθρον, ὅ ἐστι τρίτον σταδίου, *Duo jugera, quae tertiam ſtadii partem* efficiunt: certe quia jugerum unum ſextam ſtadii dabat. Ad quem locum videatur Caſaubonus, hinc Harmenopuli locum illuſtrans.

Ergo πλέθρον non minus ac ſtadium, modus erat diſtantiarum. Hinc Xenophon in Paediae VII. (qui locus & a Suida laudatur) πλεθριαίους φοίνικας (*jugerales palmas*) naſci Babylone prodidit, h. e. jugerali proceritate, quae ſcilicet ſextam ſtadii partem impleret, ſive pedes LXVIII. Atque haud ſcio an etiam Homericum Tityi ſtratum ad jugera (7) novem porrectum, ſit in hanc partem accipiendum.

Cum ergo Graecorum *Jugera* non tantum planas areas notent, ſed & longitudines meras; utrâ notione in hac Tabula γυῶν (*jugerum*) vocem accipiemus? In re ſatis obſcura haud pluribus diſtinebo lectorem. Illud quidem mihi certum videtur, ubi ver. 31. ευρος τριγυον (*trijugeralis latitudo*) memoratur, ibi de lineari menſura agi, praeſertim cum ibidem ex adverſo longitudo per pedes colligatur. At vero hinc uſque ad ver. 21. utrâ notione γύα cum ſuis compoſitis ſit capienda, de eo eruditi decreverint. Mihi quidem a vero non alienum videtur, hinc uſque ad ver. 21. γύας, *hemigya*, *trigya*, *penthemigya* non longitudines meras notare, ſed areas quaquaverſum patentes, quemadmodum apud Latinos *Jugera*, *ſemijugera*, *ſeſquijugera*. Cur iis menſuris hîc uſi ſint, jam ſupra conjecimus, nempe ut primitivam campi hujus ichnographiam in rem praeſentem experirentur: quod noſtratibus dicitur, *Praticar la pianta.*

VERSV 11. απο καινεων αγοντος] Dorice Καινᾶν pro Καινῶν. Apparet eſſe loci in vicino poſiti nomen: quod Graece retinendum putavi; cum ceteroqui ſi vertiſſem *A novis*, minime reprehendendus (8) fuiſſem: niſi quod in propriis locorum nominibus praeſtat ejus linguae, qua incolae utebantur, nomina retinere integra. Eſt vero Καινῶν iſtud facilius agri, collis, aliuſve loci recens culti nomen (quantum quidem periochae συνεχεία indicat) quam urbis, pagive. Nec tamen diſſimulavero, eſſe apud me nummum inſcriptum KAINON (fort. pro Καινῶν) quem antea ineditum ſuſpicatus, poſtea ab Havercampo inter Siciliae numiſmata exhibitum reperi. *Caene* itemque *Caenon Hydreuma* oppida Aegypti ſunt. Plinio *Caene* parva inter Italiam & Africam inſula fuit. Ad unumne aliquem ex his locis nummus is pertinet, an ad alium fortaſſis in Magna Graecia aut Sicilia, a veteribus non deſcriptum?

VERSV 11. 12. ϝοδον των τριακοντα-πεδων] In Comm. ad Tabulam priorem

(7) *De Homerico Tityi cubili.*

Homerus Odyſ. Λ. Tityum apud Inferos in novem jugera protentum jacuiſſe cecinit. Ὁ δ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα: quod in VI. Virgilius ita interpretatur, *Cui tota novem per jugera corpus porrigitur.* Ac ſcire intereſt, quam in partes πέλεθρα (h. e. πλέθρα, *jugera*) novem vates acceperit: utrum ut longitudinis modum ſeu ſtadii partem, an vero ut agri aream? Poſterius videbatur verius, quia Tibullus ſic eadem novem jugera enarravit, ut *Terrae* adderet: qua adjectione videtur jugera more agrario accepiſſe.

Porrectuſq. novem Tityus per jugera TERRAE.

Vel ſic tamen res eodem ferme redibit. Nam ſi illa novem terrae jugera (quae Tityi ſtratum aequabant) ſecundum longitudinem ſuam (quae latitudine major erat) in directum protenta concipias; tum id totum menſura evadet Tityi corporis. Ita ſi verbi causâ jugera illa paria Latinis jugeribus fuiſſe tantiſper fingamus; tum Tityi lectus non latior pedibus CXX. fuiſſet: at vero longus immane quantum. Nam jugerum IX. Latialium longitudines in directum poſitae pedes 2160. dabunt. Haec ideo poſui, ſi qua forte ex his aeris hujus jugerationi oboriatur lux, uti ad v. 31. aut alibi videbimus.

(8) In Itinerariis *Novae*, *Nova*, & ablat. *Novis* quam ſaepiſſime occurrunt.

Digitized by Google

12 αχονταπεδον ταν επι θαλασσαν αγωσαν και εγενοντο απο	ακοντάπεδον τὴν ἐπὶ θάλασσαν ἄγουσαν· καὶ ἐγένοντο ἀπὸ
13 τω αντομω ποτι ταν βουβητιν ταν δια των γυαν εκ πολιος ρεω	τοῦ ἀντόμου πρὸς τὴν βουβῆτιν, τὴν διὰ τῶν γυῶν ἐκ πόλεως ῥέω-
14 σαν Ͱεπτα γυαι απο δε τας βουβητιος επι ταν τριακονταπεδον	σαν ἑπτὰ γύαι· ἀπὸ δὲ τῆς βουβήτιος ἐπὶ τὴν τριακοντάπεδον
15 τρεις και δεκα γυαι απο δε τας τριακοντα- πεδω επι ταν τριακον	τρεῖς καὶ δέκα γύαι· ἀπὸ δὲ τῆς τριακοντα- πέδου ἐπὶ τὴν τριακον-
16 ταπεδον ταν δια των τριⱭημιγυων αγωσαν και εγενοντο	τάπεδον τὴν διὰ τῶν τριημιγύων ἄγουσαν, καὶ ἐγένοντο
17 Ⱨεννεα τριⱭημιγυα διαβαντες δε ταν τριακονταπεδον εμε	ἐννέα τριημίγυα. Διαβάντες δὲ τὴν τριακοντάπεδον ἐμε-

12. *gintapedalem, quae ad mare ducit. Et exſtiterunt a*
13. *limite* [ſupra ſcripto] *ad Bubetin* [viam] *quae per jugera ex urbe decur-*
14. *rit, ſeptem jugera: a Bubeti vero ad Trigintapedalem*
15. *tredecim jugera: ab* [hac] *porro trigintapedali ad trigin-*
16. *tapedalem, quae per tribemigya ducit, & redacta ſunt*
17. *novem tribemigya. Porro tranſgreſſi trigintapedalem, cum emeti-*

pag. 156. Adn. 32. τριακονταπεδον eſſe viae alicujus triginta pedes latae nomen, dixi, ſed tantum ex veriſimili, quia Ⱨοδον aberat: quae vox cum hîc reperiatur, jam id certum efficitur. Haec vero agri Minervii via trigintapedalis utrum eadem fuerit ac illa Dionyſiaci, judicandum aliis permitto. Nihil tamen impedit, quin haec via totam agri Heracleenſis univerſitatem ita pervaſerit; ut tum Triacontapeda Dionyſiaci, tum haec Minervii ejusd. nominis, ad unius viae diverſa loca pertinerent.

VER. 13. βουβητιν] *Bubetin* etiam viae fuiſſe nomen, ex contextu verborum & ex veriloquio patet. Ex βοῦς enim & ex βάω venit; quaſi ſi eſſet via τοῖς βοσὶ βάσιμος, h. e. in id facta, ut *bubus permeabilis* eſſet. Vocalis A verbi βάω in *Eta* tranſiit: quae permutatio etiam in Αμφισβητῶ accidit. Nam hoc idem verbum Heſychius cum A ſuo primitivo habet, ajens: ΑΜΦΙΒΑΤΕΙΝ· Αμφισβητεῖν. Idem: ΑΜΦΙΣΒΑΤΑ· Αμφισβητήσιμα. Videatur & Suidas de Αμφισβητῶ, quod a βάω veniat. Haec eadem via hîc dicitur (δια των γυαν) *per jugera ex urbe decurrens*. Potuiſſet vox Γυων in hoc primo æris hujus loco primaria ſignificatione *per arva* reddi, ut Πυροφόροι τε γύαι: at verſu ſeq. ac porro, haud dubie ea vox πλέθρα (*jugera*) i. e. terrae menſuram certam notat; ſicuti etiam in compoſ. τρίγυον ac tot aliis infra occurrentibus. Itaque hoc etiam loco *per jugera* verti debuit.

VER. 15. 16. *A trigintapedali vero ad trigintapedalem, quae per tribemigya ducit*] Quid inter utramque τριακοντάπεδον interfuit? Hoc puto, quod prior illa eſt, *quae ad mare ducit* (ut ver. 12. dicitur) quaeque hactenus nomine τριακονταπέδου, uti opinor, in hoc aere intellecta fuit: altera vero eſt, *quae ducit per tribemigya*, ut hîc aperte ſignificatur. Nec tamen duas diſtinctas vias capiendas cenſeo, ſed unius partes diverſas duas, quaſi ſi ſic interpretere: *A triacontapeda ad* (eamdem) *triacontapedam, quâ* parte *per tribemigya ducit*. Multa vero hinc & in ſequentibus ſunt vocis Γύα (quatenus *jugera* deſignat) nova compoſita, quae nunc primum occurrunt. Hîc quidem v. 16. & v. 19. & 29. legitur τριⱭημιγυον. Ver. 20. & 30. πενθημιγυον. Adhaec Τριγυον per plures caſus ſaepiſſime reperitur. Haec, inquam, nova verba ſunt: quorum ultimo nemo non videt jugerum trium menſuram notari. At duo priora ex ἡμίγυον (*ſemijugerum*) componuntur. Itaque πενθημίγυον quinque ſemijugera continet: ſicuti τριημίγυον ſemijugera tria, ita ut reddi debeat *Seſquijugerum*,

quo

Digitized by Google

18 τριωμες ποτι τον Δικατιδειον και απεμε-	τελῶμεν πρὸς τὸν Δικατίδειον, καὶ ἀπεμετρή-
τρησαμες το δεκα	σαμεν τὸ δέκα-
19 τον τριτημιγυον τα δε τριγυα ουκ εξε-	τον τεμημίγυον· τὰ δὲ τρίγυα οὐκ ἐξεποιοῦν
ποιον καθως το αρχαιον	καθὼς τὸ ἀρχαῖον
20 ευρισκομες γεγενημενα αλλα πενθημι-	εὑρίσκομεν γεγενημένα, ἀλλὰ πενθημίγυον
γυον μονον κα	μόνον κα-
21 τελειπετο εκ των δυων τριγυων την δε	τελείπετο ἐκ τῶν δυῶν τεγγύων· τὴν δὲ λοι-
λοιπαν γαν Διδιαν	πὴν γῆν ἰδίαν

18. *remur ad Vicatideum verſus, demenſi fuimus deci-*
19. *mum tribemigyum. Nam trigya non* [plane] *abſolvebantur, ſicuti antiquitus*
20. *comperiebamus fuiſſe: verum penthemigyum unum re-*
21. *linquebatur ex binis trigyis. Reliquam vero terram ſui privati juris*

quo Plinius XVIII. 18. utitur. Quamvis vero haec ſint nova verba; ſunt tamen alia ejusdem ingenii nomina in uſu ſcriptorum. Theophraſto τριημιχοίνιξ & πενθημιχοίνιξ uſurpatur. Quid ſit in verſibus πενθημιμερὶς, omnes norunt. Nec minus uſitata τριημιτόδιον, & πενθημιτόδιον. Haec porro vocabula ad vitandas numerorum fractiones percommode a Graecis, prout uſus poſcebat, cudebantur (niſi quod iſto modo rariuſcule ſumma (9) exacte efferebatur) de quo infra ad ver. 19. & ſeq.

VER. 18. 19. 20. 21. De *Vicatideo*, quod nunc primum nominatur, videſis in Exerc. *de Antomo*: in qua plura de eo, quid ſit *Limes Vicatideus*, diſputavi p. 181.

Ibid. ſequitur: *Demenſi ſumus decimum tribemigyum*. Sive potius (nam horum nonnulla περιφράζειν expediet) *metiendo abſolvimus decimum tribemigyum: quia trigya non* (plane) *abſolvebantur*. Ad ſententiae captum praenoſſe convenit, finitores Heraclienſes non easdem in ſingulis agri Minervii partibus adhibuiſſe menſuras, ſed per quas efficeretur, uti portiones illae ad tot exacte ſive jugera, ſive trigya, ſive conſuetas alias menſuras agrarias redigerentur, ita ut nihil fractionum ſuperflueret, nihil deeſſet ad ſummam. Ergo ſi quaeras cur ſup. ver. 14. & 15. jugera, non vero aliae menſurae adhibitae fuerint; reſpondebitur portiones illas non potuiſſe ad tot exacte modos alios agrarios redigi, ita ut nihil minutiarum excurreret, decederetve, at id tantum ſucceſſiſſe in jugeribus: praeſertim quod is modus ſimplicior eſt ceteris, qui conflantur ex jugeribus pluribus ſive integris ſive fractis. At vero ubi ad metiendam portionem *Vicatideo* adherentem ventum fuit: *tribemigya*, h. e. ſeſquijugera, pulchre uſurpata fuerunt, quia haec agri quantitati congruebant exacte. Ac ſic porro in ſequentibus, ubi *trigya* aliudve tale in uſum dimenſionis arripitur.

Pergit: τα δε τριγυα ουκ εξεποιον.] Mira vox εξεποιον. Nam aut comm. dialecto ἐξεποίουν ſcribendum erat, aut (ſi adſpergere Doriſmum libuiſſet) εξεποιεῦν, aut quo alio modo. Verum aeris ſcripturam minime mendoſam arbitror. Nam in his Tab. hoc verbum bis quidem ita uſurpatur, ut ſit a ποιέω (ut I. 85. πιωντι, & I. 89. ποιήσει) bis vero, ut ſit a novo barytono ποίω, ut I. 2. ποιονταστι & hîc εξεποιον. Hoc vero mihi videtur admirabilius, quod ſub activa voce hîc paſſiva ſignificatio continetur. Quocirca pro *Abſolvebant*, verti *abſolvebantur*. Noſtri etiam homines ſermone ἰδιωτικῷ uſurpant, *Non compivano*, pro eo quod eſt, *Non venivano a compirſi*. Vſu ſimilia venire in linguis omnibus nemo

(9) Ajo haec vocabula fuiſſe ad brevitatem commodiſſima, non item ad ἀκρίβειαν: plane quia numerorum fractiones negligebantur. Ea de cauſa minus ſcrupuloſe illud Theophraſti in VIII. hiſt. plant. 4. acceperim. *Athletae*, inquit, *in Boeotia* (τριμιχοίνικα) *tres choenicis medietates* (tritici) *vix conſumunt: qui ubi Athenas venerint* (πενθημιχοίνικα) *quinque dimidiatas choenices facile abſumunt:* ex quo colligit, Boeoticum triticum Attico ponderoſius. At aliquid etiam coeli Boeotici craſſitudini dandum erat, qua vis concoctionis hebetabatur. *Boeotum in craſſo jurares aëre natum*, canebat ille.

Digitized by Google

22 τινες επεποιηντο ταυταν απεκατεστασαμες ται αθαναι	τινὲς ἐπεποίηντο · ταύτην ἀπεκατεστήσαμεν τῇ Ἀθήνῃ
23 κατα αρχαια απο δε τω Σικατιδιω ταν ες ποταμον τον ακιριν	κατὰ τὰ ἀρχαῖα · ἀπὸ δὲ τοῦ Σικαπδείου τὴν εἰς ποταμὸν Ἄκιριν
24 γαν ποτιγενομεναν ταν εμμεσσωι τας τε Ηεκατομπεδω	γῆν προσγενομένην τὴν ἐν μέσῳ τῆς τε Ἑκατομπέδου
25 και τας Ηηρακλειας Ηοδω και ταυταν πασαν Σιδιαν επεποιηντο	καὶ τῆς Ἡρακλείας ὁδοῦ · καὶ ταύτην πᾶσαν ἰδίαν ἐπεποίηντο

22. *quidam effecerant. Hanc reciperavimus Minervae*
23. *ſecundum priſtinam formam* : (&) *a Vicatidio* (reciperavimus) *eam quae ad flumen Acirin*
24. *terra adgeſtu adcreverat in medio Hecatompedae*
25. *& Heraclienſis viae. Et hanc quidem totam privatam effecerant*

ignorat. Ait igitur: *Trigya* (tot numero exacte) *non abſolvebantur, ſicuti antiquiſtus comperiebamus fuiſſe.*

Sequitur ver. 20. & 21. *Sed penthemigyum tantum relinquebatur* (& quidem exacte abſolutum) *ex duobus trigyis*. Jam hinc & ex ſuperioribus vides, id ubique finitores ſtuduiſſe, ut id genus menſuras ederent, quae exacte & ſine minutiis excurrentibus, agri modum adaequarent. Hinc quoque vides, id quod ex agro ſacro vicini deraſerant, ad quamnam rationem referri oporteat. Nam trigya duo ſunt ſex jugera, ſive ſemijugera XII. At penthemigyum unum ſemijugera quinque continet. Ergo integer ejus, qua de agitur, portionis modus, qui olim a dea Poliade poſſidebatur, ſeſe habet ad eum modum, quem in praeſentia finitores collegerunt, uti XII. ad V. Nam ex duodecim, ad ſuas privatas rationes quidam interim dolo ſemijugera ſeptem tranſtulerant.

VER. 21. *ταν δε λοιπαν* &c.] Quae hinc uſque ad ver. 27. ſequuntur, ex aere priore declarantur. Totius enim periochae hujus paria planeque gemella reperies extremo fragmento Brit. (ver. 48. 49. 50.) & aeris Neapolitani initio ver. 1. 2. Ibi adnotata ſi conſulas, nihil reliqui reperies, quod hîc adnotari neceſſe fuerit. Vel ſic tamen nonnulla inſpergemus.

VER. 22. *απεκατεστασαμες*] Valet hic locus ad exempla augmenti duplicis cumulanda. Nam ceteroqui regulare fuerat, *αποκατεστασαμες*.

Ver. 23. illud *κατα αρχαια* quid ſit, expoſuimus pag. 171. col. 1. & 2. ubi haec omnia recitavimus vertimuſque. Ibi ἀρχαῖα reddidi *priſtinam formam*. Agrarii ſcriptores *formae* nomine agri ἰχνογραφίαν ſive deformationem intelligunt. Erat haud dubie in publico tabulario vetus agri Minervii forma: ad quam finitores noſtri omnia ad priſtinum reſtituerunt, doloſis detentoribus exturbatis. Vide p. 256. Adn. 1.

Ibid. *απο δε τω Σικατιδιω*] Hinc uſq. ad initium ver. 25. altera terrae portio, olim dolo malo a privatis occupata, ac poſtea recuperata, deſcribitur. Hoc igitur inter Tab. I. & hanc intereſt, quod in ea una continens terrae portio Dionyſo reciperata oſtenditur: hîc vero duplex. Ibid. pro eo quod ſcribitur *ταν ες ποταμαν* &c. *eam quae ad flumen Acir.* &c. videbatur ſcribi debuiſſe, *Ad fluminis Acir. ripam*; cui terra adgeſta adhaereſcit. Eſt ἀκυρολογία.

VER. 24. *γαν ποτιγενομεναν*] Vis vocis *ποτιγενομεναν* hîc eadem omnino eſt, ac quam tribuimus illi alteri *ποτιγεγενημεναν*, quae in Brit. ver. 38. occurrit. Vtrobique de terra per Acirim amnem adgeſta agitur. Ex utriuſque loci collatione diſces, quaenam in hoc negotio ſit vis verbi *προσγίνομαι*: de quo p. 161. Adn. 45. Porro de *Hecatompeda* vide omnino ad ver. 42.

Ver. 25. *ταυταν πασαν* &c. Haec & ſequentia in anteceſſum vertimus, & illuſtravimus pag. 171. ad Brit. ver. 49.

VER. 26. *απεσταν*] Pro *ἀπέσησαν*: quae ſatis eſt uſitata ſyncope. Cur verterim *Reddiderunt*, rationem pro me afferet Heſychius: cui ΑΠΟΣΤΗΣΑΣΘΑΙ eſt

ἀπο-

Digitized by Google

26 τοις και τοι μεν ωριξαντες απεστην τοις δε εδικαξαμεθα δικας

27 τριακοστειους και αποκαταστησαντες τοι θεοι κατα αρχαια παν

28 ταν την γαν κατεδασασαμεθα και ορως επαξαμες εφεκαστας τας

τοις. Και οι μεν ερισαντες απεσησαν· τοις δ' εδικασαμεθα δικας

τελεσκοσιας, και αποκαταστησαντες τη θεω κατα τα αρχαια, τουτην την γην, κατεδασαμεθα, και ορους επηξαμεν εφ' εκαστης της

26. *quidam. Atque hi ubi litigaſſent* (poſtea rem diſceptatam) *reddiderunt: quibus nos tamen irrogavimus multas*

27. *trigeſimanas*: (eoque modo juribus omnibus) *deae redintegratis ſecundum priſtinam formam*, (ita demum)

28. *hanc terram partiti ſumus, terminoſque depanximus in ſingulis*

ἀποδοῦναι χρέος, *Reddere debitum*. Heſychianum iſtud totidem verbis deſcripſit Suidas in Αποσησάμενον, ubi cum ex Harpocratione (non tamen laudato) docuiſſet, eſſe πρὸς σταθμὸν παραλαβόντα (*ad libram debitum accipientem*) poſtea videtur contrarium ex Heſychii ſupra ſcriptis verbis adſtruere. Itaque his motus nuperus Heſychiani tomi prioris editor ſtatuit, in Heſychio & Suida reponi debere ἀποσῆσαι pro ἀποσήσασθαι. Nam, ſi ei credimus, apud Atticos oratores prius eſt *ad libram reddere*, poſterius *ad libram accipere*. Quae correctio aeri noſtro vellicatur: in quo activum eſt ἀπέσαν, *reddiderunt*. Conſentit & alter Heſychii locus, in quo activum ΑΦΙΣΤΗΣΙΝ eſt σταθμῷ παραδίδωσιν, *ad libram tradit*. Tamen abſit, ut Heſychianum locum ſuperiorem a Suida tranſcriptum mendi accuſem. Itaque ſic ſuſpicor. Activum Ἀφίστημι eſt tantum ἀποδοῦναι *Reddere*, non item *Accipere ad libram*: at vero medium ἀφίσασθαι utroque ſignificatu praeditum (nec praeter ſolitum mediorum verborum) putavit Heſychius; ita ut tam, Πρὸς σταθμὸν ἀποδοῦναι (*ad libram reddere*), quam *Ad libram* (ἀποκομίσασθαι) *accipere* notet. Hoc vero a pecunia, quae appendebatur, ad res ſoli transfertur in aere noſtro.

Ibid. v. 26. & 27. τοις δε εδικαξαμεθα δικας τριακοστειας] De δίκαις τελεσκοσίαις vide copioſam Diſquiſitionem ad Brit. ver. 49. pag. 172. 173. Plane *poenas* ſive *multas trigeſimanas* non aliud quam uſuras intelligi, ut quae trigeſimo quoque die rediebant, ibi dictum fuit. Nam hi doloſi detentores terram quidem coacti reſtituerant, fructus non item. Quocirca fructuum in ſortem redactorum nomine tenebantur uſuras pendere. Quae, quod hîc δίκαι (*poenae* ſive *multae*) vocentur, id inauditum non eſt. Memini alicubi reperiſſe, uſuras, *Poenas capitis* h. e. ſortis appellatas. In eadem Diſquiſitione extremâ dixi, in hac facti ſpecie videri multas iſtas trigeſimanas, ſive uſuras fructuum non ſolutorum, poſſe ad anatociſmum referri. Quo ſpectat quae in Neap. lapide Puteolis eruto (apud Grut. CCVIII.) pulcherrima exſtat ſententia Alfeni Senecionis (ſubpraefecti claſſis praetoriae Miſenenſis, cujus tunc Plinius ſenior, qui ab incendio Veſuviano periit, praefectus erat) in cujus ſententiae fine hoc legitur: HEREDES · VERO · PATVLcii (10) DIOCLetis · MVLCTENTVR · SORTE · VNA · CVM · ANATOCISMO · BINAE · CENTESIMAE · VSVRAE · Vbi & uſuras ex ſe gignere anatociſmum vides; ac ſimul de his omnibus *Mulctandi* verbum uſurpari: id quod reſpondet locutioni loci hujus, εδικαξαμεθα δικας τριακοστειας.

VER. 28. ταυταν την γαν κατεδασασαμεθα] Hactenus ex vetere agri Minervii forma in praxim redacta, recuperantur Mi-

(10) Supra in eodem titulo PATVLCI DIOCLETIS integre legitur. Gens PATVLEIA pro *Paulcia* in Indice nominum Grut. legitur, haud dubie mendoſe. Ex inedito quodam Puteolano lapide, quem Neapoli exſcripſi, reperi eam gentem Puteolis non infrequentem fuiſſe. Is incipit, SEX · PATVLCI · APOLAVSTI · AVG. DVP. PVT. &c. Praeterea ex Teleſiae ruderibus eruti litterati annuli ſignatorii ad me ſubmiſſum ab amiciſs. Parocho Petro Antonio Vitali (ob nummariam gazam a ſe comparatam claro) exemplum tale erat. In pala ſcriptum erat: L · L · PATVLCIOR
IVC · ET · SVCC
Quod ita legendum eſſe, *Luciorum* (duorum) *Patulciorum Jucundi & Succeſſi*, ex annuli dorſo intelligitur, ubi compendio ſcalptum fuit: IVCVNDI · L · P · h. e. *Jucundi Luci Patulci*. Pluribus de cauſſis rarus eſt annulus.

Digitized by Google

29 μεριδος και εποιησαμες παρ το τριη-	μερίδος. Καὶ ἐποιήσαμεν παρὰ τὸ τεμμίγυον
μιγυον το δεκατον πρωτον τρι-	τὸ δέκατον πρῶτον τρι-
30 γυον ποτθεντες ποττο πενθημιγυον αφας	γυον προσθέντες πρὸς τὸ πενθημίγυον ἀφ' ἧς
κατεσωιξαμες γας ηωσ	κατεσώσαμεν γῆς ὥσ-
31 τ ημεν εκπλεον ευρος τριγυον μακος απο	τ' εἶναι ἐκπλέον εὖρος τρίγυον· μῆκος ἀπὸ τῆς
τας ηεκατομπεδω αχρι ποτ	ἑκατομπέδου ἄχει πρὸς
32 την ηρακλεαν ηοδον αν τως ορως και	τὴν Ἡρακλείαν ὁδὸν ἀνὰ τοὺς ὅρους. Καὶ ἐγέ-
εγενοντο σχοινοι ηεκατον τρι	νοντο σχοῖνοι ἑκατὸν τρι-
33 ακοντα ηοκτω ορεγματα ηοκτω ψιλας	ἀκοντα ὀκτὼ, ὀρέγματα ὀκτὼ· ψιλῆς μὲν
μεν ηεκατον τριακοντα τρις ορεγματα	ἑκατὸν τριάκοντα τρεῖς ὀρέγματα εἴ-
εικατι	κοσι.

29. *portionibus*. [Prima divisio in partes duas: Pars I.] *Ad haec pone tribemigyum illud decimum effecimus primum tri-*

30. *gyum* [*addentes* scilicet *penthemigyo* uni *a terra quam recuperavimus* tantum, *quantum satis*

31. *esset ut redderetur expleta latitudo trijugeralis*]. *Longitudo vero ab Hecatompeda usque ad*

32. *Heraclienſem viam ſecundum* rigorem *terminorum*. *Redactae sunt autem schoeni centum tri-*

33. *ginta octo, passus octo : glabreti quidem centum triginta tres* (schoeni), *passus viginti*

Minervae omnia, quae vicinorum interceperat fraus. Nunc ad partitionem, dimensioneſque partium ſingularum (nec niſi per menſuras longitudinum uſitatiores) ac porro ad locationes, ad finem uſque ſuperſtitis æris methodo uniformi progreditur. Hoc tantum peccat, quod nulla praemittitur generalis diviſio in tot numero portiones majores, quae rurſum in alias partes minores ſubdiſtinguantur: de quo in Argum. num. II. ſatis conqueſtus fui. Vt ecce haec prima portio (quae a v. 29. uſque ad v. 41. pertinet) in particulas duas initio partienda fuerat; ſicuti facto dividitur. Item altera (de qua uſque ad v. 71. agitur) inſcio lectore in particulas quatuor re ipſa dividitur. Tertia ad finem uſque laceri metalli progrediens, in ſex minimum particulas (quia in earum ſextâ deſinit) facto ſubdiſtinguitur. Nos lectorem quoquo modo juvaturi, in interpretatione noſtra initiis partium tum principum illarum trium, tum τῶν ὑπαλλήλων (*ſubalternarum*) brevia lemmata uncis incluſimus.

VER. 29. 30. *και εποιησαμες*] Verbum iſtud non alio refertur quam ad finem v. 29. nim. ad illud *πρατον τριγυον*; cumque eodem accuſativo tum in Latino, tum & in Graeco dialecti communis textu, ad juvandos lectores copulavi, toto praeterea commate intra uncos incluſo.

VER. 30. *ποτθεντες*] Hoc uſque ad *γας*, niſi tamquam *παρεντιθέμενον* (*interpoſitum*) legatur, turbabit lectorem. Ordo parentheſeos ejus hic eſt, *προσθέντες ἀπὸ γῆς, ἣν* (nam illud *αφας γας* reſolvitur in *ἀπὸ γῆς ἣν*) *κατεσώσαμεν, πρὸς τὸ πενθημίγυον* &c. id quod & in interpretamento feci. De ſyntaxi iſtius *αφας* vide dicta in I. 2. ad illud ΑΦΩΝ, quod ibi ex vero ſupplevimus.

VER. 31. *ευρος τριγυον*] Sic etiam & in ſecunda particula infra v. 37. Notabile hoc eſt, quod harum particularum latitudo per jugera (per jugera, inquam, verum in directum poſita, ut Adnot. 7. dictum: aut vero ut jugerum ſit ſtadii ſexta pars) longitudo per ſchoenos (h. e. diſtantiarum menſuram) colligitur: de quo ſup. ad v. 10.

VER. 32. *ηρακλεαν*] pro *ηρακλειαν*. Cum diphthongo frequentius in ære hoc. At interdum & ſine diphthongo reperitur iſtud derivativum.

VER. 32. 33. 34.] Hic primus locus eſt, quo de ſchoeno, oregmate & pede ſic agitur, ut eae inter ſeſe menſurae facillime comparari poſſint. Proinde cum plu-

Digitized by Google

pluribus de cauſis hic ſe commendet locus, ei tantiſper immorabimur.

DISCVSSIO
De Heraclienſium ſchoeno, oregmate, pedibus.

I. Ac de ſchoeno non aliud ſciebamus ex Herodoto, & aliis, quam fuiſſe diſtantiarum menſuram, ſtadiis ſive LX. ſive XL. ſive XXXII. aequalem: at hinc & ex Tab. I. diſcimus fuiſſe etiam agrarii modi genus, & quidem (quantum ex utraque Tabula agnoſcimus) Herodoteae illius itinerariae menſurae partem multeſimam. Atque equidem de ſchoeno non nulla attigeram ad Brit. 19. pag. 158. Adnot. 38. Verum quod ibi in fine adnotationis dixi, non liquere, quot in ſchoeno oregmata, quotve in oregmate pedes eſſent, in eo ipſe me feſtinationis accuſo; quia hinc & ex aliis hujus Tab. locis id optime deprehenditur.

II. Quod Ὄρεγμα *paſſum* notaverit, id jam ante docuerat Heſychius; ſed ejus (11) locus in eam partem accipiebatur, quatenus ὄρεγμα in gradiendo valet, non quatenus genus menſurae eſt: at quod ὄρεγμα etiam nomen menſurae ſit, id unice huic aeri debemus. A Latiniſne menſorium paſſum Magni Graeci arripuerint, an ab Italienſibus Graecis (quo equidem magis propendeo) Latini, alii viderint.

III. In aere priore ſchoenus hanc unam partitionem habet, ut in hemiſchoena duo dividatur: at in hoc altero, praeter hemiſchoena, pluries ſchoenus in oregmata, hoc interdum in pedes dividitur. Ac ferme id ubi fit, indidem colligitur, ſchoenum oregmata (h. e. paſſus) XXX. complexam fuiſſe. Verbi cauſa in Parte II. (cujus metatio a v. 50. incipit) ſunt quantitates duae, nimirum.

v. 53. ſchoeni – 63. oreg. 12.
v. 55. ſchoeni — 8. oreg. 26. ped. 2.

Harum ſumma eſſet

ſchoen. – 71. oreg. 38. ped. 2.

Atqui ver. 56. cum ex utraque quantitate colligatur ſumma ſchoenorum 72. oregmatum octo, pedum duorum, id aperte ſuadet, ex 30. ὀρέγμασιν effici ſchoenum unam, ac inſuper octo ibi oregmata ſuperfluere.

Item ver. 62. oregmata duo illa ſuperfluunt; quia ex hemiſchoeno (h. e. oregm. 15.) & ex oregmatib. 17. (quae exſtant ver. 61.) confiunt oregmata 32. dividenda in ſchoenum unam, &, quae excurrunt, oregmata duo. Paria in fine partis quartae ver. 70. 71. & in ceteris omnibus deprehendes.

IV. At vero quotnam in oregmate pedes fuerint, id non aliunde potui colligere, quam ex hoc ver. 32. uſq. ad 35. Nam ex duabus hiſce ſubjectis ſummulis, nim.

ſch. 133. oreg. 26. ped. 1.
ſch. 4. oreg. 11. ped. 3.

profecto fieret ſumma integra ſchoenorum 137. oregmatum 37. pedum 4. Verum quia pedes quatuor aequant oregma unum, hinc oregmata non 37. ſed 38. numerabis. Ac quoniam ex 30. oregmatis integra ſchoenus exſiſtit; hinc recte ſumma ſic colligitur in v. 32. ac 33. ut ſint ſchoeni 38. & oreg. 8.

Et haec quidem de Magnae Graeciae oregmate ſive paſſu intelligi volo. At vero aetatae (12) Plinii *paſſus* (quem *Italicum* vocat) pedes continebat non quatuor, ſed quinos. Fortaſſis autem pedis Heracleotici modus Romano ita major erat, ut Heraclienſes quaterni quinos Romanos aequarent; eaque ratione oregma ſive paſſus Heraclienſis Romano paſſui aequalis inveniretur.

V. Po-

(11) Heſychius: ΌΡΕΓΜΑ· *βῆμα· ὄρυγμα· ἅλμα·* h. e. ὄρεγμα eſt *Paſſus, impetus, ſaltus*. Vocem ὄρεγμα (quatenus inſolens menſurae nomen eſt, quae paſſis cruribus continetur) voce *βῆμα* Heſychius declaravit: quippe vox ὄρεγμα habebatur inuſitatior. Vnde ΒΗΜΑΤΙΖΕΙ eidem Heſychio eſt τὰ ποσὶ μετρεῖν, *pedibus* (paſſis) *metiri*. Vbi & vocem eſſe Macedonicam notat: recte: quia apud Athenaeum X. c. 12. Baeto ille, qui σταδμὸς Αλεξάνδρου πορείας (*ſtationes Alexandri expeditionum*) ſcripſit, Αλεξάνδρου βηματιστὴς (*Alexandri metator*) nuncupatur. Adhaec Strabo in VII. pag. 322. de Ignatia via loquens, quae in Macedoniam ducit, proprie (βεβηματίσται κατὰ μιλιον) *per paſſus in miliaria redacta*, ſcripſit, quia ſic in Macedonia loquebantur. Polybius eodem verbo *βηματίζω* ſaepe eo ſenſu utitur.

(12) Plinius II. 23. ſic incipit: *Stadium centum viginti quinque NOSTROS efficit PASSVS* (ubi *Noſtros* ait, ſubindicat Graecanica Βήματα alius moduli fuiſſe) *hoc eſt pedes ſexcentos viginti quinque*. Nunc ſi 625. per 125. partiaris, Plinianus *paſſus* pedum quinûm fuiſſe comperietur. Briſſonius (de ver. ſign.) ex lib. varior. auctor. de menſ. ſic affert: *Paſſus dicitur, quod duobus greſſibus gradiendo conficitur. Paſſus etiam dicitur, quantum ambobus brachiis extenſis inter longiſſimos digitos eſt*. Alibi: *Paſſus pedes quinque, pertica paſſus duos* habet. Haec Latini de *paſſu* docent.

Digitized by Google

34 ⊏εξ πους αμπελων δε τετορες σχοινοι ορεγματα δεκα Ͱεν ποδες
35 τρις Ͱαυτα Ͱα γα εμισθωθη των πρατων πενταϴετηριδα διακοσιων
36 ⊏εξηκοντα Ͱεννεα μεδιμνων χοος δυων χοινικων απο δε τουτω τω
37 τω τριγυω εμετρησαμες ποττο ⊏ικατιδειον δευτερον τριγυον ευ
38 ρος αν τως ορως μακος απο τας Ͱεκατομπεδω ποτι των Ͱηρακλειαν
39 Ͱοδον και εγενοντο σχοινοι Ͱεκατον τριακοντα Ͱεννεα ψιλας μεν Ͱε
40 κατον ⊏ικατι τρις σχοινοι αμπελων δε δεκα ⊏εξ σχοινοι τουτο το τρι
41 γυον εμισθωθη ⊏εξακατιων Ͱενενηκοντα πεντε μεδιμνων

ἓξ, ποῦς, ἀμπέλων δὲ τέσσαρες σχοῖνοι ὀρέγματα δέκα ἓν πόδες
τρεῖς. Αὕτη ἡ γῆ ἐμισθώθη τὴν πρώτην πενταετηρίδα διακοσίων
ἑξήκοντα ἐννέα μεδίμνων χοὸς δυῶν χοινίκων. Ἀπὸ δὲ τούτου τοῦ
τετραγώνου ἐμετρήσαμεν πρὸς τὸ ⊏ικαπδεῖον ΔΕΥ-
ΤΕΡΟΝ τρίγωνον εὖ-
ρος ἀνὰ τοὺς ὅρους, μῆκος ἀπὸ τῆς ἑκατομπέδου πρὸς τὴν Ἡρακλείαν
ὁδὸν, καὶ ἐγένοντο σχοῖνοι ἑκατὸν τριάκοντα ἐννέα ψιλῆς μὲν ἑ-
κατὸν εἴκοσι τρεῖς σχοῖνοι, ἀμπέλων δὲ δέκα ἓξ σχοῖνοι· τοῦτο τὸ τρί-
γωνον ἐμισθώθη ἑξακοσίων ἐννενήκοντα πέντε μεδίμνων.

34. *ſex , pes unus ; vinearum vero quatuor ſchoeni , paſſus undecim, pedes*
35. *tres. Haec terra locata eſt quinquennio primo ducentis*
36. *ſexaginta novem medimnis, choëo, choenicibus duabus.* [Pars II.] *Ab hoc vero*
37. *trigyo dimenſi ſumus ad Vicatidenum verſus SECVNDAM trijugeralem lati-*
38. *tudinem per* (ſuos) *terminos , longitudinem* vero *ab Hecatompeda ad Heraclienſem*
39. *viam: & collectae ſunt ſchoeni centum triginta novem: glabreti quidem cen-*
40. *tum viginti tres ſchoeni , vineti vero ſedecim ſchoeni . Hoc tri-*
41. *gyum locatum eſt ſexcentis nonaginta quinque medimnis .*

[Hinc incipit 2. diviſio.]

V. Poſtremo ad ſchoenum Heraclienſem quod attinet, ea, uti vidimus, oregmata XXX. (h. e. pedes CXX.) longitudinis habebat. Hinc ſchoenus quadrata (h. e. area ad pedes Heraclienſes CXX. quaquaverſum porrecta) aequalis actui agrario fuerit neceſſe eſt, h. e. ac dimidium Latini jugeri, quod conſtabat ex binis actibus. De *Actus* & *Jugeri* modulo pauca tetigi ſup. p. 260.

VI. At vero iſta eadem Heraclienſium ſchoenus Aegyptiae & Herodoteae ſchoeni pars erat multeſima, uti ſupra innuimus. Nec mirum ſi res ita ſe in ſchoenis Heracleoticis habuerit; quando in ponderibus & nummorum valore par ferme ratio fuit. Nam Tarentinorum & Heraclienſium Talentum, Mina, Nummus pars longe minima cognominum ponderum & monetarum Graecis uſitatarum erat; uti copioſe in *Diſquiſit. de vet. Tarentin. &c. moneta* p. 217. oſtenſum fuit.

VER. 33. ψιλας μεν] Sic paſſim in hoc toto aere. Cur verterim *glabretum*, de eo confer dicta ad I. 127.

VERSV 35. των πρατων πενταϴετηριδα] *Quinquennio primo*. At alibi (in Brit. 50. & I. 51.) κατα βιω (*ad vitam*) locatio contrahitur. Quid vero de ſequentibus omnibus locationibus ſentiendum, in quibus tempus praefigitur nullum? Ad vitam ne contrahebantur locationes illae, an ad quinquennium? De quo jam dictum eo. SCHOLION. *Tabulae I. locationes emphyteuticas vitâque finiendas, hujus vero aeris quinquennales fuiſſe.*

Atque

Digitized by Google

Atque equidem ſuſpicabar, ubi tempus nullum ſtatuitur, generale illud κατα βιω (quod in Syntheca I. 51. locationibus praefigitur) valiturum. At vero ſi qui caſus inciderent, in quibus ad tempus locationem conductionem duraturam eſſe expediret, tum quinquennium praeſtitui conſueviſſe. Veluti hîc, cum haec agri pars adempta injuſtis detentoribus fuiſſet; auctioni locus eſse non poterat. Quid ita? quia privatis invidioſum erat in alterius civis damnum, qui deturbatus fuerat, ultro ſeſe conductorem offerre. Hoc ergo caſu idoneus quivis de populo a polianomis adigebatur, ut quavis leviore mercede ad quinquennium dumtaxat primum particulam illam coleret: quo finito, tum demum ſine invidia ſub haſta locatio libera peragebatur, cum certatim ab omnibus ad auctionem ſine ullius offenſione concurreretur. Itaque videntur, hae praediorum publicorum locationes conſueto jure *in perpetuum* ſive ad vitam valuiſſe; ſicuti & in jure Romano (l. 1. D. *ſi ager vectig.*) occurrunt *Agri civitatum vectigales, qui IN PERPETVVM locantur*; unde & ii conductores *Perpetuarii* dicti: quae vox olim vitae terminis coercebatur (ut illud æris prioris κατα βιω) etſi jure recentiore etiam heres eidem conductioni ſuccedit, *quamdiu* certe *penſio ſive reditus pro his domino praeſtetur*, ut dicitur in Inſtit. *de Locat.* Mos igitur apud hos noſtros Italiotas fuit, ut locatio vitae finibus coartaretur. At ſi quando expediret, ut ad tempus definitum locaretur, tum id diſertis verbis exprimebatur; ut in facti ſpecie, de qua Aes noſtrum loquitur. Ita equidem initio ſuſpicabar.

Sed tamen, ut *quinquennium* conſuetus locationum terminus fuerit, plura afferri ex Romanorum inſtitutis (quorum, ut ſaepe dixi, magnam partem ex Magnis his Graecis expreſſerunt Quirites) exempla poſſunt. In quinquennium vectigali fuiſſe locata, ſatis Varro innuit lib. V. de L. L. *LVSTRVM nominatum tempus quinquennale a LVENDO, hoc eſt ſolvendo, quod quinto quoque anno vectigalia & ultro tributa per Cenſores perſolvebantur*. Ac de luſtro locationum pulchre Varroni concinunt Romanae leges. Vt l. 13. §. 11. D. Locat. *Et ſi LVSTRVM forte ab initio fuerat conductioni praeſtitutum*. Labeo l. 30. §. 1. D. *de leg. 3. Qui hortos publicos a Rep. conductos habebat, eorum hortorum fructus uſque ad LVSTRVM, quo conducti eſſent, Auſidio legaverat*. Plinius IX. ep. 13. *Priore luſtro . . . poſt magnas remiſſiones reliqua creverunt*. Ac de luſtro locationum plura apud Briſſonium reperies lib. VI. de Form. cap. 70. Qui ibidem oſtendit, locationum ruſticarum initia a Kalendis Martiis (a quibus vetus Romanus annus incipiebat) proceſſiſſe. Verum ut ad luſtrum redeam; non eſt id anxie cum eruditis curandum, utrum quadriennio dumtaxat exacto, quinto vero ineunte anno, id ſit capiendum, an vero ſolido quinquennio abſoluto: nam quidquid de luſtro viri docti decreverint, hoc ipſum ad πεντατηριδα noſtram traham.

Quamquam mihi non eſt dubium, quin *Luſtrum locationum* continuerit quinquennium ſolidum. Id vero ex iis legibus poteſt intelligi, in quibus *in quinquennium* (haud ſecus atque haec Tabula πεντατηριδα terminum locato ſtatuit) locationes contrahuntur: quas quidem apud Briſſonium de Form. loc. cit. reperies. Ergo *Luſtrum* in locato eſt quinquennii ſynonymum; ita ut ubi l. 4. §. 1. *de reb. cred.* agitur de Colono *poſt luſtrum completum fructus* percipiente, & l. 3. §. 6. *de jure Fiſc.* agitur de *peracto luſtro* diſcedentibus; tantumdem ſit ac *poſt quinquennium completum*, & *peracto quinquennio*. Poſtremo quid ſignificantius l. 3. §. 1. D. *de admin. rer. ad civit. pertin.* in qua Vlpianus ex Papiniano ſic affert: *Praedium publicum IN QVINQVE ANNOS idonea cautione non exacta Curator reipublicae* (qui in his rebus cenſor Rom. reſpondebat) *locavit*. Nil clarius.

Neque vero ex Tabula I. illud κατα βιω, trahi in exemplum poteſt; nam ea locatio haud dubie ἐμφυτευτικὴ fuit: cujus emphyteuſeos nomen quidem in jure novum fuiſſe, at rem antiquam, alibi ad Kal. Marm. ad Acta S. Reſtitutae copioſe oſtendi. Plane in Aere priore nihil non contractum emphyteuticum ſuadet. Ager Dionyſiacus maximam partem ſteriliſſimus erat, utpote de τῶν σκίρων genere (de quibus egi copioſe ad Tab. I.) & aratri impatiens: cujuſmodi ager non poterat niſi ad melio-

Digitized by Google

42 διαβαντες δε τον ⊏ικατιδειον ετοιητα̃μες πρατα̃ν μεριδα παρ ⊢εκα
43 τοντπεδον εν ⊢αι ⊢α αμπελωργικα και εταμομες χοιναν ποθοδον εκ τω

Διαβάντες δὲ τὸν ⊏ικαπδειον ἐποιήτα̃μεν πρώτην μερίδα παρ' Ἑκατόμπεδον, ἐν ᾗ ἡ ἀμπελουργικὴ, καὶ ἐτάμομεν χοινὴν πρόποδον ἐκ τοῦ

42. *Tranſgreſſi vero Vicatidium*, *conſtituimus PRIMAM* (ſecundae ſectionis) *partem juxta Hecatompedam*, *in qua eſt terra vinitoria* (h. e. vineta adultiora & putationi idonea) *unde decidimus communem aditum* (*qui a*

randum dari in perpetuum jure emphyteutico: cum contra ager Minervius ſumma bonitate praeſtaret, quem non aliter quam pro more ad quinquennium elocari aequum erat. Deinde hoc ipſum & modus penſionum oſtendit. Ibi modicae mercedes exiguntur, ut emphyteuſim decebat: hîc contra graves conductoribus penſiones imperantur. Quocirca hîc obiter illud revoco, quod in Argumento (pag. 256. num. III.) ex majore mercedum quantitate agrum Minervium Dionyſiaco multo ampliorem arguebam. Non enim id recte infertur; quia levior in Dionyſiaco penſionum modus naturam emphyteuſeos ſequitur. Ac fortaſſis ampliorem fuiſſe hoc Minervio campum Dionyſiacum ex dimenſionibus largioribus aliquis deprehenderit: quae nunc ad vivum reſecare non vacat. Atque haec pro quinquennio dicta ſunto: quae meo judicio multo plus roboris habent.

VER. 42. 43. *παρ ⊢εκατονπεδον εν ⊢αι*..] Extremas duas versûs 42. litteras deletas apparet; nam pro ⊢ΕΚΑ legitur ⊢ΓΙ, initio vero ſequentis ΤΟΝΠΕΔΟΝ. Sed nullum ab eo quocumque vitio periculum, quia haec vox quinque locis aliis integra occurrit: quorum primus eſt ver. 24. ubi lectorem huc rejeci. Omnibus autem tabulae locis commune hoc, quod vox ſit generis ſequioris; quaſi ſi ὁδὸς ſubaudias. Ceterum apud ſcriptores reperitur etiam neutrius: quae loca in pagella (13) ima reperies. Hîc autem ἡ ἑκατόμπεδος quidnam rei ſit, incertum: de quo tamen conjectionem noſtram veriſimillimam ſubjiciemus.

(13) *De Ἑκατομπέδῳ tam neutrius, quam maſculi generis. Adhaec plura in tranſitu notatu digna.*

Dies me deficiat, ſi haec nunc plenâ manu perſequi velim. Digitum ad fontes intendo, Plutarchum, Harpocrationem, Heſychium, Suidam, Etymologum. Scio Meurſium de his pro dignitate egiſſe. Is nunc mihi ad manus non erat.

De neutro ſic habet Heſychius: Ἑκατόμπεδον· τὸ θέατρον. Nec alium novi, qui *Hecatompedum* pro nomine theatri acceperit.

At idem vocabulum de Minervae templo Athenis non tantum maſculino genere, ſed & neutro uſurpabatur. Teſtis Harpocration, qui & Dinarchum auctorem laudat. Ex Harpocratione id hauſit Suidas, & ex utroque forſitan Etymologus. At quod hic ultimus addit, ita dictum, quod quaqua verſum centum pateret pedes, in eo Harpocration adverſatur: apud quem reperitur ſcriptum auctore Callicle, ſive Calliſtrato, διὰ κάλλος καὶ εὐρυθμίαν, ἢ διὰ μέγεθος (*propter* operis *elegantiam & concinnitatem*, *non vero magnitudinem*) ita dictum fuiſſe: quae & Suidas exſcripſit.

Sed & mas ὁ ἑκατόμπεδος ad Minervae templum referebatur; nam ſive νεὼς (*templum*) ſive, ut plerique malunt, παρθενὼν ſubaudiebatur, teſte Plutarcho in Pericle, & Harpocratione, itemq. Heſychio: niſi quod hic ultimus in acceptione παρθενῶνος videtur ab aliis diverſus abire. Nam ceteri, quod Minerva κατ' ἐξοχὴν dicta ſit Παρθένος, ab eo factum volunt, ut ejus fanum παρθενὼν vocaretur. At Heſychius aliter ἐτυμολογᾷ, quaſi a virginibus in eo templo degentibus παρθενὼν ſit appellatus. Atque equidem credo, utrumque verum fuiſſe. Nam ἑκατόμπεδος vere Παρθένῳ deae dicatum fuit. Et tamen, quia in ων deſinentia nomina collectiva ſunt; non alia de cauſa id templum παρθενὼν vocatum videtur, quam quod in eo virgines plures Minervae cultui addictae detinebantur.

Interim Heſychii locum, ut qui nos alia plura docet, adſcribere proderit. ΕΚΑΤΟΜΠΕΔΟΣ· νεὼς ἐν τῇ Ἀκροπόλει παρθένοις κατασκευασθείς... *Hecatompedus. Templum in Arce virginibus exſtructum ab Athenienſibus, majus eo, quod Perſae incenderunt, quod pedum quinquaginta fuerat.*

Plane niſi in ære noſtro de induſtria ſemper cum artic. femin. jungeretur (ac facile ne cum ſuperioribus notionibus confunderetur) nihil prohius fuiſſet, quam ut ⊢εκατομπεδω nomine fanum Minervae dicatum intelligeremus. Nam cum campus hic Virgini illi ſacer eſſet; non inconveniens fuit, in eo etiam Deae delubrum fuiſſe. Nunc quia ſemper ſequioris generis eſt; lucrabimur tertiam ἑκατομπέδω uſurpationem, tum genere tum notione novam: de qua in ſeq. Commentatione.

COM-

Digitized by Google

COMMENTATIO

De Hecatompeda v. 42. *& tum hujus, tum Heraclienſis viae, & interjacentium vinearum poſitu: deque Minervii campi adumbratione.*

Praeſtabit initio loca de *Hecatomp.* recenſere omnia, ſicunde forte lux affulgeat. Ex hoc quidem loco, qui prae manibus eſt & ex v.54. apparet, juxta Hecatompedam fuiſſe vineta. Vide mox ad v.43. ubi de αμπελωργικα. Hinc etiam & ex ver. ſeq. ac potiſſimum ex ver. 47. diſcimus, communem πόθοδον (*aditum*) ex vineis ad *Hecatompedam* uſque pertinuiſſe. At vero verſus ille 24. (ubi prima eſt Hecatompedae mentio) ita loquitur: *Quae terra adgeſtu adcreverat in medio* (τας τε Ηεκατομπεδω) *Hecatompedae & Heraclienſis viae*. Eadem prope verba reperies v. 31. & 38. Ex quibus verbis plura intelligimus: ac primum *Hecatompedam* fuiſſe viam pedibus centum patentem: deinde Acirim amnem, & Hecatompedam, itemque Heraclienſem viam fuiſſe inter ſe vicinos ductus, & quidem inter ſe parallelos, ab Heraclea & occaſu ſolis in ortum progredientes. Hoc amplius diſcimus ſecundum amnis ripam proceſſiſſe (14) Hecatompedam, quae proinde valde convenienter (15) centum pedes lata eſſet: deinde agri Minervii vineta inter Hecatompedam & Heracleenſem viam interceſſiſſe, itemque ex vinetis ad Hecatompedam (ex ver. 45. 52. 69.) πόθοδον (*aditum*) communem omnibus vinearum cultoribus patuiſſe: poſt vineta ad ultimum Heraclienſem viam proceſſiſſe. Haec quidem ad Tabulae hujus ἰχνογραφίαν (*adumbrationem*) adnotaſſe permagni intererat.

Illud etiam noſſe proderit, ſicuti agrum Dionyſiacum ad occaſum Heracleae fuiſſe, utpote cum Pandoſia cohaerentem, jam ſupra oſtendimus; ita e contrario Minervium campum latus Heracleae ortivum obſediſſe. Conſtat hoc ex ver. 12. ubi *maris* diſerta fit mentio. Minervius ergo campus a ſeptentrione Aciri amne alluebatur: ab occaſu Heracleam aut contingebat, aut ex vicino ſpectabat: a meridie Heraclienſi via & limite Vicatideo (quorum utrumque ab ortu in occidentem ibat) pervadebatur: ab ortu mare aut ἀμέσως (*proxime*) aut ex vicino aſpiciebat.

VER. 43. εν Ηαι Ηα αμπελωργικα] *In qua ampelurgica eſt*. Haec loquendi ratio *Ampelurgicam* locum aliquem fuiſſe indicat. Et quidem Ἀμπελουργὸς eſt *vinitor*: ἀμπελουργία eſt vinearum cultura: ἀμπελουργέω eſt vinitoriam exerceo: a quo oritur vox illa Ἀμπελουργήματα (16) apud Pollucem. Ἀμπελουργικὴ vero (ſi τέχνη ſuppleas) erit *Ars vinitoria*. Et haec quidem παχυμερῶς de iſta ἀμπελωργίκᾳ dicta ſunto. Ceterum quid hoc loco re vera Αμπελωργικαν Tabula appellet, tum ex interpretatione (in qua *Vinetum adultius* poſui) intelliges, tum ex inferne (17) adnotatis, ubi rem omnem ſubtilius exſequimur,

(14) Neque verſus 24. repugnat: ex quo apparet, terram, quam olim amnis ripae adgeſſerat, in medio Hecatompedae & viae Heraclienſis fuiſſe. Nam terrae adgeſtus antiquior Hecatompedâ fuerat. Diu vero poſtquam ripa terrae appulſione creverat, Hecatompedam illam ripenſem metati fuere noſtri; eoque factum, ut terra illa medium inter Hecatompedam & Heraclienſem viam locum occuparit.

(15) Niſi vero *Hecatompeda* vocabatur, non quod re vera tam late pateret, ſed propter numeri religionem; ſicuti & in *Hecatombes* vocabulo factum ſcimus, & in templis, altaribus aliiſque aedificiis pluribus non re ſed nomine ἑκατομπέδοις. Quo ſpectare & Homericum illud poſſit Il. Ψ. 164. Ποίησαν δὲ πυρὴν ἑκατόμποδον: etſi Scholiaſtes adnotat, pyram illam τετράγωνον (*quadratam*) fuiſſe, & ita ut ſingula *latera pedes centum haberent*. Ab veterum, uti dixi, numeri centenarii religione is loquendi modus manavit. Obiter noto, ad eum verſum Barneſium copioſe oſtendere, Poetam non per O, ſed per E ſcripſiſſe Ἑκατέμπεδον. Sic certe in hiſce compoſitis priſci loquebantur. Ac fortaſſis, quod *Pedem* Latini per E ſcribunt, id eos a Graecorum veteſtiſſimis didiciſſe, veriſimillimum fuerit.

(16) Duo ſunt ab ἀμπελουργὸς prognata vocabula quae H. Stephani induſtriam effugerunt, quae tamen ab Jul. Polluce VII. cap. 32. ubi de Agricolis, recenſentur: qui ſegm. 140. Ἀμπελουργήματα (*opera vinitoria*) affert; & ſegm. 141. inter ἐπιῤῥήματα (*adverbia*) rei hujus recenſet Αμπελουργικῶς, quaſi dicas *juxta artis vinitoriae* (h. e. putatoriae) *ſcita*. Elegans adverbium ex ſeq. Adnot. capiendum.

(17) *Amplius de* Αμπελωργικα *loci hujus*. Ἀμπελουργίας vox *ad praecipuam artis vinitoriae partem, nempe ad putationem, κατ' ἐξοχὴν a Theophraſto reſtringitur. Quid proprie in hoc ære* Ηα αμπελωργικα. Ars ἀμπελουργικὴ eadem Theophraſto ac *putatoria*. Nam is ἀμπελουργίαν idem quod κλάσιν, ac tantumdem quod τομὴν, facit, ut obſervat Budaeus (col. 1013. edit. meae) ſicuti & ἀμπελουργεῖν eidem Theophraſto eſt vites putare, & ſarmenta expurgare; cui & ἀμπελουργουμένη ἄμπελος eſt *vinea quae* (κλᾶται) *putatur*. Quo ſpectant & illa Demoſthenis dicta, ab Aeſchyne in eâ Contra Cteſiph. relata: Ἀμπελουργοῦσί τινες τὴν πόλιν, ἀναστεμμήκασι γὰρ τὰ κλήματα τῇ δήμῳ,

Digitized by Google

44 Cικατιδειω ποτταν οικιαν Cικατιπεδον και απο τας οικιας παρ τας . αμ	Cικαπδείου πρὸς τὴν οἰκίαν Cικατίπεδον, καὶ ἀπὸ τῆς οἰκίας παρὰ τὰς ἀμ-
45 πελως αχρι ες ποταμον Hοκταπεδον και εμετριωμες απο τω Cικατιδειω	πέλους ἄχ ει εἰς ποταμὸν, ὀκτάπεδον· καὶ ἐμε- τρεῖωμ εν ἀπὸ τοῦ Cικαπδείου
46 τω ποτ αχιριν επι των διαττολαν την πλαγιαν την απο τας ποθοδω τας κοι	τοῦ πρὸς Ἄκιριν ἐπὶ τὴν διαςολὴν τὴν πλα- γίαν τὴν ἀπὸ τῆς προσόδου τῆς κοι-

44. *Vicatidειο ad caſam vigintipedalem pertinet, & a caſa ſecundum vi-*
45. *neas uſque ad amnem) octo pedes patentem : & dimenſi ſumus a Vicatidειο,*
46. *quâ ad Acirin pertinet, uſque ad diſtinctionem obliquam, quae ab aditu commu-*

mur. Ex his vero & ex infra notandis percipimus, vineta illa, quorum conductoribus ſingulis ſingulae partes aſſignantur, juxta Hecatompedam exſtitiſſe.

VER. 43. 44. 45. *και εταμομες κοιναν ποθοδον (εκ τω . . . και αχρι ες ποταμον) Hοκταπεδον*] Iſtud Hοκταπεδον ad illam ποθοδον refertur, de qua ver. 43. & ſaepe infra ſermo recurret, non vero ad proximum ποταμον. Porro non tantum hîc, ſed paſſim in utroque ære vox Hοκτω cum ſuis derivatis conſtantiâ ſummâ denſatur (ut alibi obſervavimus) id vero ſine ullo Graecorum aut Latinorum exemplo. Jam vero ex hac tota periocha curſum hujus *aditus* vides: qui quidem communis omnibus conductoribus fuit; eoque non minore dimenſionis modulo, quam qui *Viae* in XII. Tab. tribuitur: in quibus *Viae* latitudo in porrectum habet *pedes octo*, in anfractum, i. e. ubi flexum eſt, *pedes XII.* Viae Romanis duplo latior *Actu* erat, ſicuti Actus duplo latior *Itinere*. Atque haec ſatis vulgata ſunt. At apud hos noſtros ampliora omnia viarum ſpatia. Quo nil mirum ſi ποθοδος haec, quae certe anguſtior ὁδῷ eſſe debuit, tamen pedes octonos pateat.

VER. 46. διαττολαν] Quid vocet διαττολαν, mox ad ver. 54. dicetur. *Diſtinctionem* (πλαγιαν) *obliquam* vocat, quia ceterae *rectae* erant. Geometricae voces ſunt:

δήμου, ὑποτέτμηται τὰ νεῦρα τῶν πραγμάτων . . . Quae Budaeus ibidem ita reddidit: *Quidam ſunt, qui ſic civitatem, ut vitem vinitores putandam ſuſceperunt, hominesque ex populo excidere quaſi palmites inſtiterunt. Succiſi ſunt hoc pacto nervi ſummae reipublicae . . .*

Ad haec idem Theophraſtus praecipuam vinitoris peritiam in κλάσει (*putatione*) conſtituit. Qui in III. de cauſ. plant. 19. ſic poſuit: *Adultarum jam vinearum* (πρῶτον μὲν καὶ μέγιστόν ἐστιν ἡ κλάσις) *PRIMVM ET MAXIMVM* opus *putatio eſt*. Ac ſtatim addit *ſcite putatam vitem* (καὶ εὐβλαστοτερα καὶ εὐκαρποτέρα καὶ πολυχρονιωτέρα γίνεται) *& germinare laetius, & fructus uberiores a ſe dare, & perennare diutius*. Idem quoque id munus in βραχυτομὴν & μακροτομὴν dividit: quae duo diſcernere, &, quid ſingulis ſtirpibus facto opus ſit, decernere, id vero ad peritiam vinitoris pertinet. Quocirca merito apud Theophraſtum univerſa curatio vitium (id enim omne vox Ἀμπελουργία complectitur) ad putationem reſtringitur: apud quem ſcil. ſola putatio, utpote pars una maxime neceſſaria, nomen univerſi generis occupavit, ut ea una ἀμπελουργία vocaretur. Idque in vineis merito obtinuit: nam ſtirpes reliquorum generum relinqui arbitrio ſuo ferme impune poſſunt: vineta diu vivere imputata non poſſunt.

Atque ex hactenus dictis jam plura intelligimus. I. Ac primum hoc Tabulae loco ἀμπελουργικα pro praecipua vinitoris parte h. e. putatoria uſurpatur; ſicuti & cujuſvis arboris falx putatoria, κατ ἐξοχὴν Columellae *Falx vinitoria* dicitur, Graecis vero δρέπανον ἀμπελουργικὸν. II. Deinde putationis neceſſitas in adultis tantum vineis a Theophraſto (vide ſup. ejus locum) adſtruitur; nam ἀμπελῶν (*vitiarium*) ea neceſſitate minime adſtringitur.

His intellectis, ubi Tabula ait, *In qua* (hecatompeda) τα ἀμπελουργικα, *ampelurgica* eſt; ſi τεχνα (*ars*) ſuppleas; tum in ea parte agri *ars putatoria* eſſe ſignificatur, in qua ſcil. parte, utpote vineis adultis deſtinata, artis vinitoriae regnum erat.

At equidem praeſtare auſim hîc non τεχνα (*ars*) ſed ΓΑ (*terra*) ab Heraclienſibus noſtris ſubaudiri placuiſſe. Nam cuicumq. illud εν ταῖ (*in qua*) auditum fuerit, ſtatim rei corporalis ibi ſitae, non vero incorporalis (cujus generis *Ars* eſt) exſpectatio cietur. Quid vero, inquis, *terram vinitoriam* noſtri Heracleotae appellant? Nempe illam, quae falci vinitoriae aſſignata fuerat, ſive in qua vineta adultiora erant, vinitorum induſtriorum falce caſtiganda. Diſtinguitur hîc ergo ſimplex Ἀμπελῶν (quatenus *vitiarium* notat falce intactum) ab *Ampelorgica*, h. e. ea terra, in qua vinitoriae falcis peritia emicat, ſive in qua vineta ſunt grandiora.

Digitized by Google

47 νας αγωσας ες ταν Ηεκατονπεδον και εγε-	νῆς ἀγούσης εἰς τὴν Ἑκατόμπεδον· καὶ ἐγένον-
νοντο πεντηκοντα Ηεννεα σχοι	το πεντήκοντα ἐννέα σχοῖ-
48 νοι Ημισχοινον ψιλας μεν πεντηκοντα	νοι, ἡμισχοῖνον· ψιλῆς μὲν πεντήκοντα μίας
μια ορεγματα Ηεπτα αμπελων δε	ὀρέγματα ἑπτά, ἀμπέλων δὲ
49 Ηοκτω σχοινοι ορεγματα Ηοκτω Ηαυτα	ὀκτὼ σχοῖνοι ὀρέγματα ὀκτώ· ἅυτη ἐμισθώ-
εμισθωθη τετρακατιων τεσσαρακον	θη τεσσαρακοσίων τεσσαράκον-
50 τα Ϲεξ μεδιμνων χαδδιχων τεσσαρων. ΔΕΥ-	τα ἓξ μεδίμνων χαδδίχων τεσσάρων· ΔΕΥ-
ΤΕΡΑ μερις εν Ηαι Ηα οικια Ηας ε	ΤΕΡΑ μερὶς, ἐν ᾗ ἡ οἰκία, ἧς ἐ-
51 στι μακος απο τω Ϲικατιδειω επι ταν	στι μῆκος ἀπὸ τοῦ Ϲικαπδείου ἐπὶ τὴν τάφρον
τραφον ταν παρ ποταμον ευρος απο των ο	τὴν παρὰ ποταμὸν, εὖρος ἀπὸ τῶν ὅ-
52 ρων και τας ποθοδω τας Ηοκταπεδω τας	ρων καὶ τῆς προσόδου τῆς ὀκταπέδου τῆς εἰς
ες ποταμον αγωσας επι τως ορως	ποταμὸν ἀγούσης ἐπὶ τοὺς ὅρους,
53 και εγενοντο Ϲεξηκοντα τρεις σχοινοι ορεγ-	καὶ ἐγένοντο ἑξήκοντα τρεῖς σχοῖνοι, ὀρέγματα
ματα δεκα δυο ταυται ται μεριδι	δέκα δύο. Ταύτῃ τῇ μερίδι
54 ποτεδαϲσαμεθα αμπελων ταν πραταν	προσεδασάμεθα ἀμπέλων τὴν πρώτην διαϲο-
διαστολαν ταν παρ ταν Ηεκατονπε	λὴν τὴν παρὰ τὴν Ἑκατόμπε-

47. *ni ducit ad Hecatompedam : ac repertae ſunt quinquagintæ novem ſchoe-*
48. *ni , hemiſchoenum : glabreti quidem una & quinquaginta* [ſchoeni] *paſſus ſeptem , vineti vero*
49. *octo ſchoeni , paſſus octo . Haec* (pars) *locata eſt quadringentis quadragin-*
50. *ta ſex medimnis , caddichis quatuor . SECVNDA pars* (ſectionis ſecundae) *in qua* (eſt) *caſa : cujus* [partis]
51. *longitudo eſt a Vicatideo ad foſſam , quae ſecundum fluvium* (vadit) *latitudo a ter-*
52. *minis & ab aditu octapedo, ad amnem ducente, ad terminos :*
53. *& collectae ſunt ſexaginta tres ſchoeni , paſſus duodecim. Huic parti*
54. *attribuimus vinearum primam diſtinctionem, quae juxta Hecatompe-*

ſunt : quas ſine ichnographia campi quis in re ſubjecta docuerit ?

VER. 50. *εν ΗΑΙ Ηα οικια*] Caſa ruſtica erat , cujuſmodi in aere priore in Syntheca deſcribitur ver. 91. & ſeq.

VER. 51. *των τραφων*] Doricâ metatheſi pro *τάφρον*. Sic etiam mox ver. 58. & 64. Vſurpatur etiam in I. 82. Ac vide pag. 222. ubi Heſychio auctore hanc vocem explicuimus , ac viciſſim Heſychium emaculavimus.

VER. 54. *των πρατων διαστολων*] Potuiſſem *Primum hortum* vertere , ſi (18) Columellam ſequi libuiſſet: potuiſſem (19) *aream*

(18) Columella IV. 18. *Quando vineta placuerit ordinare , centenae ſtirpes per ſingulos HORTOS ſemitis* (quae ſemitae hortos iſtos dirimebant) *diſtinguantur : vel (ut quibusdam placet) in ſemijugera omnis modus dirimatur . . . Quin etiam ipſa HORTVLORVM deſcriptio quanto eſt minoribus modulis conciſa , fatigationem veluti minuit . . . . . Vindemiatoribus quoque hae SEMITAE , & jugum pedamentaque ſarcientibus , opportunam laxitatem praebent ; per quam vel fructus vel ſtatumina portentur.* Vox ipſa HORTVS ſermone priſco ſecretionem notabat, locaque circumſepta, ut alibi pluribus oſtendiſſe memini . Quocirca *Horti* vox pulchre per omnia *τῇ διασολῇ* reſponderet .

(19) *Areae* in hortis ſpatia quadrata ſunt, ſubacta & coaequata, in quae ſemina jaciuntur. Verum, ſi ruſticis auctoribus fides , anguſtiores erant ; ita ut ex ea ſemitâ , quae inter areas duas media eſt, runcantes utrinque poſſent *dimidias areas* (uti Columella XI. 3. praecipit) *eruncare* . Areae modum ita artat Palladius I. 34. *Areae faciendae ſunt anguſtiores* (*i. e. XII. pedum longitudine , & ſex latitudine*) *ut ſint , propter ſpatia* (ipſarum arearum) *utrinque purganda , diviſae* . Poſtremo vox *Areae* herbarum , non item arborum, peculiaris eſt , eoque impropria vineis.

Digitized by Google

55 δον Ηοκτω σχοινως ορεγματα Ceικατι Ceξ
πoδας δυo και εγενετo Ηα πασα μερις
56 Ηεβδεμηκοντα δύo σχοινοι ορεγματα Ηοκτω
πoδες δυo Ηαυτα εμισθωθη Ceξα
57 κατιων τριακοντα δυων μεδιμνων χoος
ΤΡΙΤΑ μερις μακος απο τω Ceικατι
58 δειω επι ταν τραφον ταν παρ ποταμον
ευρος απο των ορων των τας δευτερα,
59 μεριδος επι τως ορως και εγενοντο ψιλας
μεν Ceξηκοντα Ceξ σχοινοι Ημισχοι
60 νον ταυται ται μεριδι ποτεδατσαμεθα
αμπελων ταν δευτεραν διαστολαν αφ εκα
61 τομπεδω Ηεπτα σχοινως ορεγματα δεκα
Ηεπτα και εγενετο Ηα πασα μερις Ηεβδε
62 μηκοντα τετορες σχοινοι ορεγματα δυo
Ηαυτα εμισθωθη Ceξακατιων τριακοντα
63 μεδιμνων δυων καδδιχων χοινικων δυων
ΤΕΤΑΡΤΑ μερις μακος απο τω Ci

δον ὀκτὼ σχοίνους ὀρέγματα εἴκοσι ἓξ ποδὰς 64
δύο· καὶ ἐγένετο ἡ πᾶσα μερὶς
ἑβδομήκοντα δύο σχοῖνοι, ὀρέγματα ὀκτὼ, 65
ποδὲς δύο· ἄυτη ἐμισθώθη ἑξα-
κοσίων τελάκοντα δύων μεδίμνων χοός. ΤΡΙ- 66
ΤΗ μερὶς· μῆκος ἀπὸ τοῦ Ceικατι-
δείου ἐπὶ τὴν τάφρον τὴν παρὰ ποταμὸν, εὖρος 67
ἀπὸ τῶν ὅρων τῶν τῆς δευτέρας
μερίδος ἐπὶ τοὺς ὅρους· καὶ ἐγένοντο ψιλῆς μὲν 68
ἑξήκοντα ἓξ σχοῖνοι, ἡμισχοῖ-
νον. Ταύτῃ τῇ μερίδι προσεδασάμεθα ἀμπέ- 69
λων τὴν δευτέραν διαςολὴν ἀφ' Ἑκα-
τομπέδου ἑπτὰ σχοίνους, ὀρέγματα δέκα ἑπτὰ 70
καὶ ἐγένετο ἡ πᾶσα μερὶς ἑβδο-
μήκοντα τέσσαρες σχοῖνοι, ὀρέγματα δύο. ἄυ- 71
τη ἐμισθώθη ἑξακοσίων τελάκοντα
μεδίμνων, δυῶν καδδίχων χοινίκων δυῶν·
ΤΕΤΑΡΤΗ μερὶς μῆκος ἀπὸ τοῦ Ci-

55. *dam* (eſt), *octo ſchoenis paſſibus viginti ſex, pedibus duobus* [patentem]. *Et exſtitit haec tota pars*
56. *ſeptuaginta duarum ſchoenorum, paſſuum octo, duorum pedum. Haec locata eſt ſex-*
57. *centis triginta duobus medimnis, choëo. TERTIA pars* [ſectionis ſecundae]. *Longitudo a Vicati-*
58. *deio ad foſſam, quae ſecundum fluvium vadit, latitudo a terminis ſecundae*
59. *partis ad terminos* [partis hujus tertiae]. *Et redactae ſunt glabreti quidem ſexaginta ſex ſchoeni, hemiſchoe-*
60. *num. Huic parti attribuimus, vineti ſecundam diſtinctionem ab Heca-*
61. *tompeda, ſeptem ſchoenis, paſſibus ſeptemdecim* [conſtantem]. *Et exſtitit haec tota pars ſeptu-*
62. *aginta quatuor ſchoeni, paſſus duo. Haec locata eſt ſexcentis triginta*
63. *medimnis, duobus caddichis, choenicibus duabus QVARTA pars* [ſectionis ſecundae]. *Longitudo a Vi-*

aream aut *areolam*. Sed potius fuit, ut ſimpliciter, & id quod eſt, *Diſtinctionem* reponerem; maxime cum in eo Heſychium ducem fidiſſimum proxime ſequerer, cui Διαςολὴ eſt διάκρισις, διαίρεσις.

Quatuor autem in aere, quod ſupereſt, vinearum ſunt διαςολαὶ uſque ad v. 68. Deinde a ver. 77. ad finem lacerae tabulae ςάσεις quinque recenſentur. Vtraeque ſuis finibus diſtinguuntur. Verum haec duo utrum ſynonyma vocabula fuerint, aut ecquidnam ςάσις a διαςολῇ differat, dicam ad ver. 77. Interim veriſimile eſt, in priorum ſingulis fuiſſe cippo inſcriptum ΔΙΑΣΤΟΛΗ ΠΡΑΤΑ, ΔΕΥΤΕΡΑ &c. *Diſtinctio prima, ſecunda*; uti & in alteris, ΣΤΑΣΙΣ ΠΡΑΤΑ, ΔΕΥΤΕΡΑ, ac porro.

VER. 55. de Ceικατι cum diphth. in hac Tab. ſcripto vide pag. 235. Adn. 25. col. 2.

VER. 56. 57. *Sexcentis triginta duobus medimnis, choëo*] *Medimnus* ſex *choëos* capiebat, *Caddichos* (de Caddicho vide ad I. 4. pag. 174. integram Diſcuſſionem) h. e. ſemichoëos duodecim, choenices vero octo & quadraginta. Vide de cavis menſuris hiſce ad I. 4. pag. 175. §. 2.

VER.

Digitized by Google

64 χατιδειω επι ταν τραφον ταν παρ ποταμον ευρος απο των ορων των τας τρι
65 τας μεριδος επι τως ορως χαι επι τον αντομον τον διαταμνοντα τως χωρως τον
66 εταμομες εκ τω Cικατιδειω ες ποταμον χοινον πασι χρηϑαι τοις τως Ιαρως χω
67 ρως μεμισϑωμενοις χαι εγενοντο ψιλας μεν Cεξηχοντα Ηοχτω σχοινοι ορεγμα
68 τα δεχα τρια ταυται ται μεριδι ποτεδασσαμεϑα αμπελων ταν τριταν διαστολαν
69 αφ εχατομπεδω ταν ποτιχλαιγωσαν ποτταν ποϑοδον ταν Ηοχταπεδον δεχα πεντε
70 σχοινως ορεγματα Ηεπτα εγενετο Ηα πασα μερις Ηογδοηχοντα τρεις σχοινοι ορεγμα
71 τα Cειχατι Ηαυτα εμισϑωϑη Cεξαχατιων τριαχοντα μεδιμνων απο δε τω

χαπδειου ἐπὶ τὴν τάφρον τὴν παρὰ ποταμὸν· ἔυρος ἀπὸ τῶν ὅρων τῶν τῆς τρί-
της μερίδος ἐπὶ τοὺς ὅρους, χαὶ ἐπὶ τὸν ἄντομον τὸν διατέμνοντα τοὺς χώρους τὸν
ἐτάμομεν ἐκ τοῦ Cικαπδείου εἰς ποταμὸν χοινὸν πᾶσι χρήϑαι τοῖς τοὺς ἱεροὺς χώ-
ρους μεμισϑωμένοις· χαὶ ἐγένοντο ψιλῆς μὲν ἑξήχοντα ὀχτὼ σχοῖνοι ὁρέγμα-
τα δέχα τρία. Ταύτῃ τῇ μερίδι προστεδασάμεϑα ἀμπέλων τὴν τρίτην διαστολήν
ἀφ' Ἑχατομπέδου τὴν προσχλαιγωσαν πρὸς τὴν πρόσοδον τὴν ὀχταπεδον δέχα πέντε
σχοίνους ὁρέγματα ἑπτά· ἐγένετο ἡ πᾶσα μερὶς ὀγδοήχοντα τρεῖς σχοῖνοι ὁρέγμα-
τα εἴχοσι· αὕτη ἐμισϑώϑη ἑξαχοσίων τελάχοντα μεδίμνων· Ἀπὸ δὲ τοῦ

64. *catideio ad foſſam, quae ſecundum fluvium* (ducit): *latitudo a terminis ter-*
65. *tiae partis ad* [quartae] *terminos, & ad limitem dirimentem campos, quem*
66. *decidimus a Vicatideio ad amnem uſque, ut in commune uſui eſſet ſacrorum cam-*
67. *porum conductoribus. Et exſtiterunt glabreti ſexaginta octo ſchoeni, paſ-*
68. *ſus tredecim. Huic parti attribuimus vinearum tertiam diſtinctionem, quae*
69. *ab Hecatompeda claudit* (ſpatium) *ad aditum octopedalem, quae quindecim*
70. *ſchoenos paſſus ſeptem* (patet). *Atque exſtitit haec tota pars octoginta trium ſchoenorum, paſſu-*
71. *um viginti. Haec locata eſt ſexcentis triginta medimnis*

Tertia diviſio incipit *Ab*

VER. 65. επι τον αντομον τον διαταμνοντα . . .] Hunc locum, qui uſque ad initium ver. 67. pertinet, explanavimus in Exercit. de Antomo p. 177. A Τάμνω poetis, Jonibus, ac Doribus uſitato, compoſitum iſtud Διατέμνω eſt: quod poetis & Jonibus H. Steph. tribuit: hîc vero etiam a noſtris Doribus uſurpatur.

VER. 69. των ποτιχλαιγωσαν] Sic etiam infra ver. 107. ποτιχλαιγον. Quid his locis ſit verbum hoc novum Ποτιχλαιγειν, videndum eſt paullo accuratius. Jam ab Heſychio ordiar: cui Κλάξαι exponitur χλεῖσαι, *claudere*. Porro futurum χλάξω aeque a χλάζω; & a χλάγω ſive χλαίγω proficiſci potuit. Prius adprobat Henr. (20) Stephanus. At poſterius ex duplici Tabulae hujus loco (21) firmatur. Nec dubium eſt quin

(20) H. Steph. in ſui Theſauri Indice ſic affert: Κλάζω *Doricе pro* Κλαίζω: Claudo: *unde* Κλᾶξαι *Heſychio eſt* χλεῖσαι: *nec non* Κλαξ eſt (χλείς, clavis) *apud Theocritum*. Verum quid vetat tum χλᾶξ (cujus genitivus χλαγὸς) tum etiam χλᾶξαι Heſychianum, a Κλαίγω noſtri aeris bis uſurpato arceſſere? Id mihi longe videtur verius.

Nec tamen thema Κλάζω (quod videtur Stephanus ex aliquo lexico vet. mutuatus) expunxerim. Nam exſtat in Pindari Pythiis vox Κλαῖτρον (pro χλεῖθρον, *Clauſtrum*) quae non niſi ex Κλάζω ſive Κλαύζω derivata videtur.

(21) Praeſertim ex v. 107. ubi non dubium eſt, quin *claudendi* notio ſubſit, & quin *cluſaris* agrariorum ſcriptorum *anguius* ibi lateat.

Digitized by Google

72 αντομω τω διαταμνοντος τως χωρως τω
73 κατιπεδω εμετριωμες μακος μεν επι ταν
74 τω Cικατιδειω επι τως ορως τως πρατως
75 ποθοδον εκ τω Cεικατιδειω ποτι ταν οι-
76 Ηα μερις Ηαυτα ψιλας Cεξηκοντα δυο
77 σαμεθα αμπελων ταν πραταν στατιν των
78 νως Ημισχοινον και εγενετο Ηα παντα
79 σχοινον Ηαυτα εμισθωθη Ηοκτακατιων πεν-
80 χων τετορων ΔΕΥΤΕΡΑ μερις απο
τω Cικατιδειω εν Ηαι Ηα οικια εστι

ἀντόμου τοῦ διατέμνοντος τοὺς χώρους, τοῦ εἰς
ποταμὸν ἄγοντος, τοῦ Cι-
καππέδου, ἐμετρήσωμεν μῆκος μὲν ἐπὶ τὴν Ηρα
κλείαν, ἔυρος δὲ ἀπὸ
τοῦ Cικαπδείου ἐπὶ τοὺς ὄρους τοὺς πρώτους·
καὶ κατελίπομεν
πρόσοδον ἐκ τοῦ Cικαπδείου πρὸς τὴν οἰκίαν
εἰκατίπεδον· καὶ ἐγένετο
ἡ μέρις αὕτη ψιλῆς ἑξήκοντα δύο σχοῖνοι· ταύ-
τῃ τῇ μερίδι προσεδα-
σάμεθα ἀμπέλων τὴν πρώτην στάσιν τὴν πρὸς
τὸν Cικαπδεῖον ἐξ σχοί-
νους, ἡμισχοῖνον· καὶ ἐγένετο ἡ πᾶσα μερὶς ἑξή-
κοντα ὀκτὼ σχοῖνοι ἡμι-
σχοῖνον· αὕτη ἐμισθώθη ὀκτακοσίων πεντήκον-
τα ἐξ μεδίμνων, καδδί-
χων τεττάρων. ΔΕΥΤΕΡΑ μερὶς ἀπὸ τοῦ
Cικαπδείου, ἐν ᾗ ἡ οἰκία ἐστὶ

72. *limite vero dirimente campos, qui ad fluvium ducit, vi-*
73. *ginti pedes patente, dimensi sumus longitudinem quidem ad Heraclienſem viam verſus, latitudinem vero ab*
74. *Vicatideio ad terminos primos: ac reliquimus*
75. *aditum a Vicatideio ad caſam, qui viginti pedes patet: & exſtitit*
76. *haec pars glabreti ſexaginta duae ſchoeni. Huic parti attribu-*
77. *imus vinearum primam ſtationem, quae ad Vicatideium* (vergit) *ſex ſchoe-*
78. *norum, hemiſchoeni. Et exſtitit haec tota pars ſexaginta octo ſchoeni, hemi-*
79. *ſchoenum. Haec locata eſt octingentis quinquaginta ſex medimnis, caddi-*
80. *chis quatuor. SECVNDA pars* [ſectionis tertiae] *a Vicatideio, in qua parte caſa eſt* [incipiens]

quin utrique huic loco *Claudendi* notio ſubjecta ſit. Κλαίγω igitur eſt *Claudo*, Ποτικλαιγω eſt (ſi novo compoſito uti liceat) *Adcludo*, quod eſt *Claudo* ad illum locum. Et quidem *Claudere* ſermone menſorio abſolute uſurpatur pro eo, quod ab Euclide dicitur *Claudere*, ſive comprehendere χωρίον, h. e. *aream*, *ſpatium*. Vide & ad ver. 106. 107.

VER. 77. *ταν πραταν στασιν*] Reddidi *primam Stationem*, h. e. locorum ſerendis vitibus aſſignatorum primum: a quo ſignificatu nec Graecum στάσις, nec Latinum *Statio* abludunt. Heſychio Στάσις exponitur Θέσις, *poſitio*, ſive (ſi ſic in re ſubjecta licet) *ſtatio*. Et haec poterant ſatis feſtinanti lectori facere. Tamen Suidas ſalivam ciet his verbis: Στάσεις· τὰ ἀναχώματα τῶν ποταμῶν. *Staſeis* ſunt *aggeres fluviorum*. Deinde verſiculos ex Ariſtophanis Equitibus affert duos (ver. 524.)

Διὰ τῶν ἀφελῶν πεδίων ἔῤῥει, καὶ τὴς
στάσεως παρασύρων,
Εφόρει τὰς δρῦς, καὶ τὰς πλατάνους...

Quae interpres totidem verſiculis:

Per apertos campos fluitabat, & a propria ſede revulſas
Rapiebat quercus, platanos...

Equidem ſi Suidam audio, Στάσεις erunt aggeres, ad ripas erecti fluminum, ne

81 απο τω αυτομω τω ες ποταμον αγοντος
μακος επι των Ηρακλειαν ευ
82 ρος απο των ορων επι τως ορως και εγε-
νετο ψιλας πεντηκοντα Ηεννεα
83 σχοινοι Ημισχοινον ταυται τει μεριδι
ποτεδασσαμεθα αμπελων
84 την δευτεραν στασιν απο Σικατιδειω Σεξ
σχοινως Ημισχοινον και ε
85 γενετο Ηα πασα μερις Σεξηκοντα Σεξ
σχοινοι Ηαυται εμισθωθη τετρα
86 κατιων πεντηκοντα Ηοκτω μεδιμνων καδ-
διχων δεκα τετορων δυ
87 ων χοινικων ΤΡΙΤΑ μερις απο τω Σικα-
τιδειω παττας αμπελως απο τω
88 αυτομω τω ες ποταμον αγοντος μακος επι
την Ηρακλειαν ευρος α
89 πο των ορων επι τως ορως και εγενετο
ψιλας Σεξηκοντα τρις σχοινοι Ηη
90 μισχοινον ταυται ται μεριδι ποτεδασσα-
μεθα αμπελων την τριτην

ἀπὸ τοῦ ἀντόμου τοῦ εἰς ποταμὸν ἄγοντος, μῆ-
κος ἐπὶ τὴν Ἡρακλείαν· εὖ-
ρος ἀπὸ τῶν ὅρων ἐπὶ τοὺς ὅρους. Καὶ ἐγένετο
ψιλῆς πεντήκοντα ἐννέα
σχοῖνοι ἡμισχοῖνον. Ταύτῃ τῇ μερίδι προσεδα-
σάμεθα ἀμπέλων
τὴν δευτέραν στάσιν ἀπὸ Σικαπιδείου ἓξ σχοί-
νους ἡμισχοῖνον. Καὶ ἐ-
γένετο ἡ πᾶσα μερὶς ἑξήκοντα ἓξ σχοῖνοι·
αὕτη ἐμισθώθη τεσσαρα-
κοσίων πεντήκοντα ὀκτὼ μεδίμνων, καδδίχων
δέκα τεσσάρων, δυ-
ῶν χοινίκων. ΤΡΙΤΗ μερὶς ἀπὸ τοῦ Σικαπι-
δείου πρὸς τὰς ἀμπέλους· ἀπὸ τοῦ
ἀντόμου τοῦ εἰς ποταμὸν ἄγοντος μῆκος ἐπὶ
τὴν Ἡρακλείαν· εὖρος ἀ-
πὸ τῶν ὅρων ἐπὶ τοὺς ὅρους. Καὶ ἐγένετο ψιλῆς
ἑξήκοντα τρεῖς σχοῖνοι ἡ-
μισχοῖνον· ταύτῃ τῇ μερίδι προσεδασάμεθα
ἀμπέλων τὴν τρίτην

81. *Longitudo a limite ad amnem ducente uſque ad Heracleenſem* [viam pertinet]: *lati-*
82. *tudo a terminis ad terminos. Ac redactae ſunt glabreti quin-*
quaginta novem
83. *ſchoeni, hemiſchoenum. Huic parti attribuimus vineti*
84. *ſecundam ſtationem a Vicatideio* [incipientem] *ſex ſchoeno-*
rum hemiſchoeni: atque ex-
85. *ſtitit univerſa pars ſexaginta ſex ſchoeni. Haec locata eſt quadrin-*
86. *gentis quinquaginta octo medimnis, caddichis quatuordecim, dua-*
87. *bus choenicibus. TERTIA pars* [ſectionis tertiae] *a Vi-*
catideio ad vineas [procedit].
88. *Longitudo a limite ad amnem ducente ad Heraclienſem viam* [pertinet]: *latitudo a*
89. *terminis ad terminos. Ac redactae ſunt glabreti ſexaginta tres ſchoeni, he-*
90. *miſchoenum. Huic parti attribuimus vinearum tertiam*

ne noceant exeuntia: at vero ſi in Ariſtophanem intendo aciem, videntur στάσεις in plantationum amnibus finitimarum tutelam, inſtar aggerum circumdatae ſationibus ipſis. Haec, qua de agitur, agri Minervii univerſitas Aciri flumine adlambebatur: id quod paſſim ex hoc aere conſpicitur. Hinc vinearum cultores, quo ſibi ab amnis eruptionibus praecaverent, vineta ſua muniebant aggeribus. Quocirca has στάσεις commode *ſepta* tranſtuliſſem, niſi praeſtabilius duxiſſem id reponere, quod Graecae vocis grammatico ſenſui rectâ regione reſponderet.

VER. 82. *Latitudo* (απο των ορων επι τως ορως) *a terminis ad terminos*, h. e. a terminis partis ſuperioris ad terminos inſequentis, ſive tertiae. Saepius iſtud απο των ορων επι τως ορως eâdem notione repetitur.

Digitized by Google

91 στασιν απο εικατιδειω εξ σχοινους ημι-
μισχοινον και εγενετο ηα παντα με
92 ρις εβδομηκοντα σχοινοι ηαυτα εμισθω-
θη τριακατιων εξ μεδιμνων καδ
93 διχων τετορων ΤΕΤΑΡΤΑ μερις απο
εικατιδειω μακος μεν απο του αντομω
94 του ες ποταμον αγοντος ποτι τον πο-
δον τον παρ τας αμπελως αγωσαν
95 ευρος απο των ορων επι τους ορους και εγε-
νετο ψιλας τετρωκοντα ηοκτω
96 σχοινοι ταυται τωι μεριδι προτεδασαμε-
θα αμπελων των τεταρτων στα
97 σιν απο εικατιδειω εξ σχοινους ημι-
σχοινον και εγενετο ηα παντα μερις πεν
98 τηκοντα τεσαρες σχοινοι ημισχοινον ηαυ-
τα εμισθωθη διακατιων τριακον
99 τα πεντε μεδιμνων καδδιχων δεκα πεντε
ΠΕΜΠΤΑ μερις απο εικατι
100 δειω μακος απο του αντομω του ες πο-
ταμον αγοντος ποτι τον ποδον τον
101 παρ τας αμπελως αγωσαν ευρος απο των
ορων επι τον νασον και εγε

στάσιν ἀπὸ εἰκατιδείου ἓξ σχοίνους ἡμισχοῖνον
καὶ ἐγένετο ἡ πᾶσα με
ρὶς ἑβδομήκοντα σχοῖνοι· αὕτη ἐμισθώθη τρια-
κοσίων ἓξ μεδίμνων καδ-
δίχων τεσσάρων. ΤΕΤΑΡΤΗ μερὶς ἀπὸ εἰ-
κατιδείου· μῆκος μὲν ἀπὸ τοῦ ἀντόμου
τοῦ εἰς ποταμὸν ἄγοντος πρὸς τὴν πρόσοδον
τὴν παρὰ τὰς ἀμπέλους ἄγουσαν·
εὖρος ἀπὸ τῶν ὅρων ἐπὶ τοὺς ὅρους. Καὶ ἐγένε-
το ψιλὰς τεσσαράκοντα ὀκτὼ
σχοῖνοι· ταύτῃ τῇ μερίδι προσεδασάμεθα ἀμ-
πέλων τὴν τετάρτην στά-
σιν ἀπὸ εἰκατιδείου ἓξ σχοίνους ἡμισχοῖνον.
Καὶ ἐγένετο ἡ πᾶσα μερὶς πεν-
τήκοντα τέσσαρες σχοῖνοι ἡμισχοῖνον· αὕτη
ἐμισθώθη διακοσίων τριάκον-
τα πέντε μεδίμνων, καδδίχων δέκα πέντε.
ΠΕΜΠΤΗ μερὶς ἀπὸ εἰκατι-
δείου· μῆκος ἀπὸ τοῦ ἀντόμου τοῦ εἰς ποτα-
μὸν ἄγοντος πρὸς τὴν πρόσοδον τὴν
παρὰ τὰς ἀμπέλους ἄγουσαν· εὖρος ἀπὸ τῶν
ὅρων ἐπὶ τὴν νῆσον· καὶ ἐγέ-

91. *ſtationem a Vicatideo* [incipientem] *ſex ſchoenorum, hemi-*
ſchoeni. Atque exſtitit univerſa pars
92. *ſeptuaginta ſchoeni; haec locata eſt trecentis ſex medimnis,*
cad-
93. *dichis quatuor. QVARTA pars* (ſectionis tertiae) *a Vi-*
catideo [incipiens]. *Longitudo quidem a limite*
94. *ad amnem ducente ad aditum, qui propter vineas ducit:*
95. *latitudo a terminis ad terminos. Ac redactae ſunt glabreti*
quadraginta octo
96. *ſchoeni. Huic parti attribuimus vinearum quartam ſta-*
97. *tionem a Vicatideo, ſex ſchoenis, hemiſchoeno* [dimenſam].
Atq. exſtitit haec tota pars quin-
98. *quaginta quatuor ſchoeni, hemiſchoenum. Haec locata eſt du-*
centis trigin-
99. *ta quinque medimnis, caddichis quindecim. QVINTA pars*
[ſectionis tertiae] *a Vicati-*
100. *deo* [incipiens]. *Longitudo a limite ad amnem ducente ad*
aditum, qui
101. *propter vineas ducit: latitudo a terminis ad inſulam* [perti-
net]. *Atque col-*

(3) *Hos omnes excluſos esse a frumentatione, cum ex numero civium, ad quem Caesar & Augustus multitudinem accipientium frumentum reduxerunt, qui, ut LIPSIVS* Elect. lib. I. c. 8. *computat, vix decima civium pars erant; tum vero ex eo etiam colligere licet, quod SVETONIVS in* Aug. c. 42. *prodit, Augustum, post magnam illam famem, quae publicas frumentationes fere abolere coegerat, ita rem temperasse*, ut non minorem aratorum ac negotiantium, quam populi rationem deduceret. *Hinc enim apparet, antea solam egenam plebem, quam populi appellatione, ut saepe alias, intelligit, publico frumento ali solitam, id quod etiam CASAVBONVS* ad h. l. *observavit*. CONRAD.

(IV) [Repetitam malo, quam Octavius Tribunus trigesimo ante anno invexerat.]

(4) *Causam hujus recensus, a Caesare novo modo instituti, aperit DIO* lib. XLI. p. 554. quod accipientium numerus non legirime, sed, ut per seditionem fieri solet, accrevisset. *Bene LIPSIVS* Elect. l. c. cit. *ex his concludit, veterem numerum, &* priſca lege solitum, *a Caesare fuisse reductum*. CONRAD.

(5) *Plane hoc modo locutos esse veteres, cum de frumenti dandi dividendive certa quantitate ageretur, ut* tritici tot modios *dicerent, multis locis constat. NEPOS in* vita Attici c. 2. Universos *frumento* donavit, ita, ut singulis *sex modii tritici* darentur. *CICERO in* Divinat. c. 10. Verrem, *ait*, ab aratoribus cum *frumentum* sibi in cellam imperavisset, & cum esset *tritici modius HS. II.* pro frumento in modios singulos duodenos sestertios exegisse: *& in* Verr. III. c. 21. Non *frumentum* remotum atque celatum, sed *tritici septem millia medimnum* ex Nymphonis arationibus, Edicti poena, non redemtionis aliquo jure tollit. *Est etiam in veteri inscriptione apud FABRETTVM* p. CCCI. QVAESTOR TRITICIARIVS, *qui alias dicitur* QVAESTOR A FRVMENTO, *in illa apud GRVTERVM* p. DXC. *& REINESIVM* Cl. IX. p. XLV. *Quinque vero modios frumenti menstrui lege Sempronia fuisse in capita constitutos, ex oratione Macri Trib. pl. apud SALLVSTIVM* Fragm. Histor. lib. III. *colligunt LIPSIVS* Elect. l. c. *& VINC. CONTARENVS* de frument. Roman. largition. c. 5. *Est vero poena in modios singulos constituta, plane ut in lege Mamilia* in res singulas. *Nota* ℏ *non est alia, quam numeralis* IↃ. *Eam ita pingi solitam, exempla apud SERT. VRSATVM ostendunt, & pro ea, ob similitudinem, litera D recepta*. CONRAD.

[Fallitur hic Conradus; quia illud IN TR. M. I. HS. IↃ est *Intra mensem unum sestertios quingentos*, ut in loco dicetur.]

Digitized by Google

ID. FACTVM. ERIT. DARE. DAMNAS. ESTO. PECVNIAEQVE. QVI. VOLET. PETITIO. ESTO. (6)

Ceterum, quibus diebus profeſſionem fieri oportuerit, & quo in Vrbe loco, quique Magiſtratus hac lege frumenti populo dandi curationem habuerint, quis denique frumenti, quod acciperent ſinguli, fuerit modus, nihil ex hoc fragmento definire licet. Quae dubio procul omnia ex prima tabula reſciſcere, ac diſcutere liceret tenebras, quibus frumentariam largitionem in republica Romana involutam eſſe, poſt LIPSIVM Electior. lib. I. cap. 8. *& in* Admirandis Rom. lib. II. cap. 10. *ſenſit* VINC. CONTARENVS *in* libro ſing. de frument. Romanor. largitione.

CAP. VI.

Secundum caput de cura viarum, in urbe muniendarum, Aedilibus commiſſa. *L. 2. §. 24. D. nequid in loco publico fiat*, & *L. un. D. de via publ. & ſi quid in ea factum eſſe dicatur*, emendatâ verſione antiqua, explicantur.

Plus adhuc utilitatis adferunt, quae de cura viarum in Vrbe, diligentiſſime perſcripta legis capita integra ſuperſunt. Ex his enim confirmatur, quod non extra dubitationem poſitum erat, ad Aediles curam viarum in Vrbe muniendarum utique pertinuiſſe. Quae in eam rem vulgo citari ſolent teſtimonia, SVETONII in Veſpaſ. c. 5. *&* l. 12. D. de periculo & commodo rei vend. *hoc tantum probabant: Aedilium officium fuiſſe, curare, ne impeditum iter per vias eſſet, utque ſordes, & quicquid viarum uſui officeret, removeri juberent, ut recte monuit V. C. PETR. BVRMANNVS* de Vectigal. Pop. Rom. c. 12. edit. nov. p. 202. *Etſi cum VLPIANVS in* l. 2. §. 24. D. ne quid in loco publ. *ait*, viarum urbicarum curam pertinere ad Magiſtratus, *non alios intelligit, quam Aediles, ut CVIACIVS jam docuit in* Paratitl. ad tit. D. de via publ. *Neque enim opus erat eos ſpeciali appellatione nominare, ad quos nemo neſciret tutelam viarum in Vrbe inde ab antiquo ſpectare, tanquam ad* Curatores Vrbis, *quos Aediles eſſe dicit CICERO* de Legib. lib. III. c. 3. *Cura illa utique etiam ſternendi vias & reficiendi provinciam complectebatur, quod certius ſignificat* l. un. D. de via publ. & ſi quid in ea fact. eſſe dicat. *modo ne vulgatam ejus interpretationem ſequamur. Haec enim verba PAPINIANI* ΕΚ ΤΟΥ ΑΣΤΥΝΟΜΙΚΟΥ ΜΟΝΟΒΙΒΛΟΥ, *ſive* ex libro ſingulari de Officio Aedilium: Οἱ ἀστυνομικοὶ ἐπιμελείσθωσαν τῶν κατὰ τὴν πόλιν ὁδῶν, ὅπως ἂν ὁμαλισθῶσι, *peſſime vulgata reddit*: Aediles ſtudeant, ut quae ſecundum civitates viae ſunt, adaequentur. *Sic edidit DION. GOTHOFREDVS, emendata, ut putat, veteri Piſana verſione, cujus verba ſunt:* Aediles Curules ſtudeant, ut quae ſecundum civitates viae ſunt utique adaequentur. *Iſta vero GOTHOFREDI emendatio non attigit verba illa, quae totius legis genuinum intellectum auferunt,* κατὰ τὴν πόλιν, *niſi recte & ſecundum uſum loquendi Graecum explicentur:* In Vrbe, *ſcilicet Roma. De hujus enim viis publicis hic egiſſe PAPINIANVM* (7) *olim viderunt Summi Viri, CVIACIVS in* Comment. ad hunc Papin. lib. ſing. *in* Paratitl. ad d. l. un. *&* Obſerv. lib. XXII. c. 31. *BRISSONIVS* Select. ex Iur. Civ. Antiq. lib. IV. c. 12. *& IAC. GOTHOFREDVS* ad l. 2. C. Th. de itiner. mun. *nuper vero accuratius docuit Vir Eruditus, qui ſub OTTOCARI HAMMENSIS nomine in V. C. EV. OTTONIS* libros de Tutela Viarum *&* de Aedilib. *acrem cenſuram exercuit. Quem tamen elegantes ſuas animadverſiones ſine acerbitate propoſuiſſe vellemus. Itaque fragmentum legis, in qua illuſtranda verſamur, vel hoc nomine maximi pretii faciendum eſt, quoniam de illa parte Aedilitiae curationis ne quidem ulterius ambigere permittit.*

MONITVM.

[Car. Conradus hic noſter Parergis ſuis Praefationem bene longam praemiſit, quam Parergorum curas ſecundas vocare poſſis; quippe cum plura ſparſim addat, aliqua interdum refingat, alibi aliorum objectis reſpondeat. Vt ecce cum hîc ſuperiore cap. VI. de Ἀστυνομικῷ Papiniani egiſſet; idem in praefatione pag. XLIX. objecta cujusdam *Arnaldi* ſibi diluenda putavit. Incredibile enim dictu eſt, quantopere ἀστυνομικὸς ille Papinianeus exercuerit Germanorum ingenia. Praeter enim antiquiores ICtos ſuperioris aetatis, qui cum hoc Conrado fecere (quos ipſe laudat ſuperiore cap.) exſtiterat nuper Ev. Otto, cui (in *De tutela viar.* pag. 344.) videbatur Ἀστυνομικὸς in gratiam Graecorum oppidorum jure Romano utentium factus. At in Ottonem inſurrexit is, qui ſub *Ottocari Hammenſis* perſona latet. Poſtremo ex adverſo ſtetit quidam GE. DE ARNAVD, qui (in *Var.* conject. l. 1. c. 18.) Ottoniana ſequens, quaedam Conradi noſtri ſententiae objecit. Ergo Arnaldianis hiſce hic Noſter in Praefat. h. e. Curis ſecundis modeſte reſpondet pag. XLIX. & ſeq. Quam totam Curarum Poſteriorum partem huc inferre in cupidorum gratiam non gravabor, nequid Conradianorum huc pertinentium preſſiſſe arguar.

Ac mihi quoque mens eſt in decantatum Papiniani Ἀστυνομικὸν nonnulla de meo in medium aliquando conferre. Vbinam id ſim aptius adumbraturus, non dum certum habeo. Tamen circumſpicienti omnia Pars hujus Commentarii quinta videtur ad id ſatis opportuna fore. Nunc ex Conradianis δευτέρως φροντίσιν hauriamus.]

Ex

(6) *Eadem formula ex lege agraria Iul. Caeſaris in* l. 3. D. de term. mot. *refertur*: In terminos ſingulos, quos ejecerint locove moverint, quinquaginta aureos in publico dari jubet, ET EIVS ACTIONEM PETITIONEM EI, QVI VOLET, ESSE IVBET. *Inde & Practoris in popularibus actionibus formula:* QVICVNQVE AGERE VOLET, EI CENTVM AVREORVM ACTIONEM DABO, *in* l. 3. pr. D. de ſepulcr. viol. *Hinc vero reſtituendum eſt Edictum de albo corrupto, cujus ſenſum tantum tradit VLPIANVS* l. 7. D. de Iurisdict. In eum, quicunque agere volet, quingentorum aureorum judicium dabo. *Aliter NOODT* comm. ad tit. D. de Iurisdict. p. 48. CONRADVS.

(7) *Cum vero Aediles in municipiis & coloniis imaginem & ſpeciem referrent Aedilium Vrbis Romae, ea, quae de horum officio ſcripſit PAPINIANVS, exemplo eſſe debuerunt, quod illi in oppidis ſuis ſequerentur. Et vel ſic patet ratio, cur hunc librum Graece ſcripſerit, quamvis de Romanorum Aedilium officio commentaretur.* CONRADVS.

Digitized by Google

Ex Car. Conradi Parergorum praefatione ἀποσπασμάτιον de Papiniani Ἀστυνομικῷ.

Quod vero §. VI. *&* IX. *de fragmento PAPINIANI ἐκ τοῦ Ἀστυνομικοῦ in* l. un. D. de via publ. & si quid in ea fact. *adfirmavi illud ad officium Aedilium in Vrbe Roma procurandi vias publicas pertinere, in ea sententia ut persistam, vel maxime facit, quod earum difficultatum, quas V. C. GE. D'ARNAVD* Var. Conject. Lib. I. c. 18. *objecit, sane praecipua Legis illius antiquae auctoritate removetur. Tria enim omnino sunt, quae Vir praestantissimus nullo pacto Vrbi Romae ejusque Aedilibus convenire posse arbitratur. Primum est mentio* Legis *in* d. l. un. *secundum quam Aediles homines liberos, qui aliquid in via fecerint, mulctare debent, quam intelligit de* lege municipali: *haec enim simpliciter aliquando* lex *appellatur*, l. 3. D. quod cujusque universi. nom. l. 12. D. de appellat. *&* l. 11. D. de Decurion. *Alterum, quod in* l. un. *dicuntur Astynomi curare debere, ut quisque juxta domum suam vias reficiat: Romae autem viarum curam & reparationem, non privatis, sed Magistratibus ipsis incubuisse*, l. 2. §. 24. D. ne quid in loc. publ. *& publicis quidem impensis, secus ac in municipiis, in quibus quisque juxta aedes suas propriis sumtibus vias restituere teneretur. Tertium, quod in* d. l. un. *additur*, unumquemque cloacas (*ita vertit* ὑδροῤῥόας) quae sub dio sunt, purgare debere & ita reficere, ne currus impediatur: *at cloacis in Vrbe purgandis, nedum reficiendis, privatorum opes haud sufficturas fuisse, & constare purgandas locatas esse a Censoribus. Idem dicendum fore, si cum interprete Pisano* ὑδροῤῥόας *reddere quis malit* aquaeductus. *Verum enim vero sicut ad primum argumentum facile respondetur, legem intelligendam esse, de qua PAPINIANVS forte in praecedentibus dixerat, vel de qua satis constabat, ac longe plurimis locis* legem *sine aliqua adjectione dici, ubi non liceat de lege municipali cogitare: ita nulla difficultas a cloacis, aut aquaeductibus imminet, cum* ὑδροῤῥόας *vertere oporteat* emissaria, *sive* canales, quibus aqua pluvialis effluit: *quae significatio, e Lexicis abunde nota, bene congruit cum eo, quod dicitur,* τὰς ὑδροῤῥόας, τὰς ἐκ τοῦ ὑπαθρίου, *& quod eas ita construendas esse jubetur,* ὡς ἂν μὴ κωλύῃ ἅμαξαν ἐπιέναι. *Quae restat objectio, secundo loco posita, certissimis veterum testimoniis niti videtur, quibus constat, Censores olim vias sternendas in Vrbe locasse, auctore LIVIO* lib. XXIX. c. 37. *&* lib. XLI. c. 27. *& Augustum quibusdam hoc praecipue negotii dedisse, ut vias reficiendas curarent, SVETONIVS in* ei vit. c. 37. *Publicis autem impensis, si quid in Vrbis viis reficiendum, hoc factum esse, indicium praebet DIO* Lib. XLIX. p. 476. *de Agrippa scribens, cum Aedilis esset*, omnia eum aedificia publica & omnes vias nulla ex publico pecunia sumpta, restaurasse. *Et* VESPASIANVM VIAS VRBIS NEGLIGENTIA SVPERIORVM TEMPORVM CORRVPTAS IMPENSA SVA RESTITVISSE, *palam facit inscriptio, quae ex ON. PANVINII* Descr. Vrb. Rom. p. 85. *adfertur. Verum haec omnia optime consistunt cum intellectu* l. un. D. de via publ. *de cura viarum in Vrbe Roma, si quidem ex Lege illa veteri recta interpretatio adhibeatur. Fuerit licet olim stratura viarum primum publico sumtu perfecta, fuerint locupletes, qui Magistratum gerentes, auram popularem captarent ac vias suis impensis reficerent, egerint hoc idem eversa Republica aliquando Imperatores: at refectio tamen viarum, certe post Legem, cujus quantivis pretii reliquias curamus, fuit ordinarium onus privatorum, secundum cujusque aedificium, nisi ex altera parte esset aedes sacra, aut aedificium locusve publicus, ubi dimidiam partem sumtus aerarium populi ferebat. Noscimus ex hac Lege porro, Aediles omnino & vias propter aedes sacras locaque & aedificia publica tuendas locasse, & eas, quae propter aedificia privatorum erant, tuendas procurasse, cum privatos arbitrata Aedilium vias tueri oporteret, adeoque officium Astynomorum, quod PAPINIANVS in* d. l. un. *describit, exacte Vrbi Romae ejusque Aedilibus tam Curulibus, quam plebeiis convenire: utrisque enim Lex nostra* versu 24. *procurationem viarum publicarum in Vrbe committit. Ceterum ne* Astynomorum *appellatio nos diutius suspensos teneat, cogitemus tandem, an non voce alterâ* Ἀγορανόμων (*quam ZONARAS* Lib. VII. p. 342. *a Viro Cl. citatus diserte* a cura fori rerum venalium *repetit*) *adhuc aptior fuerit Aedilibus PAPINIANI aevo, quo jam olim curationem annonae & jurisdictionem in foro rerum promercalium amiserant, solo ipsis ludorum relicto honore & viarum tuendarum procuratione: ut jam cum* Ἀγορανόμοις *Graecorum vix comparari possent, melius vero* Ἀστυνόμοις *conferrentur, tanquam* Curatores Vrbis, *pro exiguis partibus ex amplissimo munere retentis. Sed, laudata prius Viri doctissimi diligentia, & gratiis pro lectione fragmenti Papinianei emaculata ex merito actis ad reliqua, monente exiguo, quod nobis concessum est, temporis spatio, & interpellantibus quoque operis, pergendum est.*

CAP. VII.

Aediles *sortiri aut comparare inter se partes Vrbis* jubentur. SVETONIVS iterum illustratur.

Cura viarum publicarum *in Vrbe propiusve eam passus mille. L. 2. pr. l. 87. & l. 154. D. de V. S.* explicantur.

Verum operae erit pretium ea, quae de officio Aedilium curandi vias publicas in Vrbe sigillatim cauta, cognoscere. Ac primum quidem videmus curam illam inter Aediles curules & plebeios ita divisam, ut suam quisque partem sive regionem Vrbis ex quatuor illis, quas Servius Tullius Rex fecerat, prout vel comparassent inter se, vel sors tulisset, sibi commissam haberent (8). *Dein Aediles mature in diebus quinque proximis, quibus designati sint, vel magistratum inierint, parare inter se, aut sortiri jubentur, procuratione illa viarum haud multam moram ferente.*

Hinc vero intelligere possumus, quosnam Magistratus annuos *SVETONIVS in* Aug. c. 30. *signinem, si Censores in republica non essent, ut V. C. PETR. BVRMANNVS* l. c. *existimat.* CONRAD.

(8) *Ergo jure ordinario Aedilibus cura muniendi & reficiendi viarum commissa: non tantum extra ordi-*

Digitized by Google

gnificet, quos, ut regiones Vrbis ſortito tuerentur, *Auguſtum inſtituiſſe refert; ſimulque apparet, illud*, ſortito tueri, *non curam extra ordinem Magiſtratibus annuis, Aedilibus, Tribunis, Praetoribus, ſed ita, ut ſorte regiones certae cuique Aedili tribuerentur, mandatam indicare, ceterum Viros doctos, TORRENTIVM & CASAVBONVM, recte negare novos Magiſtratus ex Auguſti inſtitutione creatos, qui regiones curarent* (9).

Porro ea cura non ſolam munditiem, uſum non impeditum & ſecuritatem viarum quaeri, perhibent verba legis, verſu 25. ſ. Qua in partei Vrbis quiſque eorum vias publicas intra Vrbem Romam propiuſve *Vrbem Romam paſſus mille* reficiundas ſternendas curet ejuſque rei procurationem habeat: *& mox, verſu* 27. *ſequ.* viarum reficiendarum tuendarum procuratio eſto, utei hac lege oportebit.

Denique & terminos, quibus illa Aedilium cura definiebatur, accipimus: In Vrbe Roma propiuſve Vrbem Romam paſſus mille, ubei continente habitabitur, *verſu* 20. *&* 26. *Nimirum poteſtas Aedilium terminabatur primo ab Roma lapide, ſive mille paſſibus, qui, ut ex his verbis certiſſime noſcitur, non a portis Vrbis, ſed a continentibus aedificiis numerabantur. Ideoque in lege bis dicitur* Vrbs Roma, *ut ex adjectione nominis etiam intelligatur, unde initium dinumerationis faciendum ſit. Ita enim PAVLVS in* l. 2. pr. de V. S. Vrbis appellatio muris: Romae autem continentibus aedificiis finitur: *& ſecundum ALFENVM in* l. 87. eod. Vrbs eſt Roma, quae muro cingeretur, Roma eſt etiam, quâ continenti aedificia eſſent. *Hinc in Edicto, quo Senatores ex Italia Romam revocabantur, erat:* Qui Romae eſſent, ne quis ultra mille paſſuum ab Roma abeſſet, *apud LIVIVM* lib. XLIII. c. 11.

Facile etiam ex his deciditur quaeſtio inter antiquarios agitata, de qua V. C. EV. OTTO de Tutel. vitr. part. II. c. 6. p. 393. *unde lapides viarum per Italiam milliares numerari coeperint, an a portis Vrbis, an vero a continentibus aedificiis? Ab his enim primo milliari quia viae publicae curationi Aedilium commiſſae terminabantur, recte ex eo colligitur, ab hoc milliari, ſive primo ab Roma lapide initium cepiſſe vias ruſticas, ut in* l. 2. §. 24. D. ne quid in loc. publ. *vocantur, quae ſuos quaeque curatores habebant. Et hinc veram demum explicationem* l. 154. D. de Verb. ſignif. *adſequi licebit, ubi MACER* lib. I. ad legem viceſimam *dicat*, mille paſſus non a milliario Vrbis, ſed a continentibus aedificiis numerandos eſſe. *Etenim lex viceſimaria teſtamentum ſtatim poſt mortem teſtatoris aperiri juſſit: inde, ne mora fieret tam neceſſario vectigali, receptum eſt, ut a praeſentibus aperirentur tabulae intra triduum vel quinque dies, ab abſentibus quoque intra eos dies, cum ſuperveniſſent, auctore PAVLO* Sent. Rec. lib. IV. tit. 6. §. ult. *Itaque, cum abſens demum haberetur, qui mille paſſus ab Roma abeſſet, MACER definivit, unde hos mille paſſus numerari oporteret. Vir Maximus, ANT. AVGVSTINVS* Emend. lib. IV. c. 7. *primus conjecit; in* dict. leg. *intelligi* milliarium aureum, *quod in foro Auguſtus collocaverat, & in quod vias militares Italiae deſiiſſe ait PLVTARCHVS in* Galba p. 1064. *cum vulgares libri & HALOANDER* (in lege cit.) *pro lectione Florentina* (A milliario Vrbis) *ſubſtituerent*, A muro Vrbis. *Sed nemo veterum eam columnam* milliarium Vrbis *dixit, nec, niſi ſtolide, potuit quaeri, utrum paſſus mille, ultra quos abſens quis haberetur, initium caperent a milliario aureo & medio foro, quippe a quo paſſus per directum fere quater mille ad portas ſingulas in Vrbe fuiſſe, PLINIVS* H. N. lib. III. c. 5. *teſtatur. Ergo mille paſſus, quibus quis abſens haberetur, non ab Vrbis milliario, hoc eſt primo ab Roma lapide* (10), *ſed a continentibus aedificiis numerandos eſſe, MACER definire videtur, ſicut VLPIANVS in* l. 173. §. 1. & 199. D. de V. S. *eum abſentem dixit*, qui extra continentia Vrbis eſſet.

CAP VIII.

Quatuorviri vieis in Vrbe purgandeis. Duumviri vieis extra Vrbem purgandeis, a Curatoribus viarum extra Vrbem ſingularium plane diverſi, ab Auguſto ſublati.

Videmus porro hoc capite, verſu 50. *memorari* Quatuorviros vieis in Vrbem purgandeis, Duumviros vieis extra propiuſve Vrbem Romam paſſus mille purgandeis, *qui cum Aedilibus* vias publicas purgandas curent. *Non alii intelligendi ſunt Quatuorviri, quam illi quos POMPONIVS in* l. 2. §. 30. D. de

(9) *Minime vero ad tutelam viarum in Vrbe trahendus eſt locus DIONIS* lib. LV. p. 554. *quo*, Vrbem totam in regiones diviſam tunc quatuordecim, quibus ſorte diviſis Vicorum Curatores, Tribuni plebis & Praetores praeeſſent. *Vbi CASAVBONVS*, *τῶν ἀγοραίων pro τῶν ἐπιστατῶν, legi vult. Contextus enim plane non admittit eam correctionem; & quod DIO hic refert, ad curationem incendiorum ab Auguſto inſtitutam, pertinet, quam antea quidem Aediles habuiſſe, ſed ab Auguſto mutationem factam, ipſe CASAVBONVS agnovit.* CONRAD.

(10) *Quippe hi paſſus mille, a continentibus aedificiis numerati, ſive primum milliarium Vrbis (plane, ut in* l. 4. §. 1. D. de hered. inſtit. *VLPIANVS* primum milliarium Alexandriae *dicit*) *ad Vrbem Romam non minus pertinere cenſebantur, quam ipſa aedificia, quibus continenti habitabatur: quod ita fuiſſe, vel ex LIVIO* lib. III. c. 20. *apparet, ubi dicitur*, neque provocationem eſse longius ab Vrbe mille paſſuum, & Tribunos, ſi eo veniant, in alia turba Quiritium ſubjectos fore conſulari imperio. *Atque hi ſunt* termini Vrbis, *extra quos neque Praetor jus dicebat, neque Praefectus Vrbi poteſtatem habebat*, l. ult. D. de Off. Praef. Vrbi, *quamvis ad hujus notionem pertineret, ſi quid intra centeſimum lapidem admiſſum eſſet*, l. 1. §. 4. eod. *de quibus VLPIANI locis videndi GOEDDAEVS* in tit. D. de Verb. Signif. ad l. 2. pr. *& M. AVGVSTIN. CAMPIANVS* de Offic. & poteſt. Magiſtr. Rom. p. 195. *Scrupulum vero, qui iniici poſſet, quod non* milliarium Romae, *ſed* Vrbis, *dicatur, eximunt, quae modo citavimus, LIVII & VLPIANI locus.* CONRADVS. [Si Deus dabit, nos etiam de milliariis numerandis in loco aliquid commentabimur.]

Digitized by Google

D. de Orig. Iur. *eodem tempore cum Triumviris capitalibus ac monetalibus, anno V.C. CCCLXIV.* (*ut* RVPERTVS Animadv. in Enchirid. Pompon. lib. II. c. 16. *oſtendit*) *conſtitutos ſcribit*, qui viarum curam gererent. *Eos nomine compoſito* Viocuros *olim dictos, ex* VARRONE de lingu. Lat. lib. IV. c. 1. & 32. *conſtat, & ab Aedilibus diverſos fuiſſe, contra* SCALIGERUM *V.C. EV. OTTO* de Tutel. Viar. Part. II. c. 5. p. 372. *evicit. Nondum vero conſtabat, quale hi* τῶν ἐν τῷ ἄστει ὁδῶν ἐπιμελούμενοι, intra Vrbem viarum curatores, *ut eos DIO* lib. LIV. p. 540. *vocat, proprie munus obierint, quod nunc demum ex hac lege cognoſcimus, nimirum eos* purgandi *vias in Vrbe curam geſſiſſe cum Aedilibus.* Purgare autem proprie dicitur, viam ad libramentum proprium redigere, ſublato eo, quod ſupra eam eſſet, *ſecundum Vlpianum in* l. 1. §. 1. D. de via publ. & itin. publ. refic. *Atque hi ſunt ipſi viarum curatores, ad quorum ſolicitudinem pertinere, ne quis via publica aliquem prohibeat,* PAVLVS *ſcribit* Sent. Rec. lib. V. tit. 6. §. 2. *&* VENVLEIVS *in* l. 2. D. de Cloac. *novam, ait, cloacam facere ab eo demum concedi debere, cui viarum publicarum cura ſit.*

Sed quod Duumviros viarum curatores attinet, eorum mentio hic eo carior nobis eſſe debet, quoniam nec ullum eorum veſtigium adhuc repertum eſt, praeterquam apud DIONEM l. c. *ubi Vigintiviros ex Equitibus creatos refert, in locum viginti & ſex virorum, quos olim populus ex ſenatorio ordine legerat, & ex quibus ſortitione fiebant Triumviri monetales, Triumviri capitales, Quatuorviri curatores viarum in Vrbe, Decemviri ſtlitibus judicandis, Duumviri curatores viarum extra Vrbem & Quatuorviri, qui in Campaniae praefecturas* (V) *mittebantur. Et Duumviros quidem hos cum Quatuorviris poſtremo dictis eo tempore ſublatos fuiſſe, inde Vigintiviros tantum retentos ab Auguſto, idem auctor eſt. Videtur Auguſtus Quatuorviris viarum intra Vrbem curatoribus provinciam Duumvirorum extra Vrbem addidiſſe: unde factum, ut illi poſtea* Quatuorviri viarum curandarum, *ſine adjectione* intra Vrbem, *appellarentur, quod ex permultis inſcriptionibus ſecundum* Indicem Corporis Gruteriani cap. de Magiſtratibus &c. *liquet* (11). *His Quatuorviris poſtea viarum quarundam per Italiam curationem mandari ſolitam, docent marmora, quae Cl. OTTO* l. c. *ex* corp. Inſcr. Gudiano *adfert* p. 377. *Nunquam vero Duumviri viis extra Vrbem purgandis, qui in lege noſtra memorantur, viarum extra Vrbem ſingularium curationem habuerunt. His enim deſtinatos fuiſſe curatores extra ordinem, uti Thermum curatorem viae Flaminiae CICERO dicit* lib. I. ad Attic. epiſt. 1. *Caeſarem curatorem viae Appiae conſtitutum, PLVTARCHVS in* ejus vita p. 709. *refert. Poſtea curatorum horum munus ab Auguſto certum ac perpetuum factum eſſe, idque a SVETONIO* Aug. c. 37. *dum viarum curam inter* nova officia *numerat, ſignificari, docet LIPSIVS* in lib. III. Annal. *TACITI* Excurſ. E. *Hanc vero ipſam mutationem ab Auguſto, curatore viarum, factam indicat DIO* lib. LIV. p. 526. *ſcribens, eum Praetorios viros, qui viis praeeſſent muniendis, quique binis lictoribus uterentur, deſignaſſe. Atque hujus generis Curatores Viarum ſingularum exhibent inſcriptiones, quarum longum ſatis recenſum ex* Indice Corporis Gruteriani *non tranſcribemus.*

CAP. IX.

Officium & poteſtas Aedilium in viis muniendis, & modus hac lege praeſcriptus. Forma locationis redemtoribus viarum faciendae. Domini aedificiorum, qui vias non tueantur, certae pecuniae adtribuendi redemtoribus. De pecunia adtributa judicium dandum. Veſtigia hujus capitis in *l. un.* §. 3. *D. de via publica.*

Id potius agendum eſt, ut officium Aedilium procurandi vias in Vrbe propiuſve Vrbem Romam, lege deſcriptum, & poteſtatem ipſis datam contueamur. 1. *Ac primum quidem Aedilibus hoc negotii datum, in ea, quae cuique obvenerit, parte Vrbis curare, ut privati eas vias, quae ante cujuſque aedificium eſſent, arbitratu Aedilis, cujus curae ea pars Vrbis commiſſa eſſet, tuerentur, & ne eo loco aqua conſiſteret, quo minus commode populus ea via uteretur.* 2. *Deinde, quod ad viam, quae inter aedem ſacram, vel inter aedificium locumve publicum & inter aedificium privatum eſſet, Aediles in ſua quiſque parte Vrbis dimidiam ejus viae partem tuendam locare jubentur.* 3. *Porro, praeter viarum reficiendarum arbitrium, & hoc Aedilibus datum, ut viam quam quiſque poſſeſſor ante aedificium ſuum, uti oporteret, haud tueretur, pariter tuendam locarent.*

Haec poteſtas ſicut in publicum utiliſſima & coercendis negligentibus atque contumacibus neceſſaria, ita, ne cuiquam injuria fieret, ſalubriter modus lege conſtitutus, qui & alias in auctionibus publicis, quibus ſive venditio ſive locatio fiebat, ſervabatur (12), *ut Aedilis diebus non minus decem, antequam locaret, apud forum ante tribunal ſuum in tabula proponeret, quam viam tuendam & quo die locaturus eſſet, utque eis, quorum ante aedificium ea via eſſet, procuratoribuſve abſentium, domum denunciari faceret, ſe eam viam locaturum & quo die ſit locaturus. Sed & formam locationis publicae faciendae expreſſam videmus, ut Aedilis eam faceret palam in foro per Quaeſtorem Vrbanum aut quemcunque Magiſtratum, qui aerario eo tempore praeeſſet, ſive ut alias dicitur,* qui aerarium provinciam obtineret, *utque ſuo arbitrio tuendam viam locaret. Facta vero locatione viae, quam dominos aedificiorum ante ſuas quemque aedes tueri oportuiſſet, Tribunus, Praetor, Quaeſtor Vrbanus, quive aerario praeeſſet, eos tantae pecuniae, quantae locatio facta fuerit, in tabulas publicas pecuniae factae*

(V) [Quos huc uſque enumeravit magiſtratus, eorum notitiam Feſtus in PRAEFECTVRAE conſervaverat: niſi quod locus adhuc corruptus eſt: de quo emaculando in Comm. ad harum legum fragmentum Neapolitanum ſatagemus.]

(11) *Occurrit tamen Curator Viarum extra Vrbem in quinque Conſules extra ordinem factus, apud* GRVTERVM *p. CCCLX. n. 3.* CONRADVS.

(12) *Vid.* BRISSONIVS *Select. ex Iur. Civ. Antiq. lib. III. c. 8. & de Formul. lib. VI. p. 485. ſeqq.* CONR.

Digitized by Google

ctae referendos curare atque redemptori viae adtribuere jubentur.

Et quidem XXX. dies, qui lege XII. Tabularum aeris confessi, *sive (ut ὁ πάνυ BYNKERSHOEKIVS* Observat. Iur. Rom. lib. I. c. 1. *legit)* reis confessis rebusque jure judicatis justi erant, *nostra lege indulti his, qui adtributi essent* redemptoribus, *qui &* mancipes viarum *dicebantur. Intra hos dies, ab eo die, quo se adtributos scivissent, si neque solvissent, neque eo nomine satisfecissent, dimidium pecuniae adtributae redemptori poenae nomine debebant.*

Denique sicut idem, quod in pecunia credita jus erat ex lege Decemvirali, item in hac pecunia publice adtributa statutum videmus; ita Magistratus, qui de ea pecunia aditus fuerit, jubetur judicem judiciumque, plane uti de pecunia credita dare, hoc est, judice, ut oportet, addicto, judicium constituere ea formula, qua de mutua pecunia judici cognoscendi judicandique potestas fieret. Non id sufficiebat: verum pecuniae creditae jus hoc ferebat amplius, ut si debitor, triginta diebus justis etiam post condemnationem elapsis, nec solvisset judicatum, nec pactus esset, tertiis Nundinis teneretur in usuras sortis, in quam pecuniae adtributae & poenae nomine damnatus esset; ceu Capitis poenas *in lege XII. Tabularum illustris Praeses, quem modo laudavimus, explicat. Denique, cum, debitorum nexu mature sublato (ut LIVIVS* lib. VIII. c. 28. *ait)* pecuniae creditae bona debitoris non corpus obnoxium esset; *missione in possessionem & venditione bonorum satisfieret redemptori.*

Horum vero omnium manifesta vestigia deprehendimus in illo, cujus supra mentionem fecimus, nobilissimo fragmento PAPINIANI de Officio Aedilium, *quod in* l. un. D. de via publ. & si quid in ea fact. dicat. *superest, ut nullum sit dubium, habuisse illum Iureconsultorum Coryphaeum ante oculos legem nostram, cum ista scriberet. Quod enim ait:* Οἱ ἀστυνομικοὶ ἐπιμελείσθωσαν τῶν κατὰ τὴν πόλιν ὁδῶν, ὅπως ἂν ὁμαλισῶσι, καὶ τὰ ῥεύματα μὴ βλάπτῃ τὰς οἰκίας, Aediles curent, ut, quae in Vrbe sunt, viae adaequentur, & effluxiones non noceant domibus: *idem est, quod lege jubentur Aediles curare, ut unusquisque, quam debet, viam arbitratu eorum tueatur, ne eo loco aqua consistat. Quod sequitur* §. 3. Ἐπισκευάζειν δὲ τὰς ὁδὰς τὰς δημοσίας κατὰ τὴν αὐτῶ οἰκίαν ἕκαστον, Construat autem vias publicas unusquisque secundum propriam domum: *ipsa hujus capitis verba reddit:* Quojus ante aedificium earum quae viae erunt, is eam viam arbitratu ejus Aedilis tueatur. *Rigor vero ille in exigenda tutela & refectione viarum, quem in lege animadvertimus, omnino ita tulit, ut & hoc statueretur, quod PAPINIANVS addit:* Ὅτοι δὲ μισωτάμενοι οἰκῶσιν, ἐὰν μὴ ἐπισκευάζῃ ὁ δεσπότης, αὐτοὶ ἐπισκευάσαντες ὑπολογιζέσθωσαν τὸ ἀνάλωμα κατὰ τὸν μισόν. Quicunque autem mercede habitant, si non construat dominus, ipsi construentes computent impensas in mercedem.

CAP. X.

Quaestorum partes in cura viarum sternendarum.

Quaestorum collegio straturam viarum in Vrbe aliquando mandatam fuisse cum BERGIERIO de Viis militarib. lib. I. sect. 3. §. 8. *Vir. Cl. EV. OTTO* de Tutel. Viar. Part. II. c. 3. p. 351. *adfirmat. Videtur hoc SVETONIVS in* Claud. c. 24. *docere, dum* collegio Quaestorum pro stratura viarum gladiatorum munus a Claudio injunctum esse, *scribit. Verum, si TACITVM* Annal. lib. XI. c. 22. *&* lib. XIII. c. 5. *consulimus, a Candidatis Quaesturae exactum esse gladiatorum spectaculum, comperimus. Hoc si pro stratura viarum injunctum est, patet, non Quaestorum collegio sternendi vias provinciam olim datam, sed ad dignitatem Candidatorum profuisse, si, qui ad Quaesturam adspirarent, sumtus viae publicae muniendae impendissent. Neque vero in lege nostra vel officium tuendi vias, vel arbitratum in viis, quae publico aerarii sumtu muniendae & reficiendae erant, Quaestoribus adsignari videmus. Solam locandi provinciam iis competiisse &, ut redemptori viae pecuniam, quam secundum legem locationis oporteret, dandam adtribuendam curarent; arbitratum vero tuendae viae penes eum Aedilem fuisse, qui eam locandam curasset, exerte docent, haec verba:* Quam viam hac lege tuendam locari oportebit, Aedilis, quem eam viam tuendam locare oportebit, is eam viam per Quaestorem Vrbanum, quive aerario praeerit, tuendam locato, uti eam viam arbitratu ejus, qui eam viam locandam curaverit, tueatur. Quantam pecuniam ita quaeque via locata erit, Tribunus, Praetor, Quaestor Vrbanus, quive aerario praeerit, redemptori, cui e lege locationis dari oportebit, heredive ejus, dandam adtribuendam curato. *Haec enim omnino spectant ad vias in Vrbe, quae per loca publica & prope aedes sacras aut aedificia publica erant, ut ex versu 29. & duobus sequentibus apparet.*

CAP. XI.

Semitas in viis construendi ratio hac lege injuncta.

Restat, ut rationem semitas construendi, lege praescriptam, explicemus. Haec enim continetur sequente hujus capitis clausula: Quojus ante aedificium semita in loco erit, is eam semitam eo aedificio perpetuo lapidibus perpetueis, integreis, continentem, constratam recte habeto, arbitratu ejus Aedilis, quojus in ea parte hac lege viarum procuratio erit. *VARRO* de ling. Lat. lib. IV. c. 4. *semitam, qua anguste itur,* ut semi iter, *dictam ait. Verius est, ita appellatam, quasi* semissem viae: *quare semita & via passim opponuntur, ut exemplis docet VOSSIVS in* Lex. Etymol. *Erant autem in Vrbe non modo semitae per clivos & angiportus, sed etiam in viis. Spatium illud ita appellabatur, quod ab hominibus plerumque tereretur in margine viae prope aedes, ad evitandam molestiam, quae a jumentis, vehiculis, bajulis adversum venientibus in via lata eunti creabatur. Hinc apud PLAVTVM* Curcul. Act. II. Sc. 3. v. 5. seq. *parasitus cursationem sibi exquirens:*

Nec quisquam sit tam opulentus, qui mihi obsistat in via,
Nec strategus, nec tyrannus quisquam, nec agoranomus,
Nec demarchus, nec comarchus, nec cum tanta gloria, Quin

Digitized by Google

Quin cadat, quin capite ſiſtat in via de ſemita. *Et* Mercat. Act. I. Sc. 2. v. 5. *Acanthio ſe ipſum ad currendum ſtimulans:*

Simul autem pleniſſime eos, qui adverſum eunt, aſpellito,

Detrude, deturba in viam.

Itaque, ut in ſemitis euntium commoditati proſpiceretur, ſimulque eae mundiores redderentur, lex jubet dominos, ante quorum aedes ſemita eſſet, lapidibus perpetuis, integris continentem, conſtratam recte arbitratu Aedilis habere. Vias in Vrbe ſilice ſtratas & ſimiliter clivum Capitolinum, LIVIVS lib. XLI. c. 37. *perhibet. Silices hos fuiſſe, non malleis dolabriſque particulatim, ut hodie mos eſt, conciſos, ſed grandes, & multiplici ferme angulo perpolitos, ut aliis facile coagmentari poſſent, nec ſe commiſſura laxaret, ALEX. DONATVS* de Vrbe Roma lib. I. c. 23. *ex detectis Romae viarum veterum reliquiis docet. Stratura vero viarum, quae ſilice fiebat, maxime differebat ab ea, quae lapide parabatur e rupe viva exciſo. Vid. BERGIERIVS* de Viis militar. lib. II. Sect. 4. §. 1. & 9. *Hinc LIVIVS* l. c. *ubi vias in Vrbe & clivum Capitolinum & porticum extra portam Trigeminam in Aventinum* Silice ſtraviſſe *Cenſores refert, porticum ab aede Saturni in Capitolium ad Senaculum ac ſuper id Curiam & emporium* lapide ſternenda *curaſſe ſcribit. Atque hujuſmodi majoribus lapidibus, ad normam caeſis & arctiſſime concinnatis, ſemitas ſtratas intelligimus ex verbis legis:* Lapidibus perpetuis, integris, continentem, conſtratam recte habeto. *Hinc in ſemita* ſaxorum *meminit MARTIALIS* lib. V. Epigr. 22.

Alta Suburrani vincenda eſt *ſemita* clivi,
Et nunquam ſicco ſordida *ſaxa* gradu.

CAP. XII.

Tertium caput fragmenti, de plauſtris intra Vrbem interdiu non ducendis.

Tertio capite fragmenti, plauſtra in Vrbe & intra continentia interdiu agere ducere prohibetur. Plauſtra, ſive ut in lege ſcribitur, ploſtra, *quaenam vehicula fuerint, diligenter explicat SCHEFFERVS* de Re vehicul. veter. lib. II. c. 19. *Erant vehicula* plauta *ſeu* plota, *ut veteres dicebant, id eſt lata & plana, duabus rotis inſtructa, quibus ingentia lapidum, aſſerum, tignorum aliaque onera vehi ſolebant: quam ob cauſam VIRGILIVS* plauſtra gravia, ſtridentia & gementia, *nimirum, ut SERVIVS explicat,* ſub pondere, *dixit* Georg. lib. III. v. 140. & v. 183. & Aeneid. lib. XI. v. 138. *Non vero ſine periculo praetereuntium (qui in tanta multitudine hominum, quae Romae erat, turba premebantur, nec facile cedere poterant) illa onera plauſtris vehebantur per Vrbem: de quo Vmbricius Bajas migraturus queritur apud IVVENALEM* Sat. III. v. 254.

Modo longa coruſcat
Sarraco veniente abies atque altera pinum
Plauſtra vehunt, nutant altae, populoque minantur.
Nam ſi procubuit, qui ſaxa Liguſtica portat
Axis, & everſum fudit ſuper agmina montem,
Quid ſupereſt de corporibus, quis membra, quis oſſa
Invenit? Obtritum vulgi perit omne cadaver.

Ob eamque cauſam lex vetat plauſtra interdiu in Vrbe agi duci a privatis poſt ſolem ortum ante horam X. diei, *qua, dum a negotiis jam ceſſabant & poſt lavationem coenam ſumere ſolebant, hominibus parcius tum per vias commeantibus, a plauſtris obviis non adeo metuendum erat. Itaque (ut eſt in lege, verſu 66.)* plauſtra noctu in Vrbem inducere *licebat, ſed non educere interdiu: ne quidem hora X.* (VI) *diei* bubus jumentiſve juncta *eſſe in Vrbe & continentibus permiſſum erat, niſi inania, aut ſtercoris exportandi cauſa. Boves vel mulos plauſtris jungi ſolitos, SCHEFFERVS* l. c. *multis teſtimoniis probat. Quod vero in lege dicitur:* bubus jumentiſve, *ex eo illuſtratur illud VLPIANI in* l. 38. §. 4. D. de Aedil. Ed. *negantis,* boves jumentorum appellatione contineri. *IVVENALIS aetate hoc caput legis obliteratum fuiſſe videtur: quare HADRIANVS denuo probibuit,* vehicula cum ingentib. ſarcinis Vrbem ingredi, *teſte SPARTIANO in* ejus vita c. 22.

CAP. XIII.

Excipiuntur quae ſacrarum aedium, & operum publicorum, item religionis vel triumphi ludorumve cauſa duci oporteret.

Sequitur exceptio: Niſi quod aedium ſacrarum Deorum inmortalium cauſſa aedificandarum, operiſve publice faciundi cauſa advehi portari oportebit, aut quod ex Vrbe, exve ieis loceis earum rerum, quae publice demolienda loca erunt, publice exportari oportebit, & quarum rerum cauſſa ploſtra hac lege certeis hominibus certeis de cauſeis agere, ducere licebit. *Aedes ſacrae & opera publica, ut ea honoris Deorum & utilitatis publicae cauſa, atque augendae Vrbis magnificentiae eo citius perficerentur, excipiuntur; aeque permittendum fuit interdiu plauſtris uti, quibus operum dirutorum materies egereretur, ne rudera diutius jacentia Vrbem deformarent, atque hominibus in publico verſantibus impedimento eſſent.*

Altera eſt exceptio ſacrorum publicorum, triumphi ludorumque ſolennium, quorum cauſa plauſtra interdiu agere ducere opus eſſet. Ait lex; Quibus diebus Virgines Veſtales, Rex (*Regem*) ſacrorum, Flamines ploſtreis in Vrbe, ſacrorum publicorum Populi Romani cauſſa, vehi oportebit, quaeque ploſtra triumphi cauſſa, quo die quiſque triumphabit, duci oportebit, quaeque ploſtra ludorum, qui Romae aut Vrbei Romae publice fient, inve pompam ludeis Circienſibus ducei agei opus erit, quove minus earum rerum cauſſa eiſq. diebus ploſtra interdiu in Vrbe ducantur agantur, eorum hac lege nihil rogatur. *Plauſtris res ſacras in feſtis Cereris, Saturni, & Bacchi, quia ruſtica eſſent Numina, vectas eſſe, PYRRH. LIGORIVS* Diatrib. de Vehiculis antiqu. c. 14. *cenſet. De Cerere VIRGILIVS* Georg. lib. I. v. 163.

Tardaque Eleuſinae matris volventia plauſtra,

ad quem SERVIVS notavit: Ipſa eſt etiam Ceres: Romae quoque ſacra hujus de plauſtris vehi conſue-

(VI) [Lex noſtra turpi antinomiâ laborabit, niſi forte illud H. X. ver. 67. intelligatur *horis decem*, non vero cum Conrado *hora decima*: de quo in loco dicam.]

Digitized by Google

ſueverant. *De ploſtellis, in ſacris Liberi per rura in compitis & uſque in Vrbem duci ſolitis, nota ſunt, quae AVGVSTINVS* lib. VII. de Civit. Dei c. 21. *ex VARRONE refert. Ob eandem rationem ſacra & ſacerdotes Veſtae plauſtris ducta in Veſtalibus dici poſſent; quia Veſta priſca eſt Tellus, quam inter Numina, quae agriculturae praeſunt, invocat VARRO* de R. R. lib. I. c. 1. *Poteſt etiam origo peti a pietate L. Albinii, qui Vrbe a Gallis capta virgines Veſtales ſacraque plauſtro, quo conjugem & liberos vehebat, his deſcendere juſſis, Caere pervexit, quod* agreſte & ſordidum plauſtrum, ſacrorum tempeſtive capax, cujuslibet triumphalis currus vel aequaviſſe gloriam, vel anteceſſiſſe, *VALERIVS MAX. ait* lib. I. c. I. n. 11. *Sed vel ea de cauſa plauſtrorum uſus in ſacris publice deportandis receptus fuit, quia illud vehiculorum genus, latum & capax, eſſet huic uſui commodiſſimum.*

Porro triumphi cauſa *plauſtra ducebantur, quibus vehebantur ſpolia bellica & imagines urbium ac regionum devictarum. LIVIVS* lib. XLV. c. 40. *triumphum L. Aemilii Pauli exponens, ſummam captivi auri argentique translati* ex numero plauſtrorum *ponderibuſque auri argenti colligit. APPIANVS* de bell. Punic. p. 35. *ubi triumphalem pompam deſcribit*, praecedere *ait* tubicines & plauſtra onuſta ſpoliis, traduci & captarum urbium ſimulacra.

Denique in ludorum publicorum celebritate, maxime in pompa ludorum Circenſium, conſtat, imagines & ſacra Deorum in plauſtris per Circum ducta eſſe. In his plauſtris quia thenſae, id eſt vela in cubiculi ſive delubri ſpeciem tenſa (videatur DACERIVS in FESTVM voce Tenſa) *Deorum ſtatuis & ſecretis ſacrorum appoſita erant; inde & plauſtra ſic ornata* thenſarum *nomine appellata. CICERO* in Verr. Orat. I. c. 59. vehicula thenſarum *vocat*. Omnes Dii, *inquit*, qui vehiculis thenſarum ſolemnes coetus ludorum initis. *Hinc apparet*, *cur* plauſtrum *&* thenſam *promiſcue dicat TERTVLLIANVS* de Spectac. c. 3. Si unam thenſam trahat, Iovis tamen plauſtrum eſt: *&* cap. 7. thenſas *a* curribus *diſtinguat in Circenſi pompa* (13).

CAP. XIV.

Quartum caput, de cura locorum publicorum: ne poſſideantur, neve quid in eis fiat a privatis. Sigillatim de porticibus publicis cavetur.

Quartum caput fragmenti cavet de locis publicis porticibuſve publicis in Vrbe Roma, propiuſve Vrbem Romam paſſus mille, quorum locorum cujuſque porticus Aedilium eorumve Magiſtratuum, qui viis lociſque publicis Vrbis Romae propiuſve Vrbem Romam paſſus mille purgandis praeerunt, legibus procuratio eſt, erit, ne quis in eis locis, inve iis porticibus quid inaedificatum inmolitumve habeat, neve ea loca porticumve quam poſſideat, neve eorum quod ſaeptum clauſumve habeat, quo minus eis locis porticibuſque populus utatur pateantve, niſi quibus utique Lege, Plebiſve ſcito, Senatuſve conſulto conceſſum permiſſumve eſt. Locus publicus eſt, qui eſt in uſu populi, vel ad uſum populi communis locus, l. 2. §. 2. 3. 5. D. ne quid in loc. publ. *ibique CVIACIVS in* Paratit. *Maxime vero opus erat cura, ne loca publica cum privatis confunderentur, aut in illis aedificaretur, aut privata aedificia extenderentur in publicum, ſive projicerentur, quod ſi factum eſſet*, proaedificatum *dicebatur, teſte & interprete FESTO*, quod ex privato loco proceſſit in publicum. *Eam curam olim geſſiſſe Cenſores, ex eo apparet, quod LIVIVS* lib. XXXIX. c. 44. *& PLVTARCHVS in* Catone Cenſ. p. 347. *memorant: Catonem & L. Valerium Cenſores*, quae in loca publica inaedificata immolitave privati haberent, intra dies triginta demolitos eſſe (14). *Videmus LIVIVM iiſdem verbis rem exprimere, quae in lege ſunt:* Inaedificatum immolitumve. *Verba haec explicat TVRNEBVS* Adverſ. lib. I. c. 25. Aedificata ſunt, quae aliquo in loco aedificata ſunt: ſed cum *in loca* dixit, ſignificavit aedificia e privato in publicum procurrentia & aliquid loci publici occupantia. Inmolita autem ſunt, quae quis uſpiam molitus eſt. Si quis igitur privatus ante aedes ſuas podium poſuiſſet, aut maenianum projeciſſet, eum id demoliri Cato jubebat.

Quod itaque in lege dicitur, Aedilium eorumque Magiſtratuum, qui vieis loceiſque publiceis purgandeis legibus praeerunt, *locorum publicorum & Aedilium procurationem eſſe, id ita ſcriptum videtur, ut Cenſores ſub his Magiſtratibus comprehendantur, cum alias Quatuorviri & Duumviri viis purgandis, uti capite ſecundo factum, ſoli memorandi fuiſſent. Nimirum, cum* purgare, *ut ex VLPIANO* l. 1. §. 1. D. de via publ. & itin. publ. refic. *ſupra diximus, ſit*, ad proprium libramentum redigere, ſublato eo, quod ſuper *viam locumve publicum* eſſet, *patet non eos intelligi Magiſtratus ſolos, qui curabant, ut ad priſtinam formam viae reducerentur, ne quis dilataret, aut deprimeret, aut exaggeraret*, l. 3. §. 15. D. de itin. act. priv. *quique ea, quae ſuper vias intra Vrbem & extra eam facta eſſent, tolli jubebant: quia dicitur:* Qui viis *lociſque publicis* praeerunt.

Cavetur autem lege porro, ne quis loca publica porticumve quam poſſideat, neve eorum quod ſaeptum clauſumve habeat. Quae itaque publica a privatis poſſidebantur, ſi talia probarentur, vel auferenda poſſeſſoribus, vel non niſi impoſito ſolario *iis concedenda erant, nimirum ſi publico uſui nihil inde detrimenti fieret*, l. 2. §. 17. D. ne quid in loco

(13) *In Septimontiali ſacro abſtinendum fuiſſe uſu vehiculorum, quae jumentis traherentur, PLVTARCHVS tradit* Quaeſt. Rom. 68. *deque ejus rei cauſis fruſtra ſe torquet. Non alia fuit ratio, quam eadem, ob quam hac lege plauſtra quovis die ante horam X. in Vrbe ducere prohibitum. Nimirum eo feſto propter multitudinem populi, qui ex univerſa Italia in Vrbem confluebat, uſus vehiculorum vix eſſe poterat. Vid. BOXHORN.* in d. l. CONRADVS.

(14) *Idem confirmat VALERIVS MAX.* lib. VI. c. 5. num. 3. *ubi, Rutilium Trib. pleb. Cenſoribus Tib. Graccho & C. Claudio* diem dixiſſe, *ſcribit*, privata etiam ira accenſum, quia neceſſarium ejus in publico loco parietem demoliri juſſerant. CONR.

Digitized by Google

co public. *ubi definitur* ſolarium, quod pro ſolo penditur, *idque illuſtrat V. C. PETRVS BVRMANNVS* de Vectig. Pop. Rom. c. 12. p. 203. *Auguſtum* loca in Vrbe publica, juris ambigui, poſſeſſoribus adjudicaſſe, *SVETONIVS in* ei. vit. c. 32. *ſcribit: quod quia inter ea Auguſti acta refert, quibus correxerit pleraque peſſimi exempli, quae in perniciem publicam, licentia bellorum civilium, aut per pacem etiam extiterant: plurima ex publico, ob curam eorum remiſſius geſtam, tunc a privatis occupata fuiſſe liquet. Eam ob cauſam poſtea inſtituti peculiares Magiſtratus & Iudices, quales* IIIViri locorum publicorum perſequendorum, *apud GRVTERVM pag. CCCXCVIII. 6. CCCCXXI. 8. CCCCLVIII. 2. &* Curatores locorum publicorum judicandorum *apud eundem* p. CC. 6. *quos ibidem* inſcr. 5. *veriſſime reſtituit laudatiſſimus BVRMANNVS* l. c. p. 204.

Ad verba: Neve eorum quod ſaeptum clauſumve habeto, *Cl. MAITTAIRE bene adfert ex legis Mamiliae capite quarto illa*: NE. QVIS. EOS. LIMITES. - - - OBSEPTOS. NEVE. QVID. IN. EIS. INMOLITVM. NEVE. QVID. IBI. POSITVM. HABETO. *Singulatim vero de porticibus ſtatuitur, quod univerſim de locis publicis lex vetat. Namque ad eas in primis ſpectat, ne quid in iis ſeptum clauſumve ſit, & ut pateant. Hoc enim uſus earum publicus requirebat, ut libera eſſet in eis deambulatio, cum juvaret* denſâ porticus umbrâ, *nec impeditus receptus e theatris, cum repentinus imber ludos interpellaſſet.*

Excipiuntur, quibus Lege, Plebiſve ſcito, Senatuſve conſulto in publico & porticibus aedificandi, immoliendi, aut clauſum quid ſeptumve habendi facultas data. Neque vero lex pertinebat ad Magiſtratus, aedes ſacras vel aedificia aliave opera publica populi voluntate Senatuſve decreto facientes, aut qui in porticibus jus dicentes, ibi tribunal ſuum collocarent, nec ad argentarios, artifices, mercatores, & omnes, qui tabernas, aut ſtationes circa forum, aut in porticibus, aliiſve locis publicis conceſſas habebant, de quibus BRISSONIVS Select. ex Jur. Civ. Antiquit. lib. II. c. 11. *Tabernas, quibus mercatores & opifices vias publicas propter aedificia occupaverant, a Domitiano ſublatas, MARTIALIS celebrat* lib. VII. Epigr. 61. *ubi ſic finit:*

Tonſor, caupo, coquus, lanius ſua limina ſervant:
Nunc Roma eſt: nuper magna taberna fuit.

In Nova Roma Imp. Arcadius aedificia, quae vulgo parapetaſia *nuncupabantur, omniaque opera, quae publicis operibus ſociata cohaererent, quibus anguſtaventur ſpatia platearum, vel minueretur porticibus latitudo, dirui juſſit, in* l. 39. C. Th. & l. 14. C. de oper. publ. *quod antea ſub Valentiniano Sen. in Roma Veteri factum refert AMMIANVS MARCELLINVS* lib. XXVII. c. 9. *a Praetexto Praef. Vrbi, quem* & maeniana ſuſtuliſſe, *ait*, omnia, fabricari Romae priſcis quoque vetita legibus, & diſcreviſſe privatorum parietes ab aedibus ſacris, iiſdem inverecunde connexos. *Maeniana IAC. GOTHOFREDVS* ad d. l. Cod. Theod. *exiſtimavit* parapetaſia *vocari, ſive, ut in Baſilicis eſt,* πχραπέσσιχ, applicata. *Sed CAR. DV FRESNE in* Gloſſar. Lat. h. v. *& in* Hiſtor. Byzant. in deſcript. Aed. Sophianae n. 36. *docet, eſſe opus alteri adjunctum inferius, ad fulciendum, vel alio fine.*

CAP. XV.

Vltimum caput, de fruendis vectigalibus publice conductis.

Caput ultimum fragmenti egit de locis publicis, quae publicani conducta haberent, quantum quidem e tribus, qui ſuperſunt, ejus verſibus conſtat, ut publicanis, qui ea conducta haberent, ex lege locationis uti frui liceret, utque ea tuerentur iidem ad eum modum, quo ea tueri & cuſtodire caviſſent. Adjecta fuit dubio procul aliqua ſanctio, qua poena conſtitueretur in eos, qui vim illis facerent, quo minus ex lege locationis fruerentur, aut tueri poſſent. Ait lex: Quibus loceis ex lege locationis, quam Cenſor aliuſve quis Magiſtratus publiceis vectigalibus ultrove tributeis fruendeis tuendeiſve dixit, dixerit. *Locabant publica ordinarie & ex officio Cenſores, ſub quorum ditione* publicorum jus privatorumque locorum *fuiſſe, LIVIVS* lib. IV. c. 8. *teſtatur. Si autem vacaret Magiſtratus Cenſorum, locationes interim neceſſarias faciebant Praetor Vrbanus vel Aediles, ceu praeclare docuit Vir inſignis HENR. DODWELLVS* Praelect. Camden. Append. p. 730. *Ac de lege locationis, quae* lex Cenſoria *dici ſolita, & reliquis, quae de locationibus vectigalium dicenda forent, videatur V. C. PETR. BVRMANNVS* de Vectig. Pop. Rom. c. 8. p. 102.

Hoc vero animadverſione digniſſimum, quod in lege dicitur: publicis vectigalibus, ultrove tributis fruendis tuendiſve: *& deinde:* qui ea fruenda tuendave conducta habebunt. *Manifeſtum eſt, verbum* frui *ad vectigalia*, tueri (VII) *ad ultrotributa referri. Hinc vero confirmatur explicatio* ultrotributi, *quam TVRNEBVS* Adverſ. lib. I. c. 25. *dedit & ex illis PLVTARCHI in* Cat. Cenſ. p. 347. συ-έλλων δὲ τοῖς μιſθοῖς τὰς ἐργολαβίας, mercedem redemptoribus minuens, *probavit, eſſe impenſam & adtributionem operum publicorum faciendorum & ſartorum tectorum praeſtandorum. LIVIVS enim* lib. XXXIX. c. 44. *Catonem* vectigalia ſummis pretiis, ultrotributa infimis locaviſſe, *ait. Verbum* tueri *huic rei proprium, inde* redemptores tutelarios *dictos eſſe, V. C. IOH. FRID. GRONOVIVS* Obſervat. lib. IV. c. 18. *oſtendit. Notandus quoque locus LIVII.* lib. XLIII. c. 16. *ubi* vectigalia & ultrotributa *ſimiliter junguntur in edicto Cenſorum*: Ne quis eorum, qui Q. Fulvio A. Poſtumio Cenſoribus publica vectigalia aut, ultrotributa conduxiſſent, ad haſtam ſuam accederet: *itemque in rogatione Rutilii Trib. plebis:* Quae publica vectigalia, ultrotributa, C. Claudius

fruendo: *TVETVR enim VECTIGALIA publica, dum prohibetur quis vim facere ei, qui id fruendum conduxerit.*]

(VII) [Non video quin *Tueri* etiam ad vectigalia referri poſſit. Cavendum enim publicanis fuit, necubi fraus in vectigalium detrimentum interveniret. Quo ſpectat illud Vlpiani L. 1. §. 1. de loc. publ.

Digitized by Google

dius & Tib. Sempronius locaſſent, ea rata locatio ne eſſet. *Quae ex aerario in publicam impenſam daretur, pecuniam* adtributam *redemptori ſupra ex verſu legis 49. cognovimus. Itaque hoc tantum inquirendum reſtat, cur dicantur* ultrotributa. *Nobis non alia melior ratio inveniri poſſe videtur, quam, quod locatio ſartorum tectorumque prima Cenſorum creatorum functio eſset, ejuſque a tutela Capitolii initium fieret* (15): *dicta hinc eſse* ultrotributa, *quae* ultro, *id eſt* primum tributa (VIII). *Significationem hanc verbi* ultro *CVIACIVS* Obſerv. lib. III. c. 2. *evicit. Noſtram vero conjecturam firmabit tandem LIVIVS* lib. XL. c. 46. *ubi, Cenſores recens creatos* deductos in Capitolium, *iis deinde poſtulantibus*, ut pecuniae ſumma, qua in opera publica uterentur, adtribueretur, *vectigal annuum decretum eſse, ſcribit.*

Quae ſequuntur verba legis: Vt, utei ea ab eis cuſtodiantur, cautum eſt, *ſpectant ad cuſtodiam rerum, quae in locis publicis erant, quorum tutelam mancipes ſive redemptores conduxiſsent, de quibus rebus conſervandis eos cavere oportuit. RYCQVIVS* de Capitolio c. 11. *cuſtodes theſauris Capitolii appoſitos, credidit*, redemptores tutelae Capitolii *appellatos. Sed GRONOVIVS* Obſervat. l. c. *eum refellit duobus PLINII locis, qui cavendi neceſſitatem, cujus in lege mentio fit, optime illuſtrant. Alter eſt* lib. XXXIV. c. 7. *ubi dicit*: Summa nulla par videbatur: capite tutelarios cavere pro eo (*ſimulacro canis ex aere in Capitolio*) publice inſtituti ſunt (IX). *Alter* lib. XXXV. c. 3. M. Aufidius, tutelae Capitolii redemptor, docuerit Patres, argenteos eſſe clypeos, qui pro aereis per aliquot luſtra adſignabantur. *Deſcriptae nempe & adſignatae redemptoribus ſingulae res, pro quibus ſatisdarent. Ita vero evenit, ut, dum illi clypei pro aereis adſignati fuiſsent per aliquot luſtra, in quae ſingula locationes factae, nunc detecta eorum ptetioſiore materia, ſumma quoque ſatisdationis augeretur.*

CAP. XVI.

Interdicta Praetoris: *Ne quid in loco publico vel itinere*, &: *de loco publico fruendo*, cum his poſtremis capitibus legis conferuntur.

Quem vero operae, huic veteris Reipublicae Romanae monumento digniſſimo a nobis impenſae, fructum ferimus jucundiſſimum: ſicut ejus veſtigia in PAPINIANI fragmento l. un. D. de via publ. & ſi quid. *ſupra deteximus; ita in capitibus, quarto & ultimo, quae modo luſtravimus, fontes tenemus, unde Interdicta Praetoris*, Ne quid in loco publico vel itinere fiat, & De loco publico fruendo, *manarunt. Vtriuſque Interdicti verba nobis ſervavit VLPIANVS* libro LXVIII. ad Edictum. *Prius extat in* l. 2. pr. §. 20. 35. & fin. D. ne quid in loc. publ. vel itin. fiat: *NE QVID IN LOCO PVBLICO FACIAS INVE EVM LOCVM IMMITTAS, QVA EX RE QVID ILLI DAMNI DETVR: PRAETERQVAM QVOD LEGE, SENATVSCONSVLTO, EDICTO, DECRETOVE PRINCIPVM TIBI CONCESSVM EST: DE EO, QVOD FACTVM ERIT INTERDICTVM NON DABO. Pro* inaedificare, immoliri, *Praetor generaliora verba poſuit*: facere, immittere. Damnum dare, *interpretatur VLPIANVS* §. 11. 12. *quod pati videtur*, qui commodum amittit, quod ex publico conſequebatur, qualequale ſit, ut ſi cui proſpectus, ſi cui aditus fiat deterior, aut anguſtior. *Vt in lege eſt*: Quo minus eis locis populus utatur, pateantve. *In exceptione, mentio Plebiſciti ſub Principatu non potuit non omitti, additis Legi, Edicto Decretove Principis. Quod vero ait VLPIANVS* §. 17. utique is, qui operibus publicis procurat, debebit id deponere: *hoc fluxit ex verbis legis:* Quorum locorum Aedilium eorumve Magiſtratuum legibus procuratio eſt.

Poſterioris Interdicti verba in l. 1. pr. D. de loc. publ. fruendo, *ſunt*: *QVOMINVS LOCO PVBLICO, QVEM IS, CVI LOCANDI IVS FVERIT, FRVENDVM ALICVI LOCAVIT, EI, QVI CONDVXIT, SOCIOVE EIVS, E LEGE LOCATIONIS FRVI LICEAT, VIM FIERI VETO. Pro* Cenſore aliove Magiſtratu, *in Edicto perpetuo ſcribendum fuit*: Cui locandi jus fuerit: *quia tunc adminiſtratio vectigalium & locatio ab eo fiebat, cui Princeps mandaſſet. Hadrianum vero Cenſoris nomen inter titulos admiſiſſe, Ill. SPANHEMIVS* de Praeſt. & uſu numiſm. Diſſ. XII. p. 478. *ex APVLEIO docuit. Omiſſa etiam ultrotributorum mentio: quoniam nunc alia prorſus ſumtuum in opera publica erogandorum ratio erat.* Vectigalium *nomen retinet VLPIANVS* §. 1. *dum interpretatur verba Interdicti, ſcribens:* Interdictum hoc publicae utilitatis cauſa proponi palam eſt: tuetur enim vectigalia publica, dum prohibetur quis vim facere ei, qui id fruendum conduxit.

(15) *Ad quam pertinebat locatio alimentorum pro ſacris anſeribus & ſimulacri Iovis minio inducendi, ad ejus conſervationem. Harum rerum, in locatione tutelae Capitolii, quare prima ratio habita fuerit, cauſam indicat PLINIVS* H. N. lib. X. c. 22. *Plures adfert PLVTARCHVS* Quaeſt. Rom. 97. *Debebatur hoc* IOVI CVSTODI *& animalis vigili curae teſtatae Capitolio defenſo.* CONRADVS.

(VIII) [Vnde *Vltrotributorum* appellatio fluxerit, dicetur in Comment. ad v. 73.]

(IX) [Vndecumque Plinianum locum Conradus deſcripſerit, is certe mendoſus eſt: quem proinde ex Leidenſi Varior., & ex Harduiniana editione integrum adſcribam. *Aetas noſtra vidit . . . . canem ex aere vulnus ſuum lambentem: cujus eximium miraculum, & indiſcreta veri ſimilitudo, non eo ſolum intelligitur, quod ibi dicata* (canis illa) *fuerat, verum & nova ſatisdatione* (*nam ſumma nulla par videbatur*): *capite tutelarios cavere pro ea* (cane) *inſtituti publici fuit.*

Cum, quo illud *Dicata*, & illud *Pro ea* referendum eſſet, imperiti librarii non concoquerent; hinc in aliquot ſcriptis *Dicatus* & *Eo* perverſe legitur. Sed equidem utrumque ad canem ſequioris ſexûs ſine haeſitatione retuli. Adhaec in Conrado *Publice inſtituti ſunt* cum ſuperiorib. haerere nequit.]

Digitized by Google

PARS II.

LEGVM ROMAN. DIGESTI MVNICIPALIS RELIQVIAE

In duo ſegmenta diviſae.

MONITVM.

JAm tempus eſt, ut utrumque ſegmentum, tum Britannicum (a quo Tabula orditur) tum, quod cum Britannico coaleſcere oſtendemus, Neapolitanum lectori ſiſtamus. Vtrumque ejusdem levandi gratia in capita quaedam partiti ſumus, quibus praefiximus lemmata. Ergo utriuſque ſegmenti capita ſingula primum majuſculis litteris, cum eapte orthographia, iisdemq. mendis (quibus aes prodigioſe ſcatet) paribuſque litterarum ſingularium notis, atque archaiſmis dedimus: deinde uſitatâ noſtris temporibus dialecto & ſcribendi ratione exhibuimus eadem omnia minutioribus litteris, demptis erroribus, notiſque integre ſcriptis. Adhaec cum in his legibus crebrae repetitiones, interdum ſupervacaneae, turbarent ſententiam; in textu minoribus elementis ſcripto eas repetitiones peculiaribus uncis interpoſuimus, ita ut iis praeteritis, ſtatim ſententia, ſublatis impedimentis, menti lectoris occurrat.

Ad Britannicum quod attinet; ad priorem, textum majoribus elementis expreſſum tum Conradi breviores notae (nam longiora ejus notata dedimus Par. I.) tum etiam Maittairanae (tam illae ſcil. quas a ſe contractas Conradus ſuis inſeruit, quam aliquot aliae a Conrado omiſſae, modo aliquid momenti inſit) nec non meae forſan aliquot dirigentur, eique ſubjicientur: eidem vero textui, qua parte minoribus litteris exhibetur, commentarium noſtrum, quem raptim poterimus, paullo pleniorem ſubnectemus. Paria poſtmodum in Neapolitano ſegmento praeſtabimus.

SEGMENTVM PRIVS *Britannicum.*

caput I.

1 QVEM · H · L · AD · COS · PROFITEREI · OPORTEBIT · SEI · IS · (a) QVOM · EVM · PROFITEREI · OPORTEBIT · ROMAE · NON · ERIT · TVM · QVEI · EIVS

2 (1) NECOTIA · CVRABIT · IS · (2) EAFDEM · OMNIA · QVAE · EVM · QVOIVS · NECOTIA · CVRABIT · SEI · ROMAE · ESSET · H · L · PROFITEREI

Digitized by Google

3 OPORTEBIT · (I) ITEM · ISDEMQVE · DIEBVS · AD · COS · (3) PROFITEMINO

4 QVEM · H · L · AD · COS · PROFITEREI · OPORTEBIT · SEI · IS · PVP · SEIVE EA · (4) Vq. ERIT · TVM · QVEI · EIVS . PVP · Vq. VE · TVTOR · ERIT · ITEM · EADEM

5 QVE · OMNIA · IN · IISDEM · DIEBVS · AD · COS · PROFITEMINO · ITA · VTEI . (5) EI · QVAEQVIBVSQVE · (6) DIIBVS · EVM · EAMVE · SEI · PVP · Vq. VE · NON

6 EST · H · L · PROFITEREI · OPORTERET ·

7 SEI · COS · (7) ATQVE · H · L · PROFESSIONES · (b) FIEREI · OPORTEBIT · ROMAE · NON · ERIT · TVM · ISQVEM · PROFITEREI · OPORTEBIT · QVOD · EVM · PROFITEREI

8 OPORTEBIT · AD · PR · VRB · AVT · SEI · IS · ROMAE NON · ERIT · AD · EVM · (8) PR · QVEI · INTER · PEREGRINOS · IVS · DEICET · PROFITEMINO · ITA · VTEI

9 EVM · AD · COS · SEI · TVM · ROMAE · ESSET · H · L · PROFITEREI · OPORTERET

10 SEI · EXIIS · COS · ET · PR · AD · QVOS · H · L · PROFESSIONES · FIEREI · OPORTIBIT · NEMO · EORVM · ROMAE · ERIT · TVM · IS QVEM · PROFITEREI · OPORTEBIT

11 ET · QVOD · EVM · (9) EVM · PROFITEREI · OPORTEBIT · AD · TR. PL · PROFITEMINO · ITA · VTEI · EVM · AD · COS · PR · VRB. EVMQVE · QVEI · INTER · PEREGRI

12 NOS · IVS · DEICET · SEI · TVM · ROMAE · ESSET · H · L · PROFITEREI · OPORTERET

13 QVOD · (10) QVEMOVEM · H · L · PROFITEREI · OPORTEBIT · IS · APVD · QVEM · EA · PROFESSIO · FIET · (11) EIVSQVE · PROFITEBITVR · NOMEN · ET · EA · QVAE · PRO

14 FESSVS · ERIT · ET · QVO · DIE · PROFESSVS · SIT · IN · TABVLAS · PVBLICAS · REFERVNDA · CVRATO · EADEMQVE · OMNIA · QVAE · VTEIQVE · INTABVLAS

15 RETTVLERIT · ITA · IN · TABVLAM · IN · ALBVM · REFERVNDA · IDQVE · APVT · (12) EORVM · ET · QVOM · FRVMENTVM · POPVLO · DABITVR · IBEI · VBEI · FRVMEN

16 TVM · POPVLO · DABITVR · COTTIDIE · (13) MAIOPEM · PARTEM · DIEI · PROPOSITVM · HABETO · (14) V · D · P · R · L · P ·

17 QVEIQVOMQVE · FRVMENTVM · POPVLO · (15) DABVNT · (16) DAMDVMVE · CVRABIT · (17) NEIQVE · EORVM · QVORVM · NOMINA · H · L · (18) AD · COS · PR · TR · PL · INTA

18 BVLA · IN · ALBO · PROPOSITA · ERVNT · FRVMENTVM · DATO · NEVE · DARE · IVBETO · NEVE · SINITO · QVEI · ADVERSVS · EA · EORVM · QVEI · FRVMENTVM

19 DEDERIT · IS · (19) IN · TR · M · I · HS · h · POPVLO · DARE · DAMNAS · ESTO · EIVSQVE · PECVNIAE · QVEI · VOLET · PETITIO · ESTO

(a) *QVOM*] *Pro* Quum . *O pro V antiquitus . Sic lin.* 17. *&* 24. Queicomque , Queiquomque . *Lin.* 34. *SVOM.* 70. *IMMOLITOM. Lege Dauſquium Orthog. pag.* 37. *MAITTAIRE* . [Aevo Auguſteo ea mutatio manſit ibi ſaltem , ubi poſt V conſonum V vocale ſubſequeretur ; ſicuti in *Volturnus* , *Volnus* , *Voltis* .]

(1) *Literas C & G in hujus legis ſcriptura fere promiſcue poſitas videmus. Scribitur enim bis in hac linea :* NECOTIVM *: infra linea* 60. ACERE , *&* *linea* 49. LECE , *linea* 69. LECIBVS . *E contrario linea* 52. *&* 72. LEGIBVS , *linea* 57. AGEI , *linea* 65. AGANTVR : *ſemper vero extat :* MAGISTRATVS : PVRGANDEIS . *CONRADVS* .

(2) *Sculptoris errore ,* EAFDEM *pro* EADEM *ſcriptum eſſe puto . Litera F pro E detrito legitur , ut infra lin.* 69. *eſt* FORVM *pro* EORVM . *CONR.*

(I) [Tum hic tum in ver. ſeq, *Item* poſitum pro

pro *Itidem*, & ex eo decurtatum infra. Vide noſtrum Commentarium.]

(3) PROFITEMINO *& lin.* 5. PROFITEMINO *antiquè dictum pro* PROFITETOR: *ut in lege XII. Tabularum:* ANTESTAMINO, *& apud CATONEM* de Re ruſt. c. 141. praefamino. *Vid. IAC. GOTHOFREDVS* in notis ad LL. XII. Tabular. ad tab. I. *VOSSIVS* Art. Gramm. lib. V. c. 14. *CONRADVS* [Male Maittairus interpretatus fuerat *Profiteminor*.]

(4) Vq. *id eſt:* PVPILLA. *Vt inverſae literae*, Ↄ. T. Conlibertam *aut* Caiae libertam; Ж. Kariſſimam, ⸸. filiam, H. W. honeſtam mulierem, *notant. VALER. PROBVS in* Notis *nomen* Pupilla *ita per compendium ſcriptum habet: PA. Verum SERTOR. VRSATVS etiam una littera inverſa* d. *vel ſic*: d. pupillam *in marmoribus indicari obſervavit. CONRADVS.*

(5) *MAITTAIRE ſuſpicatur hoc* EI *ex ſyllabae praecedentis repetitione natum eſſe. Sed oportet legere:* VTEI ET QVAE. *Sic deinde linea* 11. ET quod eum profiterei oportebit. *CONRAD.*

(6) DIIBVS *pro* diebus. *CONR.* [ſicuti ver. EO. *oportibit* pro *oportebit*.]

(7) ATQVE, *Cl. MAITTAIRE ſcriptum conjicit pro:* AD QVEM. *Sed* Atque *ſignificat hic*: Eo tempore, quum: *ut ſenſus ſit*: Si Conſul, quum hac lege profeſſiones fieri oportebit, Romae non erit, tum is, quem profiteri oportebit &c. *CONRADVS*. [Verum *Atque* ſignificatu Conradiano inauditum eſt. Maittaire longe rectius: cujus interpretationem ſubjicio.] *ATQVE. Quid ſi legatur AD · QVEM? T pro D priſci crebro ſubſtituerunt; & M finale excidere ſcalptori potuit. Hujus litterae in fine omiſſio in Grut. inſcriptionibus non infrequens. MAITTAIRE.*

(b) *Profiteri*] *eſt verbum ſollemne, quod Budeo teſte ſignificat*, Publice & apud Acta aliquid ultro denuntiare. *MAITTAIRE*. [Imo peculiariter eſt cenſuale verbum, ſicuti & recenſionum a cenſu luſtrali diverſarum.]

(8) *Similiter in fragmento legis Serviliae:* PRAETOR QVI INTER PEREGRINOS IOVS DEICET. *MAITTAIRE & CONRAD.*

(9) *Vitioſam praecedentis vocis repetitionem; aut legendum eſſe,* EVM TVM, *MAITTAIRE conjicit. Forte ſcribi debuit:* EVM. EAM. *CONRADVS.*

(10) *Legendum:* QVEMQVEM. Quisquis *pro* quiſque. *Vid. MANVTIVS ad CIC.* lib. VI. Fam. ep. 1. *CONRAD.*

(11) *Legendum:* EIVS. QVI. PROFITEBITVR. *ut recte vidit MAITTAIRE.*

(12) *Sculptoris errore*, EORVM *pro* FORUM, *ut viciſſim linea 69. ſcriptum eſt* FORVM *pro* EORVM. *CONRAD.*

(13) *i. e.* MAJOREM. *Minime vero evidentiſſimum mendum, ut MAITTAIRE, ſed literae R antiquam ſcripturam P agnoſcimus. CONRAD.*

(14) *Hoc eſt*: Vnde De Plano Recte Legi Poſſit. *Solennis formula non ſolum in Edictis, ad quae eam refert BRISSONIVS* de Form. lib. III. p. 256. *ſed etiam in legibus, quin & in iis omnibus, quae publice proponebantur. Vid. CVIAC.* Obſ. lib. VII. c. 29. *FVLV. VRSINVS* de LL. & SCtis p. 266. *& Vir Ill. CORN. VAN BYNKERSHOEK* Opuſc. de Relig. peregr. in notis ad SC. Marcianum de Bacchanalibus, p. 270. *CONRAD.*

(15) *In verbis:* dabunt, curabit, *& quae deinde ſequuntur*, ἀνακόλουθον *notat MAITTAIRE. Sed videtur numerus verborum diverſus referendus eſſe ad Magiſtratum, qui frumentum populo dandum curaret, & eos, quorum miniſterio frumentum dividerétur. CONRAD.*

(16) *Sic lin.* 49. damdam, 43. quamtae, tamtam, 40. ramtae, tuemdam, 28. tuemdarum, 58. faciumdei. *M pro N. Sed linea* 35. *eſt*, tuendam. *CONRAD.*

(17) NEIQVE *ſcriptum pro* NEQVEI, *i. e.* ne cui. *Et ſic linea ſequente*: quei *pro* cui: *ut bene Maittaire. CONRADVS.*

(18) Ad *pro* apud. *CONRAD.*

(19) *MAITTAIRE conjicit legendum eſſe*: In TRes Menſes unum ſeſtertium: *notulam vero ſequentem ſibi ignotam fatetur. Deinde in calce notarum docet, Illuſtr. Marchionem SCIPIONEM MAFFEIVM, legiſſe*: INTRA MENSEM VNVM: *quia non ſatis latine dicitur:* in tres menſes: *& ſeſtertii numerus haud ſolet notam anteire, ſed ſequi. Ego nullus dubito ſic legere*: IN TRitici Modium unum Seſtertios quingentos. *CONRADVS.* [Maffeiana explicatio unice vera eſt.]

CA-

Digitized by Google

CAPVT I.

De professione frumentationis (1) potissimum causa.

§. I. Loco absentium profitentur procuratores.

1 *QUem hac lege ad Consulem profiteri oportebit, si is cum eum profiteri oportebit, Romae non erit; tum qui ejus*
2 *negotia curabit, is eadem omnia* [*quae eum, cujus negotia curabit, si Romae esset, hac lege profiteri*
3 *oportebit*] *item, eisdemque diebus ad consulem profitetor.*

COMMENTARIVS.

TOtum caput I. expositum a Conrado habes cap. 4. & 5. Eum vide supra in Conradianis pag. 292. 293.

VER. 1. *Quem hac lege . . . profiteri oportebit*] Hoc loquendi modo, qui infra saepe recurrit, non de generali populi recensione hîc agi ostenditur; sed fuisse, qui ea lege tenerentur, alios contra fuisse solutos. Quosnam *profiteri oportuerit*, dictum erat in ea Tabula, quae huic praeibat. Nec enim est dubium quin in superiore Tabula, quam amisimus, non pauca de hoc recensu dicta fuerint. Nam cum abrupto incipiat. *Quem ad consulem profiteri oportebit*, aperte significat, de eo quod *ad consulem* profitendum erat, & quinam ea obligatione adstringerentur, dictum fuisse supra. Verum de iis quae praecessisse videntur, accuratius sequenti in Excursione agam. Tamen vel ex v. 17. satis intelligimus, ditiores tantum, quibus frumenta non dabantur, profiteri hac lege coactos, eosque hîc dumtaxat intelligi.

VER. 2. *Qui ejus* (absentis) *negotia curabit*.] Hoc mihi videtur ad eos tantum cives Romanos restringendum, qui Romae domicilium haberent. Nam si ad universas civium tribus per Italiam dispersas extendas; quis dubitat maximi moliminis futurum id fuisse negotium? At vero quibus Romae tecta fuissent, ii si quando in sua municipia aut quovis alio diverterent, negotiorum gestores relinquere in Vrbe debebant, si quidem percipere commoda incolatus urbani vellent. Ea vero procuratione omnia illa continebantur, ad quae implenda absentes illi, si Romae adessent, adacti fuissent. Et vero qui ex mandato procurabant, ii solent in jure nostro *veri procuratores* vocari; etsi latius interdum ea vox pro alio quovis negotiorum gestore capitur. *Procuratorem non eum tantum intelligi, qui legitime procurator dicitur, omnium rerum ejus, QVI ABSIT, quasi pene quidam Dominus, h. e. alieni juris Vicarius, sed & quemlibet, qui aliquid negotii nostri gerat, clientem videlicet, colonum, aut libertum* . . . Tullius pro Caecina appositе ad rem nostram affirmat.

Ibid. *Eadem omnia*] Hoc videtur ad fortunas pertinere, ex quibus constaret, eum sive uti ditiorem a frumentatione repelli, sive ut egenum admitti debere.

VER. 3. *Item isdemque diebus*] Istud *Item* non pro *Etiam* sed pro *Itidem* (h. e. *eodem modo*) antique usurpatur. Sic & v. 4. *Item eademque omnia*. Ac nemo non videt, *Item* ex Itidem fuisse decurtatum. Quod additur *Isdemque diebus*, id eo pertinet,

(1) Istud *Potissimum* eo addidi, quia plures mihi causae sunt, cur non unius frumentationis causa haec recensio instituta fuerit, sed ob alias quoque rationes, quas superior tabula complectebatur. Hoc suadere potest, si non aliud, tanta in recensu describendo subtilitas, tantaq. deinde in frumenti dividundi ratione verborum parcimonia. Verum de his alibi, ubi occasio tulerit.

Digitized by Google

§. II. Loco pupillorum tutores.

4 *Quem hac lege ad Conſulem profiteri oportebit, ſi is pupillus, ſive ea*
pupilla erit, tum qui ejus pupilli pupillaeve tutor erit, item, eadem-
5 *que omnia in iisdem diebus ad Conſulem profitetor [ita uti, & quae,*
quibuſque diebus eum eamve, ſi pupillus pupillave non
6 *eſſet, hac lege profiteri oporteret.]*

§. III. Abſente Conſule ad Praetorem urbanum aut peregrinum itur.

7 *Si Conſul, ad quem hac lege profeſſiones fieri oportebit, Romae non*
erit; tum is quem profiteri oportebit, quod eum profiteri
8 *oportebit, ad Praetorem Vrbanum, aut, ſi is Romae non erit, ad*
eum Praetorem, qui inter peregrinos jus dicet, profitetor, ita uti
9 *eum ad Conſulem, ſi tum Romae eſſet, hac lege profiteri oporteret.*

tinet, quod magiſtratus edicebat, intra quot dies profeſſiones edendae forent. Vide dicenda ad aeris Neap. v. 70. ad illud, *Diebus LX. proxumeis*.

Ibidem *Ad Coſ. profit. . . . .*] Illud COS. expoſui *Conſulem* ſingulo num. pluribus de cauſis. I. quia ver. 7. *Cos.* ſingulare eſt, quia ſequitur AD. QVEM, & ERIT. II. Raro conſules ambo Romae erant altero plerumque ad bella proficiſcente. III. Si ambo Romae eſſent, eo ſolum caſu nominibus conſulum adſcribi ſolebat, A. A. V. h. e. *Alter ambove* (quod ſaepe in auctoribus & monumentis integre ſcribitur) modo tamen res tanti eſſet: at profeſſiones excipere minimi momenti erat.

VER. 4. 5. 6. *Si is pupillus ſive ea pupilla erit.*] Mirabitur aliquis, cur, cum pro pupillis Tutor profiteatur, non etiam pro minoribus Curator tantundem praeſtare jubeatur. Verum *Curatorum* munus etſi ab jure Xvirali deſcendat, tamen non tam late, ac tutela patebat. Olim prodigi tantum ac furioſi quamdiu tales erant, ex XII. Tab. curatorum adminiſtrationi ſubjiciebantur: praeter hos autem nemo Curatorem invitus accipiebat. Grave enim habebatur *ingenuis hominibus non eſſe liberam rerum ſuarum alienationem* ex L. 2. D. *Si a paren. quis manumis*. Ac ne minor quidem, quamvis infirmo in lubrico aetatis conſilio, nolens accipiebat. Nam lege Laetoria (ſive potius [2] *Plaetoria*) circa quingenteſimum ab V. C. ann. latâ ita cavebatur, ut qui minores XXV. annis eſſent, iis non niſi petentibus & cauſa cognita, Curatores praeficerentur. Eadem lex plura adverſus circumſcriptionem minorum remedia adhibuit: de quibus infra ad fragm. Neapolitani v. 38. erit differendi locus. Poſt id tempus ſine cauſae cognitione minoribus (ne quid forte eorum exiſtimationi decederet) ſed tamen non niſi petentibus, coepit Praetor curatores imponere. Ac non niſi demum Imperator Marcus (teſte Capitolino cap. XI.) *ſtatuit ut omnes adulti* (etiam inviti) *curatores acciperent, cauſis non redditis*. En igitur, quare hîc Tutorum quidem luculenta mentio, Curatorum non item; nam aeris hujus aevo pupilli quidem nihil niſi auctore tutore poterant: minores autem ſua ipſi negotia gerebant, nec niſi libentes ac volentes Curatorem accipiebant.

VER. 8. *Ad Praet. urb. aut, ſi is Romae non erit, ad eum Praetorem qui inter peregrinos jus dicet, profitetor.*] Ex legis Serviliae mox producendae & priſcarum inſcription. exemplis conſtat *Dicet* pro *Dicit*, aliaque in eumdem modum fuiſſe terminata. In L. Scipionis Barbati titulo (qui circa annum V. C. 494. videtur poſitus) eſt

(2) Ajo legem hanc non *Laetoriam* ſed *Plaetoriam* perſcribi debere, ſicut in ſcriptis aliquot Tullii libris in III. Offic. 15. ſcriptum pro *Laetoria* reperio. Verum quid moror? Miſſis libris (in quibus facile fuit Plaetoriam gentem cum Laetoria confundi) infra in aere Neap. v. 38. haec eadem lex *Plaetoria* diſerte vocatur: de qua in loco plura dicentur.

Digitized by Google

§. IV. His etiam abſentibus, tribunus pl. aditur.

10 *Si ex iis Conſulibus & Praetoribus, ad quos hac lege profeſſiones*
fieri oportebit, nemo eorum Romae erit, tum [*is quem profiteri*
oportebit
11 *&* *quod eum, eam profiteri oportebit*] *ad Tribunum Plebis profitetor*
[*ita uti eum ad Conſulem Praetorem Vrbanum eumque qui inter*
peregri-
12 *nos jus dicet, ſi tum Romae eſſet, hac lege profiteri oporteret.*]

§. V. Quaenam edenda ſint: deque tabula & albo.

13 *Quod quemque hac lege profiteri oportebit, is apud quem ea profeſ-*
ſio fiet, ejus qui profitebitur, nomen, & ea quae pro-
14 *feſſus erit, & quo die profeſſus ſit, in tabulas publicas referenda cu-*
rato, eademque omnia, quae utique in tabulas

eſt FVET pro *fuit*, DEDET pro *dedit*. Item in columna roſtrata M. Duillii (ſi probe memini) hujuſmodi plura. Ad rem vero quod attinet; Praetoris urbani abſentis peregrinus vices implebat. In lege Servilia illud mirari ſubit, quod in capite *De CDL. vireis in eum annum legundeis*, itemque mox in cap. de eisdem *QVOT ANNIS LEGVNDEIS*, delectus is numquam urbano Praetori (aut eo abſente, tum demum Peregrino) committitur, ſed ſemper ei, qui INTER PEREGRINOS IOVS DEICET. Cur ita factum, dicerem, ni vererer ne quid temere excideret. Ceterum qui *Peregrinus* dicebatur, is etiam *Vrbanus* erat & vocabatur, teſte Livio libro XLV. 44. ſex praetorias ejus anni provincias ita diſtinguente: *DVAE*, inquit, *VRBANAE PROVINCIAE* (jurisdictio ſcil. in cives, & inter peregrinos) *ſunt decretae*, *duae Hiſpaniae*, *Sicilia*, *ac Sardinia*. Tamen unus eorum diſcriminis cauſa *Vrbanus* vocabatur: alter vero modo *Peregrinus*, modo plenius *Qui inter cives & peregrinos jus dicit*, aut contractius *Qui inter peregrinos jus dicit*.

VER. 11. *Ad Trib. plebis profit....*] Hinc vides Conſulib. Praetoribuſque abſentibus ad Tribunum plebis itum fuiſſe. Ex quo ſatis apparet, quaenam dignationis ſimulque auctoritatis gradatio inter magiſtratus hoſce fuerit. Recte ſane. Nam Conſulib. Praetorib. & Tribunis plebis tantum agere jure ordinario cum populo dabatur, ut illa ſollemnis verborum conceptio oſtendit plebis ſcitis ſenatuſque conſultis adjici ſolita: *Si quid de ea re ad populum plebemve lati opus eſt; conſules, praetores, tribuni plebis, qui nunc ſunt, erunt, quod eis videbitur, apud populum plebemve ferant*. Porro nihil neceſſe erat loco tribunor. pleb. alios ſubrogare recenſui vacaturos; quia tribunis ab urbe diſcedere non licebat. Appianus in II. bell. civ. p. 447. οὐδὲ γὰρ προϊέναι τῶν τειχῶν τοῖς δημάρχοις ἐφίεται. *Nec enim licet tribunis egredi moenia*. Quod ita temperandum eſt, ut extra muros pernoctare dumtaxat vetarentur.

VER. 14. *Ea quae profeſſus erit*] Dixi jam, de fortunis id capiendum, quo appareat, num frumenta cum egenis ſit acceptarus, an cum ditioribus ab eo beneficio ſit arcendus. Ea de cauſa non tantum res ſoli profiteri debebat, ſed & foenebrem omnem pecuniam, artem, negotiationem, ſe moventia, & id genus alia.

VER. 13. 14. *Is apud quem ea profeſſio fiet* (ea omnia) *in tabulas publicas referenda curato*.] Deinde eadem omnia in foro proponi jubet. Cur niſi ut ab omnibus diſpiciatur, utrum ea profeſſio vera ſit, & ex animi ſententiâ a profitentibus edita fuerit? Sed ſingula legis verba expendamus.

VER. 14. 15. *Eademque omnia quae, utique* (pro *& uti*) *in tabulas retulerit, ita in tabulam in album referenda* [curato]

Digitized by Google

15 *retulerit, ita in tabulam in album referenda* (curato) *idque apud forum; & cum frumentum populo dabitur, ibi, ubi frumen-*

to]. Inter *Tabulas* & *Tabulam*, quas hîc aes aperte distinguit, non potest non plurimum interesse. *Tabularum* nomine intelligit eas, in quas primo professiones integrae referebantur, in tabulario publico asservandas: at *Tabulam* eam vocat, in qua λεύκωμα sive *Album* illud esset, in quod eadem illa omnia transcriberentur atratis aut rubricatis litteris, ut in foro proponeretur. De qua tabula & Albo pluscula in ima pagina (3) illevimus.

VER. 15. *Et quum frumentum populo dabitur*] Tum maxime, quamdiu frumenta distribuebantur, prostare illud *Album* jubetur; ne quis scil. eorum, qui ibi descripti, frumenti particeps fieret; ut infra v. 17. exponitur.

Sequitur: *Ibi ubi frumentum populo dabitur*] Si *frumenti datio* de praesenti mensu a publicis mensoribus facto accipitur; tum illud (*Ibi, ubi*) non ad aliquam fori partem, verum ad horrea publica referri putaverim. Quis enim in forum afferri tantum frumenti numerum, quantus tot ac-

Qq cipien-

(3) *Quid plurativum Tabulae a singul. Tabula differat: tum quid Tabulae Album. Loca antiquorum plura enucleantur, aut castigantur.*

Quae inter *Tabulas Tabulamque* discrimina in superiore lemmate, tamquam in Tabulae albo, proscripsi; hoc praedictum omnibus volo, nolle me eas differentias haberi perpetuas; cum satis sit si ἐπὶ τὸ πλεῖον accipiantur. Equidem *Tabulas* eas intelligo, quae in publico asservantur aerario aut tabulario, ut aetatem ferant: *Tabulam* vero eam interpretor, in qua proscribitur aliquid, sive in qua scriptum populo publice proponitur. Ab hoc ergo usu magis quam a materia discrimen petitur.

Verum si de materia quaeras; Tabulae legum aliaeque hujus generis plerumque aheneae fuerunt, etsi antiquitus etiam roboreae, eboreae, aliusque materiae. Testamenti vero tabulas plurimum ceratas fuisse reperio: at non recuso quin ex cera in durabiles alias laminas plerumque transcriptae fuerint. Sicuti & illas Tabulas, de quibus hîc agitur, in quas primum excipiebantur professiones, ceratas fuisse puto, quarum expeditior scriptura erat. At non repugno, quin ubi in aerarium inferendae fuissent, in aes durabile inciderentur. Nam scio saepe antiquos ad censuales vetustiss. tabulas provocasse.

At vero *Tabula* singul. num. si non aliud quam programma ad modicum tempus valiturum contineret, tum haud dubie lignea erat (unde σανὶς asser, *tabula* Hesychio vocatur) quia cum identidem figenda ac refigenda esset; molestum fuisset gravi metallo uti. Hujusmodi erat *Tabula auctionis*, quae & interdum absolute *Tabula* vocabatur. Nemo est qui ignoret, quid sit *Ponere* aut *Figere tabulam*, *Adesse ad tabulam*, *Proscribere tabulam*. Nec erat alterius materiae Tabula, in qua praetores, aediles, aliique magistratus, quibus edictiones competebant, sua edebant programmata.

Atqui non satis erat, si asseres adhiberentur, nisi etiam calce aut plurimum gypso obducerentur, quibus litterae atratae aut rubricatae illinerentur. De rubri coloris litteris habeo exempla quae prodam: at vero saepius atramento ad signanda elementa usos fuisse, lex Servilia testatur (apud Brissonium lib. 2. de Form.) capite *De CDL. virеis in eum annum legundeis*, ubi circa medium sic legitur . . . IN · TABVLA · IN · ALBO (sicuti & in aere nostro *In tabulam in album*: ἐν διὰ δυοῖν, quasi *In tabulam albatam*) ATRAMENTO · SCRIPTOS · PATREM · TRIBVM · COGNOMENQVE . TRIBVTIMQVE · DESCRIPTOS. Sic & ubi in albo muri tectorio publice aliquid proscribebatur, nigro id charactere fiebat: quod hodieque fit. Et tamen alibi nigris, alibi rubris characteribus quoddam aedilitium programma locationis praediorum *Juliae Sp. F. Felicis* bene longum, in pariete coloniae Pompeianae depictum, haud ita pridem in Regiis effossionibus Pompeianis prodiit: maximi haud dubie pretii, nisi quod fugiente littera. Sed tamen exceptum inde diligenter exemplum in pluteis habeo.

Jam dictum fuit extremi versûs 14. *Tabulas* alias esse ab ineuntis v. 15. *Tabula*. Illae ex cera in laminas aereas transcribebantur: haec vero lignea sed gypso obducta, ut facile suspendi ac revelli posset.

Ad Album vero quod attinet, memini quaedam attigisse in Comm. ad Kalend. marmoreum: sed tamen res est ad incudem revocanda. *Album praetorum*, nec secus aliorum (quod Graecis etiam λεύκωμα dicitur) est sive asser, sive paries, sive quaevis alia superficies opere albario obducta. Ac sane errant, quicumque *Albi* vocabulum ad litteras, quasi albae fuerint, referunt: quos haud dubie Theophilus aliorsum acceptus transversos egit. Qui tit. *de Actionibus* §. 12. ita scripsit: Ἄλβον δέ λέγεται τὸ Ἔδικτον, διὰ τὸ λευκοῖς γεγράφθαι γράμμασιν: quod vulgo vertunt: *Album dicitur Edictum, quod ALBIS LITTERIS perscriptum sit*. Quibus haud dubie vocis γράμματος ambiguitas fraudi fuit: quae sicuti saepe *litterarum* characteres notat, ita non raro *monumenta* sive publica sive privata (ut apud Dionysium γράμματα τιμητικὰ sunt *censoriae tabulae*, & γραμματοφυλάκιον, *tabularium*) aut epistolas, & quaslibet chartas designat. Itaque Theophilus haud dubie *albatas tabulas* intellexit, in quibus praetor proscribere moris habuit. Rem ita esse ostenditur ex veteribus Glossis verborum Juris in fine Glossarii Car. Labbei, in quibus Theophili locus totidem verbis describitur, non tamen sine auctario huc faciente. Ἄλβον λέγεται τὸ Ἔδικτον, διὰ τὸ γεγράφεσθαι (scribe γράφεσθαι, aut, ut in Theophilo, γεγράφθαι: nisi siquis malit, γεγράψεσθαι) λευκοῖς γράμμασιν. Hactenus ex Theophilo habet. At statim hanc de suo addit rationem: ἐπὶ γὰρ κονιάματος τὰ διατάγματα καὶ τὰς παραγραφὰς ἐξετίθεσαν: *In albario enim opere constitutiones & proscriptiones exponebant*, utique

atro

Digitized by Google

16 tum populo dabitur, quotidie ad majorem partem diei propoſitum habeto, unde de plano recte legi poſſit.

cipientibus ſatis eſſet, commode potuiſſe credat? Scio poſterioribus temporibus ad horrea itatum. Et erant jam tum initio *Horrea Sempronia*, a primo frumentariae legis auctore Caio cognominata. In iis haud dubie menſores teſſeram afferentibus fruges admetiebantur. Quod ſi illud *Vbi frum. dabitur*, ad curatorem frumentationis referas (de quo v. 17. *Quicumque dandum curabit*) non morabor, quin illud (*Ibi, ubi*) ad aliquam fori partem referas, in qua, e conſpectu tabulae, frumentationis curator teſſeras ſolis jure accepturis diſtribuebat. Ac forſan non modo in teſſerarum, ſed & in ipſius frumenti diſtributione Tabula in vicino proſtabat. Confer ver. 17. Jam teſſerarum Tranquillus in Auguſto cap. 40. non tamquam rei novae, ſed uſitatae, meminit. Quis vero ſcit an non jam tum aevo hujus Tabulae teſſeras dari in uſu fuerit; & quidem in *Minucia frumentaria*, paullo ante hanc Tabulam exſtructa? ita ut illud (IBI, VBI) ad hanc Minuciam ſit referendum? De hac Minucia in ſubjecta Excurſione cap. 3. copioſe.

VER. 16. *Quotidie* (id album) *majorem partem diei propoſitum habeto.*] Ex voce *Quotidie* intelligitur, diſtributionem pluribus duraſſe diebus, non uno, uti ſuadebat Suidas. Hunc vide in Νόνναι, ubi *Annonas* inde dictas nugatur, quaſi quae ſingulis Nonis darentur: quaſi ex ἀνὰ & Νόνναι, opinor. Tametſi nihil prohibet, quin uno die (ſive Nonarum ſive alio) teſſerae diſtribuerentur, demenſa vero pluribus per otium diebus. Sequitur: *Majorem partem diei*. In fragmento judiciario, quod ex Puteano Briſſonius lib. 2. Form. num. XXIX. attulit, itemq. Gruterus p. DVIII. v. 13. MAIORE · PARTE · DIEI · AD · EAM · DIEM · DONEC · SOLVTVM · ERIT · APVD · FORVM · PALAM · VBEI · DE · PLANO... Sequebatur haud dubie, *Recte legi poſſit*. Major diei pars ea, puto, intelligitur, qua frequentior populus concurſabat, h. e. horis antiquis novem, nim. ab ortu ſolis, ſive ab hora prima uſq. ad nonam integram. Vide infra legem ploſtrariam a v. 57. ubi iis novem horis ploſtrum per urbem agi vetatur: *Nequis ... inter. diu. poſt. ſolem. ortum. neve. ante. horam. x. diei. ducito. agito*. Nam quae ratio ſuadebat, ne iis novem horis ploſtra agerentur, quibus denſior populi turba ultro citroque commeabat, eadem ratio ſe interpretem gerit, ecqua hîc *major diei pars* ſit intelligenda; ea nim. qua frequentior in foro multitudo verſabatur. Nam tribus ultimis diei horis non niſi balneis, caenis & curandis corporibus vacabatur. Sic equidem *Majorem partem diei*, hac ipſa Tabula interprete, accipiebam. Nec ab ea ſententia nunc in totum deducor, ubi poſtea Paullum L. 2. D. *de verb. ſign.* artius haec interpretatum comperi. *Diei*, inquit, *major pars eſt horarum ſeptem primarum diei, non ſupremarum*. Cur ea acceptio non in totum aetati Digeſti hujus conveniat, inferne (4) adnotamus. De veteris horologii ratione trita ſunt omnia, & tamen pauca

atro aliove colore. Sicut ebori atrata illinebatur ſcriptura apud Martialem in Apophor. 3. cujus lemma *Pugillares eborei*.

At iniquus ſim, niſi & ex Heſychio & ex Suida hauriam. Ille: Σανὶς ... λεύκωμα, ἐν ᾧ αἱ γραφαὶ Ἀθήνησιν ἐγράφοντο πρὸς τὰς κακέργας. Suidas: Λεύκωμα· τοῖχος γύψῳ ἀλειμμένος, πρὸς γραφὴν πολιτικῶν πραγμάτων ἐπιτήδειος h. e. Λεύκωμα (*Album*) *eſt paries gypſo illitus, ad res civiles proſcribendas idoneus*. Obiter moneo etiam poetas primas poematiorum adumbrationes albo parietum temere ac leviter illeviſſe, mox revocandas ad limam: quo, ut cetera de hoc genere mittam, pertinet Horatianum illud in II. Serm. 3.

Iratis natus paries dis atque poetis.

Ex hactenus dictis nemo non intelligit, cur *Album* pro ipſo edicto, prona confuſione vocabulorum, uſurpetur; ſicuti & chartae pro ſcriptis, & *excenta talia*.

(4) *Amplius de majore (aliter meliore) parte diei, ſtante republica.*

Quae major diei pars in hac tabula & illo judiciario fragmento, itemque Paullo vocatur, ea *Melior* Virgilio dicitur in IX. v. 156. Ibi Servius. *Melior, id eſt Major ſive Prima. Melior* autem eademque *Prima* ea dicebatur, quae procurationem corporum anteibat; ſic enim ibi Poeta:

Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei,
Quod ſupereſt, laeti bene geſtis corpora rebus
Procurate.

Ergo in horam corporum curandorum *prima* ſeu *major* diei pars deſinebat. Atqui balnei hora non eadem Pauli ICti tempore, quae ante fuerat. Olim ſerius corpori vacabatur: at ſub Caeſaribus, cum Graecorum mollities inducta in mores fuiſſet, paullatim avidius antecapi lotiones caenaſque uſu venit. De Graecis tritum eſt illud Anthologiae di-

Digitized by Google

§. VI.

De frumentatione: Sequitur ſanctio.

17 *Quicumque frumentum populo dabunt, ſive* (quicumque) *dandum curabit, ne cui eorum, quorum nomina hac lege ab Conſule, Praetore, Tribuno plebis in ta-*

pauca infra ad legem ploſtrariam, ſi res poſcet, dicta reperies.

Sequitur: *Vnde de plano recte legi poſſit.*] De ea formula vide, quae in ima (5) ora pagellae dicimus.

VER. 17. *Quicumque frumentum populo dabunt*] *Menſores frumentarios* (de quibus marmora & ICti loquuntur) ſive ſub aliis nominibus alios (nam fort. pro temporibus varia fuere nomina) quibus diſtribuendi frumenti cura erat, intelligit: ſive a quibus ἀμέσως (*proxime*) frumenta accipiebantur. Sequitur: *Dandumve curabit*, ſupple ἀπὸ τῆς κοινῆς, *Sive quicumque dandum curabit*. Hoc alterum ad eum pertinet, qui rei ſummae praeerat, ſive is aedilis eſſet, ſive ſpecialis alius magiſtratus, modo *Curator*, modo *Praefectus* ei rei, aut quo alio nomine dictus. Nam vocabula quidem varia fuerunt, ſed munus idem; ejuſque crebrae nominum variationis gratiâ Lex τὸ *Quicumque* appoſite uſurpavit.

Ibid. *Ne cui eorum.*] In aere legitur NEIQVE · EORVM. Verum in priore voce ſcalptoris vitio deeſſe in fine I, ac legendum NE · QVEI putavit Maittairus, quod & Conradus probavit. QVEI porro dativus eſt non tantum hîc, ſed & ver. ſeq. iis verbis: EORVM · QVEI · FRVMENTVM · DEDERIT. Ab hoc dativo QVEI naſcebatur rectus pluralis *Ques* (6)

Qq 2 fre-

diſtichon, ſi id recte recordor:

Ἐξ ὧραι μόχθοις ἱκανώτατοι· αἱ δὲ μετ' αὐτὰς,
Γράμμασι δυκνύμεναι, ΖΗΘΙ λέγουσι βροτοῖς.

Quod ſic exprimi ferme quiverit:

Sex horae ſat erunt ad opus: quae deinde ſequuntur,
VIVE ſonant, junctim te relegente notas.

Graece ignaros moneo, per illud ΖΗΘΙ arithmetice acceptum horas quatuor a ſeptima ad decimam notari: at idem grammatice tantumdem eſſe quod VIVE.

Ergo apud Graecos *Melior* eademque *Prima* diei pars ſex prioribus horis conſtabat: apud Romanos, autem ſub Caeſaribus pro hominum ſeveritate aut mollitudine alia aliis hora fuit, ſed ita ut ICti (quos decuit rigidiora ſequi) ſeptem prioribus horis partem illam meliorem conſtituerent. Nam ita iis temporibus factitatum reperio. Viri graves haud ferme citius hora octava lavabant, nec ante nonam accumbere ſoliti. Hinc recte Paulus *ſeptem horarum* comprehenſione primam diei partem continuit.

At olim non ita fuit. Nam ut cetera praeteream, ſi ab hora octava curatio corporum inſtitui conſueviſſet, cur, ne plauſtra uſque ad horae decimae exordium agerentur, vetitum? An non id argumento eſt, iis temporibus novem priores horas haberi conſueviſſe *Majorem*, itemque *Meliorem* ſeu *Primam* diei partem? Verum de his pro ſua quiſque maxima voluntate decreverit.

(5) Tritiſſima eſt formula hiſce ſingularibus litteris concepta V. D. P. R. L. P. quas Val. Probus expoſuit *Vnde de plano recte legi poſſit*. At prima ſingularis explicari etiam poteſt *Vbi*. Nam in fragmento judiciario apud Grut. p. DIX. ſic legitur litteris integris: *Apud forum · palam · VBEI · DE · PLANO · RECTE · LEGI · POSSITVR · proſcribito*. Ceterum plures alii illud *Vnde* tuentur. Ioſephus: ὅθεν ἐξ ἐπιπέδου καλῶς ἀναγνωσθῆναι δύνανται. Vlpianus L. XI. D. *inſtit. act.* §. 3. *PROSCRIBERE PALAM*

ſic accipimus, Claris litteris, unde de plano recte legi poſſit . . . ante eum locum, in quo negotiatio exercetur, non in loco remoto ſed in evidenti. Suetonius in Caio cap. 41. eum reprehendit, quod legem de vectigalibus propoſuerit, *Minutiſſimis literis & anguſtiſſimo loco, uti ne cui deſcribere liceret*. Poſtremo illud idem *VNDE de plano* tuetur etiam Auſonius Orat. ad Gratianum Aug.

(6) *Dativus QVEI ex eo maxime adſtruitur, quod pron. QVIS olim ad tertiam declinationem pertinuerit: quae hîc per omnes caſus extenditur.*

Dativus QVEI (ex quo Quintilianus *quî* fecit, ut ante dictum) non tantum ex manifeſto hujus Tabulae loco v. 18. conſtat, verum etiam cum recto plurali QVES, apud antiquos tritiſſimo, cohaeret. Vtrumque enim tertiae declinationis canones ſequitur. Chariſius lib. 1. ex Pacuvio citat: *Ignoti neſcio ques ignobiles*. Ex Catone in II. Orig. *Queſeumque Romae regnaviſſent*. Ex Plauto; *Ques ignobiles*. Priſcianus lib. XII. Attium dixiſſe refert, *Sed quesdam*. Poſtremo in vetuſtiſſimo illo Bacchanaliorum S. C. (quod ex Regno noſtro profectum, in Muſeum Caeſareum convolavit, quâvis gaza pretioſius, cum Digeſtum hoc noſtrum centum ipſis annis antecedat) bis equidem SI QVES legiſſe memini recto caſu plurali.

Verum hoc gratulor, quod cum in relativo *Quis* non alii ex tertia declinatione caſus, quam QVES & QVIBVS ſuperare crederentur; nunc demum ex Tabula noſtra v. 17. & 18. QVEI dandi caſu accedat; imo plane videantur omnia ad tertiae inflexionis peculium pertinere. Nam ex recto *Quis* oritur Gen. *Quojus* pro *Quis* (quomodo in Campanis ſaxis a me collectis *Cererus*, *Venerus* pro *Cereris*, *Veneris*, ac plurima talia) Dat. *Quei* & *Qui*: Acc. *Quem*: Abl. *Quî*. Plur. *Ques* caſu triplici, &

Qui-

Digitized by Google

18 *bula in albo propoſita erunt, frumentum dato neve dare jubeto; ne-*
ve ſinito. Qui adverſus ea eorum (ali-) *cui frumentum*
19 *dederit, is intra menſem unum ſeſtertios quingentos populo dare*
damnas eſto; ejuſque pecuniae, (ejus) *qui volet, petitio eſto.*

frequens admodum apud antiquos. Quid ſi quam minima mutatione pro NEI·QVE· legatur NEI (quod idem ac NI) QVI? Nam ſaepe E & I in antiquis monumentis confunduntur. Ac porro dativum QVI agnoſcit Quintilianus, quippe qui lib. IX. c. 3. in illo Virgiliano hemiſtichio Ecl. 4. *Quoi non riſere parentes*, legit *Qui* pro *Quoi*. Hiſce omnibus de cauſis recte illud NEI·QVE· interpretamur *ni qui* h. e. NE·CVI. Ad rem vero ipſam quod attinet (an ea ſcil. interpretatio huic loco conveniat) in ſubjecta Excurſione videbimus.

VER. 18. Sequitur ſanctio: *Qui. adverſus ea .... is IN. TR. M. I. HS. ℔ populo dare damnas eſto.*] Jam ſupra in notationibus ad Conrad. pag. 293. diximus, recte vidiſſe Maffeium interpretantem, *Intra menſem unum ſeſtertios quingentos populo dare* &c. Adde quod in mulctis iſtis ſaepe menſtrua dilatio dabatur: qua deinde expletâ uſurae decurrebant, quae δίκαι τριακοσταῖαι in priore Heracleotico aere (illo ſcil. quod in adverſa hujus Digeſti pagina deſcriptum explicuimus) appellantur. Vide & infra ad ver. 41. ad illud: *Si is qui attributus erit eam pecuniam diebus XXX. proximis ... non ſolverit* &c.

VER. 19. QVEI·VOLET·PETITIO·ESTO.] Tritiſſima mulctarum concluſio, ut ex innumeris legum & SCtorum exemplis patet. Vide Conradum ſupra Cap. V. pag. 293. Antequam vero ad Caput legis ſecundum exponendum progredior; nonnulla de frumentationis negotio, accommodate tamen ad aes noſtrum, diſſerenda mihi cenſeo.

EXCVRSIO

De profeſſione, deque frumentatione, quatenus hoc Capite continentur, animadverſiones aliquot.

Ex tabulae illius, quae huic proximae praeibat, naufragio, plura nos haud dubie latent, quae ad abſolutam tum profeſſionis hujus, tum etiam frumentationis hîc deſcriptae notitiam pertinent. De utroque enim negotio copioſe actum in ſuperiore tabula fuerat; quia in hac de utroque ſic ſermo inducitur, tamquam ſi mera ſit rerum in aere ſuperiore ſancitarum continuatio. Nam de profeſſione ſic incipit: *Quem HAC LEGE* (aeris ſuperioris ſcil.) *profiteri oportebit*. Nec aliter v. 4. 13. 17. & alibi. Ergo ubicumque duae illae ſingulares litterae *H. L.* (*hac lege*) occurrunt, ad aera ſuperiora lector rejicitur; in quibus quinam civium profiteri cogerentur, & quasnam res, accurate praeſcriptum fuerat. Sed & de frumentatione in ſuperioribus actum fuiſſe, non eſt dubium ex ver. 15. verbis illis, *Et cum frumentum populo dabitur*: & v. 17. *Quicumque frumentum populo dabunt*. Nam de diſtributione frugum ſic tamquam de re in ſuperioribus laminis diſcuſſa loquitur. Ac ne forte dicas, ex proximis antiquioribus legibus frumentationem ſatis fuiſſe notam; ſcitum eſt, eam largitionem non ita radices egiſſe, ut haberi pro re uſitata poſſet. Semper ea fluctuans & variabilis fuit. Ergo ex nova certe rogatione haec noſtra frumentatio fluxit: de qua quia in ſuperioribus actum fuerat, idcirco frumenti dationem nominari tantum hîc ſatis fuit.

Hiſce de cauſis ſuperioris laminae interitum, quatenus de profeſſione deque frumentatione in ea cautum fuerat, augurando ſaltem reparare conabimur: in quo, ſat ſcio, alii feliciores erunt.

CAPVT I.

Quorumnam civium recenſus, & quarumnam rerum profeſſio hîc imperata fuerit.

Recenſionem hanc a cenſu luſtrali multimodis (7) diſſidere, clarius eſt, quam ut id monitore indigeat. Id potius videtur

Quibus duplici. Ac nihil aliud ad integram declinationem abſolvendam, quam patrius pluralis deeſt. Verum quin is primitus haud alius quam QVVM fuerit, nullus dubito. Sed poſtea, ne cum conjunctione *Quum* confunderetur, alterum *Quorum* magis placuit.

(7) Nam I. in cenſum luſtralem cives omnes non tantum qui Romae eſſent, ſed & quicumque extra ur-

Digitized by Google

tur obſcurum, quem ad finem ea comparata fuerit.

I. Ac primum mihi omnia circumſpectanti, iſthaec ſive profeſſio ſive deſcriptio ad ditiores tantum pertinuiſſe videtur. Id conſtat ex v.15. ubi profeſſionis album, quo tempore frumenta diſtribuebantur, in ipſo diſtributionis loco proſtare jubetur: *Et cum*, inquit, *frumentum populo dabitur, ibi ubi frumentum populo dabitur. . . propoſitum habeto*: ac multo magis ex v.17. *Ne cui eorum, quorum nomina . . . in albo propoſita erunt, frumentum dato*. Nonne vides ad inopes (8) tantum hac lege diſtributionem reſtringi coepiſſe? eâque gratia deſcriptionem agrorum, pecorum, pecuniae foenebris, ceteraeque negotiationis ſingulorum praemittendam fuiſſe, nempe ut qui ultra certum modum poſſiderent, a beneficio frumentationis arcerentur. Atque hinc diſcimus aes noſtrum C. Gracchi tribunatu h.e. anno DCXXX. fuiſſe poſterius; quia Gracchana illa largitio neminem etſi ditiſſimum excludebat, auctore (*) Tullio; cum contra haec noſtra tabula locupletes arceret.

II. Dixi, qui ultra certum modum poſſiderent, ἀνεμήτους (*diſtributionis expertes*) hac lege fuiſſe. Verum quis ille modus fuerit, expedire quî poſſumus? Modus Liciniae legis olim celebrabatur, nemini ut liceret plus jugeribus quingentis arare, pluſve centum capita pecoris majoris, & quingenta minoris paſcere. Id quod Ti. Gracchus ſuâ in Agrariâ ſecutus fuit, hoc inſuper indulto, ut ſingulis ditiorum filiis liceret ejus ſummae dimidium ſuo nomine poſſidere. Verum haec ad modum poſſeſſionib. non largitioni ponendum placuiſſe video. Ceterum ubi primum frumentatione non niſi egentes levari viſum fuit (quod in hac Tabula praecipue ſpectabatur) tum illos etiam, qui longe infra Liciniae modum poſſiderent, diſtributione fraudatos, certiſſimum habeo. Verum quis ille terminus fuerit (ultra quem ſcil. cives ἀνέμητοι eſſent, citra quem fruge gauderent) ob priorum laminarum interitum ignorare compellimur. Hoc unum praeſtare poſſumus, quorum nomina in albo proponebantur, eos modum, de quo ſupra dixi, exceſſiſſe, eoque ἀνεμήτους manſiſſe, ceteram interim turbam ad egentiorum numerum, quibus debebatur demenſum, pertinuiſſe.

III. Et haec quidem ſunt extra dubitationis aleam poſita. At illud praeterea, etſi praeſtare nequeo, perquam probabile cenſeo. Suſpicor enim vim totam Albi illius, in quod ditiores relatos dixi, fuiſſe ancipitem. Nam non eo tantum valebat, ut qui in ea inſcripti, efficeret ἀνεμήτους (*diſtributionis expertes*) verum etiam ut eosdem pro ſui cenſûs ratione inferre aliquid in aerarium cogeret, quod in tenuiorum ſtatam atque perpetuam frumentationem expenderetur.

Atq. ex his ita conſtitutis, plura aſſequimur commoda; & illud in primis, nim. diſtributionem Tabulae hujus, ita temperatam videri, ut & ad paucos (h. e. non niſi ad tenuiſſimum quemque) pertineret, & ut ex ea non exhauriretur aerarium: quae duo illa ſunt, quae Tullius (9) in fru-

urbem (in tribus ſinguli ſuas relati) morabantur, nomina dabant, ita ut incenſis poenae maximae ſtatuerentur. At hoc recenſu ii tantum cives continebantur, qui domicilium Romae fixiſſent, etſi interdum peregre profecti, ut in loco oſtendi. II. Cenſui agendo magiſtratus peculiaris vacabat, nempe cenſor: at recenſio iſta ab uno ex conſulibus, aut praetoribus, aut tribunis plebis peragebatur. III. Cenſiti bonorum multiplicium compotes efficiebantur: contra vero recenſus hic a frugum diſtributione recenſitos excludebat. IV. Poſtremo cenſus ſtata res erat, ac, modo ne quid turbatum, poſt ſingula luſtra redibat: at recenſiones extraordinariae erant, & peculiaribus de cauſis imperatae. Haec quidem ſatis protrita ſunt. Tamen duo admoniſſe hîc proderit: I. ad hujus loci profeſſionem, non autem ad luſtralem cenſum, recenſionem Orbis terrarum (h. e. Judaeae, quae ſermone Helleniſtico Οἰκουμένη, *orbis terrarum* vocabatur) ab Auguſto tempore Chriſti Servatoris ortûs peractam pertinuiſſe; ut in Biblicis noſtris oſtendimus. II. Aut ſi hanc, de qua Evangelium loquitur, *Cenſum* vocare libeat; non morabor, modo improprie ſic nuncupetur, & a luſtrali vetere illo cenſu diſtinguatur; ſicuti & Galliarum recenſio ſub eodem Auguſto, a Drufo prius, mox ab ejus filio Germanico peracta, *Cenſus* improprie ab hiſtoricis dicitur: quorum loca vide apud Bulengerum in *De Vectig.* cap. 14.

(8) Etiam quidem Gracchana lex eo ſpectabat, ut egentibus viliorem annonam redderet (id quod Plutarchus in Gracchis ἐτιμωρίζετο τοῖς πένησι τὴν ἀγορὰν appellat) quod ſcil. frumentum ſemiſſe & triente tantum venibat. Verum cum hoc beneficium ad cives univerſos, etſi ditiſſimos, pertineret, interim exhauriebatur aerarium. Vide infra Adnot. 9. & 10.

Hinc in aere noſtro optime cautum, ut inopes tantum ea benignitate fruerentur: quae, ſi quidem latius patuiſſet, ſpoliatum ibat aerarium.

(*) Cujus locum pulcherrimum infra cap. 2. ſect. 1. Adnot. 10. adſcripſi.

(9) Quo ſpectat Ciceronis illud in II. Offic. cap. 21. C. *Gracchi frumentaria magna largitio* (quia *viritim* omnes complectebatur): *exhauriebat igitur aerarium*:

frumentatione expetivit. Verum de conjectione tota plura cap. seq. Adn. 16. dicam.

CAPVT II.

Frumentatio hîc exposita ex quanam lege frumentaria fluxerit, & ad quodnam tempus referenda videatur.

SECTIO I. *Leges frumentariae a Gracchana anni DCXXX. usque ad Liviam anni DCLXII. ac paullo ulterius recensentur.*

Prioribus Romae saeculis pluries, maxime in summis annonae difficultatibus, frugum, pretio quam leviſſimo divenditarum, erogatione delinita multitudo a magistratibus fuit. At hujusmodi largitiones arbitrariae fuere semper, nec nisi artioris annonae necessitatibus extortae.

I. Ac sane primus qui frumentariam legem statam & ad perpetuitatem tulerit, fuit C. Sempr. Gracchus an. DCXXX. Is Tiberio fratre interfecto, *Tribunus plebis* (verba sunt Epitomae Livianae LX.) *eloquentior quam frater, pernicioſas aliquot leges tulit: inter quas frumentariam, ut ſemiſſe & triente frumentum plebi daretur: alteram legem agrariam.* &c. Cur frumentaria inter pernicioſas habenda fuerit, explicat Cicero in II. Offic. 21. *quia exhauriebat*, inquit, *aerarium*. Cur vero exhauriebat? quia omnes ex aequo cives admittebat: de quo praeter Adnot. 9. vide inferne Tullii (10) locum. Huic Caii legi mox Minucius obrogavit ann. DCXXXII. de quo cap. seq. plura.

II. Sub haec vidit, opinor, quid maculae haereret largitioni Gracchanae M. Octavius is, qui triennio post, h. e. an. DCXXXIII. tribunatum gessit, eoque Semproniam (11) abrogavit, salubriorem vero alteram frumentariam tulit, a Cicerone laudatam, & cum Gracchana comparatam. Vide Adnot. 9. & 10. ex quibus perspicies, quid Octavia a Gracchana dissideret. Miror interim Octaviam istam frumentariarum optimam, ac Tulliano elogio digniſſimam, a Vinc. Contareno in lib. *de Largit. frum.* cap. 2. (ubi leges ea de re numerat) fuisse praeteritam. Ac miror etiam tam acrem Lipsii reprehensorem interdum, uti fit, ipsum etiam a scopo aberrasse.

At nec legem Octaviam diu placuisse, secutae rogationes duae suspicionem injiciunt. Vna illa fuit, cui C. Marius (in suo anni DCXXXIV. tribunatu) interceſſit, auctore Plutarcho initio Marii. *Rogatione*, inquit, *promulgata de frumento civibus viritim dividendo, cum vehementiſſime interceſſiſſet, pervicisſetque ne ferretur; parem laudem in utroque certamine* (dixerat de altero proxime) *eſt aſſecutus*. Verum ex his equidem, si quid video, constare puto, novae rogationi merito Marium interceſſisse, quod ea exhauriebatur aerarium; quia Semproniam frumentariam revocabat, qua *viritim* omnibus frumenta dabantur: proinde eam vim Marianae interceſſionis fuisse, ut legis Octaviae moderatio in suo robore permaneret. Idem & de lege Appuleia judicium ferri volo. Nam rogationis alterius L. Appuleius Saturninus an. DCLII. auctor fuit: cui, ne legem perferret, qua vi Caepio restiterit, luculenter Auctor ad Herennium (12) docuit. Ambae igitur

vium: modica M. Octavii (ut quae ad egentes tantummodo pertineret) *& Reip. tolerabilis & plebi neceſſaria. Ergo & civibus & Reip. ſalutaris.* De M. Octavii frumentaria lege anni 633. dicam rursus cap. seq.

(10) Cicero Tusc. III. 20. *Piſo ille Frugi ſemper contra legem frumentariam dixerat. Is, lege lata* (tametsi) *conſularis, ad frumentum accipiendum venerat. Animadvertit Gracchus in concione Piſonem ſtantem. Quaerit audiente populo Rom. qui ſibi conſtet, cum ea lege frumentum petat, quam diſſuaſerat. Nolim, inquit, mea, bone Gracche, tibi viritim dividere libeat: ſed ſi facias, partem petam.* Antea legebatur, *mea bona Gracche*. At in scriptis melius, *mea, bone Gracche*. Nam per illud *mea*, non privum suum, sed publicum patrimonium intelligit, de quo subjicit Tullius: *Parum ne declaravit vir gravis & ſapiens, lege Sempronia patrimonium PVBLICVM diſpenſari?*

Atque (quod nostra interest) ex his vides Gracchanam benignitatem non privatim egentes fuisse complexam, sed ex aequo ad omnes pertinuisse, quando etiam viri consulares ad eam concurrarent. At forsitan Octavia largitio, quam Cicero uti *modicam & tolerabilem, & plebi neceſſariam* commendavit (cujus locum in superiore Adnot. adscripsi) non nisi tenuioribus opem ferebat; atque idem de Appiani Boria lege (de qua cap. seq.) deque Livia anni 662. sentiendum. Hisce de causis Plutarchus in Grac. (ubi de Caii frumentaria sic scripsit: *ἐπωνυζων τοῖς πένησι τὴν ἀγοράν*, *Annonae pretium egentibus minuens*) videbatur Gracchanam cum Octavia & sequentibus moderatis largitionibus miscuisse. Tamen debet ita historici Chaeronensis accipi dictum, ut Gracchus quidem non nisi in egentium gratiam annonam levare in animo habuerit; quamvis ea benignitas ad locupletes etiam ex transverso redundarit.

(11) Cicero in Brut. cap. 62. *M. Octavium Cn. filium, qui tantum auctoritate dicendoque valuit, ut legem Semproniam frumentariam, populi frequentis ſuffragiis abrogaverit.*

(12) De Appuleia lege ad Heren. I. 12. ita legimus. *Cum L. Saturninus legem frumentariam de ſemiſ-*

Digitized by Google

igitur cum injuſſae manſerint; plane oſtendunt Octaviam largitionem interim viguiſſe: quod & ſubindicat Tullius, quem vide Adnot. 9.

Ac poteram hîc & M. Minucii Rufi meminiſſe. Quem quidem per haec tempora Porticus *Minuciae frumentariae* auctorem fuiſſe, ſat novi: an vero legem ullam frumentariam tulerit, juxta cum ignariſſimis ſcio. Verum univerſum *Minutiae frumentariae* negotium praeſtabit ſeorſum cap. ſeq. tractari.

III. Ergo ex legibus frumentariis ratis tertia illa haberi debet, quam Spurius Borius (niſi ſi id nomen in mendo cubat) decennio plus minus poſt Octaviam illam tulit de tributis a poſſeſſoribus agrorum pendendis ad diſtributiones populo faciendas. Verum de hac plenius dicam ſequente ſectione.

IV. Nunc de ea loquar, quam M. Livius Druſus ſub belli Socialis jam jam erupturi primordia promulgavit, perque vim, obſiſtente licet Philippo conſule, pertulit. Aegre eſt, quod ejus rei narratio Liviana deperiit, nec aliud nunc quam Flori epitome (13) ad ejus hiſtoriae fidem ſupereſt. Idem vero Florus in ſua hiſtoria III. 17. non obſcure frugum (14) largitionem deſignavit. Ac miror & Aſconium (15) in Cornelianam pro eâd. citari. Sed Druſo interfecto, leges ejus ſenatus, Philippo conſule referente, abrogavit. Itaque frumentariae leges (juſſae quidem verum non diuturnae) quatuor non amplius a C. Gracchi tribunatus ad bellum ſociale fuerunt.

V. Mox Italico bello compoſito, non immerito delinita plebs hac largitione frumentaria quinta fuit, quam huic aeri debemus: de qua ſect. ſeq. amplius diſputabitur.

VI. Poſtremo Syllâ invadente rempublicam, ac per eum tribunitia poteſtate ſublata, ſimul largitiones iſtae interquierunt. At eodem mortuo, lex frumentaria quaedam Terentia anni DCLXXX. memoratur, auctorib. C. Caſſio & M. Terentio conſulibus: de qua vide Contaren. de largit. frum. cap. 2. Hanc excepit S. C. in Catonis ſententiam factum anno DCXCI. quo Patres plebem largitione frugum ſibi devinciendam ſtatuerunt. Ac poſtremo Clodius tribunatu ſuo legem illam Clodiam frumentariam tulit, quae uſque ad reip. interitum perduravit: quâ frumenta prorſus gratuita erogabantur. Hujus legis largitio mox ſub Caeſaribus nullo non tempore continuata fuit.

Atq. haec de Romanorum frumentatione (non quidem univerſa, ſed quatenus huic Tabulae ſerviat) luce aliqua perfudiſſe ſufficiat. At ſi qui ſunt qui rem univerſam ediſcere cupiant, ii Lipſii Electa, nec non Admiranda, ad haec Vinc. Contareni peculiarem de frumentaria largitione libellum, alioſque plures adibunt.

SECTIO II. *Aeris noſtri largitio cujus potiſſimum temporis fuerit, & ex quanam lege profluxerit.*

I. Ad prius quod attinet: dubium non eſſe poteſt, quin haec univerſa tabula poſt Italicum bellum, & civitatem Italis datam ſcalpta fuerit, ut alibi pluries oſtendetur: id quod & ſine monitore cuivis, ſegmentum ſaltem Neapolitanum legenti, liquidiſſimum erit. Hinc vero & de frumentariae hujus legis aevo judicabimus.

II. Jam

miſſibus & trientibus laturus eſſet; Caepio, qui per id temporis quaeſtor urbanus erat, docuit ſenatum, aerarium pati non poſſe largitionem tantam. Senatus decrevit, ſi eam legem ad pop. ferat, adverſus remp. videri eum facere. Saturninus ferre coepit. Collegae intercedere. Ille nihilominus ciſtellam detulit. Caepio ut illum contra S. C., intercedentibus collegis, adverſus remp. vidit ferre, cum viris bonis impetum facit, pontes diſturbat, ciſtas dejicit, impedimento eſt quo ſecius feratur lex: arceſſitur Caepio majeſtatis. Mitto cetera.

Porro in his quae adſcripſi, recte Caepio *docuit ſenatum, aerarium pati non poſſe largitionem tantam;* quia inter Gracchorum leges, in quas revocandas Appuleius vehementer incubuit, erat frumentaria C. Gracchi de frumento viritim civibus omnibus dando: quae teſte Tullio, *exhauriebat aerarium.* Vide ſup. Adn. 9. & 10.

(13) Liviana Epitome LXXI. *M. Livius Druſus Trib. plebis . . . per vim legibus agrariis FRVMENTARIISQVE LATIS, judiciariam quoque pertulit.*

(14) Florus Hiſt. III. 17. ita incipit: *Livius Druſus . . . easdem leges* (quas, rogo, niſi agrariam ſcil. & frumentariam, in quas ſupra memorati a ſe tribuni incubuerant) *aſſerere conatus.*

(15) Aſconius in Or. pro C. Cornelio majeſtatis reo, ad illud *De legibus Liviis*, ſic adnotat: *Puto vos reminiſci, has eſſe leges Livias, quas illis conſulibus M. Livius Druſus tribunus pleb. tulerit: qui cum ſenatûs partes tuendas ſuſcepiſſet, & leges pro optimatibus tuliſſet; poſtea eo licentiae eſt progreſſus, ut nullum in iis morem ſervaret. Itaque Philippus conſul, qui ei inimicus erat, obtinuit a ſenatu, ut leges ejus omnes uno S. C. tollerentur. Decretum eſt enim, contra auſpicia eſſe latas, neque iis teneri populum.* Vbi frumentariae veſtigium nullum. Vel ſic tamen Aſconiana iſta cognoſſe juverit.

Digitized by Google

II. Jam ad alterum progredior. Atq. equidem hoc video legum universis latoribus in more positum, ut cujuscumque argumenti decreta sancituri in publicum prodeant, ejusdem argumenti priora scita, ac maxime proximorum temporum, versent atque discutiant, ut eorum optima quaeque arripiant, noxia vero aut parum temporibus praesentibus accommodata aptioribus mutent; itâque rem omnem temperent, ut sui temporis rationibus apte prospiciant. Itaque Gracchanam sane nimiam largitionem a M. Octavio ita refectam animadvertimus, ut ad pauciores restrictâ benignitate, *modicam* & *tolerabilem*, uti Cicero praedicat, efficeret, nec exhauriret aerarium. Plus decennio elapso quidam Sp. Borius (si hujus tribuni plebis recte tenemus nomen) totum largitionum institutum, prorsus illis temporibus necessarium, longe tolerabilius reip. reddidit, dum ex agris tributa quaedam inferri jussit, consilio ad largiendum opportunissimo. Totum hoc Borii πολίτευμα, sane quam consultissimum, quale fuerit, inferne (16) discussum copiose reperies. Ac mihi

(16) DE BORIAE THORIAEQVE LEGIS DISCRIMINE.

I. *Appiani de Spurii Borii lege frumentaria locus.* II. *Pighius male hujus tribuni legem de Thoria accepit; quia Thoria (cujus fragmenta apud nos in uno ex Regiis Praetoriis adservantur) contraria Borii legi fuit ex Tullio & Appiano.* III. *Appiani locus recta interpretatione donatus: temporum putatio explicata:* Γράχχι νομοθεσία *ab utrius Gracchi tribunatu repetenda: cur plebs Romana spoliata* νόμοις *dicatur.* IV. *A Thoria anni 646. est diversa lex illa, quam Appianus Borio tribuit, quaeque ante Thoriam lata fuerat.*

I. Appianus in I. Εμφυλ. pag. 366. post C. Gracchi (ejus qui legem agrariam a fratre latam rogatione sua frumentaria cumulaverat) & Fulvii Flacci interitum ita refert. *Nec ita multo post lata lex est, licere unicuiq. suam portionem agri, de quo tamdiu contendebatur, divendere, quod prior Gracchus vetuerat. Moxq. pauperes a divitibus vel vi vel pretio ab agrorum possessione submovebantur. Itaq. in deterius semper causa egenorum vergere (μέχρι* ΣΠΟΥΡΙΟΣ ΒΟΡΙΟΣ *δημαρχῶν εἰσηγήσατο νόμον, τὴν μὲν γῆν μηκέτι διανέμειν, ἀλλ' ἔναι τῶν ἐχόντων, καὶ* ΦΟΡΟΥΣ *ὑπὲρ αὐτῆς τῷ δήμῳ καταστήσασθαι, καὶ τάδε τὰ χρήματα χωρεῖν εἰς* ΔΙΑΝΟΜΑΣ · *ὅπερ ἦν μὲν τις τοῖς πένησι παρηγορία διὰ τὰς διανομάς, ὄφελος δ' οὐδὲν ἐς πολυτελείαν) donec Spurius BORIVS tribunus plebis in totum legem agrariam abrogavit, relictis agris in possessione veterum detentorum, ed tamen lege ut ex iis TRIBVTA populo penderentur, quae in largitiones* (frumentarias) *cederent: id quod ad egentium solamen aliquod, non item ad Italiam frequentandam proficiebat. Ita elusis semel Gracchi legibus (perutilibus reip. alioqui futuris, si conatus successisset) non multo post alius tribunus plebis TRIBVTA etiam ABROGAVIT: qua abrogatione ad ultimum plebs spebus omnibus excidit.* Locus singularis (nec enim Borii istius, aut Boriae legis usquam vola neque vestigium exstat) quo minus miror eam Vinc. Contareni qui cap. 2. accurate letam animadvertimus, ut ad pauciores restrictâ benignitate, *modicam* & *tolerabilem*, uti Cicero praedicat, efficeret, nec exhauriret aerarium. Plus decennio elapso quidam Sp. Borius (si hujus tribuni plebis recte tenemus nomen) totum largitionum institutum, prorsus illis temporibus necessarium, longe tolerabilius reip. reddidit, dum ex agris tributa quaedam inferri jussit, consilio ad largiendum opportunissimo. Totum hoc Borii πολίτευμα, sane quam consultissimum, quale fuerit, inferne (16) discussum copiose reperies. Ac mihi

ges frumentarias sive ratas, sive tantum promulgatas recenset, effugisse industriam.

II. Atque hunc ego locum luce aliqua perfusurus, a legislatoris nomine ordiar. Nec enim inter gentes Romanas *Boriam* usquam memorari scio. Quid igitur? retinebimus ne integrum *Boriae* gentis nomen? Quid ni? cum nova semper gentilitia vocabula, inaudita prius, detegantur. Tamen cum sciamus Romanorum propria nomina multis modis corrumpi a Graecis solere; haud erit absonum, ficunde ex vicinis aliis nominibus Boriae gentis vocabulum castigari atque refingi possit.

Ac sane egregie id praestitisse videbatur Steph. Pighius ad V. C. annum DCXLVI. ubi apud Appianum eodem retento *Spurii* praenomine, unius litterulae mutatione pro Βόριος reposuit Θόριος. Is enim ille est *Spurius Thorius*, cujus tribuni, legisq. ab eo latae meminit Cicero tum in Bruto cap. 36. tum etiam in II. de Orat. c. 70. Ac nihil sane asserri pulchrius poterat, nisi sententia legis adversaretur. Nam in Bruto sic scribitur: *Sp. Thorius satis valuit in populari genere dicendi, is qui agrum publicum (vitiosa (I) & inutili lege) vectigali levavit.* Hîc ager vectigali levatur: at contra in Appiano agri vectigales fiunt. Exstant apud Sigonium lib. II. de antiquo jure Italiae cap. 2. legis illius Thoriae lacera fragmenta duo ex aere ipso descripta: ex eapte inquam tabula, quae hodie in REGIS NOSTRI gazophylacio, quod in Capimontiano Palatio visitur, cum aliis hujusmodi aeneis legum tabulis praeclarissimis asservatur. Initium frugmenti prioris tale est: SP · THORIVS · · · F · TR · PL · PLEBEM · IVRE ROG · PLEBESQVE · IVRE · SCIVIT · &c. Quamquam autem non pronae explanationis ea frustra sint; satis tamen perspicitur, & agrariam legem esse, & ejus sententiae, quam ei Tullius tribuit.

Haec cum ita sint, aberravit ne Alexandrinus historicus, qui & pro *Thorio*, *Borium* nescio quem obtruserit (quamvis eam culpam satius est in librarios conjici) & legis Thoriae sententiam perverterit in contrarium? Nim. enim Borius (aut quisquis est) agris tributa imposuerat, quae Thorius sustulit, auctore Tullio. Equidem fateor ab Appiano erratum fuisse, verum in eo tantum, quod unum legislatorem cum altero confuderit. Fuit sane aliquis tribunus (sive *Borius*, sive parum [II] diversi ab eo nominis fuerit) qui ditiorum agros tri-

(I) *Haec ob eam causam* παρεντέθεικα (interposui) *nequis junctim* Lege vectigali *legeret; cum potius Cicero legem Thoriam, tamquam vitiosam & inutilem taxet, quippe quae agrum publicum vectigali levarit.*

(II) *1. Ac primum, si fingamus huic tribuno τὸ* Σπόριος *non praenomen, sed gentile nomen fuisse (nam gens*

Digitized by Google

mihi ſane M. Livius ille (de quo ſectione ſuperiore num. IV. dixi) utrumque Borii temperamentum poſtea imitatus videtur; ut inferne (17) conjicimus; ut mihi plane

tributo, ex quo frumentariae largitiones pararentur, oneraverit. At fuit etiam non multo poſt alter, cujus nomen Appianus reticet, qui hanc legem abrogavit: is vero Spurius Thorius fuit. Vide extrema Appiani verba, in quibus ille alter *tribunus plebis* anonymus, qui *tributa* a priore impoſita *abrogaſſe* dicitur, non alius a Sp. Thorio anni 646. tribuno eſſe debuit.

III. Ac ſane praeter Tullii locum, etiam quae ab Appiano ſtatim ſubjicitur, putatio temporum ſatis oſtendit, Sp. Thorium non prioris legis, quam Borio tribuit, ſed alterius, cujus latorem tacet, auctorem eſſe potuiſſe. Nam poſt locum initio adſcriptum, ita ſtatim conqueritur Appianus, poſt legem hanc alteram, *nihil reliquum populo factum, cum & civium & juventutis militaris infrequentiâ laboraret*, & (γῆς προσόδῳ) *agrorum vectigalibus*, & (διανομῶν) *diſtributionibus frumentariis*, & (νόμων) *legum* (III) *juſſione* careret: id vero malum (πεντεκαιδέκατα μάλιστα ἔτεσιν ἐπὶ τῆς Γράκχου νομοθεσίας) *anno quinto decimo a* (C.) *Gracchi legum latione contigiſſe*. Obiter moneo, haec omnia me ex Appiani mente, ex dictionis vi, itemque ex rerum geſtarum fide interpretatum, cum tamen Geleniana verſio ſecus pleraque acciperet. In primis autem Γράκχου νομοθεσίαν (*Gracchana inſtituta*) non niſi a Graccho poſteriore, cui *Caio* praenomen fuit, ordior; nam prior Graochus de agris dividundis, non item de frumentaria diſtributione ſollicitum ſe praeſtiterat: Caius utrumque cumulavit. Ergo hoc vult Appianus, a C. Graccho per annos quindecim Gracchana ſcita viguiſſe. At anno poſt Caium quintodecimo, latâ Thoria lege, plebs ſemel omnibus commodis excidit. Διανομὰς non quaslibet *diſtributiones*, ſed *frumentarias* accepi; nec enim eo tempore aliae largitiones in uſu fuere, nec aliae expetebantur.

Huic vero interpretationi temporum putatio concinit. Re enim vera ab anno 630. (quo C. Gracchus leges agrarias & frumentarias pertulit) ad legem uſque Thoriam (anni 646.) quindecim anni ſolidi plebis utilitatibus commodi interceſſerunt. At poſt Thoriam plebs ſolatiis ſimul omnibus, quae Appianus numerat, exuta fuit. Nam lex Livia anni 662. (quae & frumenta plebi & alia commoda impertiebat) per vim lata, ſtatim occiſo legislatore abrogata fuit.

IV. Ex hactenus dictis conſtat, ex duabus legibus, quas Appianus una narratione junxit, poſteriorem, cujus is ſcriptor auctorem tacuit, a Sp. Thorio anni 646. tribuno latam fuiſſe: priorem autem, qua tributa quaedam εἰς τὰς διανομὰς (*ad frumentarias diſtributiones*) ſanciebantur, ſi minus a *Borio* aliquo tribuno, at certe ab affinis nominis alio fuiſſe perlatam: quo (IV) anno incertum. Hanc nos tamen legem *Boriam* tantiſper vocabimus: certe dum alius aliud latoris nomen docuerit.

(17) *Videri M. Livium anno 662. legem ſive leges Borias reſtituiſſe illas, cum quibus aes noſtrum amice conjurat.*

Ex Liviana quidem epitome LXXI. haud dubie oſtenditur, M. Liv. Druſum frumentariae cujuſpiam legis latorem fuiſſe. Atqui ea eccujus naturae & argumenti fuerit, antiquis ſilentibus, in obſcuro eſt. Tamen ejus legis modum ingeniumque ſimulque fontes, ex quibus hauſta, aſſequi non uno ex argumento licebit.

I. Ex Druſi ingenio colligitur: cui quidem initio media conſilia, & omnibus profutura placuerunt: quo factum ut, dum omnibus ſatisfacere cupit, nullis ordinibus ſua probaverit inſtituta. De quo pulchre Aur. Victor: *Ex gratia nimia in invidiam venit. Nam plebes acceptis agris gaudebat: expulſi dolebant. Equites in ſenatum lecti laetabantur: ſed praeteriti querebantur. Senatus permiſſis judiciis exſultabat: ſed ſocietatem cum equitibus aegre ferebat.* Hinc Octavii & Borii temperamenta (nim. ut largitio primum ad egentes tantum reſtringeretur, deinde ut in eam ſumptus omnes ex certis agrorum tributis redigerentur) Druſo extrema conſilia fugienti, atque amplectenti media ac ſalutaria, non potuere in praeſcribendo frumentariae modo non ſe probare.

II. Atqui quae a Borio prius, mox a Livio leges (nim. de egentioribus civibus frumento juvandis, deque tributis pro modo cenſûs in eam largitionem pendendis) juſſae fuerant, eaedem in hac Tabula, ut ſaepe diximus, emicant. Qua, rogo, de cauſa, niſi quia ex Lege Boria Liviaque Tabulae hujus ſcita frumentaria translata fuere? Maxime vero ex Livia. Quamobrem iſtuc? Quia Liviae frumentariae auctor populis Italicis gratiſſimus erat.

---

gens Spuria *non eſt infrequens in Gruteri & Muratorii indicibus*) *tum* Βόριος *facile in* Burrus *aliudve cognomen refingetur. II. Quod ſi* Spurius *praenomen fuerit, tum ex* Βόριος, Burrius *fiet; nam* Burria *gens in Murat. & alibi occurrit. III. Aut, quod eſt vero propius, librariorum inſcitiâ* Βόριος *irrepſit pro* Βάριος. Varia *gens frequens admodum in hiſtoriae Rom. libris. In primis lex* Varia *a Q. Vario trib. pl. anno 662. lata memoratur a Cic. in fragmentis orationis pro Scauro filio, ibique ab Aſconio. Quo loco Pedianus defenſionem illam Scauri patris breviſſimam refert hujuſmodi:* Q. Varius Hiſpanus (*nam domo Sucronenſis fuit, teſte Quintiliano V.* 12. *eâque ſort. de cauſa a Val. Max.* Hybrida *cognominatus dicitur*) M. Scaurum, principem ſenatus, ſocios in arma, ait, concitaſſe: M. Scaurus . . . negat . . . Vtri vos, Quirites, convenit credere? *Huic Q. Vario trib. pl. non difficile eſt, ante XX. circiter annos praeceſſiſſe ex eadem forſitan domo* Varium *alterum, qui in eodem magiſtratu legem hanc de tributis in largitiones frumenti pendendis forſitan tulerit.*

Verum donec quis verum produxerit nomen, hanc nos tamdiu legem Boriam *appellabimus.*

(III) *In Appiano* νόμων *tantum legitur. At quando unquam fando auditum fuit, populum Rom. legibus caruiſſe? Ea de cauſa* Legum juſſione *reddendum putavi. Quo enim tempore tribunitiam poteſtatem Sylla ſuſtulit, ex illo plebs Rom. leges jubere deſtitit. Ex hoc vero patet, Appianum plebis Romanae damna, legem Thoriam ſubſecuta, ad finem prope uſque liberae Reip. porrexiſſe: quocirca non immerito Tullius in Bruto Thoriam legem, uti* vitioſam & inutilem, *quamvis ipſe ex optimatium numero, taxat. Locum ſup. adſcripſi. Vid. Adn. II.*

(IV) *Haud diu tamen Thoriam legem anni 646. videtur anteceſſiſſe; quia Appianus (ubi de Thoria) ſic ait:* καὶ τὰς φόρους ὁ πολὺ ὕστερον διέλυσε δήμαρχος ἕτερος. Ac tributa illa (*a Borio impoſita*) non multo poſt tribunus alius (*nim. Sp. Thorius*) abrogavit.

Digitized by Google

videatur Vell. Paterculus haud prorſus immeritas huic (18) Livio laudes impertiviſſe.

Ex hactenus dictis, facile viros eruditos aſſenſuros mihi ſpero, pro explorato habenti, legem hanc noſtram, qua parte recenſionem civium atq. profeſſionem poſſeſſionum jubet, ex Sp. Borii lege (imo & ex Druſiana facile illinc profecta) quae olim tributa poſſeſſoribus agrorum, ad egenos diſtributione demerendos, imperaverat, manaſſe: item qua parte frugum dationis meminit, & hoc indidem haud dubie profluxiſſe. Nec enim alia de cauſa tam ſubtilis & accurata profeſſio indicitur, profeſſis vero omnibus frumenti acceptione interdicitur; niſi quia illis, utpote bene nummatis, adeo frumenta non debebantur, ut etiam ex illorum proventibus ex Boria lege decidi deberet, quidquid frumenti erogaretur egentibus. Et ita prorſus perſuaſum habeo.

Tametſi & hujus tabulae frumentaria largitas haud diu perduraſſe videtur; quia legem Juliam haud diu poſtea Syllana Marianaque tempora turbulentiſſima omnium ſunt conſecuta, per quae ſuſque deque divina humanaque omnia permiſta fuerunt.

CAPVT III.

De Porticu Minucia Frumentaria.

Jam ſupra ad v. 15. ad ea Tabulae verba (IBEI · VBEI · FRVMENTVM · POPVLO · DABITVR) monui, diſtributionis locum (quem utpote vulgo notum, deſignare non oportuit) omnino alium a foro fuiſſe. Nunc id dabitur opera, ut in *porticibus Minuciis* (non diu ante hoc aes a M. Minucio Rufo in id utique factis) diſtribui conſueviſſe frumenta, ſuadeatur.

SECT. I. *Operis auctor, & tempus.*

In Urbis Regione IX. P. Victoris duplex *Minucia* (ſupple *Porticus*) recenſetur,

Gratiſſimus autem etiam poſt mortem obitam fuit; quod ex omnibus Druſi conatibus, ille praecipuus fuerat, uti Sociis Italiſque civitatem daret. Hinc ille totius Italiae luctus poſt Druſi necem: cujus nuntius dicto citius ſocios undique ad arma concivit. Quorſum haec? nempe ut intelligatur, eosdem ſenſus ac frumentariae ſcopum Tabulae huic (per quam civitas dabatur Italis) ac paullo ante legi Liviae fuiſſe propoſitum: eumdem plane utriuſque, ſicut & antea Boriae, modum ingeniumque extitiſſe. Hujus quidem certe aeris noſtri cum Boria lege conſenſionem jam ſatis antea demonſtravimus.

(18) *M. Livii defenſio. Non niſi maligne a nonnullis vituperatum, ab aliis merito exornatum. Fuiſſe ancipiti natura, ſed ita ut pulchra eminerent.*

Paterculus lib. II. cap. 13. hoc Livium praeconio exornat. *M. Liv. Druſus vir nobiliſs. eloquentiſs. ſanctiſs. meliore in omnia ingenio animoque, quam fortuna uſus. Qui cum ſenatui priſcum reſtituere cuperet decus, & judicia ab equitibus ad eum transferre ordinem* (mitto quae de equitum ſordib. & perverſitate judicior. hîc interponit) . . . *in iis ipſis, quae pro ſenatu moliebatur, ſenatum habuit adverſarium: non intelligentem, ſiqua de plebis commodis ab eo agerentur, veluti ineſcandae inliciendaeque multitudinis cauſa fieri, ut minoribus perceptis, majora permitteret. Denique ea fortuna Druſi fuit, ut malefacta collegarum, quam ejus optime ab ipſo cogitata, ſenatus probaret magis, & honorem qui ab eo deferebatur, ſperneret; injurias, quae ab aliis intendebantur, aequo animo reciperet, & hujus ſummae gloriae invideret, illorum modicam ferret.* Proderit & ex ſeq. cap. pauca decerpere: *Cum* (letali vulnere ſaucius) *ultimum redderet ſpiritum . . . . effudit vocem convenientiſſimam conſcientiae ſuae: Ecquando, inquit, propinqui amicique, ſimilem mei civem habebit reſp.? . . . Cum aedificaret domum . . . promitteretque architectus, ita ſe eam aedificaturum, ut liberæ . . . ab omnibus arbitris eſſet . . . Tu vero, inquit, ſiquid in te artis eſt, ita compone domum meam, ut quidquid agam, ab omnibus perſpici poſſit.*

Et tamen Velleium in his vulgo putant Tiberio adulatum, cui mater Livia Druſilla fuit. Equidem eum dediſſe Tiberii auribus aliquid, in eo fateor, quod impune poterat eo praeconio abſtinere. Sed poſtquam inſpergere aliquid, & quidem non alieno loco, de Livii ingenio huic hiſtorico placuit; ad veritatem propius quam ad voluntatem Noſtrum locutum arbitror. Omnino, quidquid alii ſtatuerint, Druſum hunc & virum fuiſſe maximum, & ſua conſilia omnia ad ordinum concordiam, ſenatus dignitatem, tum ad commilitones (h. e. tam ſocios quam cives egentiores) prolectandos, quo alacrius militarent, direxiſſe cenſeo; quamvis ceteroqui inſperſis ſuperbiae, ambitionis, audaciae naevis (quod in magnis viris uſuvenit) minime caruerit. Poſtremo Druſum unum in re publica acutius, quam ceteros, pervidiſſe omnia, ſatis exitus belli Italici demonſtravit.

Sed antequam hinc digredior, non omittam veriſſimam Salluſtii defenſionem Oratione (an Epiſtola?) II. de rep. ordinanda. *M. Livio Druſo ſemper conſilium fuit, in tribunatu ſumma ope niti pro nobilitate: neque ullam rem in principio agere intendit, niſi illi auctores fierent. Sed homines factioſi* (e optimatium numero) *quibus dolus atque malitia fide cariora erant, ubi intellexerunt per unum hominem maximum beneficium multis mortalibus dari, videlicet & ſibi quiſque conſcius, malo atque infido animo eſſe, de M. Livio Druſo juxta ac ſe exiſtimaverunt. Itaq. metu, ne per tantam gratiam ſolus rerum potiretur, contra eam nixi, ſua & ipſius conſilia diſturbaverunt.* Merito in Ciceronis Miloniana ornatur his verbis: *Domi ſuae nobiliſſimus vir, ſenatûs propugnator, atq. illis quidem temporibus paene patronus, tribunus pl. M. Livius Druſus occiſus eſt,*

Digitized by Google

tur, *Minucia vetus*, & *Minucia frumentaria*. In Sex. Rufi *Regione* item IX. utraque corrupte *Mimicia* nuncupatur. Adhaec *Minuciae* ac ſaepius *Minitiae*, aut *Miniciae* crebra in marmoribus mentio. De auctore ſi quaeras; non alius fuit quam M. Minucius Rufus: is qui V.C. an.DCXLIII. conſul cum Sp. Poſtumio Albino factus, & Macedoniam ſortitus, prorogato in annum ſequentem imperio, proconſul de Scordiſcis & Triballis triumphavit. Exſtat ejus triumphi denarius apud Fulvium & alios. Vide Vaillantium in Minucia num. 9. ubi is imperator triumphalibus quadrigis invectus, inferne inſcribitur, M·MINVCIVS· Q· F·RVFVS· Meminit Liviana epitoma LXV. Meminere Frontinus in Stratagematis, aliique quam plurimi. Sed piaculum fuerit, ſi Paterculi verba omiſero: a quo uno diſcimus, non alium ex gente Minucia, quam hunc, utriuſque porticûs auctorem fuiſſe. Is lib. II. cap. 8. extremo ſic loquitur: *Per eadem tempora clarus ejus Minucii, qui porticus, quae hodieque celebres ſunt, molitus eſt, ex Scordiſcis triumphus fuit*. Ex quo loco poteris viri accuratiſs. Raph. Fabretti, imo & magni Lipſii leviculum (19) erratum detergere.

Jam ad tempus exſtructi operis quod attinet; in aliquo magiſtratu id ab eo conditum de more, oportuit. Atque is quidem anno V. C. DCXXXII. tribunatum geſſit. Verum quia in eo magiſtratu legem tulit, qua C. Gracchi legibus (& in his frumentariae) (20) obrogavit; non eſt veriſimile, eum eopte in magiſtratu porticus extruxiſſe illas, quarum uſus in frumentatione futurus erat. Magis eſt igitur, ut idem opus poſt triumphum de Scordiſcis excitatum fuerit, h.e. anno Vrbis DCXLIV. ut ante dictum; & quidem de manubiali pecunia. Nam modo in aerarium inferebatur ab imperatoribus praeda, modo exſtruebatur ex ea opus, quod gereret auctoris nomen. Nec mihi alia de cauſa videtur Velleius in eapte triumphi Minucii narratione Minuciarum porticuum inſeruiſſe mentionem, quam quia exſtructio illa recentis victoriae quaedam appendix ac monumentum fuit.

Atque hinc quoq. cognoſcimus, porticus Minucias non in Gracchanae frumentariae (quippe cui jam ante annos XII. Minucius obrogaverat) ſed potius ſive in Octaviae adhuc vigentis, ſive (ſi tempora addixerint) in Boriae gratiam exſtructas videri.

SECT. II. *Ejusdem operis finis.*

Vſus operis ex ipſa *Frumentariae* appel-

(19) Fabrettus in Syntagm. de Col. Trajani extremâ pag. 35. eas porticus *a L. Minucio Augurino* (illo ſcil. de quo Livius lib. IV. ad ann. 315.) *nomen accepiſſe* ſcripſit. Hoc idem peccaverat ante Lipſius Elect. I. 8. in illa aurea Frumentationis univerſae tractatione. *Nomen ei* (Minuciae) *videtur ſive a Minutio primo Frumentariae rei praefecto, ſive a Deo Minutio*. Haec Lipſius: cui nihil in his obloquitur Contarenus, reprehenſor Lipſii moroſiſſimus.

(20) *Legis Minutiae, ante hac obſcurae, ſententia ex Aur. Victore, & ex Floro eruitur. Inter* Obrogare *&* Abrogare *diſcrimen quod traditur, id non eſſe rigidius accipiendum.*

Feſtus in *Oſi ſunt*, antiquos ait id a verbo *Odio declinaſſe*, mox addens, C. *Gracchum in ea, quae eſt de lege Minucia* id uſurpaſſe, *cum ait: Mirum ſiquid iis injuriae fit: ſemper eos oſi ſunt*. Qui de legibus antiquis ſcripſere, de Minuciae legis argumento nihil ſe comperti habere fatentur. Atqui mihi non eſt dubium, quin *Legem Minuciam* non aliam Feſtus intelligat, quam qua hic tribunus legibus C. Gracchi obrogabat: de qua eâdem Minucia loquitur Flor. III. 15. *Obrogare auſo legibus ſuis* (C. Gracchi ſcil.) *Minucio tribuno*. Item Aur. Victor in C. Graccho: *Minucio Rufo tribuno plebis legibus ſuis obrogante, in Capitolium venit*. Mox: *In forum deſcendit, & imprudens concionem a tribuno plebis* (Minucio Rufo) *avocavit*.

Ac tota ſane ejus rei narratio Flori ſatis oſtendit, Gracchanae frumentariae (quae anno Vrbis 630. juſſa fuerat) biennio poſt (anno ſcil. 632.) a Minucio fuiſſe obrogatum. At iſtud ipſum (quid proprie ſit *Obrogare*) recte intelligi volo. Non ſane idem quod *Abrogare* legem, h. e. irritam facere. Nec enim niſi anno ſequenti (Vrbis DCXXXIII.) C. Gracchi frumentaria abrogata fuit, idque per M. Octavium, uti ſup. Adn. 11. ex Bruto Tullii demonſtravimus. Ergo Minucius anno ſuperiore non plane abrogaverat, ſed *obrogarat* tantum: cujus verbi vim ex Feſto diſcimus: *OBROGARE eſt legis prioris infirmandae cauſa legem aliam ferre*. Eſt igitur *Obrogare*, cum novâ lege lex antiquior, non plane tollitur, ſed enervatur. Verum quid *Abrogare*, *Derogare*, *Exrogare*, *Obrogare*, *Subrogare* differant, vide apud Briſſonium de Verb. ſign. & alios.

Quamquam, ſi verum amamus, haec verborum diſcrimina non ſunt rigide accipienda. Vt ecce in hac ipſa narratione M. Minucius Gracchanae legi *obrogavit*, quam M. Octavius anno inſequente *abrogavit*. Diceres, Octavium largitiones iſtas penitus ſuſtuliſſe. At Cicero ipſe (locum Adn. 9. adſcripſi) fatetur, non aliud Octavium egiſſe, niſi ut quae largitio ex lege Sempronia *magna* fuerat, eam ipſe *modicam & tolerabilem* redderet. Ergo non tam *Abrogavit*, quam *Derogavit*, h. e. ex ea detraxit. Non ſunt ergo perpetua diſcrimina.

Digitized by Google

pellatione oſtenditur. Non defuere tamen, qui *Frumentariam* porticum a *Frumentariis* (21) illis, qui & *Agentes in rebus*, & *Curioſi*, & aliis nominibus pluſculis vocabantur, dictam nugarentur. Quos Appuleius lib. *De mundo* redarguit. *Alius*, inquit, *ad MINVTIAM FRVMENTATVM venit, & aliis in judiciis dicitur dies*. Ergo ex eo *Frumentariam* vocatam innuit, quod illuc *frumentaturi* h. e. frumenta accepturi, aut diſtributuri commeabant. Hoc ipſum & ſcripti lapides ψαμμακόσιοι patefaciunt, quos pro re data producam.

Ac *Minucia frumentaria* cui uſui fuerit, expedivimus: quid de *Minucia vetere* cenſebimus? De ea ita conjicio. M. Minucius cum, ut infra demonſtrabitur, jam inde a L. Minucio Augurino (illo ſcil. annonae praefecto, qui nefaria Sp. Maelii conſilia in tempore diſturbavit V. C. anno CCCXV.) frumentariam laudem hereditariam accepiſſet; non alium prorſus in uſum, quam ad frumenta, ſive potius teſſeras frumentarias diſtribuendas, porticum duplicem fecerat. Harum igitur utraque, ſi uſum ſpectes, *frumentaria* dici poterat. Verum adjectione iſta non fuit opus, quamdiu utraque ei uſui mancipabatur; tunc enim utraque *Minucia* aut *Minicia* abſolute ex auctore ſuo dicebatur. At poſtquam aevo ſequente una ex iis porticibus fatiſcens ac ruinoſa veterem uſum negabat; ab illo tempore, opinor, cognomenta illa duo διακριτικὰ addi coeperunt, ut una *Minucia vetus*, altera, quae ſola priſtinum uſum retinebat, *Minucia frumentaria* appellaretur. Rem ita ſe habuiſſe, ex ſilentio auctorum (22) & veterum (23) inſcriptionum (a quibus ſemper adjectio *frumentariae* abeſt) oſtenditur; & quod primi omnium P. Victor & Sextus Rufus, a quibus Regiones Vrbis deſcriptas habemus (qui non ante finem IV. ſaeculi ſcripſere) *Minuciam Veterem* a *Minucia Frumentaria* diſtinxerunt. Ita Victor: at corrupte Sex. Rufus de utraque habet: *Mimitia Vetus*, *Mimitia frumentaria*.

Ergo utraque primitus in uſum frumentationis comparata, adhuc ſub Tiberio h. e. ſcribente Velleio, eidem uſui ſerviebat. Nam eo ſpectant ea Paterculi verba (quae ſup. num. I. protuli) per quae ambas porticus ſuo tempore fuiſſe *celebres* teſtatur. *Celebres* autem *frequentes* interpretor, propter multitudinem frumenta quot menſibus accipientium.

SECT. III. *Vtramq. porticum ab ipſo conditore M. Minucio uſui frumentario fuiſſe deſtinatam, ex ejusdem familiae domeſtico decore frumentario demonſtratur.*

Quod porticus illae Minuciae erogando frumento inſervierint, id ex inſcriptionibus conſtat, in quibus omnibus id non obſcure ſignificatur. At eumdem uſum ab ipſo exſtructore M. Minucio Rufo fuiſſe deſtinatum, id praeter cetera, ex domeſtica ac veruſtiſſima ejus familiae laude frumentaria doceri puto. Nam noſter hic Minucius Rufus ab illo L. Minucio Augurino genus trahebat, de quo totam Livii narrationem lib. IV. a cap. 12. ad 16. legi operae pretium fuerit. Res eo redit. In ſumma annonae caritate Sp. Maelius plebe per immoderatas largitiones ſibi devincta, regni capeſſendi clandeſtina conſilia domi agitabat. Ejus rei indicio per L. Minucium Augurinum (qui tum primus annonae praefectus fame urgente creatus legitur) facto, Sp. Maelius ab Ahala Servilio obtruncatur. Deinde dirutis Maelii aedibus, Augurinus *frumentum Maelianum aſſibus in modios aeſtimatum plebi diviſit*, famemque le-

(21) Horum origo inde arceſſi poteſt, quod premente annona, profiteri frumenta (de qua profeſſione apud Livium aut alios legere memini) omnes adigebantur. Quod ſi a frumentariis negotiatoribus, aut a circitoribus (qui ab eo *frumentarii* vocabantur) alicubi fruges reconditae nuntiabantur: tum & occultantibus poenae inferebantur, & indicibus praemia. Ab his, opinor, initiis poſtea tractum, ut *Frumentariorum* nomen, antiquitus honeſtum, tandem ſub Caeſaribus circitorum hujuſmodi atque exploratorum peculiare evaſerit.

(22) Appuleius *Minutiam* ἁπλῶς (*ſine adjectione*) uſurpavit: cujus locum ſupra adſcripſi. Item Lampridius Commodo c. XVI. *Herculis ſignum aeneum ſudavit in Minutia per plures dies*. Vbi ad illud *In Minutia* adnotat Caſaubonus: *Veteri, ut puto: nam altera in Frumentariae cognomine diſtinguebant*. Atqui non ita ſcripſiſſet, ſi vir ſummus tot inſcriptiones vidiſſet, in quibus *Minutia* abſolute ſemper ſine cognomento diſcriminante ſcribitur, & tamen non ſine ſignificatione aliqua frumentaria. Ergo additamenta illa duo διακριτικὰ non ſunt, uti dixi, exeunte IV. ſaeculo antiquiora.

(23) Inſcriptiones, in quibus fit *Minitiae* aut *Minutiae* mentio, me facile excuſſiſſe omnes arbitror. Nuſquam tamen ſive *veteris* ſive *frumentariae* adjectio; etſi ſatis ex *Curatoris* aliuſve rei mentione poteſt intelligi, frumentariam largitionem in iis agi-

Digitized by Google

levavit. Qua de causa eodem Livio auctore, *L. Minucius bove aurato extra portam Trigeminam est donatus*. Quid illud *Bove aurato* sit (pro quo Plinius statua donatum mavult) inferne (24) discutimus.

Vides hinc profecto, quidnam voluerit sibi M. Minucius Rufus (qui CCCXXX. ferme annis L. Augurino recentior exstitit) in exstruendis porticibus. Has quidem sub Caesaribus erogandis tesseris frumentariis inserviisse sat novimus. Quid ergo relinquitur aliud, nisi ut earum conditor M. Rufus eodem plane jam ab initio spectarit; eâque re vetus gentilitium decus novis monumentis asserere domui suae studuerit? De quo vide plura infra sect. VI.

SECT. IV. *Non ad frumenta condenda aut demetienda, sed potius ad tesseras distribuendas Miniciam valuisse. Ejusdem Miniciae officia.*

Ad frumenta asservanda non porticus, sed horrea exstruebantur. Ergo ut in his porticibus ea distribui possent, opus erat, ut conveherentur ex horreis. At id quam sit absurdum, jam sup. pag. 309. & seq. ostendimus. Verum quid moror? Minuciae

(24) *De bove aurato Liviano lectiones variae: tum de statua L. Minucii Pliniana: quae in nummis pileata videtur.*

Bovem istum *auratum* Lipsius Elec. I. 8. suspectum habens, ex vetusto codice (in quo reperit *bñ auro*) substituit, *Bove & agro*. Melius alii, *Bove & arvo*; nam in Vossiani cod. margine antiquitus *Arvo* erat scriptum. Equidem pro *Bove & auro*, suspicabar *Bove tauro* primitus exaratum: quod & non nemini ante me venisse in mentem postea comperi. Postremo non negligendam interim lectionem Florentini codicis duxerim, *Bove aturato*. In Philoxeni Glossis: *Atturacio* est λιβανοκαίω, θυσία. Ergo *Atturare* vetus verbum fuerit, idem valens quod nunc sermone ecclesiastico, *Turificare*. *Victimae atturatae* videntur dictae, quibus tura adolebantur. *Extra portam Trigeminam* a Livio additur; quod ibi ritus iste atturationis peractus fuerit. Sane ob strenue facta *bove atturato donari*, facile id ritûs antiqui fuerit. Obiter addo, forsan Romam tam prisco aevo tura Sabaea non dum advecta fuisse. Verum quaecumque in suffitum adhibebantur, ea *Tura* dicebantur. Livius XXIX. 14. in transvectione Matris Idaeae *incensi turis* ac *turibulorum* meminit. Apud Plautum Aul. II. 8. v. 15. Euchio ille avariissimus *tusculum* ad adolendum Lari emit, quidvis scil. suffitui aptum. Hactenus ad lectionem Flor. codicis (quam etsi magni facio, nondum tamen amplector) illustrandam.

Nam equidem quidvis potius paterer, quam Livium sive Bovis atturati, sive bovis & arvi meminisse, *columnam* vero & *statuam*, quibus Lucius ille Minucius donatus fuerat, silentio praeteriisse. At columnâ & statuâ illum ornatum non tantum Plinius refert (qui & extra eamdem portam Trigeminam id monumentum statuit) sed ejus rei exstant duo denarii testes, in quorum aversis partib. columna cum Augurini simulacro exhibetur. Ibidem & spicae adsunt in frumentariae praefecturae monumentum. Estne, inquam, credibile, Livium columnam cum simulacro ignorasse, aut cum nosset, involvisse silentio? Mihi certe non fit verisimile. Ab viris igitur acumine praeditis cuperem aliquid extundi, quo vetus Patavino lectio restituatur. Sane si ex membranis ostendatur pro *Bove* posse substitui *Basi*; nihil mallem. Nam *Basis aurata* erit ille ipse cippus, cui simulacrum Augurini in nummis insistit. Quod si in vetere Latio Graecum Βωμὸς vocabulum fuisse adoptatum, constaret; quid aptius quam *Bomo* (quod proxime a *Bove* editorum abest) *aurato* legisse? Tamen rem integram viris eruditis reliquisse praestabilius duco, quam quidquam temere proloqui.

Nunc ex Plinio hauriendum. Apud quem XVIII. 3. ita legitur: *Minucius Augurinus, qui Sp. Maelium coarguerat, farris pretium in trinis nundinis ad assem redegit undecimus plebei tribunus* (istud de Minucii tribunatu refellit Livius: quid interim de unico tribuno plebis hîc innuat Harduinus, non intelligo) *qua de causa statua ei extra portam Trigeminam a populo stipe collata statuta est*. In his de statua refert: at alibi columnam ei positam narrat. Nam XXXIV. 5. ita scribitur: *Item Publio* (qui Livio *Lucius* est) *Minucio praefecto annonae extra portam Trigeminam* (supple ex superioribus, *Columna posita*) *unciariâ stipe collatâ: nescio an primo honore tali a populo; antea enim a Senatu erat*. Quod alibi *statuam* alibi *columnam* ei positam Plinius prodidit (ut omittam quod *statuae*, *columnae*, *cippi* apud Latinos, sicuti & quae his Graeca respondent, apud auctores confunduntur) ea facile compones, si columnam simul & statuam Augurino erectam intelligamus: quod & denarii demonstrant.

Illud animadvertisse proderit columnam novi generis eam esse, quae in ejus denariis cernitur. Mihi quidem certe columnae scapus speciem plane talem exhibet, quasi si plures pilei, unus alteri, incumbant ad perpendiculum. Per pileos libertas civibus a L. Minucio asserta, compressis Maelianis inceptis, notatur.

Huic ego Adnotationi finem dederam, cum animadverti ab Havercampo (in Adnotatis ad Morelliana familiarum numismata) Augurini columnam ex modiis frumentariis, quorum unus alteri insistat, putari contextam. Atqui modius Romanus cylindricam figuram refert (ut ex Regii Musei semodio demonstratur) cum tamen ex junctis inter se conis haec columna connexa sit. Pileus autem ille, qui in nummis symbolum est libertatis, conicus est. Vel vide utriusque nummi ectypon (quod apud Vrsinum male columnas illas exhibet, a Patino tamen quam accuratissime expressum fuit, ut & in Vaillantio num. 3. 4.) plane intelliges utramque columnam ex pileis compaginatam videri, sed ita ut num. 3. pileorum apices deorsum, at num. 4. sursum spectent. Adde hoc etiam quod num. 4. ex columnae capitulo utrinque pileus singularis haud dubie dependens cernitur. His de causis, sicuti Duillianam columnam, aliasque postea similes vocari *Rostratas* placuit; ita hanc L. Minucio positam, si sic libet, *Pileatam* dicemus.

Digitized by Google

ciae officia id palam faciunt. Nam etsi *Mensor frumentarius* non numquam in marmoribus legitur: at nusquam MINVCIAE, sed *horreorum* interdum additur.

At officia Minuciae in lapidibus recensentur haec, *Praefectus*, *Consularis*, *Procurator*, *Curator*, *Quaestor*, *Rationalis*. A *Praefecto* ordiar, munere honestissimo, quo L. Minucium Augurinum omnium primum ornatum fuisse, Livius prodidit, quod deinde senatorum primarii gesserunt: quam postremo praefecturam Augustus sibi reservavit. Ac *Praefecturae frumenti dandi* exstat apud Frontinum (25) mentio. Is honor viris consularibus, & proconsularibus mandabatur. Apud Grut. pag. 188. 1. quidam *Ti. Mimesius Sardus* post plures honores sub Tiberio Aug. gestos PRAEF· FRVMENTI · DANDI inscribitur. Et pag. 440. 2. *T. Musidius Polianus* non tantum *consul*, *procos.* &c. sed & PRAEF· FRVMENTI· DANDI fuit. Pag. 471. 6. quidam *Sex. Tadius* honoribus plurimis gestis, etiam PRAEF· FR· D· h. e. *frumenti dandi* exstitit. Pag. 1091. 8. *L. Aurelius Gallus* praeter consulatum honoresque alios PRAEF· FRVM· DANDI dicitur. Verum in his omnibus nihil de Minucia additur. Est tamen egregius de *L. Iulio Iuliano* apud Grut. pag. 422. 7. titulus, in quo ita reperio: PRAEF· MINICIA: qui lapis haud dubie de eadem praefectura frumenti dandi est capiendus (praesertim cum Iulius Iulianus iste consulatum alioque honores plurimos, aeque ac superiores illi, gesserit) hoc tantum a superioribus monumentis discrepans, quod in hoc diserte MINICIA additur. Reliqua Miniciae officia in ima (26) ora subjecimus.

SECT. V. *De Minuciae ostiis diebusque.*

Exstat Gruteriana pulcherrima inscriptio pag. 173. 1. hujusmodi.

TI· CLAVDIVS· AVG· LIB
IANVARIVS· CVRATOR
DE· MINVCIA· DIE· XIIII
OSTIO· XLII· ET
AVONIA· TYCHE· VXSOR· EIVS
PITVANIANI· SOLARIA· DE· SVA
IMPESA· FECERVNT

Haec una inscriptio ex omnibus, in quibus adhuc supereſt diserta Minuciae mentio, notam aetatis praefert; cum Ianuarius iste Claudii Aug. libertus fuerit. Hinc autem discimus, non gregatim & confertim accedentibus in Minucia tesseras distributas fuisse, sed ostiatim ad turbas declinandas; ita ut sua tribubus singulis ostia fuerint. Nec vero die uno ad suae tribûs ostium tribules itasse apparet, sed ita ut singulis suus mensibus singulis dies statutus esset. Idque tam in accipientibus quam in erogantibus tesseras observabatur. De dantibus habes in recitata inscriptione: at de accipientibus hoc idem duae sequentes docent, quas Fabrettus ex suis ineditis affert in Syntag. de Col. Tra. pag. 36.

D. M.

(25) In SConsulto apud Frontinum (edit. Poleni Art. 100.) De insignib. Curatorum aquarum ita legitur: *Eos qui aquis publicis praeessent, cum ejus rei causa extra urbem essent, lictores binos, & servos publicos ternos, architectos singulos, & scribas & librarios* (legendum censeo junctim *scribas librarios*, ut in lapidibus) *accensos, praeconesque totidem habere, quot habent ii, per quos FRVMENTVM PLEBEI DATVR: cum autem in Vrbe . . . aliquid* (iidem curatores) *agerent, ceteris apparitoribus iisdem, praeterquam lictoribus uti; utique . . . iis* (apparitoribus) *praetores aerarii mercedes, cibaria, quanta* (apparitoribus) *PRAEFECTI FRVMENTO DANDO dare deferreque solent, annua darent . . .*

(26) *Minuciae reliqua praeter Praefectum officia: puta Consularis, Procurator, Curator, Rationalis.*

De *Consulari* agitur apud Grut. pag. 459. 7. his verbis COS. (i. e. Consularis) AQVARVM· ET· MINICIAE. At Gudius corr. *CVRator*; & quidem, ut ait, ex lapide. Id per me licet, modo fateamur, apud eumdem Grut. pag. 54. 6. & p. 381. 1. & 3. diserte scribi: CONSVL· AQVAR· ET· MINICIAE.

Procurator Minuciae legitur in eod. Grut. pag. 402. 4. PROC· MINVC· Adhaec Reinesius Cl. VI. num. 122. in *P. Petronii Honorati* marmore inter cetera affert PROC· MONET· At quia Monetae procurationem recentiorem, quam pro marmoris hujus aevo censet; refinxit PRoc. MINITiae. Equidem *ἐτίχω*; praesertim quod Reinesius ad emendanda marmora pronior; & *Procuratorem monetae* in Muratorianis legisse memini. Idem hic Petronius quarto hinc versu PRAEF· ANNonae dicitur.

Ad haec *Curator Miniciae*. Exstat apud Grut. pag. 407. 1. CVR· MINiciae. Praeterea apud eumdem pag. 173. 1. pulcherrima occurrit illa inscriptio, quam mox sect. V. integram dabo: in qua Ianuarius Claudii Aug. libertus inscribitur CVRATOR· DE· MINVCIA.

Postremo in Grut. pag. 622. legitur: *M· AVRELIO· COCCEIO· MINICiae. RATIONALIS.* Sed *Rationalem* hunc in majoris alicujus magistratûs Minuciae apparitione fuisse necesse est.

Digitized by Google

D. M.
C · VIBIVS · C · F · CELER
VIX · ANN · IIII · MENSB · XI
FRVM · AC · D · VII · OSTIO · XV
VIBIVS · CELER · F.SVO (*filio ſuo*)

Verſu penult. *Frumentum accepit die* &c. quod integris in ſeq. habes.

C · SERGIVS · C · F · ALCIMVS
VIXIT · ANN · III · MENSIB · III
DIEB · III
FRVMENVM · ACCEPIT
DIE · X · OSTIO · XXXIX
SERGIVS · ALCIMVS · F · SVO

Quam ſimillimae inſcriptiones, totidem conceptae verbis praeter nomina propria & aetatulae modum. Ex iis fuere pueris, qui frumentum ſtatis menſium diebus & certis oſtiis accipiebant ex inſtituto Trajani, donec *Alimentis ipſius ad ſtipendium pervenirent*, ut ait Plin. Paneg. num. 223. Ad ſtipendium autem militare perveniebant poſt exactum ann. XVII. quod ex forma ab Hadriano praeſcripta apud Vlpianum l. 14. §. 1. D. *de alim. vel cib. leg.* poteſt non inepte colligi.

SECT. VI. *Dictorum collectio.*

Quae huc uſque de *Minucia*, ad frumentarias teſſeras diſtribuendas comparata, ediſſeruimus, eo pertinent, ut ubi in aere Britannico ver. 15. IBEI · VBEI · FRVMENTVM · POPVLO · DABITVR · ſcriptum fuit, facile de Minuciis porticibus intelligendum ſit, in quibus frumentariae teſſerae (quae in Tabula *frumenti* nomine ſunt capiendae) diſtribuebantur.

Quod ſi quis ſic excipiat: hactenus dicta eo valere tantum, ut ſub Caeſaribus in Minucia teſſerae darentur (nam & Velleius, qui de frequentia teſtatur, & Appuleius, qui de ejus uſu frumentario loquitur, & inſcriptiones plena manu depromptae, omnes Imperatoribus haud dubie aequales fuerunt) id vero ad tempora belli ſocialis extincti retrahi minime debere: ſi quis, inquam, ita ſecum reputet, huic reſpondebitur, Minucias porticus, quae ante ſociale bellum conſtructae fuerant, *bodieque celebres* a Velleio dici: quo ſignificat, & jam ab initio, & ſuo adhuc tempore *celebres* h. e. frequentes fuiſſe; nec alio fine frequentatas, quam in diſtributionis teſſerarum uſum: certe quia is plane poſtea uſus fuit. Quis enim in his vetat priora ex poſterioribus interpretari?

CAPVT IV.

Cur profeſſioni & frumentationi, quarum utraque urbem proprie Romam afficit, in Pandecte ſcitorum municipalium locus eſſe quiverit.

Nolim mihi fraudi futurum ſit, quod in ſuperioribus *Digeſti legum municipalium* nomen huic aeri indiderim, cum tamen hujus ſaltem Britannici fragmenti (27) capita omnia urbem Romam peculiariter ſpectent.

Reſpondeo I. ſic vel haec omnia nihilo minus municipum peculiaria fore, quorum patria duplex (28) una, in qua nati, altera in quam adſciti. II. Municipibus omnibus ſtatim ac civilitatem Rom. conſecuti fuere, nihil aliud deerat, quo minus legibus fragmenti Britannici tenerentur, quam Romanum domicilium: quod ſimul atq. contraxiſſent, jam his omnibus fruſti Anglicani capitibus quatuor, unice Romam ſpectantibus, obnoxii fiebant: quae proinde noſſe municipum ex aequo interfuit. III. Poſtremo ſi ne ſic quidem delicatulos homines *Digeſti municipalis* appellatio delectare coeperit; non morabor, quin hanc & amiſſas ſuperiores tabulas uno *Legis Saturae* communi nomine complectantur. De *Lege Satura* opportunius in loco dicam.

(27) Caput enim I. de frumento in urbe Roma diſtribuendo eſt: alterum, quod de viis muniendis eſt, ultra mille ab urbe paſſus non patebat: tertium de plauſtris eſt intra urbem agendis vel non: quartum de publicis urbis Romae locis. Nihil horum extra Vrbis Romae acceptionem continetur.

(28) Videndus in hanc rem Cicero in II. de Leg. c. 1. ubi *municipibus duas eſſe* cenſet *patrias*, *unam naturae* (in qua quiſque natus) *alteram civitatis*, qua quis fuerit poſtea donatus. Cumque plura in eam rem diſſeruiſſet, poſtremo ita concludit: *Itaque ego hanc* (Arpinum ſcil.) *meam eſſe patriam numquam negabo, dum illa* (Roma) *ſit major, & haec in ea contineatur.* Haec in Arpinati villa Tullius ſe interloquentem faciebat.

Caput

Digitized by Google

Caput II.

20 QVAE · VIAE . (20) IN · VRBEM · ROM · PROPIVSVE · (21) V · R · P · VBEI · CONTINENTE · (22) HABITABITVR · (23) SVNT · ERVNT · QVOIVS · ANTE · AEDIFICIVM · EARVM · (24) QVAE

21 VIAE · ERVNT · IS · EAM · VIAM · ARBITRATV . EIVS · AED · (25) QVOI · EA · PARS · VRBIS · H · L · OB · VENERIT · TVEATVR · ISQVE · AED · CVRATO · VTI · QVORVM ·

22 ANTE · AEDIFICIVM · ERIT · QVAMQVE · VIAM · H · L · QVEMQVE · TVERI · OPORTEBIT · EI · OMNES · ARBITRATV · EIVS · TVEANTVR · NEVE · EO

23 LOCO · (26) AO · CONSISTAT · QVOMINVS · COMMODE · POPVLVS · EA · VIA · VTATVR ·

24 AED · CVR · AED · PL · QVEI · NVNC · SVNT · QVEIQVOMQVE · POST · (27) H · L · FACTEI · CREATEI · ERVNT · EVMVE · MAG · INIERINT · IEI · INDIEBVS · V · PROXVMEIS ·

25 QVIBVS · (28) EO · MAG · DESIGNATEI · ERVNT · EVMVE · MAG · INIERINT · INTER · SE · PARANTO · AVT · (29) SORTIVNTO · QVA · INPARTEI · VRBIS · QVISQVE

26 EORVM · VIAS · PVBLICAS · IN · VRBEM · ROMA · PROPIVSVE · V · R · P · REFICIVNDAS · STERNENDAS · CVRET · EIVSQVE · REI · PROCVRATIONEM

27 HABIAT · QVAE · PARS · (30) QVOIQVE · AED · ITA · H · L · OBVENERIT · EIVS · AED · INEIS · LOCEIS · QVAE . INEA · PARTEI · ERVNT · VIARVM · REFICIEN

28 DARVM · TVEMDARVM · PROCVRATIO · ESTO · VTEI · H · L · (31) OPORTEbIT ·

29 QVAE · (32) VIAM · PIP · AEDEM · SACRAM · IT · AEDIFICIVM · LOCVMVE · PVBLICVM · ET · INTER · AEDIFICIUM · PRIVATVM · IST · ERIT · EIVS

30 VIAE · PARTEM · DIMIDIAM · IS · AED · QVOI · EA · PARS · VRBIS · OB · VENERIT · IN · QVA · PARTE · EA · AEDIS · (33) SACRA · ERIT · SEIVE · AEDIFICIVM

31 PVBLICVM · SEIVE · LOCVS · PVBLICVS . TVEMDAM · LOCATO

32 QVEMQVOMQVE · ANTE · SVVM · AEDIFICIVM · VIAM · PVBLICAM · H · L · TVERI · OPORTEBIT · QVEI · EORVM · EAM · VIAM · ARBITRATV · EIVS · AED ·

33 QVOIVS · OPORTVERIT · NON · TVEBITVR · EAM · VIAM · AED · QVOIVS · ARBITRATV · EAM · TVEREI · OPORTVERIT · TVEMDAM · LOCATO ·

34 ISQVE · AED · DIEBVS · NEMINVS · X · ANTEQVAM · LOCET · APVT · FORVM · (34) ANTE · TRIBVNALE · SVOM · PROPOSITVM · HABETO · QVAM

35 VIAM · TVENDAM · ET · QVODIE · LOCATVRVS · SIT · EI · QVORVM · ANTE · AEDIFICIVM · EA · VIA · SIT · EISQVE · QVORVM · ANTE · AEDIFICIVM ·

36 EA · VIA · ERIT · PROCVRATORIBVSVE · EORVM · DOMVM · DENVNCIETVR · FACITO · SE · EAM · VIAM · LOCATVRVM · ET · QVODIE · LOCATVRVS

37 SIT · EAMQVE · LOCATIONEM · PALAM · (35) INFOPO · PER · (36) Q · VRBEVMVE · QVEI · AERARIO · (37) PRAERIT · FACITO · (38) QVAMTA · PECVNIA · (39) EAM

Digitized by Google

38 VIAM · LOCAVERIT · TAMTAE · PECVNIAE · EVM · (40) OSQVE · QVORVM · ANTE · AEDIFICIVM · EA · VIA · ERIT · (41) PROPORTIONI · QVANTVM

39 (42) QVOIV QVE · ANTE · AEDIFICIVM · VIAE · INLONGITVDINE · ET · INLATITVDINE · ERIT · Q · VRB · QVEIVE · AERARIO · PRAERII · INTABVLA

40 PVBLICAS · PECVNIAE · (43) FACTAE · REFERVNDVM · CVPATO · EI · (44) OVOII · EAM · VIAM · IVEMDAM · REDEMERIT · TAMTAE · (45) PECVNIAE · EVMEOS

41 VE · AD · TRIBVITO · (46) SINE · D · M · SEIIS · QVEI · AD · TRIBVTVS · ERIT · EAM · PECVNIAM · DIEBVS · XXX · PROXVMIIS · QVIBVS · IPSE · AVT · PRO

42 CVRATOR · EIVS · SCIET · ADTRIBVTIONEM · FACTAM · ESSE · EI · (47) OVOI · AD · TRIBVTVS · ERIT · NON · SOLVERIT · NEQVE · SATIS · FECERIT · IS ·

43 QVAMTAE · PECVNIAE · AD · TRIBVTVS · ERIT · TAMTAM · PECVNIAM · ET · EIVS · DIMIDIVM · (48) II · QVOI · AD · TRIBVTVS · ERIT · (49) DAPEDIBITO

44 INQVE · (50) EAMRIM · IS · (51) QVO · QVOMQVE . DE · EARE · ADITVM · ERIT · IVDICEM · IVDICIVMVE · ITA · DAIO · VTEI · DEPECVNIA · CREDITA (52)

45 IVDICIVMQVE · DARI · OPORTEBIT

46 QVAM · VIAM · H · L · TVEMDAM · LOCARI · OPORTEBIT · AEDQVEM · EAM · VIAM · TVENDAM · LOCARE · OPORTEBIT · IS · EAM · VIAM · PER

47 Q · VRB · QVEIVE · AERARIO · PRAERIT · TVEMDAM · LOCATO · VTEI · EAM · VIAM · (53) ARBITRAIV · EIVS · QVEI · EAM · VIAM · LOCANDAM

48 CVRAVERIT · TVEATVR · QVAMTAM · PECVNIAM · ITA · QVAEQVE · VIA · LOCATA · ERIT · (54) T · P · Q · VRB · QVEIVE · AERARIO · PRAERIT

49 REDEMPTOREI · QVOI · (55) ELECE · LOCATIONIS · DARIOPORTEBIT · HEREDEIVE · EIVS · DAMDAM · AD · TRIBVENDAM · CVRATO

50 QVOMINVS · AED · ET · IIII · VIR · VIEIS · (56) IN · VRBEM · PVRGANDEIS · II · VIR · VIEIS · EXTRA · PROPIVSVE · VRBEM · ROM · PASSVS · (57)

51 PVRGANDEIS · QVEIQVOMQVE . ERVNT · VIAS · PVBLICAS · PVRGANDAS · CVRENT · EIVSQVE · REI · POTESTATEM · HABEANT

52 ITA · VTEI · LEGIBVS · (58) PL · VE · SC · S · C · OPOPTET · OPORTEBIT · EVM · H · L · N · R ·

53 QVOIVS · ANTE · AEDIFICIVM · SEMITA · INLOCO · ERIT · IS · EAM · SEMITAM · EO · AEDIFICIO · PERPETVO · LAPIDIBVS · PERPETVEIS

54 INTEGREIS · CONTINENTEM · CONSTRATAM · RECTE · HABETO · ARBITRATV · EIVS · AED · QVOIVS · INEA · PARTE · H · L · VIARVM

55 (59) PROCVRATOR · ERIT .

(20) VER. 20. *Accuſat. pro ablat. VOSSIVS* Art. Gramm. lib. VII. cap. 65. *Niſi legendum*: INtra Vrbem, *ut in SCto apud FRONTINVM* de Aquaeduct. art. 127. edit. *IO. POLENI*: SPECVS INTRA VRBEM ET EXTRA VRBEM. *CONRAD.*

(21) *MAITTAIRE interpretatur*: Vrbem Romani Populi. *Sed excidit millenarii nota, ſicut in linea 26. & in fine lineae 50. cum ſcriptum hic fuiſſet*: PROPIVSVE Vrbem Romam Paſſus Mille. *In linea 67. notam N, eſſe M decurtatum, Illuſtr. MAFFEIVS animadvertit, ut MAITTAIRE in calce notarum memorat. CONRADVS.* [De his vide mox in Commentario.]

(22) *CONTINENTE*] *Et l. 56. CONTINENTI, i. e. ut puto*, continua *ſive* contigua ſerie, *aut* regione. *Lin.* 53. 54. Semitam continentem. *Macrob.*

Digitized by Google

crob. Sat. V. 15. Continentiam regionum, cohaerentiam locorum. *MAITTAIRE.*

(23) *SVNT. ERVNT, omissa copulativa ET. Sic etiam l.* 56. 68. *Et l.* 29. 70. Est, erit. *&* 24. Factei, createi. *Item l.* 49. Damdam. Adtribuendam. *Sic l.* 57. Ducito agito, *&* 60. agere ducere; *& sic etiam* 64. 65. *MAITTAIRE.* [In legibus veter. nihil tritius quam *συνωνυμία ἀσύνδετος*. Etiam in Pandectis, *Aequum bonum, Aequius melius* & plura talia.]

(24) Earum quae] *pro* aliquae. *MAITT.*

(25) VER. 21. QVOI *pro* cui: *& linea* 27. QVOIQVE *pro* cuique. *CONRADVS. Vide Grut. p.* 942. 2. *Vossii Gram. Quintil. I.* 13. *MAITT.*

(26) VER. 23. *MAITTAIRE jubet legere:* ADCONSISTAT (*hoc sensu*: Nequid propius eum locum sit, quod viam publicam intercipiat) *Sed ipse verbum hoc nunquam lectum fatetur: suntque manifeste duo, etiam puncto distincta, vocabula. Nimirum scriptum est:* AO·CONSISTAT, *h. e.* AQua CONSISTAT. *Supra lin.* 13. *similiter notavimus O pro Q. CONRADVS.*

(27) VER. 24. Post Hanc Legem. *CONRAD.*

(28) VER. 25. Eo Magistratu designatei, *non est dativus antiquo flexu*, eo *pro* ei, *ut* altero *pro* alteri, *quod MAITTAIRE putat; sed casus sextus pro tertio positus. Vid. CORTIVS* in *SALLVSTIVM* Catil. c. 2. & Iugurth. *c.* 16. *CONR.*

(29) *SORTIO pro SORTIOR. Ennius, & Plaut. Cas.* II. 6. *v.* 4. *Ibi Taubm. MAITTAIRE.*

(30) VER. 27. *i. e.* cuique Aedili. *CONRADVS. De PARTI pro* Parte *vide Voss. Gram. Dausq. MAITTAIRE.*

(31) VER. 28. *In hujus verbi syllaba extrema videtur pars superior literae majusculae B. detrita esse, ut infra lin.* 69. *in voce LEGIbVS. CONRADVS.* Cave litteram superne detritam credas sive hîc [sive ver. 69. Equidem in marmoribus litteratis pro integro B quam saepissime τὸ b (quod nunc pro minusculo habetur) scalptum reperi: ut omittam, non nullas alias hodiernas minusculas cum majusculis commistas in titulis veteribus occurrere.]

(32) VER. 29. *MAITTAIRE recte legit:* Quae via inter aedem sacram & aedificium... privatum est, erit. *Ex syllaba IN nata videtur litera M, quae verbo* via *adhaesit. Quod sequitur, PIP, ex similitudine literatum T & vetusti R, atque permutatione vocalis E cum I, provenit. CONR.*

(33) VER. 30. Aedis *pro Aedes. Voss. Dausq. MAITTAIRE.*

(34) VER. 34. *QVINTILIANVS* lib. I. cap. 6. *Vid. Cl. FVNCCIVS* de Adolesc. lat. ling. c. 7. §. 8. p. 257. *CONRADVS. Sospitato* Tribunale *probatur, quod Quintiliano non placet. Vide Dausquium p.* 67. *&* 320. *Affertur vox* Tribunale *& ex Tertulliano contra Marcion. MAITTAIRE.*

(35) VER. 37. *FOPO, non mendose, uti MAITTAIRE putat, sed antiqua forma literae R, scriptum est. Sic lin.* 40. CVPATO, *lin.* 43. DAPE, *lin.* 52. OPOPTET: *ut & supra lin.* 16. *fuit* MAIOPEM. *CONRADVS.* [Tamen in editione Maittairana hoc loco exhibetur FORO: quamvis ex ejus notis appareat, in aere scriptum FOPO.]

(36) Quaestorem VRBanum. *In lege de scribis & viatoribus apud GRVTERVM p. DCXXVIII.* Q. VRB. QVEI. AERARIVM. PROVINCIAM. OPTINEBIT. *CONRADVS.*

(37) *Pro* praeerit. *Sic l.* 47. 48. *MAITT.* [Ea vocis hujus orthographia vetus erat, uti ostendam in Commentario.]

(38) Locationem . . . facito] *Cic. in Ver.* 5. cum locatio fieret. *MAITTAIRE.*

(39) Quamta pecunia eam viam locaverit] *Hoc verbum Ablativo jungitur; sicut apud Cicer. in Ver.* 3. Hoc HS DLX. millibus locavisti. *Sed lin.* 48. *Accusativo*, quamtam pecuniam via locata erit; *nisi forte juxta graecae syntaxeos consuetudinem, accusativus ille regatur a verbo* curato adtribuendam. *MAITT.*

(40) VER. 38. *Legendum:* EOSQVE. *CONRADVS. Non video a quo regantur isti accusativi, nisi suppleatur ADTRIBVITO ex lin.* 41. *Linearum a* 38. *ad* 43. *sensus (quem ordo vocum perplexus & transpositus obscuravit, & per crebras repetitiones implicuit) potest ex l.* 48. 49. *facilius deprehendi. MAITTAIRE.* [Nos haec omnia in textu, quem litteris minoribus scriptum Commentario praemittimus, planiora effecimus.]

(41) Pro portione. *CONRADVS.*

(42) VER. 39. *Legendum est:* QVOIVSQVE: *deinde:* PRAEERIT. *In fine hujus lineae similiter extrita est litera S, ut ostendit sequens*, publicas. *CONR.*

(43) VER. 40. Pecuniae factae] *Cic. in Ver.* 4. Pecuniam maximam fecit. *MAITT.*

(44) QVOII *pro* quei, qui, *erronee sculptum est, dum faber putavit, eundem casum sequi post* EI. *Est etiam hic O pro Q, ut supra lin.* 13. *&* lin. 23. *Legendum deinde:* TVEMDAM. *CONRADVS.*

(45) Pecuniae eum eosve adtribuito] *Et lin.* 41. 42. 43. *adtributus*, 49. *adtribuendam*, 41. *adtribuito*, 42. *adtributionem.* Ad *pro* at *Dausq. pag.* 12. *ubi citat Inscriptionem ludorum saecularium. EAM·PECVNIAM·DANDAM·ADTRIBVENDAM. Hîc autem Syntaxis* pecuniae *in genit. cum accusativo* eum eosve *notanda est. Aliter construitur apud Liv. lib. XXXIX. cap.* 44. terni in millia aeris attribuerentur: *quod Budaeus lib. IV. de Asse fol.* 104. *exponit sic*, attribuerentur *hoc loco significat* tributi nomine statuerentur. *Ad nostrae inscriptionis sensum, Syntaxi licet discrepante, accedit locus Ciceron. Philip.* 9. Statuam faciendam, & in rostris statuendam curent: quantique locarint, tantam pecuniam redemptori solvendam attribuendamque curent. *MAITT.*

(46) VER. 41. SINE Dolo Malo] *CONRADVS.*

(47) VER. 42. *Et hic legendum est:* QVOI, cui, *ut supra lin.* 21. *CONRADVS.*

(48) VER. 43. II, *pro* EI. *CONRADVS.*

(49) Dare debeto. *Vid. ad lin.* 37. *CONRAD.*

(50) VER. 44. Eam rem. *Et deinde:* dato. *CONRADVS.*

(51) QVO QVOMQVE] *h. e.* quocunque, *sive* ad quemcunque Magistratum. *In lege Thoria:* PR. CONSOL. VE. QVO. DE. EA. RE. IN. IOVS. ADITVM.

Digitized by Google

TVM. ERIT. *Ibidem*: MAG. PROVE. MAG. QVO. DE. EA. RE. IN. IOVS. ADITVM. ERIT. *Item*: PR. PROVE. PR. QVO. IN. IOVS. ADIERINT. *CONRAD.*

(52) *Exesa hîc est vox*: IVDICEM. *CONR.*

(53) VER. 47. Arbitratu. *CONRAD.*

(54) VER. 48. Tribunus, Praetor, Quaestor, VRBanus. *MAIT.* [Non: verum singulares T. P. Q. sic interpretare, *Tantam pecuniam Quaestor*. Vide infra in Comment.]

(55) VER. 49. LECE] *Pro* lege. *Sic lin. 69.* LECIBVS. C *pro* G. *Sic ex Duillii rostrata columna. Dausquius pag.* 40. *citat* LECIONES, *MACISTRATOS. MAITTAIRE.*

(56) VER. 50. *Hîc certe legendum* intra Vrbem. *Vid. supra ad ver.* 20. *nota* 20. *CONR.*

(57) *Excidit nota Millenarii. Vid. sup. ad ver.* 20. *nota* 21. *CONRADVS.*

(58) VER. 52. PLebisVE SCitis Senatus Consultis, *& in fine hujus lineae:* EVM, *i. e. eorum*, Hac Lege Nihil Rogatur. *CONRADVS.*

(59) VER. 55. *Scribi debuit*: PROCVRATIO ERIT, *ut constat supra ex linea* 28. *& mox lin.*70. *idque bene animadvertit MAITTAIRE.*

CAPVT II.

De tuendis purgandisque viis, deque semitis.

§. I.

Privatorum sumptu, Aedilium arbitratu viarum sarta tecta curentur.

20 *Quae viae in urbe Roma propiusve urbem Romam passus* (mille) *ubi* (in) *continente habitabitur, sunt erunt, cujus ante aedificium, earum* (ali-) *quae*

21 *viae erunt, is eam viam arbitratu ejus Aedilis, cui ea pars urbis bac lege obvenerit, tueatur; isque Aedilis curato, uti quorum*

22 *ante aedificium erit, & quam viam hac lege quemque tueri oportebit, ii omnes arbitratu ejus tueantur, neve eo*

23 *loco aqua consistat, quominus commode populus ea via utatur.*

COMMENTARIVS

CAput hoc alterum de Viis explanatum a Conrado habes a cap. VI. ad XI. h. e. a pag. 294. ad 298. Nos legendis post messem spicis contenti erimus.

VER. 20. PROPIVSVE · V · R · P · · ·] In textu, quem majoribus litteris Maittairus exhibuit, post P. deest M. (h. e. *Mille*) nec solum hîc, sed & v. 26. & v. 50. & ver. 68. illud M. aut vero nota CIↃ. aliudve tale deest. Etsi post P. spatii tantum reliquit, quantum tale aliquid caperet. At v. 67. & 69. post illud P cernitur aliquid τῶ M inchoato simile. Postremo idem Maittairus in fine Notarum suar. fatetur, se a Comite Maffeio didicisse, in versibus 68. (sive potius 67.) & 69. latêre *N* h. e. M decurtatum. Ac facile credo in ceteris quoque locis, sive M. sive CIↃ, aut ∞, aut talem aliquam chiliadis notam vel excidisse, vel sub rubigine, aut sub metalli excrescentia occultari. De quo vide in ima (I) ora.

Ibid. *Vbi continente habitabitur*] Ellipsis est praepositionis IN. Nam integrum erat, *In Continente* aut *Continenti*, supple *Vrbis*. Apud ICtos plurative usurpatur. Sic l. 147. de V. S. scribitur: *In Continentibus Vrbis natis*: alibi: *Extra continentia*

(I) Litterae M. aut notae CIↃ. omissio non tam somno scalptoris est tribuenda, quam quod eam forte in autographo non reperisset, aut quod negligenter admodum scriptam, nequisset interpretari. Indicio est, quod ubi praeterivit notam illam, ibi spatiolum inane reliquit, ut eam postea suppleret, iteratis curis.

Digitized by Google

Vrbis esse. Integra locutio est, *Continentia Vrbis* (aut *Romae*) *aedificia*; uti legitur in l. 139. D. de V. S. Ceterum quid Milliarium a continente Vrbis, sive a continentibus aedificiis Vrbis numerandum, sibi velit, & quo valuerit, in Exercitatione, quam hîc mox subjiciam, copiose exponetur, praesertim cap. 3.

VER. 20. 21. *Cujus ante aedificium* &c.] Hoc ordine verba procedunt: *Is, cujus ante aedificium aliquae viae earum* (quas scil. ineunte v. 20. designavit) *erunt, eam viam tueatur arbitratu ejus aedilis, cui ea pars urbis hac lege obvenerit*. Ante aedilitii magistratus institutionem viarum tam urbanarum, quam rusticarum cura penes censores erat: at urbanarum procuratio postea in aediles tum curules, tum etiam plebeios (ut & in IVviros & IIviros viis purgandis, quasi scil. censorum subadjuvas) derivata fuit. Jam vero ubi ARBITRATVI aedilis res haec permittitur, cave id de arbitratu libero solutoque capias (cujusmodi illis verbis concipi solet in legibus: *Si libuerit, si voluerit, in arbitrio ipsorum est, in arbitrio ejus ponitur*, aliisve modis) verum de arbitratu qui jure, aut aequo bonoque continetur. Cujus generis illa sunt in marmoribus & conventionibus obvia, *Arbitratu illius aliquid fieri, solvi* &c. h. e. prout aequius melius aestimaverit. Ad rem nostram quod attinet: aedificii dominus non id pro tutela viae solvere jubetur, quantum aedili placeret, sed quantum dimidia viae pars, quae illius aedibus responderet, h.e. pro rata parte postulabat: quae rata pars per podismi rationes facile a calculatoribus colligebatur. Quo porro *arbitratus* sive *arbitrium* a *judicio* differat, pulchre Tullius in ea pro Q. Roscio (II) docuit.

VER. 22. 23. *Arbitratu ejus tueantur, neve eo loco aqua consistat* &c.] Hoc vero praecipue aedilis arbitrio permittebatur, ne dum domini parcimoniae studio sarta tecta quanti minimi locant, opus negligenter procedat: veluti si strata viarum non rite ad libellam exaequentur, necubi scilicet AQVA CONSISTAT. Praecipuo viarum vitio nominatim occurritur: at cetera ejus generis continentur eo quod sequitur, *Quominus commode populus ea via utatur.*

EXERCITATIO

De termino, unde apud Romanos milliariorum mensura procederet, deque ambitu jurisdictionis magistratuum urbanorum.

SVpra in Conradianis capitibus (pag. 296. in fine Adnot. 10.) promiseram me de viarum milliariis numerandis in loco aliquid commentaturum. Hic vero ille locus est ei disquisitioni destinatus. Cui & illa tractatio cohaeret, quo nim. spectent illi *passus mille* a continente Vrbis numerandi, quorum tum v. 20. tum alibi saepe haec Tabula meminit.

Ad prius illud quod attinet, diu illa persuasio tenuerat, milliariorum initia a *Milliario aureo*, quod in Foro Rom. sub aedem Saturni exstruxit Augustus, fuisse capta, atque ita per vias omnes militares Italiae processisse. Ita doctissimus quisque uno ore docuerant ad Holstenium atque Fabrettum usque. Ab his primis vetus opinio subrui coepta, ratis scil. viarum ab Vrbe prodeuntium intervalla milliaria a portis ejusdem Vrbis inchoari debere. Horum uter alteri praeiverit (29) incertum habeo, Ab

(II) Ibi Tullius Arbitrium a Judicio ita distinguit: *Judicium est pecuniae certae, arbitrium incertae. Ad judicium hoc modo venimus, ut totam litem aut obtineamus, aut amittamus: ad arbitrium hoc modo adimus, ut neque nihil, neque tantum, quantum postulavimus, consequamur*. Cetera ibi vide.

(29) Fabrettus quidem annis plus XL. Holstenio (qui anno 1661. obiit diem suum) superstes fuit, ita ut ex Holstenii sive sermone, sive schedis id haurire quiverit. Porro idem Fabrettus Dissert. III. de Aquaeduct. (quas ann. 1680. diu post fata Holstenii edidit) ita scripsit num. 243. *Aliqua mihi concedi nunc postulo, quae alibi plenius probaturus sum h. e. primo Itinerum mensuras non a Milliario aureo in capite fori, uti multi putarunt, sed a veteri portarum situ ante productionem moeniorum ab Aureliano factam incepisse*. Has vero probationes nusquam alibi (nec in Colum. Trajani, nec in Inscript. Syntagmate) protulit, haud scio an quod postea coepisset ei causae parum confidere.

At quadriennio post Fabretti *Aquaeductus* i. e. anno 1684. Holstenii Notae in Stephanum prodierunt, in quarum fine exstat brevis ejus dissertatiuncula (quae infra excerpetur) de eo quod aureum Milliarium

Digitized by Google

Ab eo tempore nova jam placuerunt. Nam & Ryckius ad Tacitum Hiſt. I. 27. & Pitiſcus ad Suetonium Othone cap. VI. in eandem ivere ſententiam. Equidem de re univerſa quid cenſeam partitis capitibus ita differam, ut & hallucinationes aliquot virorum doctiſſimorum detegantur, & tum rei milliariae, tum huic Tabulae (quod caput mei penſi eſt) lux non mediocris inferatur; ac poſtremo vetus Milliario aureo poſſeſſio, ſuuſque Magiſtratibus ambitus in orbem finitus reſtituatur.

CAPVT I.

De milliario aureo; deque columna Capitolina, quae jamdiu pro aureo milliario monſtrata fuit.

Milliarii aurei quod Auguſtus in capite Fori Romani poſuit, exſtant Plinii, Suetonii, Taciti, Plutarchi, Dionis, Pub. Victoris loca, quae, etſi notiſſima, ut uſus poſcet, ſuis proferemus locis. Viarum gratiâ ab Auguſto illud factum, ex Plinio, Plutarcho, Dione facile intelligimus: at nemo unus veterum ab eo viarum intervalla numerari coepiſſe, verbis diſertis affirmaverat. Tamen & *Milliarii* vocabulum, & locus, nempe in Vrbis umbilico, & Plutarchi Dioniſque loca tantum veriſimilitudinis ei opinioni (quod nim. ab eo viarum per Italiam intervalla colligerentur) conciliaverant, ut jamdiu certa res haberetur.

Interea temporis in vinea Nobilium De Naris ad Viam Appiam erutum fuit egregium monumentum, quod ſtatim in Capitolii gradus laterales translatum fuit: qua de cauſa id nos ſemper *Columnam Capitolinam* in hoc opuſculo nuncupabimus. Atque id quidem tum Barth. Roſſus (in libro inſcripto, *Ornamenti di Fabriche antiche e moderne*) ad vivum exhibuit, tum etiam ex Nic. Aloſtani ſchemate Gruterus pag. CLIV. num. 4. 5. 6. Gruterus quidem a vulgata tunc temporis opinione, quod is cippus eſſet Aureum milliarium, caute abſtinuit. Ceterum nemo ex mediocriter doctis tunc temporis erat, quin columnam illam Capitolinam pro Aureo milliario haberet. Quibus credens Car. Dufreſnius in ſua CPoli (30) ſic de eo monumento loquitur, quaſi non dubitans id plane fuiſſe Aureum milliarium. Alios plures proferre poſſim. Sit inſtar omnium Nic. Bergierius in illuſtri opere De viis militarib. lib. III. Sect. 13. ubi columnam iſtam Capitolinam non dubitat pro Auguſteo *milliario aureo* habere, ita tamen ut a Veſpaſiano primum, deinde a Nerva, poſtremo ab Hadriano reſtituta fuerit: quod inſcriptiones ſubjectae docent. Idem & Henr. Henninius in adnotatis ad laudatum Bergierii locum ſenſit, qui & eorum objectis reſpondet, qui pro Aureo milliario id habere reſpuiſſent.

Quamvis autem Capitolinam hanc columnam apud Gruterum pag. CLIV. omnibus contemplari liceat; tamen ejus deſcriptionem quam breviſſimam huc inſerere non gravabor. In ſummo columnae globus aereus (cujus diameter bipedalis) capitello Tuſcanico inſiſtit. Columna quae globo ſubjacet, eſt ex candido marmore alta ped. VIII. ſemis. In columnae hypotrachelio nota numerica I. ſed grandioris proceritatis ſcalpitur. Statim ſub hypotrachelio ita caelatum viſitur.

IMP · CAES · VESPA
SIANVS · AVG
PONT · MAX · TRIB
POT · VII · IMP
XVII · P · P · CEN
SOR · COS · VII · DE
SIGN · VIII.

Huic alterum epigramma ſubjicitur hujuſmodi

IMP·

rium nihil ad colligenda itinerum intervalla contulerit. Et haec quidem ſcriptiuncula poſtuma cum quadriennio poſt Aquaeductus ab Vrbinate publicatos exierit, Fabrettum a crimine quovis abſolvit; ſi crimen dicendum ſit, ubi res obiter agitur, ibi illius reperti auctorem non laudare. Et ceteroqui aequiſſimum eſt judicare, in ejusdem opinionis veſtigia pro ſe quemque ſeorſum incurriſſe, nihil ut alter alteri debeat.

(30) Dufreſnius lib. I. extremâ pag. 72. *Milliarium Romanum nuda fuit columna lapidea, rotunda, rudis fere ac impolita, baſi Corinthiacae inſiſtens, ſuſtinenſque globum aureum* (imo aereum, nec auro illitum) *quae Milliarium aureum appellata eſt. Ejus figuram exhibet Barth. Roſſus & Gruterus. Milliarium vero CPolitanum aedificium fuit editius . . . .* Verum vir ſummus moris habuit pleraque non expendere (quis enim finis fuiſſet in tam ſpiſſis & laborioſis operibus?) ſed aliorum fide referre in commentarios.

Digitized by Google

IMP · NERVA · CAES
AVG · PONT
MAX · TRIB · POT
COS · III
PATER · PATRIAE
REFECIT

Poſtremo ſtylobatae operis, uti volunt, Corinthii ita inſcribitur.

IMP · CAESARI · DIVI
TRAIANI · PARTHICI · F
DIVI · NERVAE · NEPOTI
TRAIANO · HADRIANO
AVG · PONTIF · MAXIM
TRIB · POT · II · COS · II

VIATORES · QVI · IPSI · ET · COS · ET
PR · CETERISQVE · MAGISTRATIB
APPARERENT · ET · H · V.

CAPVT II.

De uſu columnae Capitolinae: cui quominus ſe Aureum milliarium mentiatur, larva detrahitur.

Ajo, nihil Capitolinae columnae cum Aureo milliario fuiſſe commune. Differunt autem I. materia; nam quod in Foro Rom. ſtabat, id χρυσοῦς κίων, *Aurea columna* Plutarcho dicitur, Dioni χρυσοῦν μίλιον *Aureum miliarium*, ita ut ex auro ſolido, aut ſaltem aereum ſed auro inductum exſtiterit: at columna Capitolina ex marmore craſſe edolato facta, vix globum in ſummo habet, hunc vero aereum, nullo, quod ſciam, cum auri linimento. II. Differunt formâ; quia Auguſteum illud Milliarium, praegrandis columna fuerit neceſſe eſt, ſi quidem commonſtrare Italiae vias omnes debuerit: adhaec eadem ingenti ἀψῖδι (*fornici*) forſan inſtiterit, ſi quidem Μίλιον CPolitanum (de quo vide Freſnium lib. I. pag. 72. 73.) Romani milliarii effigiem retulit: at cippus Capitolinus, pedes non amplius VIII. ſemis altus, ſane nihil ad milliarium illud Fori Romani: III. Ingens & loci diſcrimen eſt; nam ſi Columna Capitolina quidquam habuiſſet cum Milliario aureo commune, certe inter Fori Rom. rudera reperiri debuiſſet: nunc vero idem monumentum in vinea quadam ad Viam Appiam latebat. IV. Sed & palmarium argumentum eſt, quod ex operis auctore peto; nam verum Milliarium Aureum auctore Auguſto gloriabatur: at marmor Capitolinum nihil Auguſto debet; nec veriſimile eſt, cum in ultimâ ſub Hadriano refectione nomina tum Veſpaſiani tum Nervae ſervata fuerint; unius Auguſti, qui primus rei auctor, memoriam aboleri placuiſſe, ſi quidem is cippus eo, quo volunt, pertineret. V. Vltimum diſcrimen ex uſu petitur: de quo jam ſeorſum diſputatum imus. A Capitolini monumenti uſu incipiam, exinde de ſcopo Milliarii aurei diſceptaturus.

CAPVT III.

Capitolinae columnae uſum longe diverſum ab aliis milliariis cippis fuiſſe: nec facile alium, quam ad illos Tabulae hujus noſtrae MILLE PASSVS, a continentibus aedificiis numerabiles, definiendos. Ex ultimis cippi Capitolini verſibus id poſſe intelligi. Cippus ſimilis alius.

Lucas Holſtenius dum primus omnium tritam antiquiorum opinionem (de itinerum ſcil. milliariis, ab Aureo milliario Fori Rom. numerandis) ſubvertere ſatagit, hoc eam uno argumento impetit, quod cippus iſte (quem ex numero I. colligit fuiſſe alicujus viae, & haud dubie Appiae, cippum milliarium primum) extra portam S. Sebaſtiani, qua parte olim Capena erat, & ad viam Appiam detectus fuerit. Ex quo conficit initia milliariorum per Italiae vias, non ab Aureo milliario, ſed a veteribus Vrbis portis proceſſiſſe. Holſtenii locum inferne (31) contractum dedi. His paria in Ryckio ad Tacitum (Hiſt. I. 27.) & in

(31) Holſtenius in ἀποσπασματίῳ poſtumo de Milliario aureo (quod tom. IV. Theſ. Graev. p. 1805. proſtat) ubi communem opinionem expoſuiſſet, quod a Milliario aureo itinerum ſpatia numerarentur; ita ſubjicit. „ Huic abſurdo errori ipſe lo„ quendi modus refragatur, qui milliaria non a „ meditullio fori, ſed ab Vrbe h. e. a portis aut „ moeniis, olim numerata fuiſſe indicat. Hoc ve„ rum eſſe . . . unum illud . . . planiſſime evin„ cit. Lapis primus ab Vrbe in via Appia ante „ complures annos detectus . . . . in Capitolium „ translatus fuit, ubi . . . viſitur. Dico igitur: ſi „ lapidum milliariorum principium . . . coepiſſet „ a *Milliario aureo* (h. e. ab Eccleſia S. Hadriani) „ ſequeretur lapidem illum (*illum intelligit in Appia „ repertum, quem ſupra innuerat*) non extra portam „ S. Sebaſtiani olim fuiſſe, ſed intra Vrbem & qui„ dem citra Eccleſiam SS. Nerei & Achillei (*id quod „ ſubductis rationibus Holſtenius probat*) Cum ergo „ indubitatum ſit, portam S. Sebaſtiani a *Milliario „ aureo*

Digitized by Google

in Pitiſco ad Suetonii Othonem cap. VI. reperies. Nec dubitari poteſt, quin de columna iſta Capitolina eadem plane atq. Holſtenii mens (32) Fabretto fuerit.

Verum ſiquis eſt, qui immane inter columnam Capitolinam interque innumeros illos lapides milliarios, qui quotidie effodiuntur, diſcrimen non videat, eum in rebus antiquitatis nihil plane videre neceſſe eſt. Columna illa plus octo pedum (praeter baſim & praegrandem ſtylobaten & capitulum, cui ingens globus impoſitus) adhaec tot Caeſarum repetitae refectiones ac reſtitutiones, Viatorum & virorum honoratorum in imo ſtylobate dedicatio: haec, inquam, omnia longe auguſtiora ſunt, quam pro cippi cujuslibet milliarii merito, ac retruſius in receſſu aliquid pollicentur. Vno verbo, ejuſmodi viſa fuit columna illa, ut ſe Aureum milliarium mentiri tamdiu quiverit. Quin miſſis ambagibus, age uno verbo de Columnae hujus Capitolinae uſu tranſigamus.

Ac primum ex noſtra hac legum Tabula diſcimus, viarum curam, quae penes aediles curules & plebeios erat, non muro Vrbis terminatam, ſed ad mille paſſus extramuranos, & hos vero a continentibus aedificiis numerandos, pertinuiſſe. Vide verſus 20. 26. Atque iidem plane termini jurisdictioni praetoris urbani, praefecti (33) urbi, aliorumque plurium magiſtratuum praefiniebantur, uti pro re nata oſtendetur. Ad haec magiſtratus, ſenatores, & quibuſcumq. abeſſe ab Roma non licebat, pro abſentibus non habebantur, quamdiu intra mille a continentibus aedificiis paſſus reſiſterent. Ac non temere ſuſpicor, viatores non ultra hunc eumdem milleſimum paſſum coactos procedere, quoties magiſtratus, aut ſenatores vocari oporteret. Magiſtratuum igitur & viatorum in commune intererat noſſe, ubinam illi mille a continentibus Vrbis aedificiis paſſus finirentur, uti notabitur.

Dixeris id fuiſſe facillimum; quandoquidem qui primus erat ab Vrbe lapis, idem & mille paſſus ſupra ſcriptos terminabat. At longe ſecius res habebat. Nam lapides itinerum milliarii undecumque inciperent (ſive ſcil. a Foro Romano, ſive a portis Vrbis) vix eſt ut unquam ad illum mille paſſuum ambitum magiſtratibus aſſignatum terminandum uſui eſſe potuerint. Quid ita? quia continentia Vrbi aedificia alibi longius, alibi propius a moenibus procurrebant, ita ut milleſimus a continentibus paſsus non niſi caſu cum aliquo lapide milliario conveniret. Fac deinde caſu interdum accidiſſe, ut milleſimus magiſtratuum jurisdictionis paſſus alicubi cum tertio quartove lapide congrueret: at progreſſu temporis procedentibus aedificiis, etiam paſſus ille milleſimus longius promovebatur. Ad ſummam lapides quidem milliarii ex quo tempore a C. Sempronio Graccho (teſte in Gracchis Plutarcho) itinerum intervallis affixi fuerunt, iidem immutabiles manſere ſemper. At contra jurisdictionis magiſtratuum ambitus in dies ſemper, prout aedificia longius protollebantur, incertus fluctuabat.

Ergo uti litigiis de eo ambitu naſciturus iretur obviam, neceſſe fuit illum *jurisdi-*

„ *aureo* diſtare ut minimum ſeſquimilliario: dicta „ autem columna primi lapidis longius extra Vr„ bem ad Viam Appiam reperta (unde in Capit. „ translata); ſequitur intervalla milliaria non a „ foro Romano, ſed a portis Vrbis olim numera„ ri coepiſſe. „ Haec ibi Holſtenius.

(32) Fabrettum cum dico, virum in interpretandis marmoribus longe exercitatiſſimum dico. Is Diſſert. I. *de Aquaed.* (quam quadriennio ante ſuperiorem Holſtenii poſtumam ſcriptiunculam edidit) cum de via Latina (antiquitus Appiae ramo) deque porta Capena, ex qua Appia prodibat, ageret, ita poſuit pag. 30. num. 48. *Reſpondet denique ad unguem locus noſtrae Capenae loco ubi reperta fuit* COLVMNA MILLIARIA LAPIDIS PRIMI (ita ſcil. notam illam I. in hypotrachelio ſcalptam interpretatur) *in Capitolium poſtea translata, in vinea ſcil. Nobb. de Naris* (reperta) *quae* (vinea) *prima eſt ad dexteram exeuntibus a recenti porta S. Sebaſtiani.* Quae quidem porta ſi non plane eadem, at proxima certe antiquae Capenae eſt. Deinde reſpondet objectioni (cui ſcil. Henninius ad Berg. III. ſect. 13. tantopere innititur) nimirum potuiſſe columnam illam aliunde ex nativo ſitu in vineam iſtam poſtea traduci. Cui ſic ferme reſpondet; nim. *phyſica poſſibilitate* non eludi *moralem certitudinem* &c. Haec vir eximius, uti probet nativum locum repertae columnae non alibi, quam ad Appiam viam fuiſſe.

(33) Vlpianus L. 1. §. 4. D. *de offic. praef. urb.* ait: *Sed & ſiquid intra centeſimum milliarium admiſſum ſit, ad Praefectum urbi pertinet: ſi ultra ipſum lapidem, egreſſum eſt Praefecti Vrbi notionem. Notionem* tantum intra centeſimum habebat, *poteſtatem* non habebat; nam de hac idem Vlpianus l. ult. eod. *Praefectus Vrbi, cum terminos Vrbis exierit, poteſtatem non habet.* Atqui termini Vrbis ſunt hi ipſi, de quibus commentamur, qui ſcil. in orbem poſiti, milleſimum a continentibus aedificiis paſſum ſignabant, & jurisdictionem ac poteſtatem magiſtratuum terminabant.

Digitized by Google

risdictionis ambitum (sic enim posthac vocabimus, etsi ad plura alia valeret) peculiaribus quibusdam columnis terminari: deinde promotis insigniter aedificiis continentibus, etiam cippos terminales ad millesimum illinc passum proferri.

En igitur Columnae illius Capitolinae (quae tamdiu se apud eruditos *Milliarium aureum* mentita fuit, ab Holstenio vero, & ab eum secutis pro primo ab Vrbe lapide habita) detectum, uti videtur, ministerium, quod antea veluti mysterium fuerat. Vsus, inquam, columnae hujus sub censore (34) Vespasiano (cujus prima est inscriptio) non alius fuit, quam ut in regione viae Appiae, ad quam eruta fuit, *jurisdictionis ambitum* magistratibus praefiniret. At sub Nerva principe ubi compertum fuit, eâ regione longius multo quam antea domos insulasque excurrisse; ulterius prolata columna fuit, ac nova subjecta est epigraphe, per quam Nerva id opus refeciisse ostenderetur. Postremo quia, dum Romae sub bonis principibus tranquilla omnia, finisq. nullus aedificationibus extramuranis (quia spatia intramurana ubique plena) dabatur; sub Hadriano par exorta necessitas idem remedium extorsit. Nisi quod haec tertia columnae promotio, sive Hadriano ita volente, sive alia de causa, videtur annuente Principe a Viatoribus & magistratibus facta. Id enim versus tres ultimi notant.

IMP · ..... HADRIANO &c.
VIATORES · QVI · IPSI (Hadriano)
ET · COS · ET
PRaetori · CETERISQ · MAGISTRATIB
APPARERENT · ET · H · V

Duabus ultimis litteris notantur *Honore usi*, h. e. qui magistratu fungebantur aut functi essent, ac forsan etiam senatores: qui, opinor, eodem jure gaudebant, quo qui tunc in magistratu erant, ut per viatores vocarentur. De *Honore usis* vide in imo (35) adnotata. Tam ergo viatorum, quam magistratuum & honoratorum scire intererat, quousque & jurisdictio magistratuum & viatorum apparitio pertineret: proinde convenientius Hadriano visum, si ipsi, quorum res agebatur, titulum dedicarent.

At nescio quo modo notam I. quae in summo columnae hypotrachelio scalpitur, praeterieram. Nam quo illud I. valet? Dixeris, notari *milliarium unum*. Non equidem valde moror, modo illud milliarium intelligas, quod ab extremo continentium aedificiorum decempedator collegerat. Tamen, ut verum fatear, quid necesse fuit illud I. apponere? Certe enim ex ipsius columnae specie omnes id aetatis homines intelligebant non eo positum tam

(34) *De Vespasiani censu quaedam notatu digna.*

Vespasiani Titique censura merito memorabilis habita, quippe in ea lustrum ultimum factum fuit. Audiendus de his Censorinus cap. 18. *Cum inter primum a Servio rege conditum lustrum, & id quod ab Imp. Vespasiano V. & Caesare III. consulibus* (nihil facilius fuit, quam ut in Censorino T. medium extereretur: proinde legerim, *Et T. Caesare III. Coss.*) *factum est, anni interfuerint paullo minus sexcentis quinquaginta* (nisi legendum sit *quadraginta*: quod alterum ab Onufrio & Fastor. scriptorib. & a Scalig. colligitur) *lustra tamen per ea tempora non plura quam LXXV. sunt facta, & postea plane fieri desierunt.* Meminit & hujus censurae Suetonius in Vespas. c. 8. & in Tito cap. 6. Capitolinus in principio Marci philosophi hunc *adscitum in patricios a princip. Vespas. & Tito censoribus* scribit. Praetereo jam inscriptiones atque numismata. Sed audiendus in primis Plinius duobus locis. Nam lib. VII. c. 49. sic posuit: *Accedunt . . . exempla recentissimi census, quem intra quadriennium Imperatores Caesares Vespasiani Pater Filiusque Censores egerunt.* Notabilis sane locus, quo eorum censum quadriennio concludit. Nec dubium est, quin eo quadriennio consulatus Vespasiani Patris septimus (ad quem haec prima inscriptio columnae Capitolinae pertinet: qui consulatus in annum aerae vulgaris LXXVI. cadit) contineatur. Quid ni? cum in eo, quod Vespasianus cippum hunc jurisdictionis magistratuum terminalem promovit, haud dubie Censoris officium exercuit, ad quem curae hujus generis pertinebant. Sicuti & eodem pertinet (jam enim ad alterum Plinii locum transeo) quod in eâdem censura Vespasianorum Patris & Filii moenium Romae ambitus dimensus fuerit. Sic enim idem Plinius III. 5. *Moenia ejus collegêre ambitu* (*Imperatoribus Censoribusque Vespasianis, anno conditae DCCCXXVI.*) *passuum XIII. M. CC.* Vides quanta in his Vespasiani Censoris accuratio fuerit, ut non mirum, si promotis extramuranis aedificiis, etiam ambitum mille ab eorum fine passuum terminaverit: atque ibi plane, ubi jure praescriptum erat.

(35) In Gruteriano Notarum indice τὸ H. V. exponitur *Honore usi*. Haud immerito; quia quod in aliquot marmoribus per duas illas singulares innuitur, id alibi integris litteris palam proponitur. Videndae prae ceteris inscriptiones Gruterianae pag. 353. 6. 387. 8. 392. 1. 471. 3. in quibus PLEBS · VRBANA · ET · HONORE · VSI inter se distinguuntur ac veluti e regione opponuntur. Notanda quoq. est Gruteriana p. 485. 8. epigraphe: DIVISIT · OB · DEDICATIONEM · BIGAE · DECVRIONIB · . . . PLEBI · ET · HONORE · VSIS . . .

Digitized by Google

tam ingens opus, ut milliariorum vialium numerus & ſeries oſtenderetur, ſed ut jurisdictionis ambitus terminaretur. Quo ergo τὸ I. pertinet? Eo nempe, quod cum ambitus ille pluribus in orbem cippis ſignandus eſſet (idque ſaltem per omnium viarum principia, quae ex Vrbe prodeuntes, per Italiam diffundebantur) in tot illis per ambitum cippis ordinem aliquem notari neceſſe fuerit, ita ut eſſet alius primus, alius ſecundus, & ita deinceps. Quamnam vero columnam deceret vocari *Primam* niſi illam, quae in via Appia ſtaret? quae quidem via antiquitate & magnificentia prima fuit, eoq. *Regina* (36) *Viarum* paſſim vocabatur. Ergo in hac Capitolina columna, de qua tamdiu loquimur, illud I. non aliud quam *Primam*, utpote primae viae columnam, deſignat.

His vero omnibus, quae de columnae Capitolinae uſu diſſerui, ex capite ſeq. vires ingentes accedent. Nam ſi, ut ſeq. cap. liquido demonſtrabitur, milliaria intervalla a Capite fori dimenſa per omnes circa vias diffundebantur; apud eos ſaltem, quibus id alioqui perſuaſerimus, certum fiet, Capitolinam columnam (quae in Vinea τῶν *De Naris*, h. e. aliquot a Foro Romano millibus, emerſiſſe dicitur) primi lapidis milliarii vicem implere nequiviſſe. Quid ergo reſtat, niſi ut ex *Viatorum* & *Honore uſorum*, & ex tot aliis indiciis ea columna terminandae magiſtratuum jurisdictionis uſui addicatur?

Niſi quod ſcio non defuturos, qui adverſus hactenus dicta ſuas objectiones ſtruent: quibus praeſtat ſeorſum in ima (37) pagella ſatisfactum ire, quam diutius in

Tt una

(36) Romanum marmor apud Reineſium Cl. II. num. 84. meminit V. (i. e. *Viae*) APPIAE. REGINAE. Nec Statius aliter appellavit, ita canens:

Appia longarum teritur REGINA viarum.

(37) *Objectionibus duabus ex Fabretto petitis obviam itur. Prima ex inſcriptione Fabrettiana perſimili: Altera ex ſitu columnae Capitolinae petitur. Lapides milliarios fuiſſe immobiles: at contra cippos jurisdictionem finientes ad nutum normamque procurrentium inſularum promotos uſque fuiſſe.*

I. Objectio prior ex columna quadam milliaria ducitur, quae in hortis viae Flaminiae nunc poſita, olim (ſi Fabretto credimus) ad viam Appiam fuiſſe videtur, utpote in *Caſali Turriculae Juſtinianeae* erута. A Fabretto pag. 414. hunc in modum refertur.

VII
IMP · CAESAR
VESPASIANVS · AVG
PONTIF · MAX
TRIB · POTEST · VII
IMP · XVII · P · P · CENSOR
COS · VII · DESIGN · VIII

IMP · NERVA · CAESAR
AVGVSTVS · PONTIFEX
MAXIMVS · TRIBVNICIA
POTESTATE · COS · III · PATER
PATRIAE · REFECIT

Hanc Fabrettus non dubitat cum illa columna Capitolina, quam cap. 1. protulimus, comparare, eodemque uſu donare; ita ut ſicuti illa in Via Appia milliarii primi, ita haec ſeptimi index fuerit.

Verum diſpar eſt ratio. Haec columella longo intervallo brevior illâ vegrandi Capitolina fuit: quam Capitolinam ab imo ſtylobate ad ſummum globum XV. prope pedes altam eſſe puto. Nec porro Fabrettiana iſta globo, capitulo, baſi, ſtylobate praedita eſt, ſed inſtar ceterarum milliariarum vulgarium. II. Nota VII. ſubjectas litteras proceritate non excedit: at in Capitolina τὸ I. mire celſius eſt. III. Deeſt (in quo caput eſt) in Fabretti cippo dedicatio *Viatorum*: quae in Capitolinae imo legitur. His de cauſis nihil huic cum Capitolina columna illa ingenti commune. Capitolina jurisdictionis ambitum in via Appia terminabat: haec altera cippus milliaris ſeptimus fuit: cujuſmodi plurimos vidiſſe memini, etiam cum duplici inſcriptione, ſed tamen ſine *Viatorum* & *Honore uſorum* dedicatione: quae index cippi jurisdictionem finientis eſt.

Objectio altera ex Fabretti loco Diſſ. I. num. 48. quem ſupra Adn. 32. adſcripſi, petitur. Vbi poſt verba a me recitata (de columna ſcil. Capitolina in vineae Nobb. de Naris ruderibus olim reperta) ſtatim & haec addit: *A qua* (vinea ad Portam S. Sebaſtiani, ſive, contrario itinere, a Porta S. Sebaſtiani ad vineam) *retrocedendo in linea per nos ducta*, *MILLE PASSVS EXPLENTVR*. Ex quibus ita licebit colligere. Si a loco columnae repertae ad portam S. Sebaſtiani (quae aut eadem, aut proxima Capenae fuit) mille paſſus intererant; ex eo fit, eum fuiſſe locum primi lapidis milliarii ab exitu portae ſtatuendi, non vero terminum ambitûs jurisdictionis magiſtratuum, qui ulterior fuerit oportet, quippe qui in milleſimo a continentibus aedificiis paſſu affigendus erat.

His ita reſpondeo. I. Ex modo quo Fabrettus loquitur, aliquanto plus mille paſſibus eum reperiſſe neceſſe eſt (ait enim, *Mille paſſus explentur*, h. e. *Mille & quod excurrit*) quod & ex Holſtenio memini me elicuiſſe. II. Mille Romanis paſſib. hodierni paſſus octingenti reſpondent: ſicuti & mille paſſibus hodiernis (nam hodiernos Fabrettus adhibuit) aequiparantur paſſus Romani MCCL. id quod ſaepe alibi demonſtravi. III. Sed in eo rei caput eſt, quod murorum ambitus multo laxior, quam antea fuerat, ab Aureliano factus, non dubito quin continentia extra Capenam portam olim aedificia latiore ſuo poſtea complexu moenium circumiverit. Itaque cum deinde poſt Aurelianum extra Capenam novae aedificationes acceſſiſſent; ita demum fieri potuit, ut columna jurisdictionem finiens (cum ſcil.

Digitized by Google

una re detinere lectorem.

Est & aliud in Capitolio Romano epigramma simile, sub extrema vitae Hadriani tempora (ut ex toto ejus contextu colligi potest) positum Antonino jam adoptato. Exstat hoc apud Grut. pag. 256. num. 4. in hunc modum.

IMP · T · AELIO · CAESARI
ANTONINO
IMP · TRAIANI · HADRIANI · AVG
PONT · MAX · TRIB · POT · XXII
IMP · II · COS · III · P · P · FILIO
DIVI · TRAIANI · PARTHIC · N
DIVI · NERVAE · PRONEPOTI
TRIB · POTEST · COS

VIATORES · QVI · CAESARIB
ET · COS · ET · PR · APPARENT · ET
H · V

At si haec, uti mihi prorsus persuadeo, ad eumdem ambitum terminandum pertinebat; ex ea non aliud nunc, quam imus columnae stylobates supereſt, cui primitus columna insistebat, in qua forsitan aliae inscriptiones instar superioris columnae inerant: superne vero facile ordinalis numerus dignitati & ordini viarum, opinor, conveniens caelatus visebatur.

Hactenus dicta eo pertinent, ut fragmenti Britannici versus 20. & 26. itemque 68. 69. (ac forsitan alii) multo illustriores evadant; imo ut & magistratuum urbanorum jurisdictionis termino, legibusq. de eo loquentibus egregia lux importetur.

CAPVT IV.

De usu Aurei Milliarii.

Ad pensum quidem meum superiora, quae de usu Columnae Capitolinae disserui, satis superque sunt. Tamen cum ab initio Exercitationis hujus de Milliario aureo injecta mihi mentio fuerit; non ab re erit etiam de ejus usu hîc aliquid allinere.

I. Et quidem siquis ejus usus fuit, non alio quam ad vias pertinere potuit. Vox ipsa id ostendit Milliarii, & Μιλίε (38) qua Graeci id appellant. Deinde id satis auctores antiqui praeseferunt. Plutarchus in Galba (pag. 1064. B.) de Othone sic prodit: *Per Tiberii domum, quam vocant, in forum descendit* (ὃ χρυσᾶς εἰσήκει κίων, εἰς ὃν αἱ τετμημέναι τῆς Ιταλίας ὁδοὶ πᾶσαι τελευτῶσιν) *ubi Aurea columna posita fuerat, in quam fissae* (39) *omnes per Italiam viae desinunt*. Vides ex Plutarchi testimonio non nisi viarum negotium nomen illi columnae indidisse. Indidem nominis rationem haud dubie arcessivit & Dio lib. LIV. ad ann. Vrbis 734. de Augusto sic narrans: *Tunc autem ipse* (προστάτης τῶν περὶ τὴν Ρώμην ὁδῶν αἱρεθεὶς, καὶ τὸ χρυσοῦν μίλιον κεκλημένον ἔστησε) *viarum quae sunt circa Romam curator creatus, tum quod vocatur Aureum Milliarium statuit, tum etiam viros praetorios, qui viis muniendis praeessent, qui lictoribus binis uterentur, designavit*. Hinc plane vides, Augustum statim ut Curator viarum factus fuit, duo fecisse, ambo ei curae consentanea, nimirum tum novum magistratum curae viarum destinatum, tum & *Aureum milliarium*. At quid, rogo, aureo milliario illi cum viis commune, nisi ab illo centro mensura viarum processisset?

Accedat postremo his antiquior Plinius: quem minime dubito viarum omnium dimensiones ab illo Fori milliario, de quo loquimur, repetivisse. Is lib. III. non longissime a fine cap. V. primum viarum mensuras a Milliario aureo ad portas singulas per milliaria colligit in unam summam his verbis: *Ejusdem* (urbis) *spatium* (quod proxime in XIV. regiones

scil. juxta cum novis aedificiis quotidie procurrisset) sub Aureliano tandem in vinea Nobb. de Naris constiterit.

Notet lector, inter columnam quam dixi, & lapides milliarios, hoc in primis interfuisse, quod prior, utpote ab extremis aedificiis quotidie procurrentibus, putata, mobilis ac variabilis erat, ita ut a Vespasiano ad Nervam ter promoveri debuerit: at lapides milliarii, ex quo a C. Sempronio Graccho (de quo diserte id prodit Plutarchus) aliisque viarum auctoribus depacti fuerunt, semper invariabiles iisdem locis haeserunt.

(38) Quod Romae *Milliarium aureum* vocabatur, id Dio Μίλιον χρυσοῦν vocavit. Sed & CPoli illud, quod ad aemulationem Romani exstitit, haud secus Μίλιον χρυσοῦν dicebatur. Vniverse vero Romanorum *milliarium* (quatenus intervallum octo stadiorum, aut, secundum quorumdam rationes, paullo minus notat) Graecis Romanarum rerum scriptoribus non aliter quam Μίλιον nuncupatur.

(39) Non defuere qui illud τετμημέναι interpretarentur *Incisae*, eo sensu quasi viae omnes Italiae ibi incisae viserentur. Quod amplecterer, nisi scirem τέμνειν aut τέμνεσθαι ὁδὸν tum de redemptoribus dici, qui vias sternendas conduxere, tum etiam saepius ad iter carpentes transferri, qui vias percurrendo, eas quodammodo secare videntur. Eâ gratia ne quid de voculae vi deperiret, posui *fissae*.

Digitized by Google

giones diviſerat) *menſurâ currente A MILLIARIO* (40) *IN CAPITE ROMANI FORI STATVTO ad ſingulas portas, quae ſunt hodie numero triginta ſeptem* (*ita ut duodecim ſemel numerentur*, *praetereanturque ex veteribus ſeptem*, *quae eſſe deſierunt*) *efficit paſſuum per directum XXX. M. DCCLXV.* Vides hinc jam Aureum Milliarium eo valuiſſe, ut numerus paſſuum ab eo ad ſingulas portas colligeretur: quorum ſingulas ſummas in unam collegit Plinius. Quid porro vetabat eas menſuras ulterius extra portas per vias militares continuari, ita ut primus lapis is eſſet, ad quem ab illo Fori Milliario aureo mille paſſus abſolverentur, ſive id intra portas, ſive extra contigiſſet? Imo ita prorſus factum, ex eo apertiſſime colligo, quod eadem menſurandi ratio ab eodem Milliario petita etiam ad Caſtra praetoria & extrema tectorum porrigebatur: quorum utraque extra portas erant. Sic enim ibi ſequitur: *Ad extrema vero tectorum* (i. e. domorum: haec vero continentia Vrbis aedificia interpretari ne dubita) *cum Caſtris praetoriis ab eodem MILLIARIO per vicos omnium viarum menſura colligit paullo amplius ſeptuaginta millia paſſuum.* Vbi ſunt ii nunc, qui extra Romam milliaria intervalla a portis duci jubent, cum diſerte Plinius ab *eodem Milliario* Fori repetiverit?

II. At difficile eſt, inquis, Auguſto in conſtruendo Aureo Milliario hanc mentem fuiſſe, ut ab illo tempore illinc omnes per Italiae itinera lapidum milliariorum menſura curreret: ad quod exſequendum omnes C. Gracchi lapides milliares (de quibus Plutarchus in Gracchis locuples teſtis eſt) refingendi ita fuiſſent, non ut a portis Vrbis, ſed ut ab Aureo illo monumento inciperent. At reſpondeo, ſi re vera, uti puto, id ſibi voluit Auguſtus, ut non niſi a capite Romani Fori tamquam a centro dimenſionem millium auſpicaretur; tum non omnium primum Auguſtum inde incepiſſe ſtatuendum erit, ſed jam tum C. Gracchum a *Capite Fori* Romani auſpicantem, milleſimo quoque paſſu cippos depanxiſſe. Nec (41) Plutarchus in eo refragatur, nec alius quiſquam a portis inchoatas millium rationes dixit. Quid ergo novi Auguſtus molitus eſt? Hoc tantum, ut ego interpretor, ut *Caput fori*, a quo quaſi centro omnes viarum ductus per Vrbem prius, mox extra portas dimenſi progrediebantur, Aureo illo ſuo monumento, quo conſpectius eſſet, inſigniret.

Ac mihi ſane Caius ille Sempronius (ſi quidem non temere, ſed rectae rationis ductu intervalla milliaria cippis diſtinguere voluit) non ab urbis ambitu, in dies mutabili, ſed a puncto uno, nulli proinde mutationi obnoxio, a Foro Romano, inquam (quod Vrbis & totius imperii centrum habebatur) dimenſiones exordiri debuiſſe, nec ſecus feciſſe videtur. Nam qui meminiſſet per ducentos ante Servium regem annos toties murorum ambitum fuiſſe prolatum, ei proniſſimum erat ſuſpicari, fore ut inciderent poſt ſe tempora, quibus Vrbis aeternae moenia ſive in totum, ſive ex parte proferri neceſſitas, aut Imperii magnitudo ſuaderet: id vero ſiquando accidiſſet, moleſtum fore, cippos refigi ac refingi illos, quos ipſe tanta induſtria, fixerat atque ſignarat. Quocirca mihi Gracchus jam tum provido conſilio caviſſe videtur, ut quidquid in murorum circuitu poſteritas eſſet molitura, nihil inde incommodi cipporum ſtabilitati ſimulque accurationi crearetur. Nam quia (uti perſuaſum habeo) a Foro Rom. tamquam a puncto uno fixo & immobili, juſſit menſuras procedere; ſive ampliatis (quod ſero ſub Aureliano contigit) ſive reſtrictis moenibus, eadem ſemper intervallorum putatio manſura erat. Gracchi in ea re ſtudium aemulatus demum Auguſtus, iſtud Romani Fori centrum ingenti aureo monumento perpetuum & illuſtrius reddidit.

(40) *Milliarium Aureum* haud dubie intelligit: quod *in capite Fori* fuiſſe, ex eo conſtat quod *ſub aedem Saturni* a Tacito ſtatuitur, qui accurate ita ſitum deſcribit in eodem Othonis facto. Hiſt. I. 27. *Otho . . . per Tiberianam domum* (cujus in ead. re Plutarchus ſupra allatus meminit) *in Velabrum, inde ad Milliarium aureum, ſub aedem Saturni pergit.* Suetonius Othone cap. VI. de eadem re loquens ſitum haud ſecus deſcribit. *In foro*, inquit, *ſub aede Saturni ad Milliarium aureum.* P. Victor Reg. VIII. in *Foro* tum alia plura, tum & haec recenſet: *Aedis Opis & Saturni in Vico Iugario, Milliarium aureum.*

(41) Plutarchus in Gracchis pag. 338. initio de C. Sempronio ita narrat. *Adhaec vias omnes* (κατὰ μίλιον) *per milliaria dimenſus* (*capit autem paullo minus octo ſtadia milliarium*) *depanxit* (κίονας λιθίνους σημεῖα τοῦ μέτρου) *menſurae ſignandae gratia columnas lapideas.* Vides Plutarchum nec a *Capite Fori*, nec a portis urbis, id opus inchoatum dixiſſe. Vtrumque per illum licet licebitque.

Digitized by Google

III. Cèterum nulla res alia Milliarium aureum ſeu *Caput Fori* de vetere poſſeſſione propemodum deturbaverat, quo minus in poſterum Caput viarum haberetur, quam illa columna Capitolina, olim in vinea Nobb. de Naris reperta, in qua tantopere Holſtenius triumphaverat, omneſque Romanos ἀρχαιολόγους poſt ſe catenatos, tamquam triumphi captivos duxerat. At poſtquam cap. ſuperiore id telum excuſſiſſe e manibus Holſtenii videmur, ſimulq. verum columnae illius uſum demonſtraviſſe; apud eos certe, quibus illam ſuperioris capitis cauſam alioqui probaverimus, quid reſtabit aliud, niſi ut ex edicto *Vti poſſidetis* vetus jus Auguſteo Milliario ſervetur? Niſi ſiquid aliud prohibet.

IV. Nam & inſcriptio Palatii Barberini afferri in contrarium ſolet: quam tamen nec in Gruteriano nominum indice, nec in Reineſiano, nec in Muratoriano reperi (aliae collectiones carent indicibus, nec ad manus eſt Gudiana) affertur tamen ab Holſtenii ſectatoribus. In ea SALVIA · MARCELLINA · DONVM · TEMPLO · MARTIS · INTRA · MILLIARIVM · I · ET · II · AB · VRBE · EVNTIBVS dat. Nonne hinc vides, non a Capite Fori, ſed ab Vrbe, h. e. a muro urbis lapidem primum fuiſſe computatum?

Reſpondeo, etiam ſi dem, τὸ *Ab Vrbe* tantumdem eſſe quod a moenibus, facillimam fore reſponſionem. Fieri poterat, ut ea via, de qua loquitur marmor, a portâ nulla exierit, ſed a muro inceperit. Tum vero quis dubitat, quin a muro numeratio inchoaretur? Sed & illud fieri potuit, ut via, de qua loquitur *Salvia Marcellina*, ramus alterius viae a porta exeuntis fuerit. Atqui in ramis ordo milliariorum peculiaris fuit, qui ab illius derivationis initio duceretur. Atque eadem reſponſio adhiberi poteſt de altero marmore, quod in ima (42) ora exhibui.

Verum fac, eam viam, quam Salvia Marcellina memorat, a foro uſque inchoatam, deinde a porta aliqua prodiiſſe. Tum vero non erit mihi dubium, quin *Milliarium* (ſive lapis milliarius; nam etiam Graecis τὸ Μίλιον modo pro intervallo milliari accipitur, modo pro cippo ea intervalla dirimente) non, inquam, dubito, quin *Milliarium primum* a Capite fori numeratum, plerumque extra portas Vrbis inciderit; quia paucae viae erant, quae a Capite Fori ad ſuas portas milliarium abſolverent, ut ex Plinio mox num. V. obſervabimus. Quamquam quid nos tantopere quaſi ad μορμολυκεῖον (*ſpectrum*) aliquod oblatum, ſic ad illum vocularum ternionem (AB VRBE EVNTIBVS) obſtupeſcere attinet? Id perinde eſt accipiendum, tamquam ſi donanti aniculae iſti moroſiſſimus metus inciderit, nequis forte verſu contrario ea duo milliaria intelligeret, nim. AD VRBEM EVNTIBVS. Qui nondum in hujuſmodi ſupervacaneas adjectiones ineptiſſimas inciderit, eum in marmoribus, in veteribus legibus, in aerea hac ipſa tabula plane hoſpitem eſſe neceſſe eſt; imo & hodiernorum ubique gentium tabellionum ignorare ſtylum. Non de capite viae ſollicita haec mulierculа fuit, ſed unde *primum* & *ſecundum* lapidem capi ipſa juberet. Ad ultimum, quid enim me ulterius ango? Do omnia. Non morabor, quin, ubicumque illud *Ab urbe euntibus* additur, ibi lapides a muro (non a Capite fori) numeres: non moror, inquam, modo *Exceptio* (quod ajunt) *firmet*

(42) In marmor Romanum (conſules anni Aerae Chriſtianae 211. exhibens) apud Reineſium Cl. VII. num. 16. dum in his eram caſu incidi: in quo ita legitur: QVOD (ſcalare). EST · VIA · OSTIENSI · PARTE · LAEVA · INTER · MILiarium · I · ET · II · Ex his, ſat ſcio, conabuntur oſtendere, milliaria extra urbem numerari coepiſſe, & a porta, non a Capite Fori. Verum ſi adverſus hoc objectum nullum aliud ex ſuperioribus effugiis patere viſum fuerit; at licebit certe excipere, VIAM OSTIENSEM a nulla exiviſſe porta, ſed a muro incepiſſe: quo caſu a muro, non a Fori capite numeros inchoaſſet.

Poteſt & illud fieri, hanc *Oſtienſem*, ramum viae fuiſſe. Ita cenſuere multi; ac Fabrettus ipſe qui in Aquaed. Diſſ. 3. Oſtienſem viam a porta ſui nominis exiiſſe cenſuit; tamen addit neſcio quid, quo intelligatur Viam Oſtienſem, quâ propior Vrbi eſt, non ſine anfractu fuiſſe. Porro ſi ramus fuit, inde ſua milliaria inchoabat, unde a trunco digrediebatur.

Sed fac Oſtienſem viam ſui juris fuiſſe, non alterius ramum; at vox MILiarium duo poteſt ſignificare, tum mille paſſuum intervallum, tum etiam cippum quemlibet milliarium. In Reineſiano autem marmore hoc tantum ſignificatur, ſcalare illud fuiſſe ſpatio inter cippum I. & II. intermedio: ceterum quid cippi illi inſcriptum geſſerint, non dicitur. Quod ſi viae Oſtienſis initium a Foro petebatur, in eorum primo debuerunt duo triave aut quatuor millia paſſuum inſcripta eſſe, & tamen pro primo cippo milliario, vulgo habebatur, ut qui primus eſſet ab exitu portae.

Digitized by Google

met regulam in contrarium. Quid enim mulierculae donanti (h. e. ferenti legem) facias, si quidem in donatione sua distantias milliarias a moenibus inchoaverit? Verum quod id contra morem voluisset; eâ gratia de eo praetereuntes marmore monuit, alioqui non monitura.

V. Praestabit nunc V. Cl. Everardi Ottonis, qui in litteraria rep. Viarum Curatoris magistratum exercuit ultimus (in opere *De tutela viarum* pag. 393. 394.) difficultatibus aliquot occurrere. *Altum*, inquit, *silentium de lapidibus milliaribus intra Vrbem positis: haec autem, Plinio teste, tam spatiosa, ut lapis primus, secundus, tertius ad singulas portas esse debuerit.* Ad Plinium scil. hic noster provocat: qui tamen in loco illo (III.5.) quem hujus cap. initio protuli, reclamat voce praeconia: primum quia si summam Plinianam illam milliariorum triginta (quam ex minoribus summis omnibus ipse collegerat) in vias singulas, ab Aureo milliario ad unamquamque portam currentes, ex aequo partiare; octingenti paulo plus passus singulis intra portas viis a Capite fori dimensis relinquentur; ita ut semidiametro Vrbis (etsi hic alibi longior, alibi brevior fuerit) liceat παχυμερῶς passus octingentos assignare. Vide ibi Harduinum pag. 156. edit. Paris. 1723. Notâ 11.

Deinde harum a Foro ad Portas dimensarum longitudinum habitam fuisse olim in cippis milliariis rationem, & ex dimensionum autographis Plinium hausisse notitiam, ex Plinianis ibidem locutionibus colligo. *Mensura*, inquit, *currente* (*) *a Milliario* (aureo) .... *ad singulas portas .... efficit passuum per directum XXX. millia*. Rursus: *Ad extrema tectorum* (i. e. continentia aedificia extra murum) ... *ab eodem Milliario ... mensura colligit paullo amplius LXX. mill. pass.* Quid luculentius? Verum haec in ipso Plinio legantur, moneo.

At quo pacto, inquis, horum intra muros passuum Plinianorum habita ratio? In eo dico habitam, quia si passus a Foro milliesimus intra portam absolvebatur (quod raro accidebat ex putatione Pliniana) ibi cippus milliarii primi figebatur. At quia plurimum extra portam absolvebatur passus milliesimus; hinc plerumque lapidem primum extra portas (intra tamen aedificia continentia) depactum oportuit. Dixi raro accidisse, ut lapides milliarios intra moenia depangi necesse esset. At Viam Flaminiam (quae longo tractu a Foro ad portam decurrebat) sicuti & Appiam excipio. Vide in fine hujus cap. plurium lapidum Viae Flaminiae intra muros exemplum ex Actis SS. Abundii & Abundantii, ut os Ottoni nostro penitus obstruatur.

Adhaec idem affert Festum in v. *Initium*: quod ita definit: *Quo quid incipiat, ut Viae Appiae Porta Capena*. At facile respondebimus, Viae Appiae duo fuisse initia, genuinum unum a *Capite Fori*, exstantius vero alterum *a Porta Capena*. Vulgi sermo hujus alterius rationem habebat. Cetera Ottonis sunt porro levissima.

VI. At contra si paullum adnitar nostrae sententiae praesidia, praeter illa quae initio exposita sunt, corrogare, finis nullus erit. Haec duo interim accipe. ICtus Macer *lib. 1. ad legem vicesimam*, relatus in l. 154. *D. de V. S.* ait: *MILLE PASSVS* (ultra quos scil. quis ex lege vigesimaria absens censebatur) *non a Milliario* (illo nempe Aureo) *Vrbis, sed a continentibus aedificiis numerandi sunt*. Ergo extra casum legis vigesimariae *Mille passus* a Milliario illo, quod in capite Fori erat (quodque absolute *Milliarium*, aut cum adjectione *Vrbis* vocabatur) numerandi erant. Num quid disertius fingi poterat? Et tamen cum non aliter, ac recitavi, in Florentinis Pandectis legatur, eaque semper lectio recepta fuerit; alii tamen aliter textum sollicitare adnisi sunt, dum alii pro *Milliario* substituerunt *Muro*; Gotofredus vero turpiter verba legis transponi jussit. Quid his facias?

Postremo Rom. Martyrologium die XVI. Sept. habet: *Romae Via Flaminia SS. MM. Abundii presb. & Abundantii Diac.*

quos

(*) Verbum *Curro* notione mensoria pulchre usurpavit tum hîc, tum etiam lib. VI. Cap. 33. *Ab Aethiopico mari Alexandriam ... ut per Meroen & Syenen mensura currat*. Similiter I. 108. *Haec mensura currit a littore Aethiopici Oceani ... ad Meroen.* Eod. cap. dixerat: *Id mensurae duplici currit via ... A Gange* &c. In scriptoribus agrariis *Linea currens* & similia occurrunt. Ac mirum, ni vocem istam τεχνικὴν & mensoriam a monumentis ipsis archetypis Plinius arripuerit.

Digitized by Google

§. II. Aediles quam mox a deſignato aut inito magiſtratu comparare aut ſortiri partes urbis oporteat.

24 *Aediles Curules, Aediles Plebis, qui nunc ſunt, quicumque poſt hanc legem facti creati erunt, eumve magiſtratum inierint, ii in diebus quinque proximis*

25 *quibus eo magiſtratu deſignati erunt, eumve magiſtratum inierint, inter ſe paranto, aut ſortiuntor, quanam in parte urbis quiſque*

quos Diocletianus . . . decimo ab Vrbe lapide gladio feriri juſſit. Horum Martyrum Acta Baronius ibi uti probatiſſima laudat. Atqui is *decimus ab Vrbe lapis*, qui fuit martyrii locus (ſi Nardino mirae diligentiae viro credimus lib. I. cap. 8. initio) paſſus paullo plus mille ab ea porta, quam vulgo dictam *Primam Portam* ait, ſuo tempore colligebat. Vide omnino Nardinum. Quid ergo eſt? niſi quod Aurelianus ea parte, ita moenia protulerat, ut ex viae Flaminiae (quae longiore ſpatio, quam viae ceterae, a Foro ad portam cognominem decurrebat) decem lapidibus milliariis primis, octo evaſerint intramurani, duo ceteri extra muros manſerint. Vtcumque vero eſt, nonne vides, milliarios lapides olim intra Vrbem numerari coeptos fuiſſe, extra eamdem vero eâdem ſerie ſervatâ, continuatos? Ac plura exempla talia ultro ſe rimantibus offerent, quo uſus *Aurei Milliarii* (cui jam critici noſtri exſequias iverant) quaſi δευτερόποτμος aliquando reviviſcat.

Nam adhuc ſaeculi noſtri infelicitas in Holſtenii & Fabretti reperta inconſiderata jurat: quae, ſat ſcio, uterque recantaſſent, ſi rem ad incudem revocaſſent. Nunc vero quae Holſtenius ad Stephani finem verbis tribus illeverat ſtans pede in uno, ea, licet poſtuma, tanquam ex Cortinâ accepta, eruditi Batavi in Theſaurum Antiquitatum malo exemplo intulerunt. Nihil de Fabretto dico: qui promiſſas a ſe hujuſmet ſententiae probationes cum nuſquam in tot operibus poſterioribus dederit, videtur poſtea mutaſſe ſententiam, aut de ea certe dubitaſſe.

VER. 24. 25. *Aediles curules, aediles plebis . . . . paranto aut ſortiuntor* &c.] In viarum, ſicuti & in ceterorum, opinor, aedificiorum cura & tuitione aediles plebei aedilibus curulibus aequiparantur; ita ut cum ex Servii regis inſtituto quatuor eſſent regiones urbis (nec unquam plures ante Auguſtum fuerunt) in quatuor aediles ſingulae ſingulos regiones illae curandae tribuebantur; eaque demandatio aut comparatione inter collegas, aut ſortitione fiebat, non ſecus atque in provinciis exteris. Nam etiam magiſtratuum urbanorum muneribus interdum *Provinciae* nomen tribuebatur, ac praeſertim magiſtratibus homonymis, quoties inter eos alii aliis muneribus fungerentur, ut in praetoribus, in quaeſtoribus, in curatoribus. His uti dixi ſaepe nomen *Provinciarum* tributum videas, quas ſcil. compararent, aut ſortirentur, ut in ima (43) ora obſervavi. Pari ratione aediles quatuor urbis regiones, non ſecus ac alii provincias exteras, ſive comparabant ſive ſortiebantur.

IBID. *Ii in diebus quinque proximis, quibus eo magiſtratu deſignati erunt, eumve magiſtratum inierint, paranto, aut ſortiuntor.*] PARANTO pro *Comparanto*, h. e. ſimplex pro compoſito, non tam ſcalptoris ſupinitate (etſi ſatis in hac Tabula per-

(43) Vt a praetoribus ordiar, in fragmento judiciario, apud Gruterum pag. DVIII. verſus finem: *Ad praetorem . . . . quei urbana provincia obvenerit.* Et pag. 61. 3. *Praetor . cui . una . ex . regionibus . urbis . ſorti .* (ut in provinciis ſcil.) *obvenerit.* Illud quoque tritiſſimum, quod alii praetori *urbana ſors*, alii *peregrina* obtigiſſe dicebatur.

Idem & de quaeſtoribus uſurpatum reperias. Apud Grut. pag. DVIII. *Quibus . . - AERARIVM PROVINCIA obvenerit.* In aerea tabula apud Grut. pag. DCXXVIII. initio: *Q. Vrb . quei . aerarium . provinciam . obtinebit.* Ac ſtatim ver. ſeq. totidem verbis. In altera legis Thoriae parte verſus finem: *Quaeſtor . quei . aerarium . provinciam . obtinebit.* Sic etiam in fragmento legis apud Sigonium (de ant. jure civ. Rom. II. 9.) *Q. Vrb . quei . aerarium . provinciam . obtinent.* Ac mox ſtatim eisdem verbis. Illud etiam huc refer, quod in Frontino Artic. 96. legitur: *Eorumque operum* [ad aquaeductus pertinentium] *probandorum curam fuiſſe penes cenſores aliquando & aediles; interdum etiam quaeſtoribus eam PROVINCIAM OBVENISSE.*

Digitized by Google

26 *eorum vias publicas in urbe Roma propiusve urbem Romam passus* (mille) *reficiendas sternendas curet, ejusque rei procurationem*
27 *habeat. Quae pars cuique Aedili ita hac lege obvenerit, ejus* (partis) *Aedilis in eis locis* [*quae in ea parte erunt*] *viarum reficien-*
28 *darum tuendarum procuratio esto, uti hac lege oportebit.*

§. III.

Tuendarum viarum pars quota sacris publicisve locis, quota privatis incumbat.

29 *Quae via inter aedem sacram item aedificium locumve publicum* (ex una parte) *& inter aedificium privatum* (ex altera) *est erit, ejus*

perspecta) quam judicio scriptum arbitror. Tametsi nunc primum hoc ita usurpatum reperio. Ergo intra quinque dies (quos tamen sive statim ab ipsa designatione, sive ab inito magistratu numerare liberum erat) comparare aut sortiri debebant. Quamobrem? Missa ratione a (44) Conrado tradita: hoc magis in causa fuisse credo, quod essent ea dumtaxat comparationi aut sortitioni constituta tempora. Quae res cum apud aliquem magistratum rite ac more majorum peragenda esset; id tempus, sive a designatione, sive a captu magistratuum proximum, utpote ei legitimo actui praefixum, nec antecapi, nec postponi licebat. Porro quo die apud competentem magistratum sive comparatio, sive sortitio peragebatur, eodem puto & ab aedilibus in leges juratum, ut ante in Adnot. 44. dictum. Quid enim toties coire necesse fuisset? Ceterum aedilibus intra primos quinque dies jurandum in leges fuisse, docuit Livius extremo lib. XXXI. *Magistratum autem* (aedilitium, de quo tunc agebatur; etsi verisimile est idem in ceteris valuisse) *plus quinque dies, nisi qui jurasset in leges, non licebat gerere*. Cetera ibi vide. Ergo intra quinque dies a designatione captuve, & comparare sortirive, & simul jurare in leges cogebantur, uti jam in Adnot. 44. innui.

VER. 26. *Propiusve urbem Romam passus mille*.] Saepe in hac Tabula aedilium munus & jurisdictio intra millesimum ab Vrbis Romae continentibus passum definitur: idque videtur plerisque aliis urbanis magistratibus fuisse commune. Verum de hoc ambitu jurisdictionis in superiore Exercit. copiosius disputavi, quam ut quidquam nunc addendum videatur.

VER. 29. *Quae via*] Summa hujus universae periochae eo redit. Sicubi ex una viae parte locus sacer publicusve sit, ex altera privatus; ejus viae (quousque loco sacro publicove obtenditur) partem dimidiam, quae loco sacro publicove attigua est, aedilis ex aerario publico tueatur. Hoc quidem lex diserte jubet. At hinc aperte sequitur, partem dimidiam alteram, privis aedificiis attiguam, iis tuendam arbitratu aedilis relinqui, quibus ante dixerat ver. 20. 21. 22. At his versibus imponitur quidem privatis dominis tutela viae suis aedificiis objacentis: at quota parte teneantur (dimidia scil.) non illinc, sed hinc demum infertur.

IBIDEM. *Inter aedem sacram IT. aedificium*] Quia non raro I pro E in hoc aere scalptum reperitur; hinc istud IT. Maittairus itemque Conradus interpretati sunt ET. Ne credas. Etenim τὸ IT. pro *Item* in monumentis interdum reperitur; idque ipsum hîc requiritur. Ne quis scil. sic accipiat, ut ex una parte *aedem sacram*, ex opposita *aedificium locumve publicum*

(44) Car. Conradus in Praefat. ad Parerga [in quâ plura eorum, quae in XIV. Capitibus sui ad hanc Tabulam commentarii posuit, refinxit, aut illustriora facit] pag. XLIX. hanc affert rationem; quia Livius XXXI. cap. ult. (& quidem de Aedilibus loquens) ait, magistratum plus quinque dies, nisi qui juraſſet in leges, non licuisse gerere. Verum Liviana isthaec ad annum Vrbis DLIII. (h. e. centesimum & amplius ante nostram tabulam) pertinent: a quo tempore complura postea mutata credibile est. Quid si utrumque verum? Nam intra quintum a designatione diem tum comparare aut sortiri debebant, tum & in leges jurare. Id porro nisi intra quinos a designatione dies fecissent; tum vero intra quintum ab inito magistratu diem praestare utrumque adigebantur. In hac Tabula tantum de comparando aut sortiendo agitur: alterum de jurejurando caput tacetur, quippe quod minime nunc ageretur.

Digitized by Google

30 *viae partem dimidiam is Aedilis, cui ea pars urbis obvenerit, in qua*
parte ea aedes ſacra erit, ſive aedificium
31 *publicum, ſive locus publicus, tuendam* (ex aerario) *locato.*

§. IV.

Ceſſante domino privi aedificii, aedilis eam viam tuendam locuto, decimo ante die de ea locatione edicto propoſito.

32 *Quemcumque ante ſuum aedificium, viam publicam hac lege tueri*
oportebit (ſi) *quis eorum eam viam arbitratu ejus Aedilis*
33 *cujus* (arbitratu eam tueri) *oportuerit, non tuebitur, eam viam*
Aedilis [*cujus arbitratu eam tueri oportuerit*] *tuendam locato.*
34 *Iſque Aedilis diebus ne minus decem, antequam locet, apud forum*
ante tribunal ſuum, propoſitum habeto, quam

blicum ſibi fingat; eam ὑπόνοιαν caute prohibuit addita particula *ITem*, quae rebus ejusdem generis adhibetur.

VER. 34. *Iſque aedilis DIEBVS NE MINVS DECEM antequam locet . . . propoſitum habeto, quam viam* &c.] Noli rationes anxie rimari eccur, decem diebus proſtare edictum jubeatur. Id magis mirarer, ſi id diebus undecim aut duodecim, aliiſve numeri non rotundi diebus proſtare juberetur. Ad ſummam Denarius numerus non tantum ἀπηρτισμένος (*integer*) & rotundus habebatur, ſed & inter hos unus omnium perfectiſſimus. Hinc gentes ubique omnes, quamlibet barbarae, ubi numerando ad denarium perveniebant, retro converſae ab uno rurſus ordiebantur, uti ratiocinatur Plutarchus, ubi de quaternione Pythagorico (quo nempe pacto hic denarii perfectionem complectatur) diſputat. Ab ea porro numeri hujus omnimoda perfectione quid miramur ortum, ut is ſemper numerus (niſi ſiquid aliud neceſſitas ſuaderet) ad manus eſſet? Hinc in magiſtratibus tot *Decemvirorum* nomina, ut & δέκα πρώτων *Decemprimorum*, ut alia generis hujus ψαμμακόσια taceam. Sed & in praeſtituendo die interdum numerus denarius placuit. Vt ecce diſceptandae controverſiae *Decimum diem* conſtitui conſueviſſe, Aſconius ad Cornelianam docet his verbis: *Cum L. Caſſius praetor decimo die, VT MOS EST, adeſſe juſſiſſet accuſatores*. Quod *Morem* fuiſſe, Aſconius ait: idem plane mos & in aedilitio locationis operis faciundi programmate, ut hinc patet, valuit.

Tametſi ſiquis in eo ſe porro diſcruciet, ut rationem aliquam extundat, cur decemdiale iſtud ſpatium in his & ſimilibus praeſtituatur (praeter ſcil. denarii numeri celebritatem, cui Romanorum majores inſueverant; quos ſcitis Pythagoricis admoviſſe aures, jam pridem vulgatum fuit) poteſt & ea ratio afferri, quod programmata iſta in frequentioribus Quiritium conventibus proſtare oporteret. Nullus vero concurſus celebrior nundinis erat, per quas ruſticae tribus gregatim Romam confluebant. De trinundino, quo leges promulgabantur, trita omnia. Atque in legibus quidem, utpote negotio graviſſimo, trino res nundino tranſigebatur. At operis faciundi locatio, quippe levior, ſatis fuit, ſi duplici nundino (nam duplex intra denos dies poterat incurrere) aut ſaltem ſingulo vulgaretur.

IBID. *Ante TRIBVNALE ſuum*] *Tribunale* quatuor ſyllabis antiquitus fuiſſe uſurpatum, ſupra in parvis notis, dictum fuit. Tribunal autem tantum curulibus magiſtratibus conveniſſe, jamdiu notatum reperio. Id ſi verum; tum haec periocha de curulibus dumtaxat aedilibus capienda eſſet, non item de plebeis. Verum de utriſque capiendam eſſe, ex eo oſtenditur, quod lex in univerſum loquatur; nec ubi de *tribunali* meminit, excipiat, *Modo ea pars urbis aedili curuli obvenerit*. Ceterum vox *Tribunal* de editiore quovis loco, unde magiſtratus jus diceret, uſurpari ſolebat: quo fit ut *Pro Tribunali* & *De plano* opponantur. Scio editiorem illum ſuggeſtum, unde duces quilibet alloquebantur cohortes, itemque, unde editor (etiamſi alius a magiſtratu curuli) in podio ſpectabat,

Digitized by Google

35 *viam tuendam & quo die locaturus ſit. Et quorum ante aedificium ea via ſit* [*eiſque quorum ante aedificium*
36 *ea via erit*] *procuratoribuſve eorum* (ut) *domum denuncietur facito, ſe eam viam locaturum, & quo die locaturus*
37 *ſit, eamque locationem palam in foro per quaeſtorem urbanum, eumve qui aerario praeerit, facito. Quanta pecunia eam*

ſtabat, *Tribunal* fuiſſe vulgo appellatum. Itaque non moror quin hîc *Tribunal* (ſive proprie, ſive καταχρηστικῶς) non tantum curulibus, ſed & aedilibus e plebe tribuatur. Jam vero tribunalia mobilia ex tabulis compacta (cujuſmodi & iſtud hujus loci fuiſſe reor) in nummis haud raro viſuntur. At ſtructile illud, quod in hemicycli formam Vitruvius V. 1. deſcribit, in baſilicis, in quibus cauſae diſceptabantur, locum habuit: cujus ſpecimen imitatae ſunt veteres Baſilicae Chriſtianae. Nam in ima baſilica, qua parte Epiſcopus cum Presbyterio conſidebat, ea pars *Tribunal*, ac poſtea corrupte *Tribuna*, vocabatur.

VER. 35. 36. *Eiſque* (aedificiorum privatorum dominis) *procuratoribuſve eorum domum denuncietur facito.*] Quorſum ea denunciatio? Nempe ut ſi decimo die domini, aut procuratores ad tutelam praeſtandam parati adſint, locatione ſuperſedeatur. Ad orthographiam quod attinet, Noriſius (ad Cenotaphia Piſana) ſtat pro ſcriptura cenotaphiorum ſuorum, ut per T ſcribatur *Nuntius*, *Nuntio* &c. At contra Manutius ex ſuis inſcriptionibus *Nuncium* ſcribi jubet. Adde Tabulam hanc, itemq. marmor Amalphiae in aede Adnunciatae, in quo exſtat, ADNVNCIATORES PVTEOLANI. Verum quid moror? & in hac voce, & in aliis pluribus C & T alternabant. Tametſi C mollibus Quiritium auriculis multo lenius. Adhaec *Denuncietur facito*, omiſſo VT, elegans eſt, & in legum tabulis, itemque in Catonianis illis rei ruſticae oraculis creberrimum.

VER. 37. *Eamque locationem . . . per quaeſtorem urbanum, eumve qui aerario praerit, facito.*] PRAERIT duabus ſyllabis recte hîc ſcribitur, ſicuti etiam in hoc eod. Brit. fragmento infra v. 39. 47. 48. 69. Itaq. ſemper in his tabulis triſyllabum eſt. Sic quoque in Piſanis ambobus Cenotaphiis: ad quae Noriſius omnino videndus eſt, ubi hanc ſcribendi rationem, ſi probe memini, erudite pro more tuetur. Apud Fabrettum pag. 442. num. 49. v. 9. & 19. PRAEVNTE pro *praeeunte:* ubi idem Fabrettus ex aerea Gruteriana tabula affert PRAESSE pro *praeeſſe*; & Gruterum reprehendit, qui hanc ſcribendi rationem alibi pro vitioſa habuit. Cave igitur dubites, quin temporum meliorum orthographia ſyllabas duas *Praee* in *prae* in hoc ſaltem verbo contraxerit.

EXCVRSIO.

De Quaeſtorum origine generibuſque.

Antequam vero de eo diſputerur cur hîc *Quaeſtor Vrbanus* ab eo, *qui aerario praeeſt* diſtinguatur, pauca de quatuor quaeſtorum generibus eorumque originibus (re plane involuta, nec dum ſatis explanata) delibabimus.

I. *Quaeſtorum genera quatuor: & quo ſingula tempore inſtituta.*

I. De quaeſtoribus rerum capitalium dicam: II. de quaeſtoribus militaribus, qui demum in provinciales evaſerunt: III. de quaeſtoribus Aerariis ſive Vrbanis: IV. de quaeſtoribus illis, qui mox ſub Caeſaribus ſibi *Candidatorum* cognomen adſciverunt. Haec genera quatuor unus me Taciti locus edocuit: quem mox ſtatim adſcribam, ubi prius de vocis etymologia videro. Quaeſtorum nomen a *quaerendis* ſive maleficiis ſive pecuniis dictos, Varro ſcriptum reliquit, & poſt eum Vlpianus: quorum loca in ſequentibus producentur. Ex hac vero etymologia naſcuntur plura quaeſtorum genera. Quorum primum in quaerendis maleficiis verſabatur. Hoc genus videtur illud, quod Tacitus & Vlpianus (quorum loca infra afferentur) ſub ipſis Regibus inſtitutum dixerunt. Hi ſunt illi *Parricidii quaeſtores*, de quibus Feſti loca in imo (45) margine adſcripſi. Hos vero Reip. poſterior

(45) Feſtus in PARICI ſic poſuit: *Parici* [ſed legendum eſſe PARICIDI Scaliger ex eod. Feſto in QVAESTORES ſuaſit] *Paricidi*, inquit, *quaeſtores appellabantur, qui ſolebant creari cauſa rerum capitalium*

aetas diſcriminis cauſa *Quaeſitores* (46) appellare conſuevit.

Sed jam Taciti locum, quem promiſeram, membratim diſcerptum afferamus: quo uno loco, uti praedixi, quaeſtorum genera omnia continentur. Sic ille Annal. XI. 22. incipit: *Quaeſtores, regibus etiam tum imperantibus, inſtituti ſunt: quod lex Curiata oſtendit* &c. Hi videntur fuiſſe illi *quaeſtores parricidii*, quos ad genus primum pertinere, proxime diximus. Certe hos cum illis aliis creatis poſt reges exactos nil habuiſſe commune, ex Taciti & Livii locis patet, ubi *duplicatum numerum* dicunt.

Fuere deinde Quaeſtores primo *Militares* duo: deinde *Aerarii* ſive Vrbani item duo. Haec duo genera a *quaerendis pecuniis* invenere nomen. De utriſque Tacitus ibidem ita pergit: *Creatique primum Valerius Potitus & Aemilius Mamercus LXIII. anno* (imo *XXIII. anno*: vide (47) *Lipſium*) *poſt Tarquinios exactos, ut rem MILITAREM comitarentur*. En ratio, cur illos ſecundi generis vocaverim *Militares*. At poſtquam proconſules & propraetores in provincias cum imperio mitti coeperunt; tum qui antea mere *Militares* erant, aptius *Provinciales* appellandi fuerunt, quia etiam extra militiam munus eorum valiturum erat.

Pergit ibidem Annalium ſcriptor: *Dein gliſcentibus negotiis, DVO additi, qui Romae curarent*. Ecce tibi *Vrbanorum* quaeſtorum exordium: quos ab initio duos fuiſſe, hinc vides. Nec plures octogeſimo circiter ante Chriſtum anno exſtitiſſe, haec ejus temporis Tabula noſtra oſtendit, in qua non alii quam *Vrbanus* & is *qui aerario praeerat*, quaeſtores agnoſcuntur.

Sub haec ita apud Tacitum ſequitur: *Mox duplicatus* (48) *numerus* (quod circiter ann. urbis 488. eveniſſe Lipſio videtur) *Duplicatus*, inquit, *numerus, ſtipendiariâ jam Italiâ & accedentibus provinciarum vectigalibus*. En *provinciales* quaeſtores in locum militarium duorum.

At non multo poſt quaeſtorum numerus immane quantum augeri coepit: qui ad ultimum *Quaeſtores candidati* vocari coeperunt: quos quarti generis eſſe initio dixi, ſub Caeſaribus celebres. Horum initia proxime ſequentibus verbis a ſcriptore annalium ibidem adumbrantur: *Poſt lege Sullae viginti creati legendo ſenatui, cui judicia tradiderat. Et quamquam equites judicia recuperaviſſent; quaeſtura tamen ex dignitate CANDIDATORVM, aut facilitate tribuentium, gratuito* (49) *concedebatur*. Plura ad hunc locum interpretes. Quis vero ſcit, an non *Candidatorum* mentio eo fine hîc a Tacito injecta fuerit, ut *Quaeſtorum candidatorum* (50) nominis originem, & rationem ab alto repeteret?

II. *An*

talium quaerendarum. Nam PARICIDA non utique is, qui parentem occidiſſet, dicebatur, ſed qualemcumq. hominem. Idem in *Quaeſtores* ait: *QVAESTORES dicebantur quod quaererent de rebus capitalibus: unde qui talia quaerunt, quaeſtores paricidi appellantur*.

(46) Raro *Quaeſtores* pro quaeſitoribus poſteriora reip. tempora uſurpabant. Inter rariora exempla afferri poteſt, quod Varro id nomen commune aerario magiſtratui cum maleficiorum quaeſitoribus habuit in IV. de L. L. c. 14. *Quaeſtores a quaerendo, qui conquirerent publicas pecunias & maleficia, quae triumviri capitales nunc conquirunt. Ab his poſtea qui quaeſtionum judicia exercent, Quaeſtores dicti.* Tamen ultima verba haud me invito refinxeris in *Quaeſitores dicti*; id enim vocabulum aetate Varronis uſitatius. Similiter Tullius in Catilinaria IV. cap. 20. ubi *Quaeſtorem* conjurationis videtur ſeſe appellare, ibi in vet. codice *Quaeſitoris* non *quaeſtoris* vox legitur. Verum in Gruteriana Epigraphe (pag. 360. 3.) diſerte memoratur *quaeſtor decemviratium litium judicandar*.

(47) Lipſius ad hunc Taciti locum ex Livio & Dionyſio hos numeros ita refingendos putavit, ut XXIII. pro LXIII. legatur. Quaeſtor alter non *Mam. Aemilius* [ut in Tacito] ſed *Caeſo Fabius* eisdem Livio & Dionyſio dicitur.

(48) *Duplicatum numerum* fuiſſe etiam Liviana Epitome XV. dixit, idque ſic explicat, *Ita ut octo eſſent*. Ergo numerus, ex quo duplicato redigun-tur octo, quaternio erat, qui ex binis quaeſtoribus militaribus poſt reges exactos creatis, totidemq. aliis ut Romae curarent, coaluerat. In horum igitur quaeſtorum numero primi illi *Paricidi quaeſtores*, qui ſub regibus exſtiterunt, a Tacito non numerantur [etſi eos perſtitiſſe in rep. nullus ambigo] non numerantur autem, tum quia nomine non re cum militaribus & urbanis convenirent, tum etiam quod capitales illi quaeſtores jam pridem *quaeſitores* tranſnominari coepiſſent.

(49) Recte *Gratuitò*: nam non niſi antea *ſtraturae viarum*, aut *munus glaudiatorium* aditum ad quaeſturam parabat, teſte Tranquillo in Claudio cap. 24.

(50) Hîc quidem Tacitus, quia de quaeſtura ſtantis adhuc reipublicae agit, *Candidatos* non alios quam petitores quaeſturae intelligit. At quia ex hoc tanto quaeſtorum numero patuit poſtea ſub Caeſaribus janua *Quaeſtoribus candidatis*, qui libellis Principum in ſenatu legendis potiſſimum occupabantur; videtur hoc loco Tacitus *Canditatorum* mentione factâ, ſimul oblique ad *Candidatorum* ſui temporis *quaeſtorum* originem, ſimulque rationem appellationis digitum intendiſſe. Hic enim honor (quem *quaeſturam candidatam* vocare licebit) primus ad dignitates maximas ingreſſus erat. Ac de his tritiora jam omnia, quam ut iis immorari neceſſe ſit.

Digitized by Google

II. *An Quaeſtor Vrbanus alius a Quaeſtore qui aerario praeerat.*

Hactenus diverſa quaeſtorum genera, eorumq. origines pro virili adumbravimus. Nunc in *Vrbanos* ſive Aerarios quaeſtores (de quibus haec Tabula loquitur) non nihil inquirendum. Nam de his quoque non levis caligo circumſtat. Dubitatur enim primum, quot numero fuerint. Etſi equidem Quaeſtores Vrbanos & ab initio duos (51) fuiſſe ſatis ſcio: nec poſtea (52) multiplicatos ſtante rep. proditum exſtat.

Deinde & illud ambigitur, an *Quaeſtores Vrbani*, iidem qui *Aerarii* fuerint. At certe quo tempore haec Tabula prodiit (h. e. ferme octogeſimo ante Chriſtum anno) duos Romae quaeſtores (praeter criminum quaeſtores ſive *quaeſitores*, quos ſemper excipio) fuiſſe neceſſe eſt: hos vero ita inter ſe diſcretos, ut unus diceretur *Vrbanus*, alter *Qui aerario praeeſt.* Nam quo modo hîc ſcribitur (*Per. Quaeſtorem. urbanum. eumve. quei. aerario praerit*) eisdem plane verbis id repetitur ver. 39. 47. 48. Ex his vides ex duobus quaeſtoribus, unum *Vrbanum* ſimpliciter dictum, alterum *Qui aerario praeeſſet*. Nam quamvis uterque *Vrbanus* re vera eſſet; tamen uni *urbana provincia* abſolute dicta (quae ſcil. fiſcalia negotia ſine pecuniae attrectatione tranſigeret) alteri *aerarium provincia obtingebat*. Sicuti ex praetoribus uni urbana ſors, alteri peregrina obvenire dicebatur; nec tamen eo minus uterque praetor *Vrbanus* erat, & interdum dicebatur. Sane convenit cum hac Tabula, quod in Legis Thoriae parte altera legitur, *Quaeſtor. quei. aerarium. provinciam. obtinebit*. Hunc tamen ipſum nihilo minus *Vrbanum* dici, efficitur ex lege de Viatoribus (Grut. pag. 628. v. 1.) *Q. VRB. quei. aerarium. provinciam. obtinebit*. Idemque v. 2. omiſſo τῶ VRB. repetitur. Atque is interdum *Quaeſtor ab aerario* (ut in Grut. p. 337. 2. & 1026. 9.) interdum *Quaeſtor aerar.* (ut in eod. p. 455. 2. & 1097. 5.) dicitur. alibi vero paſſim *Quaeſtorem Vrb.* ſine additamento reperies; ita ut ſive eum qui aerario praeeſt, ſive illum alterum ab aerarii cura immunem (quia ex aequo uterque *Vrbanus* erat) interpretari liceat. Ambo autem *Vrbani* πρὸς διαϛολὴν (*ad diſcrimen*) ſcil. *Provincialium* vocabantur.

At inquies, interdum plurative ſcriptum reperiri, *Quaeſtores Vrbani* (aut etiam ſine τῶ VRB.) eiſque tamen aerarium provinciam tribui; ut apud Grut. pag. DVIII. & apud Sigonium de ant. jure civ. Rom. Vtrumque locum ſupra in Adnot. 43. adſcripſi, ubi de quaeſtoribus. At reſpondeo in illis ſententiam legis generalem eſſe. Nam plurativo numero (nim. *Quaeſtores qui aerarium provinciam obtinent*) non ſignificatur, utrique ſimul quaeſtori pecuniae curam fuiſſe traditam; verum generalis locutio eſt, tantumdem valens, ac ſi dixiſſet, *Quicumque in poſterum quaeſtor ille erit, cui ex duabus illius anni ſortibus, aerarium obvenerit* . . .

Haud temere igitur perſuaſum mihi eſt, liberae reip. tempore binos fuiſſe quaeſtores Vrbanos, quorum alteri ſors urbana (h. e. negotia hujuſmodi, quae nos *fiſcalia* vocamus) alteri aerarium provincia obvenerit. *Aerarium* cum dico, non ſolam pecuniam ſive vectigalem ſive manubialem, aut alterius generis intelligo, verum & SCta, legeſque omnes, foedera & quidquid in aes incidebatur ad perpetuitatem, intelligo. Sub Auguſto tamen & ſucceſſoribus cura publicarum Tabularum a quaeſtoribus ad praefectos in id creatos tranſiit: de quo videatur Tacitus Annal. XIII. cap. 28.

---

(51) *Quaeſtores urbanos* [quatenus ſcil. a ceteris quaeſtoribus diſtinguuntur] ab initio fuiſſe duos, non eſt dubitandum. Vlpianus l. 1. D. *de offic. quaeſt.* ait: *Origo quaeſtoribus creandis antiquiſſima eſt, & paene ante omnes magiſtratus. Gracchanus denique Junius . . . etiam ipſum Romulum & Numam Pomp. BINOS QVAESTORES habuiſſe . . . refert*. Dixeris hoſce primitivos *quaeſtores binos* [ut qui ad *Parricidii quaeſtores*, quos apud Pomponium in de orig. juris XII. Tabulae memorant, ſint referendi] nihil habuiſſe cum aerariis commune. At ad illorum exemplum poſt reges exactos fuiſſe item creati duo [Valerius Potitus & ille alter] memorantur. Ad haec addit Tacitus: *Dein gliſcentibus negotiis DVO ADDITI, qui ROMAE CVRARENT*. En Vrbanorum *duorum* origo.

(52) Nuſquam in liberae reip. hiſtoriis, nuſquam in marmoreis aeneiſque eorumdem temporum monumentis plures duobus memoratos equidem deprehendi. Hic ipſe hujus Tabulae locus, in quem commentamur, non plus duos quaeſtores exhibet, ſicuti & ver. 39. 47. & 48.

Digitized by Google

38 *viam locaverit, tantae pecuniae* (nomine) *eum eosque, quorum ante aedificium ea via erit* [*pro portione, quantum*
39 *cujusque ante aedificium viae in longitudine & in latitudine erit*]
Quaestor urbanus, quive aerario praeerit, in tabulas
40 *publicas pecuniae factae referendum curato: &* (ei) *qui eam viam tuendam redemerit, tantae pecuniae* (nomine) *eum eos-*

VER. 37. 38. 40. *Quantâ pecuniâ eam viam locaverit, tantae pecuniae eum . . . in tabulas publicas . . . referendum curato*] Haec ultima (*referendum curato*) non leguntur nisi mox v.40. Verum genitivus ille (*Tantae pecuniae*) unde quaeso regitur? In textu interposui τὸ *Nomine* tam hîc, quam v. 40. ubi scribitur: *Tantae pecuniae* (supple *nomine*) *eum eosve adtribuito*. Vide quae de hoc similibusque tacitis genitivis mox extremo Scholio seq. notabimus num. IV.

VER. 39. 40. *In tabulas publicas pecuniae factae referundum curato*] Tabulas publicas privatis opponit. *Tabulas publicas* ubi audis, *Tabulas populi Rom.* interpretare: quarum ambitu tum *monumenta* (sic enim vocare libet) veluti leges omnium generum, foedera, censitiones & sexcenta talia (quae omnia in Aerario, tamquam in Populi Rom. tablino adservata fuisse, nemo ignorat) tum Tabulae rationum continebantur. Itaque pro loci ratione licebit sive Monumentorum Tabulas, sive Rationum, sive universe quaslibet interpretari. Vt ecce apud Vlpianum l. 2. D. *ad l. Jul. Majest.* ubi *Tabulas* (53) *publicas* reperis, generalis ibi notio est. At hîc quod additur PECVNIAE FACTAE, id generalem acceptionem ad Tabulas rationum restringit. Sic etiam apud Tacitum XIII. Annal. 28. *Addidit L. Piso def. consul, Nequid* (tribuni) *intra domum pro potestate animadverterent, neve multam ab iis dictam quaestores aerarii IN PVBLICAS TABVLAS* (supple *Rationum*) *ante quatuor menses referrent*.

Atqui cur non *Tabulas accepti* potius, quam *pecuniae factae* Lex nostra dixit? Nam *Accepti & expensi Tabulae* aevo Ciceronis illae rationum tabulae vocabantur: quas tum ipse Tullius in ea pro Roscio Com. prope ab initio describit, tum copiosius Asconius in III. Verr. Cur, inquam, illas non eâdem appellatione aes nostrum donavit? Ajo non ita vocatas, quia in tam immensa publicarum rationum vastitate necesse fuit unumquodque caput in alia rursus minutiora capita subdistinguere; ita ut aliae tabulae essent pecuniae *factae* (h. e. paratae jam quaesitaeque, etsi nondum numeratae) aliae *acceptae*, h. e. in aerarium illatae. Et quidem multae ac nomina debitorum in Tabulas pecuniae *factae* (modo tamen liquida essent: nam si exceptionibus obnoxia, ne hoc quidem) in tabulas *factae*, inquam, non autem *acceptae* referebantur. Id quod & ex hoc Tabulae loco, & ex supra scriptis Taciti (XIII. Ann. 28.) verbis perspicitur. *Neve* (ait ibi Tacitus) *multam ab iis* (tribunis) *dictam quaestores aerarii in PVBLICAS tabulas* (supple *Pecuniae factae*) *ante quatuor menses referrent*. Addit autem ejus dilationis causam hanc valde notandam: *Medio temporis contradicere multatis liceret: deque eo consules statuerent*. Nam si consules multam habuissent ratam, tum demum a quaestorib. in *publicas pecuniae factae tabulas* multas referendas fuisse innuit. Sic & hoc Tabulae loco id quod aedificii dominus pro viae tutela debebat, in *factae pecuniae tabulas* refertur: certe quia ad eam pecuniam exigendam nullis judiciorum ambagibus opus erat, verum quicumque adiretur, is illico *judicem judiciumve ita dare* tenebatur, *uti de pecunia credita*, ut infra ver. 44.

VER. 40. EI · OVOI] In altera voce O prius pro Q (id quod centies in hoc ære legitur) scalptum est. Verum syntaxis non *Quoi* (sive *Cui*) sed casum rectum postulat. De Graeca constructione, qua cum antecedente nomine relativum convenire in casum eumdem solet, hîc quidem

(53) Vlpianus l. 2. D. *ad l. Jul. majest.* ait: *Qui-ve sciens falsum conscripsit, vel recitaverit in Tabulis publicis: nam & hoc capite primo legis Majestatis enumeratur*.

Digitized by Google

41 *ve adtribuito ſine dolo malo.*

§. V. Adtributus morae nomine ad ſeſquialterum redemptori exſolvendum damnator judicio tamquam de pecunia credita.

Si is qui adtributus erit eam pecuniam diebus triginta proximis [*quibus ipſe aut pro-*

quidem ſtultum eſt cogitare; quia Graeci ipſi in obliquis tantum id ſibi licere ſinunt, non ubi relativum regere verbum ſequens (primo utique caſu) debet. Non igitur reſtat aliud, niſi ut ſcalptor in utroque O erraverit: quorum prius pro Q, alterum pro E poſuerit. Lege ergo QVEI, h. e. *Qui.*

VER. 40. 41. (Ei) *qui eam viam tuendam redemerit, tantae pecuniae eum eoſve adtribuito ſine dolo malo. Si* &c.] Iſtud *Tantae* &c. ſup. ver. 38. ſimili ſyntaxi legitur: *Tantae pec. eum ... in tab. pub. referendum curato.* Vide ibi dicta, ac mox in *Scholio.* Atq. in locationibus verbum *Adtribuo* apte uſurpatur. Cicero Phil. IX. *Quanti locarint, Tantam pecuniam redemptori adtribuendam.* Nihil vero admirabilius conſtructione hac verbi *Adtribuo.* Quid enim iſthuc monſtri eſt? *Aliquem alicui tantae pecuniae adtribuere.* Atque equidem cum in liberae Reip. legibus formuliſque vix quidquam jure adtributionis fuiſſe ſollemnius animadverterim; non invitus feci, ut in eo enucleando aliquid morae inſumerem.

SCHOLION.

De jure Adtributionis.

Atq. ut inde uſq. incipiam; ſciendum eſt, in Vet. Gloſſis *Adtribuo* tantumdem eſſe, quod Προσνέμω; ſicuti & *Adtributa* eſſe Προσνενεμημένα; & ſubſtantivum *Attributus* poni pro Απονέμησις. Ac verborum Προσνέμω & Απονέμω notae ſunt ſignificationes, quae verbo *Adtribuo* plane e regione reſpondent. Latino vero *Adtribuo* ecqua ſubjecta ſit in locis pleriſque notio, nemini obſcurum eſſe poteſt, qui paullum modo mentis aciem intenderit. Sed profecto a facilioribus orſis, ita demum ad paullo retruſiora indaganda progrediendum eſſe, via ratioque docent. Itaque I. de *Adtributa pecunia*: II. de *Adtributis nominibus*: III. de *Adtributis hominibus*. IV. de *Tantae pecuniae adtributis* (quo modo hîc legitur) dicam.

I. *Adtributa pecunia* eadem quae *Aſſignata*. Varro in fine quarti de L. L. *Ea* (pecunia) *quae ADSIGNATA erat, ADTRIBVTVM dictum ... Id quod adtributum erat* (dicebatur) *Aes militare*. Vbi Varro pecuniam quaeſtori provinciali aſſignatam in viaticum, annonam, ſumptuſque ceteros imperatoris, legatorum, exercitus, ſtipendiumque militare, ob oculos habuit. Id totum caſtrenſi ſermone *Adtributum* vocabatur. Cicero 3. Verr. *Pecunia adtributa numerata eſt: profectus eſt quaeſtor in provinciam.* Ad quae Aſconius: *Adtributa pecunia eſt, quae in ſtipendium militum de aerario a tribunis aerariis adnumerari quaeſtori* (provinciali) *ſolet.* Plura alia Tullii loca notionis hujus militaris omitto. Eadem autem & in rebus aliis poteſtas ejus verbi eſt. Veluti Phil. V. *Antonius mihi pecuniam attribuit.* Epiſt. ad Caninium: *Quae mihi attributa eſt pecunia.* Sed fruſtra his immoror. At illud quod ſupra ad v. 41. ex IX. Philippica attuleram, huc maxime pertinens, proderit in imo (54) margine ita lectori iterato reponere, ut tamen emendando impetrem faſtidii veniam. Huc quoq. pertinet extrema lex 45. D. *de leg.* 3. & l. 49. §. ult. eod.

II. Sed *nominum* h. e. debitorum *Adtributione* (quam vulgo *adſignationem* dicimus) nihil plane frequentius. Cicero ad Att. XVI. 3. *Quod Dolabellae nomen in iis eſt, & attributio eſt mihi nominum ignota, conturbor.* Quae apud veteres *Nomina adtributa* paſſim occurrunt, ea Cajus more ſui ſaeculi *Debita & credita* vocavit l. 3. D. *famil. erciſc.* his verbis: *Plane ad officium judicis nonnumquam pertinet, ut debita*

(54) Philippicâ IX. extremâ in SCto in Ciceronis ſententiam facto de ſtatua in honorem Ser. Sulpicii locanda ita legitur: *Quantique locarint, tantam pecuniam redemptori ſolvendam adtribuendamque curent.* At quaero, ubi ſoluta jam redemptori pecunia fuerit, quo adtributio valebit? Itaque litterâ Q extrusâ, legerem *Adtribuendamve.* Hoc certe ſibi voluit SCti ſententia, nim. ſive ſolvendam, ſive ſaltem adtribuendam: quo caſu adtributionem in locum non repraeſentatae pecuniae ſucceſſuram.

Digitized by Google

42 *curator ejus ſciet adtributionem factam eſſe*] *ei, cui adtributus erit, non ſolverit, neque ſatisfecerit; is*

43 *quantae pecuniae* (nomine) *adtributus erit, tantam pecuniam & ejus dimidium ei, cui adtributus erit dare debeto.*

44 *Inque eam rem is, quocumque de ea re aditum erit, judicem judiciumve ita dato, uti de pecunia credita* (judicem)

ta & credita ſingulis pro ſolido (h. e. pro ſortis & uſurarum ſolutione) *aliis alia ADTRIBVAT*, i. e. adſignet. Ea eſt *adtributio nominum*: quae & ἁπλῶς *Adtributio*, omiſsâ (uti fit) *Nominum* adjectione vocatur. Vt epiſt. ad Tironem XVI. 24. *De adtributione conficies, de repraeſentatione videbis*. Ad Att. XV. *Seſe de adtributione omnia ſumma feciſſe*. Et ubi non?

III. Venio ad homines *adtributos*: tametſi ſive *Nomen*, ſive τὸν δεῖνα *adtributum* dixeris, nihil plane intereſt. Veluti in XIII. ad Att. 2. τὸ *Faberius adtribuatur*, idem eſt quod *Faberianum nomen*. Locus integer his verbis concipitur: *Faberius ſi venerit, videbis ut tantum attribuatur . . . quantum debetur*. Vbi perperam Manutius exponit, *Numeretur, ſolvatur*: qui ex locis ipſis Pediani, Varronis, & Ciceronis a ſe productis intelligere potuiſſet, *Adtribuere* in re contractuum eſſe *Adſignare*. Omnino vult Faberianum nomen integrum adſignari, h. e. quantum hic debet, id totum aſſignari venditoribus hortorum, de quibus ſaepe in proximis epiſtolis ſermo recurrit. Adhaec ad Att. XVI. 22. ſic antea legebatur: *Ad tribunos quod appelles, valde probo*. Male; nam nec *Appellare AD* probum eſt, & omnino opportunioribus hîc opus erat. Sed ei loco ex vet. libro ſuo Victorius reſtituit animam, ex quo ita correxit: *Attributos quod appelles, valde probo*. Quid *Adtributi* ſint, jam ab initio vidimus. At *Appellare* judiciale verbum eſt, quod in Jure noſtro *Convenire* dicitur. Itaque ut *Appellare ſponſorem*, ita & *Appellare adtributos* Cicero uſurpavit. Plinius ita de alvo lepide: *Inſtat ut creditor, & ſaepius die appellat*. Sed eo redeo. *Adtributi* plane iidem ac debitores adſignati. Eâdem notione Cicero in Ver. mulierculis *civitates adtributas*, ita conqueritur: *Haec*, inquit, *civitas redimiculum praebeat, haec in collum, haec in crines*.

IV. At genitivus ille *Tantae pecuniae adtribuito*, mirus, inquis, eſt. Certe mirus, quia nondum inſuevimus locutioni huîc; ſicuti contra damnandi, accuſandi, aeſtimandi, aliiſque talibus verbis cum ſecundo conſtructis jam tum a pueris tritas habemus aures. Ceterum is genitivus ab aliquo nomine tacito regitur, veluti *Causâ*, aut quovis alio naturae rei, qua de agitur, reſpondente. Atque hîc equidem nihil aptius quam ablativum *Nomine* ſuppleverim. Nam quia de pecuniaria re hîc ſermo eſt (in qua vox *Nomen* nullas notiones non induit) tam hîc quam ſup. v.38. poſt *Tantae pecuniae*, non aliud quam *Nomine* ſubaudiendum putavi. Jam vero cum hîc *Adtribuo* cum caſu patrio pecuniae uſurpetur; mirer ni locus ille, quem modo num. III. ex epiſtola ſecunda lib. XIII. ad Att. adſcripſi, ita ſit caſtigandus, ut legatur TANTI pro *Tantum*. *Faberius*, inquit, *ſi venerit, videbis ut TANTI* (h. e. *tantae pecuniae*: plane ut in ære noſtro) *tanti*, inquit, *adtribuatur, ſi modo adtribuetur, quantum debetur*. At librarii ſcripturae inſolentiam averſati, repoſuere *Tantum*.

VER. 42. *Non ſolverit neque ſatisfecerit*.] Vides hîc *Solvere* & *ſatisfacere* invicem opponi, & hoc alterum pro *Satisdare* poni. Quod ſedulo notandum arbitror; nec enim memini apud antiquiores unquam id verbum ita uſurpari. Id tamen eo fit, quod ſumma legum antiquarum caritate laboratur. Ceterum in Pandectis etſi *Satisfacio* plerumq. idem quod Solvo eſt; tamen non deſunt exempla quaedam, in quibus pro *Satisdare* uſurpatur ut hîc.

VER. 44. QVOQVOMQVE . . . . *aditum erit*] *Quocumque* pro *Ad quemcumque* uſurpari, haud ſingulare eſt.

Ibid. *Judicem judiciumve ita dato, uti de pecunia credita*] Praetori potiſſimum haec dici, videri poſſit: ad quem *Judicem judiciumque dare* praecipue pertinet, cum id primo

Digitized by Google

45 *judiciumque dari oportebit.*

§. VI. Rurſus de locatione viae, deque pecunia redemptori heredive ejus adtribuenda.

46 *Quam viam hac lege tuendam locari oportebit, Aedilis* [*quem eam viam tuendam locare oportebit, is*] *eam viam per*

primo trium ſollemnium verborum (*Do, dico, addico*) contineatur. Verum id totum non ita praetorum peculium fuit, quin aliis quibuſcumq. magiſtratibus jurisdictionem habentibus competierit, praecipue aedilibus, quippe quibus *Tribunal* haec Tabula v. 34. concedit; imo quibus etiam edicta proponere licuit, cum *Editiones aedilitias* Plautus memoraverit, & in Pandectis *Aedilitium edictum* celebratiſſimum ſit. In primis autem Tribunal jurisdictionis indicium fuit. Ceterum quod magiſtratibus omnibus jurisdictionem habentibus tria effari verba licuerit, & (uti Tabula loquitur) *Judicem judiciumque dare*, etiam ex jure (55) noſtro liquido conſtat.

Nunc illud QVOQVOMQVE ſive *Ad quemcumque aditum fuerit*, quam late pateat, diſcutiendum eſſet. Sed in obſcuro verſamur. Si ſic accipimus, ut adire quemlibet ex jurisdictionem habentibus liceret; nemo non videt, quam hoc late diffundatur. At ſi praeter jurisdictionem, etiam *Notio* (ſive ut id genus cauſae ad illius magiſtratûs cognitionem pertineat, quod *Fori Competentiam* vulgo appellant) requiratur; tum illud QVOQVOMQVE reſtrictius erit; nec fere alios complectetur, quam (56) Conſules, Praetorem urb. (cujus jurisdictio vix ullis terminis coercebatur) facile & Praet. peregrinum: potiſſimum vero aediles quatuor (qui competens eorum, de quibus hîc agitur, magiſtratus erat) unâque forſan IVviros & IIviros viis purgandis. Adde & magiſtratus alios, qui de rebus civilibus notionem haberent. Vtro modo quis intelligat, non repugnabo.

Non tantum autem *Judicem*, ſed & *Judicium dari* ab eo, ad quem aditum erit, lex jubet. In Edicto praetoris interdum *Judicium dabo*, interdum *Actionem dabo* legebatur. Quae duo, an, & quo differrent, alii viderint. Mihi quidem certe non eſt dubium, quin quae nomina vocabulo *Judicis* in hiſce locutionibus ſubnecti ſolent, idem unumque omnia, & ex aequo notent. Ergo *Judicem* & *Actionem dare* idem quod *Judicem Judiciumque*, idem quoque quod *Judicem* & *formulam*. Omnino ubi praetor, aut aedilis judicium dabat, ſimul etiam dabat & formulam. Ea formula continetur ſequentibus verbis: *Ita*, inquit, *dato*, *VTI DE PECVNIA CREDITA*. Atque hinc patet, hoc quidem proprie non futurum fuiſſe *judicium de pecunia credita*; ſed tamen legis hujus beneficio competiiſſe redemptori *judicium uti de pecunia credita*, omnium ſcil. expeditiſſimum. *Judicium*, ſive *Actionem* (quae hîc vocatur *Vti de pec. cred.*) *Directamne* (57) an *Vtilem* dixeris per me utrumque licet.

VER. 44. 45. *Vti de pecunia credita* (judicem) *judiciumque dari oportebit.*] Mediam voculam *Judicem* ſupplevi: quam ob ſcalptoris ſomnolentiam excidiſſe, tum proxime ſuperiora oſtendunt, tum encliticum illud QVE in ſequenti vocabulo.

VER. 46. *Quam viam hac lege . . .*] Periocha haec fere tota, totidemq. interdum ver-

(55) Vlpianus l. 3. D. *de jurisdict.* in fine: *Jurisdictio eſt* (praeter ſcil. id quod proxime dixerat) *etiam* (*in*) *judicis dandi licentia*. Interpoſui τὸ IN, quod videtur hîc legiſſe Harmenopulus, ita transferens lib. 1. tit. 4. Τὸ γὰρ δικάσαι δικαστὴν, Δικαιοδοσίας ἐστίν. *Judicem enim dare, Jurisdictionis* eſt. Paullus l. 12. §. 1. *Judicem dare poſſunt* (praeter alios quos enumerat) . . . *praefectus Vrbi, ceterique Romae magiſtratus*. Porro *Jurisdictio* eſt magiſtratuum, non item judicum datorum: quod paſſim in Jure decantatur; ut etiam illud quod *Jurisdictioni* praeeſſe dicuntur ii qui tribunali praeſunt. Ac porro alia generis hujus huc contuliſſe ſupervacaneum exiſtimavi.

(56) Ante praetores creatos, horum jurisdictio penes conſules erat: quam tamen nec poſt praetorum inſtitutionem umquam conſules amiſerunt. Nam ſtante Rep., imo & ſub Caeſaribus, haud raro a conſulibus edicta propoſita, nec non judices arbitroſq. datos, ſatis oſtenſum ab Heineccio ſcio in poſtuma *Hiſtor. Edictor* . . . lib. 1. cap. 4. §. 4.

(57) *Directa actio* eſt quae *rectâ* ex verbis apertave ſententia legis deſcendit. *Vtilis* ea eſt, quae, aequitate & utilitate ſuggerente, mentem legis ſpeciei propoſitae accommodat, & *Directam* imitatur. Indicia utilium actionum apud veteres Prudentes haec fere ſunt, *Quaſi ad exemplum* actionis illius: *Exem-*

Digitized by Google

47 *Quaeſtorem urbanum, quive aerario praeerit, tuendam locato, uti* (is, cui locata fuerit) *eam viam arbitratu ejus, qui eam viam locandam*

48 *curaverit, tueatur. Quantam pecuniam ita quaeque via locata erit, tantam pecuniam Quaeſtor urbanus, quive aerario praeerit*

verbis, continetur ſuperiore §. IV. Sed tamen ſatis utrinque intereſt, ne ſupervacanea videatur. Nam ſcopus comprehenſionis quartae is eſt, ut univerſe jura aedilium, quaeſtorum, redemptorumque in tuitione viarum ſanciat: hîc autem jubet ſine more aediles, quaeſtores, redemptores opus tuitionis aggredi ſecundum ea jura, quae §. IV. tradita fuerant: quo ſane illi imperativi pertinent, LOCATO, CVRATO.

VER. 46. 47. 48. *Aedilis . . . . per quaeſtorem . . . . tuendam locato, uti eam viam arbitr. ejus . . . . tueatur.*] Ecquis tueatur? Aedilis ne? nec enim aliud rectum praeceſſit. At quam abſurdum alterius arbitratu aedilem tueri? Ne plura: iis ſuppletis, quae uncis interpoſui (quae certe proxime praevio imperativo LOCATO involvuntur) omnia planiſſima fient. *Tuendam locato, uti* (redemptor is, cui locata fuerit) *eam viam arbitratu* &c. Nihil horum Conradus admonuit: quem vide pag. 298. cap. 10.

VER. 48. *Quantam pecuniam ita quaeque via locata erit.*] Pro *quanta pecunia*, ſcalpro fallente, *quantam* ſcripſit. In eo quod ſequitur *ITA quaeque via*, illud *Ita* etſi poteſt ſignificare *hoc modo* (nim. decimo ante die propoſito edicto &c. ut ſupra) tamen perſimile eſt, quod in Tabula praeconum & viatorum ſcribitur apud Grut. p. 628. *Quam. in. quiſque. decuriam. ITA. viator. lectus. erit. is. in. ea. decuria. viator. eſto*: quod mox totidem verbis bis repetitum legitur. Vbi etiam illud ITA dubites an ὅτως (*iſto modo*) interpretere, an vero cum diſtributivo *Quiſque* eleganter olim jungi conſueverit.

Ibidem ſequitur: T. P. Q. VRB. &c.) Notas haſce Maittairus tum in ἐκφράσει, tum etiam in adnotatis ita expreſſerat, *Tribunus, Praetor, Quaeſtor Vrbanus*: quod ipſum Conradus ſecutus eſt in notulis ſuis, quas textui ſubjecit, & in ſuo Commentario cap. 9. & 10. (ſupra p. 297. 298.). Quos quidem ſi nihil aliud, hoc ſaltem commonere debuerat, quod *Praetorem* poſt *Tribunum* plebis nominari non decuiſſet. In hac ipſa Tabula ferme ab initio uſque ad v. 12. hic ordo magiſtratuum, apud quos profiteri oporteret, praeſcribitur. 1. *Conſul*: 2. Conſule abſente, *Praetor* Vrb. aut Peregrinus: 3. utroque deficiente, *Trib. plebis*. Tolerabilius erat, ſi quis tres ſingulares T. P. Q. interpretaretur, *Tribunus plebis, Quaeſtor*; ſi id, quo de agitur, ad tribuni plebis notionem pertineret. Verum quid moror? Quid duae illae ſingulares notent, Tabula haec ipſa ineunte hoc verſu oſtenderat. *Quantam pecuniam ita quaeque via locata erit*, T. P. (h. e. tantam pecuniam) *quaeſtor urbanus... adtribuendam curato*. Nam quia proxime *quantam pecuniam* totidem litteris expreſſerat, ea de cauſa hoc ſibi licere ſivit, ut inſolitis hiſce duabus notis T. P. (pro *tantam pecuniam*) uteretur. Atqui illud quo mihi ſomno exciderat? quod certe litem evellit radicitus. Nam paullo ſuperius v. 43. *quamtae pecuniae* ſtatim TAMTAM PECVNIAM integris litteris reſpondere facit.

Interim quod QVAMTVS & TAMTVS cum M loco N in Tabula conſtante ſcribatur, id ſedulo, non incogitantiâ factum; quia ex *Quam* & *Tam* mera productione vocabuli derivantur.

VER.

Exemplo &c. *Veluti: Ad ſimilitudinem*: aliaque talia. Ergo illud VTI, quod in ære noſtro actioni *de pec. cred.* praeponitur, aperte demonſtrat, hanc non quidem directam ſed utilem actionem eſſe dicendam. Tamen id verum eſſet, ſi haec periocha ex Papiniani, Paulli, alteriuſve ICti ſtylo prodiiſſet. Nunc cum illud VTI ſit ipſiuſmet legis hujus, in quam commentamur, vocabulum, cumq. lex eadem *actionem de pec. credita* ad hanc alteram ſpeciem extenderit; ſtatuendum videtur, hanc actionem *Directam*, non vero *Vtilem* eſſe appellandam, quippe hîc diſertiſſimis verbis Juris civilis, ejuſdemque beneficio proditam. Ita equidem opinabar.

Digitized by Google

49 *redemptori, cui e lege locationis dari oportebit, heredive ejus, dandam adtribuendam curato . .*

§. VII. Viarum purgandarum cura aedilibus, quatuorviris, duoviriſque, ſicut ante fuerat, hac lege firmatur.

50 *Quominus Aediles & Quatuorviri viis in urbe purgandis, Duoviri viis extra propiuſve Vrbem Romam paſſus* (mille)

VER. 49. *Redemptori . . . heredive ejus dandam . . .*] Initio, cum tota haec comprehenſio non aliud quam quartae periochae epitome videretur, non alia de cauſa haec iterari placuiſſe putabam, quam quod in periocha IV. v. 40. redemptoris tantum (cui adtributio facienda) fit mentio, *Herede* imprudenter omiſſo. Hac vero praeteritione animadverſa, ecce tibi ſententiam totam illam in epitomen redigi placuit, ne quid periculi ſcil. *Heredi* immineret. Quamvis vero periocha haec a quarta potiſſimum ſcopo differat (de quo ſupra ad verſ. 46.) tamen quo antiquiores leges ſunt, hoc magis, fateor, ob iſtam περιεργείαν moroſamque diligentiam (ex qua etiam fit, ut eadem ad nauſeam repetita, mediiſque infarta ſententiis, ſenſum earum turbent) plane enecant: contra vero ultimis reip. & primis Caeſarum temporibus monumenta legum brevitate & concinnitate ſuâ beant.

VER. 50. Finis hujus periochae hic plane eſt. Initio capitis hujus ver. 20. & ſeq. ſancitum fuerat, tutelam viarum tam intra urbem, quam extra ad milleſimum uſque paſſum a continentibus aedificiis, ad aediles pertinere. Cumque praeter aediles, etiam ſexviri *viis purgandis* in rep. eſſent, (quatuor ſcil. intra urbem: duo extra, ſed ad M. paſ. a continentib. Vrbis) videri poterant hoc legis capite ſexviri illi ab omni curatione viarum purgandarum remoti, idq. negotium hac lege aedilibus datum; maxime cum illud v. 23. (de danda ab aedilibus opera necubi AQua CONSISTAT) videatur aliquatenus curae viarum purgandarum pars exſtitiſſe. Sed & viciſſim aedilibus timendum fuiſſet, nequando a cura purgandarum viarum exciderent, propterea quod viarum purgatio ſeviralem magiſtratum peculiarem haberet. Ergo hac lege utriſque (tam aedilibus ſcil. quam ſexviris) cavetur, nequid detrimenti ex hac lege in purgatione viarum ipſi caperent, verum ut, ſicut antea, ſic etiam in poſterum (ea enim eſt vis clauſulae illius, *Eorum hac lege nihil rogatur*) tum aediles, tum ſexviri in vias purgandas in commune incumberent.

De quatuorviris ac duoviris hiſce, praeter alios paullo antiquiores ἀρχαιολόγους, videndus nuperus de tutela viarum ſcriptor Ever. Otto par. 2. cap. 5. nec non Car. Conradus in explicatione hujus Tab. cap. 8. ſupra pag. 296. 297. Ac ſane ſexvirûm horum notitia ex Dionis lib. LIV. pendet. Nos Dionis locum initio ſegmenti Neapolitani explicabimus, & cum Feſto & aliis comparabimus. Et quatuorviri quidem duoviris paullo antiquiores videri poſſunt; eorumque, praeter Dionem, etiam Pomponius & inſcriptiones meminerunt; cum contra duovirûm nemo alius niſi Dio, dum hos ab Auguſto ſublatos ſcribit, mentionem injecerit. Itaque eo pretium huic Tabulae ſtatuitur majus, quod horum duovirûm dum adhuc in rep. ſuum munus obirent, mentionem fecerit.

Et jam quidem ex Dione neſcio quam laxiorem ſexvirûm iſtorum, levioremq. quam pro accurata ſubtilitate, notitiam hauſeramus. Vide ſi lubet, Dionis (58) locum. At ex hoc æris Heracleotici verſu nunc primum cognoſcimus ſexviris iſtis non aliud munus impoſitum fuiſſe, niſi tantum ut *purgarent* (59) *vias*. Hoc tamen utrinq. interfuit, quod quatuorvirûm munus erat

Xx intra-

(58) In Dione lib. LIV. ex his ſexviris alii fuere *Quatuorviri* (οἱ τῶν ἐν τῷ ἄστει ὁδῶν ἐπιμελούμενοι) *viarum Vrbis curam gerentes* (qui quidem perſtitere ſemper) alii vero *duoviri* (οἱ τὰς ἔξω τοῦ τείχους ὁδοὺς ἐγχειριζόμενοι) *qui extramuranas vias ſibi commiſſas habebant*: quos duos Auguſtus de medio ſuſtulit.

(59) Aedilibus quidem primario viarum tutela incumbebat, ac ne purgatione quidem exclusâ, ut ex initio hujus §. aperte colligitur. At ſexviris non aliud imponebatur munus, quam viarum purgandarum. Aut ſi aliud ante curabant, ea curatio abrogata per hanc legem fuit; quia illud (*Eorum H. L. N. R.*) tantum quae diſertim poſt QVOMINVS exprimuntur, complectitur. Atq. id jus tempore æris hujus obtinebat. At poſt Auguſtum duoviri evanuerunt, quatuorviri vero ampliore viarum cura donati

Digitized by Google

51 *purgandis, quicumque erunt, vias publicas purgandas curent; ejusque rei potestatem habeant,*

52 *ita uti legibus, plebisve scitis, senatus* (ve) *consultis oportet oportebit, eorum hac lege nihil rogatur.*

§. VIII. De semitis.

53 *Cujus ante aedificium semita in loco erit, is eam semitam* (cum) *eo aedificio perpetuo lapidibus perpetuis*

intramuranas Romae vias, at contra duovirûm extramuranas *Purgare*, h. e. *Ad libramentum proprium redigere, sublato eo quod supra eam esset*; sic enim Vlpianus quid sit *Purgare viam* definit l. 1. §. 1. D. *de via public.*

VER. 52. EVM · H · L · N · R ·] H. e. *Eorum hac lege nihil rogatur.* Cave illud EVM supinitati scalptoris vertas. Imo potius sicuti *Duum* pro *Duorum* dicitur, & *Virum* pro *virorum*, & plura millena hujus generis; ita *Eûm* pro *Eorum* scripsit. Alibi *EIVS hac lege nihil rogatur* legitur, interdum EX · H · L · N · R · interdum litteris solis quatuor, H · L · N · R.

VER. 53. QVOIVS · ANTE · AEDIFICIVM · SEMITA · IN · LOCO · ERIT] De *Semitae* vocabulo pulchra sunt, quae Vossius in suum Etymologicum contulit. Ad hanc vero periocham multa quidem clariss. Conradus (quem vide sup. p. 298. cap. XI.) attulit, sed quibus carere impune poteramus: ceterum, quae hîc remorari lectorem possint, ea non attigit. Veluti illud, IN LOCO, utrum otiosum torpeat, an vero aliquid innuat, non pensi sui duxit. Ne morer; illud IN LOCO apud elegantes scriptores idem est, quod (60) *suo loco*. Nempe ne hîc *semita* cum artiore via (nam haec quoque interdum (61) *semita* vocata fuit) confunderetur; hîc semitam a via ita lex nostra distinguit, ut partem a toto. Romanae enim viae, sive urbanae sive rusticae, semitâ utrinque terminabantur, in modum altioris marginis factâ, in usum iter pedestre carpentium, ne bajulorum, jumentorum & vehiculorum incursu obliderentur, lutove oblinerentur. In Appiae vestigiis adhuc supersunt semitae ejus (62) moduli, ut altae sesquipedem sint, latae paullo minus pedibus binis. Ait ergo lex: Vbi *semita in loco* (suo) *erit*, h. e. si via non angustior fuerit (sicuti in vicis & angiportis) ut semitis careat, verum utrinque semitas *loco* suo habuerit, aedificiis adhaerentes &c.

Ibid. *Is eam semitam . . .*] non dimidiam (quod de viis lex jusserat) sed totam.

VER. 53. 54. EO · AEDIFICIO .... CONTINENTEM · CONSTRATAM · RECTE · HABETO] Insolens constructio sententiam obscuravit. Verum ne dubita, quin *τὸ Eo aedificio* a vocabulo *continentem* regatur. Id vero dupliciter potest intelligi, primum, ut sit ellipsis particulae CVM. *Continentem* (cum) *eo aedificio*, h. e. ei aedificio cohaerentem. Ac sane est, ubi *Continens* adsciscat post se (63) *Cum*. Deinde (idq. expeditius veriusque) ut EO AEDIFICIO dandi casu ponatur: cujus antiqui dativi in O definentis non desunt exempla (64) similia. Ceterum *Continens*

nati videntur: quo magis Dioni parcendum, si laxioribus verbis in utrorumque curatione designanda sit usus, quippe jamdiu moribus immutatis.

(60) Horatius: *Dulce est desipere in loco*. Terentius Heaut. *In loco ego vero laudo*.

(61) *Semitam* interdum esse tantumdem quod angustiorem viam, si non aliud, loca haec ostendunt. Phaedrus:

Ego porro illius (Aesopi) *semitam feci viam,*
Et cogitavi plura quam reliquerat.

Et illud Martialis VII. 60.

Jussisti tenues, Germanice, crescere vicos,
Et modo quae fuerat semita, facta via est.

Ex quo vides in vicis & angiportis non vias, sed semitas fuisse appellatas: qui vici ubi laxiores evasissent, jam simul viis, quas semitae finiebant, permeabantur.

(62) Non tamen praesto, easdem ubique mensuras fuisse. Vel nuper in Regiis Pompeianis suffossionibus via quaedam detecta fuit, semitis utrinque finita: quae tamen, uti metatores narrant, prope duplo latiores, multoque humiliores, quam in Appia, sunt.

(63) Cicero in I. de Invent. cap. 26. *Continentia CVM ipso negotio sunt ea, quae semper affixa esse videntur ad rem, neque ab ea separari possunt*. Item lib. II. eisdem verbis: *Videre . . . opertebit, quae sint continentia cum ipso negotio, hoc est quae ab re separari non possunt*. Item lib. XV. ep. 2. *Cappadociae pars, quae cum Cilicia coniinens est*.

(64) Pronomina, quorum genitivus in IVS, dativus in I desinit, olim casum secundum in I, tertium in O terminabant, ut ab *Vllus, ulli, ullo*; & ab *Alius, alii, alio*. Sane Appulejus antiquitatis affecta-

Digitized by Google

54 *integris continentem , conſtratam recte habeto arbitratu ejus Aedilis ,*
cujus in ea parte hac lege viarum
55 *procuratio erit .*

nens cum dativo uſurpatum Ciceroni (65) familiare fuit. Ergo vult ſemitam ita conſtrui , ut *ei aedificio* (privato) *continens* ſit, eique quam artiſſime cohaereat, ita ut non tantum ſemita & aedificium invicem ferruminentur, ſed &, opinor, ut ſemitales lapides aliqua ſui parte in aedificii parietes adigantur , nequando junctura rimas agat . Jam cetera inſpiciamus.

Ibidem : LAPIDIBVS · PERPETVEIS · INTEGREIS . . .] Lapides *perpetuos* (h. e. non tantum continuatos , verum etiam apte commiſſos ; uti ex veterum viarum veſtigiis animadvertitur) ſterni jubet: non tantum autem perpetuos aptari, verum etiam INTEGROS. Quid iſtuc *Integros* eſt ? Non aliud certe eſt , quam quod lex jubet, ſemitae latitudinem ſingulis conſterni , non vero jugatis lapidibus . Incredibile dictu eſt , quantopere in ſemitis (quae pedes binos in latum non prorſus aequarent, ſupra viam vero ad ſeſquipedem aſſurgerent) lapides integros, ac proinde ingentes , depangi prodeſſet , tum ſcil. ad ſemitarum perennitatem, tum etiam ad firmamentum viarum , quas utrinque ſemitae conſtringebant. Id vero multo plus in ruſticis valebat viis , quae , utpote nudae aedificiis , in ſemitas deſinebant .

Ibid. *Conſtratam . RECTE . habeto .*] Particula RECTE in legibus operis faciundi , quas in marmoribus legiſſe memini , non raro occurrit eâdem notione qua hîc. Valet autem , ni fallor , *Ad artis praecepta* , ſeu *Sine vitio*. Sed &. in cautionibus antiquis iſtud *Recte* tertio quoque verbo inculcatur , ferme ut redundare videatur . Plenâ manu exempla cumulavit Briſſonius in Sel. Antiq. jur. I. 9.

VER. 54. 55. *Quoius in ea parte , hac lege , viarum PROCVRATOR erit .*] τὸ *Viarum* non ad *Lege* refertur (quaſi ſcil. caput hoc alterum, quod hîc deſinit , fuerit *Lex viarum* vocata) ſed ad ſequens vocabulum *Procurator* . Niſi quod non *Procurator*, ſed *Procuratio* legendum eſſe, tum ſup. ex ver. 28. tum infra ex 70. luculenter intelligitur .

ſectator ab hujuſmodi dativis non abhorruit. Lib. VII. *Caput peſſimo iſto aſino demere*. Lib. VIII. *Vno potiundi ſtudio poſtponens* . L. IX. *Inhianſq. toto patrimonio* . L. XI. *Totoque populo Rom. renunciat* . In vetere marmore, *Ab altero ſperes*, *ALTERO quod feceris*.

(65) Cicero in II. de Nat. deor . *Mari aer continens eſt*. Pro Caecin. *Huic fundo continentia quaedam praedia atque adjuncta mercatur.* Ibid. *Hic fundus qui fundo ejus antiquo continens eſt* . In I. de Nat. d. *Motus ſenſui conjunctus & continens* .

C a p u t III.

56 QVAE · VIAE · IN · V · R · SVNT · ERVNT · INTRA · EALOCA · VBI · CONTINENTI · HABETABETVR · NEQVIS · INIEIS · VIEIS · POST · K · IANVAR ·
57 PRIMAS · PLOSRVM · (60) INTEP · DIV · POST · SOLEM · ORTVM · NEVE · ANTE · HORAM · X · (61) DIEI · DVCITO · AGITO · NISI · QVOD . AEDIVM
58 SACRARVM · DEORVM · INMORTALIVM · (62) CAVSSA · (63) AEDIFICANDARVNT · OPERISVE · PVBLICE · FACIVMDEI · CAVSA · (64) ADVHEI · PoRTA
59 RI · OPORTEBIT · AVT · QVOD · EX · VRBE · EXVE · IEIS · LOCEIS · EARVM · RERVM · QVAE · PVBLICE · DEMOLIENDA · LOCA · ERVNT · PVBLI
60 CE · EX · PORTAREI · OPORTEBIT · ET · QVARVM · RERVM · CAVSSA · PLOSTRA · H · L · CERTEIS · HOMINIBVS · CERTEIS · DE · CAVSEIS · ACERE
61 DVCERE . LICEBIT

Digitized by Google

62 QVIBVS · DIEBVS · VIRGINES · VESTALES · (65) REX · SACRORVM · FLAMINES · PLOSTREIS · IN · VRBE · SACRORVM · PVBLICORVM · P · R · CAVSSA

63 VEHI · OPORTEBIT · QVAEQVE · PLOSTRA · TRIVMPHI · CAVSSA · QVODIE · QVISQVE · (66) TRIVMPHAVIT · DVCEI · OPORTEBIT · QVAEQVE ·

64 PLOSTRA · LVDORVM · QVEI · ROMAE · AVT · VRBEI · ROMAE · PVBLICE · FEIENT · INVE · POMPAM · LVDEIS · (67) CIRCIENSIBVS · DVCEI · AGEI · OPVS.

65 ERIT · QVOVE · MINVS · EARVM · RERVM · CAVSSA · EISQVE · DIEBVS · (68) PIOSTRA · INTERDIV · IN · VRBE · DVCANTVR · AGANTVR · E · H · L · N · R ·

66 QVAE · PLOSTRA · NOCTV · IN · VRBEM · IN · DVCTA · ERVNT · QVOMINVS · EA · PLOSTRA · INANIA · AVT · STERCORIS · EX · PORTANDEI · CAVSSA

67 POST · SOLEM · ORTVM · H · X · DIEI · BVBVS · IVMENTEISVE · IVNCTA · (69) IN · V · R · ET · AB · V · R · P · (*) MESSE · LICEAT · E · H · L · N · R ·

(60) VER. 57. Interdiu, *ut* 65. *Vid. ad lin.* 37. *CONRADVS*.

(61) X. *h. e.* decimam. *MAITT.* [*Sic & Conradus. At legendum esse* Horis decem *in loco ostendam.*]

(62) VER. 58. *Sic lin.* 60. 62. 63. 65. *Sed* CAVSA *lin.* 58. CAVSEIS *lin.* 60. *CONRAD. Vide Dausquium p.* 78. *Aldum p.* 165. *MAITT.*

(63) *Legendum*: AEDIFICANDARVM. *CONR.*

(64) *Legendum*: ADVEHI. *CONR.*

(65) VER. 62. *Scribi debuit* REGem, *ut recte monet Maittaire*. [*Non: sed vide in loco*] *CONR.*

(66) VER. 63. Triumphabit: *quod Idem notavit. CONRADVS.*

(67) VER. 64. *Antiqua scribendi ratio derivata a genitivo* Circi, *adjecta terminatione* ensis. *CONRADVS.*

(68) VER. 65. PLOSTRA. *CONRAD.*

(69) VER. 67. Intra Vrbem Romam ET AB Vrbe Roma Passus Mille. *Vid. ad lin.* 20. *not.* 21. *CONR.*

(*) [*Hic & v. seq. M insolitam figuram in ære habet, teste Maittaire.*]

CAPVT III.

De plaustris per Vrbem ducendis vel non.

§. I. Ne ab ortu solis ad horam decimam plaustra per Vrbem agantur, nisi aedium sacrarum operisve publici causa.

56 *Quae viae in urbe Roma sunt erunt, intra ea loca, ubi* (in) *continenti habitabitur, ne quis in eis viis post Kalendas Ianuarias*

Sequitur Caput III. plostrariam legem continens, & hanc commodo viarum, ne impeditiores sint, nihilo minus prospicientem. Hujus nos ubi continentiam percurrerimus totam, tum pauca postremo de plaustris, deque lege plostraria in universum commentabimur.

VER. 56. *In urbe Roma sunt erunt, intra ea loca, ubi continenti habitabitur*] h. e. quousq. continentia urbi aedificia pertinent. Ellipsis est praepos. Nam integrum fuisset *In continenti*. Hujus germanus, planeque ovo prognatus eodem, est Alfeni locus a Marcello relatus l. 87. D. *de V.S.* his verbis: *Roma est etiam, quâ* (supple *parte*) *CONTINENTI* (h. e. *in continenti*) *aedificia essent*. Integer Alfeni locus in sequentibus Adnotationibus adscribetur. De continentibus aedificiis pluries dictum a me supra ad hanc Tabulam fuit. Accedant hîc verba SCti apud Frontinum Artic. 104. *Consules V. F. de numero publicorum salientium, qui in Vrbe essent, intraque aedificia Vrbi conjuncta*. Pulcher sane locus, ut qui *Continentium* paraphrasin complectitur.

VER.

Digitized by Google

57 *primas ploſtrum interdiu poſt Solem ortum, neve ante horam decimam*
diei ducito agito, niſi quod aedium
58 *ſacrarum Deorum immortalium cauſa aedificandarum, operiſve publice*
faciendi cauſa advehi porta-
59 *ri oportebit, aut quod ex urbe exve iis locis earum rerum, quae publice demolienda loca erunt, publi-*

VER. 56. 57. *Poſt Kal. Januarias primas*] Harum legum conſarcinator verba ipſa legis ploſtrariae, quibus legislator olim uſus fuerat, in ſuum Pandecten intulit; ſicuti & in Juſtinianeo legum ſyntagmate factum cernitur, in iis etiam locutionibus, quae temporibus ſcriptarum magis, quam excerptarum a Triboniano legum, conveniunt. Itaque quando haec lex promulgata fuit, valitura ſignificabatur non ab eo die, quo lata fuerat, ſed ab ineunte anno: id quod in plurimis antiquis legibus deprehenditur, ut non ſtatim, ſed ab ineunte Januario aliove quo die valitura juberetur. At concinnator digeſti hujus totidem verbis omnia tranſtulit in hanc legum *συναγωγήν*. Quid ſi vero quis rationes ineat in contrarium? Nam ſi haec lex tralatitia eſſet, & ex antiquo penore huc deprompta, videtur Digeſti conſarcinator facile omiſſurus fuiſſe *Kalendas* iſtas *Jan. primas*, utpote tunc minime opportunas. Nunc quia lex ploſtraria collectionis ipſo tempore recens lata fuerat; idcirco totum iſtud *Poſt Kal. Jan. primas* neceſſario adjectum fuit. Vtrumvis ſequaris, per me nihil erit morae.

VER. 57. PLOSTRVM] Ab ultima Latii priſci aetate uſq. ad Tullii tempora numquam non *Ploſtrum* fere magis (66) quam *Plauſtrum* uſurpatum fuerat, cum ecce Veſpaſiano vocali unâ efferenti ridendum ſe praebuit Florus quidam. Quod totum Suetonius cap. 22. inter Veſpaſiani jocos refert his verbis: *Menſtrium* (ſive *Meſtrium*) *Florum conſularem, admonitus ab eo PLAVſtra potius quam PLOſtra dicenda, die poſtera FLAVRVM ſalutavit*. Lepos, uti monet Torrentius, ab eo petitus, quod φλαῦρος vilem ac nullius rei ſignificet. Ita ſane Imperator, pari forma ſermonis uſus, hominem aeque atque obſervatiunculam hominis, uti futilem, quam aptiſſime retudit. Ad eundem Tranquilli locum Caſaubonus complura retruſiora vocabula contulit, in quibus O cum AV alternat. Conſuetudo iſta, niſi vehementer fallor, ex Orientis linguis in Latiarem redundavit. Nam Hebraicum O longum a Chaldaeis Syriſque per AV reſolvi ſolet: id quod in Orientalibus vocibus Tyrrheni Latinique compluries utroque modo ſunt imitati. Vide Tyrrhenica noſtra.

VER. 59. *Aut quod ex Vrbe exve iis locis EARVM RERVM, quae publice demolienda loca erunt, publice exportari oportebit*] Principio biga illa vocum *Earum rerum* vacare videbatur. Atqui nequaquam παρέλκει, modo luxatas prae veterno ſcalptoris voculas ſuo quaſq. loco in hunc modū repo-

(66) *PLOSTRVM ſtante rep. uſitatius, quam Plauſtrum fuiſſe ſcriptum.*

Antiqua monumenta (in quae nihil librariis licuit) in re orthographica potiſſimae auctoritatis eſſe, nemo ibit inficias. Atqui in hac Tabula octies PLOSTRVM, numquam vero cum bivocali AV ſcribitur. Poſt monumentorum fidem membranis vetuſtiſſimis proximus locus eſt. Ac ſane in Catonis MSS. æque ac in editis cap. 2. non aliter, quam eum O, pluries legitur. Idem de Ciceronis vetuſtioribus & probatioribus membranis a ſe viſis teſtatur Victorius. In Pandectis vero Florentinis, quo in his rebus, ferme uti Delphos, ſcitatum ire ſolent, non aliter fere quam una vocali perſcribitur. Atque ego ICtos cum allego, videor mihi veterum legum tabulas teſtes producere; nec enim dubium, quin ICti, etſi Caeſareorum temporum, at in pleriſq. veterum legum orthographiam ſequi amarint. Itaque ex ICtorum & Tabulae noſtrae indicio praeſtare poſſumus, apud antiquos PLOSTRVM potius, quam *Plauſtrum* ſcriptitatum fuiſſe. Varro etſi ubi *Plauſtri* etymologiam docet, videtur cum AV ſcripſiſſe; id tamen eo fit, quod ea ſcriptio etymologiae ſuae propior erat. At alibi *Ploſtellum Poenicum* dixit: & in I. R. R. 22. ex Catone *Ploſtra majora tria* refert. Nec credo, aliud ex antiquiore Latio produci poſſe, quam illud Plauti, *Plauſtrum perculi*. Sed membranae meliores quid ibi oſtendant ignoro. Farneſianum certe Feſti fragmentum, in hoc Plauti loco mutilum, ultimam tantum τῦ *Plauſtrum* ſyllabam exprimit. Et vero lubens ibi per AV ſcribi conceſſerim; ut uno ſaltem antiquo teſte iſthaec ſe ſcriptio tueri queat.

At ſub Caeſaribus cum bivocali potius id nomen fuiſſe pronunciatum, ſi non aliud, at ſatis Flori iſtius cacozelia demonſtrat, errori vertentis pronunciationem alteram.

Digitized by Google

60 *ce exportari oportebit, & quarum rerum causa plaustra hac lege certis hominibus certis de causis agere*
61 *ducere licebit.*

§. II. Excipiuntur sacra publica, triumphi, Ludi Romani, pompa Circensis.

62 *Quibus diebus Virgines Vestales, Regem sacrorum, Flamines plaustris in urbe sacrorum publicorum Populi Romani causa*
63 *vehi oporterit; quaeque plaustra triumphi causa* [*quo die quisque triumphabit*] *duci oportebit, quaeque*

reponas: *Aut quod EARVM RERVM* (eleganter stylo vetere pro, *Aut quas res*) *ex Vrbe exve iis locis, quae loca publice demolienda erunt* &c. Conradus ex hoc & seq. versu collegisse videtur, non tantum publice demolitorum rudera (quae sententia legis est) sed & omnium quarumvis demolitionum, interdiu efferri licuisse. Eum vide cap. XIII. p. 299. prope ab initio, ubi & hanc generalem rationem subjicit: *Ne rudera . . . Vrbem deformarent, atq. . . . impedimento essent.* Sed & verba legis, & ejusdem ratio (ne scil. offusis Quiritium turbis plaustra incommodarent) longe aliud suadent, illud scil. quod ad vers. sequentem jam explicatum imus.

VER. 59. 60. *Quae publice demolienda loca erunt, publice exp. oport.*] Non tantum sacrorum publicorumque locorum rudera interdiu exportari licuit, sed & privatorum publicâ auctoritate demolitorum, veluti quibus tamquam reip. hostibus, aliâve de causa aedes diruebantur. Et illud quidem, *Publice exportari*, videtur in speciem tantumdem esse quod *propalam*; idque haud inepte poterit ex Ciceronis oratione pro domo cap. 24. confirmari, ubi de domo eversa expostulans, ait: *Columnae marmoreae ex aedibus meis INSPECTANTE POP. ROMANO* (en fort. τὸ *publice* hujus æris) *ad socrum Consulis portabantur.* Tamen vix erit, ut idonei ullius auctoris locus (67) afferatur, in quo *Publice* pro *palam* accipiatur. Ergo sicuti paullo supra *Publice demoliri* est publica auctoritate diruere, sic *Publice exportare* est nomine sumptuque publico rudus egerere. Id vero interdiu fieri poterat, quia exportari ista non solum ad mundiciem, sed in hostium demolitionibus etiam ad exemplum, palam fieri e re publica videbatur.

IBID. *Hac lege certis hominibus certis de causis agere . . . licebit*] De *hominibus* illis & *causis* hoc dictum videtur, de quibus mox in exceptionibus agitur; maxime cum praecedat HAC LEGE. Tamen siquis forte contenderit, praeter subjectas exceptionum species, alias praeterea fuisse, per quas *certis hominibus* (puta magistratibus & honore usis) *certisque de causis* (nempe senii, morbi & similium) vectari licuisset; non me repugnantem habebit. Forsan dicetur, potuisse invalidos & honoratos lecticis sellisve uti. At dubium est, utrum Italici belli temporibus haec aliaq. commoda passim inducta in mores fuerint. Deinde si de fastu agitur, haec altera, utpote servis succollantibus bajulata, multo superbiora videbantur, quam quibus quadrupedes jungebantur: ut merito lecticis modum imposuerit Jul. Caesar: de quo Sueton. cap. 43. *Lecticarum usum . . . nisi certis personis & aetatib. perq. certos dies, ademit.* Eusebii chronicon ad eas feminas vetitum hoc restringit, *quae nec viros nec liberos haberent, & minores essent annis LV.*

VER. 62. 63. *Quib. dieb. Virg. Vestales, Rex sacror. flamines plostris in Vrbe sacrorum publicorum populi Romani causa vehi oportebit*] Maittairo & Conrado non assentior, scalptoris supinitati assignantibus, quod REX pro *Regem* caelaverit. Imo *Vestales, Rex, Flamines* primo casu efferuntur, antiquâ syntaxi, qua interdum infi-

(67) Nam in his Ciceronis in Verr. (*Cum Philinus Herbitensis . . . de calamitate aratorum, & de fuga, & de reliquorum paucitate publice diceret*) in his, inquam, *Publice* non est *Palam*, sed est Nomine publico. Sicuti & *Publice scribere* XVI. ad Att. 11. eodem significatu. Mitto cetera generis hujus. Sic etiam *Publice* τῷ *Privatim* saepe e regione opponitur. Eodem etiam pertinet & illud Ter. Adel. *Haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice* h. e. in publicum.

Digitized by Google

infinitivus (*) cum recto casu jungitur. Hi sunt illi *certi homines*, quos modo exceperat: *certae* vero *causae* tum hîc continentur in verbis (*Sacror. publicor. P. R. causa*) tum infra ubi de triumphi ludorumque pompa. Atqui Vestales Prudentius *Pilento* vehentes inducit in II. contra Sym. ver. 1085.

. . . . . *Innupta sacerdos*
Fertur per medias ut publica pompa (68)
plateas,
Pilento residens molli.

Quid ergo est? an quae olim *plaustro* (forsitan ut ad L. Albini (69) alluderetur pietatem) utebantur, ad ultimum luxu sensim increbrescente, molli pilento gestabantur? An vero plaustri juxta ac pilenti forma eadem? Ita sane. Imo potius, ut infra ostendetur, *Plaustrum* generis nomen est: *Pilentum* vero, *Carpentum* aliaque nonnulla εἴδη (*species*) plaustri sunt. Ergo haud facile aliud ex perditis civitatis moribus, quam *mollitudo* & elegantia in plaustrum, sive in pilentum aliasq. plaustri species mox redundavit. Adstipulatur Livius v. 25. ubi matronis concessum ait, ut *pilento* (70) & *carpentis* procederent. Haec vehicula infra, quoad festinatio finet, distinguam.

Ac Vestalium quidem vehiculum ex Prudentio innotuerat: at de Rege sacrorum flaminibusque nihildum ante hanc Tabulam fando audieramus. Et tamen, si mens non laeva fuisset, poteramus id ex Tacito didicisse. Is Ann. XII. 42. ita posuit. *Suum quoque fastigium Agrippina extollere altius. Carpento Capitolium ingredi: qui mos sacerdotibus & sacris Druidibus conceſſus*. Illud *Druidibus* cum membranae omnes praeferrent; tamen utpote Gallicum sacerdotium, a sacris Romanis alienum, merito suspectum tum aliis, tum in primis Pithoeo, Lipsioque fuit. Hoc tamen dispar, quod Pithoeus pro *sacris Druidibus* substituit *Sacris Virginibus*, Lipsius *Sacris antiquitus* subrogavit. Itaq. si Lipsio credimus (ita legenti, *Sacerdotibus & sacris antiquitus conceſſus*) *Sacerdotes* erunt virgines Vestales (de quibus Prudentius cecinerat, *Innupta sacerdos* &c.) *Sacra* vero sunt dii ipsi statuaeque: *Quas*, inquit. *pompâ Circensi traduci in carpentis mos fuit.* At quid absurdius quam *Sacerdotum* nomine solas Vestales κατ' ἐξοχὴν accipere, *sacrorum* vero nomine solas deorum *statuas*? Sed pulchre est quod aes nostrum causam Pithoeo adjudicat. Nam cum praeter Vestales, etiam sacerdotibus aliis (nim. Regi sacrificulo, Flaminibusque: qui flamines ad XV. a Festo numerantur) haec Tabula *plaustri* sive *Carpenti* honorem largiatur; quis postea dubitabit cum Pithoeo scribere: *Sacerdotibus* (nempe Regi sacrorum Flaminibusque) *& sacris Virginibus*? Praeter haec vero tria sacerdotia, nulli alii nostra Tabula plaustri, seu carpenti usum indulsit, non Pontifici Max, non pontificibus & sacerdotibus aliis. Cujus discriminis rationem vix (71) ullam satis idoneam extundere valeo. Nec tamen abnuerim, quin sacerdotum honoratissimi si non plaustro, at curru aliquo ex iis, quibus & magistratus utebantur, ad sacra procederent. Sed ex monumentorum ejus, in qua versamur, aetatis ino-

(*) Exempla petas licet ex Vossii Arte gramm. VII. 20.

(68) Potest istud quidem ad *pompam* sacrorum referri. Sed amarulentius erit, si triumphi pompam Prudentius ob oculos habuerit. Cujusmodi illud est in Catonis oratione contra matronas (uti carpento veherent, flagitantes) apud Liv. XXXIV. 3. Vbi sic invidiose postulantes inducit: *Vt carpentis . . . velut TRIVMPHANTES de lege* (Oppia, per quam ea vehicula feminis negabantur) *victa . . . per urbem vectemur*.

(69) Notissimus est Livii locus de L. Albini pietate: qui Româ a Gallis capta, cum κατοικεῖ ex Vrbe discederet; conspicatus Vestales Virgines cum sacris indidem aufugere, statim conjuge ac liberis jussis ex plaustro descendere, eo Virgines exceptas Caere usque perduxit: quod *Agreste & sordidum plaustrum, sacrorum tempestive capax, cujuslibet triumphalis currus vel aequavisse gloriam, vel anteceſſisse*, appositе Valerius Max. adclamat lib. I. c. 1. num. 11. Facile igitur in hujus facti monumentum postea mansit, ut Virgines illae plaustro ad statuta sacra veherent.

(70) Livius V. 25. *Honoremq. ob eam munificentiam ferunt matronis habitum* (quae aurum ad crateram conflandam Apollini contulerunt) *ut pilento ad sacra ludosque, carpentis festo profestoq. uterentur*.

(71) Nisi si forte hoc placeat, quod cum quidquid ex hostibus captum fuisset, id omne veluti captivum, in triumphi pompam plaustris impositum transveheretur; is deinde mos etiam ad captivos imaginarios traductus fuerit. Captivos autem imaginarios voco Vestales Virgines. De Vestalis prehensione Gellius VI. 12. ait: *Pontificis Max. manu prehensa . . . Veluti bello capta abducitur*. Eadem ratio in Flaminibus servabatur. Etsi Diales tantum captos ibid. Gellius memorat. Verum & flamines ceteros nihilo minus tentos, testantur Valerius Max. (ubi C. Val. Flaccum a P. Licinio Pont. Max. flaminem captum scribit) Florus epit. XIX. Livius XXXVII. 5. Facile & Rex sacror. prehensus abducebatur; etsi nihil de ejus prehensione reperio.

Digitized by Google

64 *plauſtra ludorum* [*qui Romae aut urbi Romae publice fient*] *inve pompam ludis Circenſibus duci agi opus*
65 *erit; quo minus earum rerum cauſa eiſque diebus plauſtra interdiu in Vrbe ducantur agantur, ex hac lege nihil rogatur.*

inopiâ caligo nos undique circumfundit.

At ſero Servii loci recordor ad Geor. I. 163. illud (*Eleuſinae matris volventia plauſtra*) ſic notantis: *MATRIS ELEVSINAE, i. e. qualia* (plauſtra) *oſtendit Ceres apud Eleuſina, aut certe qualibus Mater deûm colitur: nam ipſa eſt etiam Ceres. Romae quoq. ſacra hujus* (Cereris ne, an Magnae Matris?) *DE PLAVSTRIS vehi conſueverant*. Et hîc igitur plauſtrorum uſus verbis Tabulae illis (*Sacror. publicor. populi Rom. cauſa*) continebatur. Ac plura talia carpere ex auctoribus priſci aevi licebit.

VER. 63. *Quaeque plauſtra triumphi cauſa . . . duci oportebit*] ad tranſvectionem ſcil. ſpoliorum, armorum, vexillorum, imaginum civitatum captarum, & id genus.

IBID. *Quo die quiſque TRIVMPHAVIT*] In penult. V ſive pro B (quae duo elementa non tam haec, in qua verſamur, quam ſerior aetas pro ſua maxima voluntate inter ſe ad nauſeam permutavit) ut ſit *Triumphabit*, ſive potius pro R, ut ſit *Triumpharit*, poſitum eſt ſtoliditate ſcalptoris. Hoc vero κόμμα παρεντίθεται, quia plauſtra non ad ipſius triumphantis (quem quadriga, non ploſtrum, ſublimem gerebat) ſed ad univerſum triumphi choragium traducendum, ut ante dixi, pertinebat.

VER. 64. *Quaeque plauſtra ludorum*] Poteſt ἀπὸ κοινοῦ ſubaudiri *Cauſa*. Vt enim v. 63. *triumphi cauſa* ſcripſit, ita hîc *Ludorum causâ*. Potuit etiam & ablativus *causâ* videri ſuperfluus, plane quod τὸ *Ludorum* regatur a recto *Plauſtra*. Et hoc verius. Abſolvitur autem haec ſententia hoc verſu extremo, ubi dicitur *Agi opus erit*.

IBID. *Qui* (ludi) *Romae, aut Vrbi Romae publice fient*] Publice hîc eſt ſive *ex publico* aerario, ſive nomine & auctoritate publica (vide Adnot. 66.) ad diſcrimen ludorum plurimorum, qui ſua ſponte a variis magiſtratibus, interdum & a privatis edebantur.

At *Romae aut Vrbi Romae* quid interpretabimur? Anne caſus locales ſunt? Et quidem genitivus *Romae* ſtatum localem notat. Deinde *VRBEI* (ita cum bivocali in ære legitur) eſt pro *In urbe*. Nam ablativus tertiae ſaepe in I aut EI pro E deſinebat. Supra v. 25. 27. PARTEI pro *parte*. Ellipſis particulae IN etiam in hac Tabula frequens. Ad haec loco appoſitionis (*In urbe Roma*) non praeter ſolitum, regimen uſurpavit, *In urbe Romae*. Multiplex, inquis, licentia: verum aetas illa nihil ſibi non licere ſinebat. Poſtremo μόριον disjunctivum *Aut* eo facile pertinet, quod *Roma* ab *Vrbe Roma* hoc differebat, quod pars a toto. Nam *Vrbs*, ſi ICtos (72) audimus, muro terminatur, Roma continentibus aedificiis. Atqui ſi ita ſe habuit, debuiſſet antea *In Vrbe Roma*, quod reſtrictius erat, ponere, deinde ſubjicere, *Aut Romae*, quod patebat latius. Itaque tum ob ὑστερολογίαν loci hujus, tum ob ſuperiora Tabulae (73) loca aliter habentia, ſero nunc incipio de Paulli & Alfeni definitione dubitare. Nihil enim facilius, quam, *Romae aut* (AVT enim pro *ſive* poſitum) *urbei Romae*, idem unumque fuiſſe; eaque duo familiari hujus Tabulae legumque aliarum περιεργείᾳ fuiſſe repetita. Et hoc ultimum longe veriſimilius duxerim.

Quod ſi grave videatur acceptas ICtorum definitiones convellere; age demus hoc Paullo & Alfeno *Vrbis* vocabulum muro, *Romae* vero nomen continentibus terminari: proinde, ne Tabulam turpiter ὑστερολογῆσαι dicamus, hoc etiam demus, huic com-

(72) Paullus l. 2. D. de V. S. ait: *Vrbis appellatio muris, Romae autem continentibus aedificiis finitur, quod latius patet*. Eadem Marcellus ex Alfeno l. 87. *De verb. ſig.* ita loquens: *Vt Alfenus ait, Vrbs eſt Roma, quae murô cingeretur. Roma eſt etiam, quâ* (h. e. *qua parte*) *continenti* (h. e. in continenti) *aedificia eſſent*. Jam vero & hoc idem ſequentia ſignificant luculentius. *Nam Romam*, inquit Alfenus, *non muro tenus exiſtimari, ex conſuetudine cottidiana poſſe intelligi, cum diceremus, ROMAM nos ire, etiamſi extra VRBEM habitaremus*.

(73) Supra v. 26. *In urbe Roma, prepiuſve Vrbem Romam paſſus mille*. Vtroq. loco nomine *Vrbis Romae* etiam continentia veniunt. Et ſic v. 56. 67. 68. 69. Ergo & hic τὸ *Romae aut* (pro *ſeu*) *Vrbi Romae* tantumdem ſunt.

Digitized by Google

§. III. Plauſtra inania, aut ſtercus exportantia eſſe liceat.

66 Quae plauſtra noctu in urbem inducta erunt, quominus ea plauſtra inania aut ſtercoris exportandi cauſa

commati, *Romae aut Vrbi Romae*, longe aliud quam locales notiones ſubeſſe. Quid ergo id interpretabimur? Parum a vero aberrabimus, ſi dandi caſu ea vocabula accipiamus, & ut ii ludi, ſi qui forte fuerunt, intelligantur, qui in deae Romae honorem, ſive certe qui pro Vrbis Romae commodis & incolumitate (nam & hoc caſu tertio ſignificabatur) celebrarentur. Ac nihil equidem mallem, quam ad eos plane ludos hîc digitum intendi, qui proprie *Ludi Romani* vocabantur: de quibus praeſtabilius in ima (74) ora aliquid illinere duxi, quam ut lectorem diutius morer.

IBID. *Inve pompam ludis CIRCIENSIBVS*] Servius ad illud Virg. VIII. 636. *Magnis Circenſibus actis*, de veriloquio ſic garrit, quaſi *Circenſes* ab *Enſibus*, quos olim in *Metis* fuiſſe ait, *circumitis* dicti fuerint: quod etiam Iſidorus arripuit. Nec tamen Servio nec Iſidoro ſuccenſeo, quos id apud antiquiores reperiſſe ſcriptum non dubito. Quantopere vero veteres in re etymologica ineptiverint, vel ex Varronianis pluribus poteſt intelligi. Id magis hîc notandum, quod *Circienſibus* pro Circenſibus ſcriptum fuerit: neque id inſcite. Nam terminata in ENSIS interdum I interjectum habuere, praeſertim in gentilibus vocabulis, ut in *Carthaginienſis*: cujus nominis ſcriptionem Voſſius damnavit: ſed profecto (75) immerito. *Pompam* ludorum Circenſium ecquam vocet, nemini obſcurum eſt. Etenim Pompâ Circenſi non deorum tantum omnium ſimulacra in *thenſis* (vehiculi, ſive, ut forſan in hac Tabula vocatur, *Plauſtri* id genus fuit) circumferebantur, ſed & ſemideorum, ſive tum primum ἀποθεωθέντων (*inter divos relatorum*) ſicuti Suetonius de divo Julio teſtatur cap. 96. ubi Caeſar nihil non ſibi vivo ac videnti decerni paſſus dicitur, ac nominatim *Thenſam & ferculum Circenſi pompa, templa, aras, ſimulacra juxta deos, pulvinar, flaminem, lupercos*.

VER. 66. *Quominus ea ploſtra inania*] Varro etiam *Inania* dixit in I. R. R. 20.

(74) *De ludis Romanis, ſive Magnis.*

De Romanis ludis, quos & Magnos dixere, ſi, quae ſparſim veteres prodiderunt, huc comportare omnia velim, nullus futurus ſit finis. At quid vetat ſumma quaeque carpſiſſe? A Cicerone ordiar. Qui Act. 1. in Ver. c. 10. Ludos Romanos memorans, & tamen hoſce inexplicatos relinquens, anſam Pediano praebuit ita notandi: *Romani ludi ſub regibus inſtituti ſunt, Magnique appellati, quod magnis impenſis dati ſunt . . . Alii . . . quod Conſo conſiliorum ſecretorum deo, i. e. Neptuno . . . & Diis Magnis i. e. Laribus urbis Romae dati ſunt . . . ut videatur propter hoc dicere Virg.* Magnis Circenſibus actis. *Nam & Magni & Circenſes iidem ſunt.* Sed non optimas opiniones corraſiſſe Aſconium apparet. In Romanis etiam Circenſes haud raro dabantur: fateor: ſed non continuo Circenſes omnes *Magni* & *Romani* dicentur. Deinde de eo, cuinam Romani dicarentur, magis eſt, ut Tullio credamus in alterius Actionis in Ver. lib. V. c. 14. ita de ſe jam aedile curuli deſignato (ad quem proinde ludos illos edere pertinebat) loquenti: *Mihi ludos antiquiſſimos, qui PRIMI ROMANI ſunt nominati* (ergo & alii *Romani* dicti videntur, verum hi, de quibus agimus, κατ' ἐξοχὴν) *maxima cum dignitate ac religione IOVI, IVNONI, MINERVAEQVE eſſe faciundos.* Vide, quibus edebantur ludi Romani. Livius I. 35. de L. Tarquinio rege quinto: *Ludos opulentius inſtructiuſque quam priores reges fecit . . . Sollemnes deinde ANNVI manſere ludi, ROMANI MAGNIQVE varie appellati.* Quod ab eo tempore *Annuos* fuiſſe dicit, intellige id ad aliquod tempus ſervatum. Ceterum Q. Fabio Max. dictatore, inſpectis libris fatalibus Xviri reſponderunt, *Jovi ludos Magnos*, diu neglectos, eſſe repetendos, teſte Livio XXII. 9. *Jovi* cum dixit, ſub eo nomine συννάος duos Junonem atque Minervam etiam complectitur; ſicuti *Caſtore* nominato, ſimul alter eodem ovo natus deſignabatur. Plura de Magnis non addam: quos cave, ne cum non nullis cum μεγαλησίοις (*Megalenſibus*) Magnae Matris confundas: qui quidem Romanis tum antiquitate tum religione & apparatu concedunt. Sed & tempore differunt. Magnos enim Kalendaria vetera a prid. Non. Sept. ad prid. Idus indicunt, totis novem diebus: poſt quos biduo interjecto, alios in Circo per dies quinque factos oſtendunt. At Megalenſes prid. Idus Apriles committebantur. Ac de ludis Romanis plura jam, quam neceſſe fuerat.

Id nunc magis notari curae fuerit, illud *Romae aut Vrbi Romae* idem eſſe, quod *pro ſalute & incolumitate urbis imperiique Romani*; in id enim inſtitutos fuiſſe, hic aeris noſtri locus ſubindicat. Dativum eo ſaepiſſime ſignificatu donari, nemo omnium neſcit.

Haec attuli, quo nihil ex huc facientibus omiſiſſe videar. Ceterum prior explicatio unice mihi ridet, ut ſint caſus locales. *Romae aut* (quod διαλυτικὸν eſt, pro *Seu*) in *Vrbei Romae*.

(75) At Voſſius Gramm. I. 43. pro *Carthaginenſis* non inſerto I, ſpretâ Priſciani, Lapidum & Pandectarum auctoritate, pugnat: quibus impoſuiſſe ait Ennium (apud quem *Carthaginienſis* hexametrum abſolvit) nec animadvertiſſe hunc verſûs neceſſitate

hoc

Digitized by Google

67 poſt Solem ortum, horis decem diei, bubus jumentiſve juncta in urbe Roma & ab urbe Roma paſſus mille eſſe liceat, ejus hac lege nihil rogatur.

Inſtituendum ut (juvenci qui ad vecturas ſubiguntur) *inania primum ducant plauſtra, & ſi poſſis, per vicum aut oppidum, ubi creber crepitus ac varietas rerum conſuetudine celerrima ad utilitatem adducit.* Ea Varroni ratio fuit, cur inania per oppidum duci juberet; quia onuſta ſi agantur, poſſunt effuſo pondere obvios opprimere. Nec aliter Columella VI. 2. de eadem re. *Poſt ejuſmodi experimenta vacuo ploſtro ſubjungendi.* Ab inanibus minimum periculum turbae occurrenti imminebat: at a gravibus quantum metueretur, luculenter oſtendit Juvenalis Sat. III. 254. tritiſſimis verſibus, quos Conradus ſup. p. 299. recitavit, Periculo ingenti, quod ex legis hujus deſuetudine creabatur, ſero Hadrianus occurrit: de quo Spartianus cap. 22. *Vehicula cum ingentibus ſarcinis Vrbem ingredi prohibuit.* Cur non addidit *Interdiu*? Nec enim putem noctu id prohibuiſſe Imperatorem, nec horis veſpertinis. At hujus aevi ſcriptores in breviloquentia mire ſibi placuere.

IBID. *Aut ſtercoris exportandi cauſa*]. H.e. interdiu fimo (76) onerata, ut noctu educantur. Palladius initio Septemb. *Carpenta ſtercoris* memorat: ubi *Carpenta* ſunt de minorum plauſtrorum genere, quibus muli aut aſini jungebantur. *Vni jugero* (Palladius ait) *aſſerit Columella XXIV. ſtercoris carpenta ſufficere, in plano vero XVIII.* Nec deſunt plauſtrorum ſtercorariorum exempla. Chryſippus apud Suidam in Τιμωρᾶντος narrat, a quodam caupone Megarenſi hoſpitem ſuum zonae furandae gratia fuiſſe obtruncatum, *deinde* (ἐφ' ἁμάξης ἀγόντης κόπρον) *plauſtro ſtercus portanti* impoſitum, fimoque obtectum. Eadem de *plauſtro*, & *ſtercore* injecto cadaveri narrat Cicero in I. de Divin. & Val. Maximus lib. I. c. 7. Poſtremo haec illa ſunt ploſtra ſtercoraria de quibus Vlpianus l. 12. D. *de inſtruct. vel inſtrum.* §. *Si molas* 10. ſic loquitur: *Inſtrumenti eſſe & cribra, & plauſtra, in quibus ſtercus evehatur.*

VER. 67. *Poſt ſolem ortum H. X. dici*] Duas ſingulares H. X. Maittairus tum in ecphraſi, quam lateri textûs appoſuit, tum etiam in notis, *Hora decima* expoſuit. Quem & ipſe Conradus (vir ceteroqui doctus) improvide ſecutus fuit ſup. extremo cap. XI. p. 299. de quo ibi in notulâ VI. lectorem admonui. Atqui *Horis decem* haud dubie interpretare. Nam quominus ab hora decimâ plauſtra ſive inania ſive onuſta ducerentur, non vetabatur: nec erat hîc monendum, *Ejus hac lege nihil rogari.* At ea clauſulâ ad hoc maxime opus fuit, ut intelligeretur, horis diei primis poſſe tum inania plauſtra in Vrbe eſſe, tum & ſtercoris exportandi cauſa.

IBID. *Plauſtra . . . . . bubus jumentiſve juncta*]. Quae jumentis & bobus juncta dicit, ea poſſunt de vehiculis univerſis intelligi, ita ut *Plauſtrum* ſit univerſi generis nomen. At non moror, quin proprie de ruſticis plauſtris capiatur. Rei ruſticae auctores non tantum boves junxere plauſtris, ſed & jumenta: verum non alterius quam mulini & aſinini generis meminerunt. Atqui & eadem ratio ſuadet, ut & caballi equique ſagmarii jungerentur. Interim pulchre lex bovinum genus hîc a *jumentis* diſtinguit. Vide ICtorum loca apud Briſſonium in de V. S. quibus *Jumenta* a *bobus* diſtinguuntur. *Boves* ambitu *Pecoris* continentur: *Jumentorum* vero nomine equinum, mulinum, aſininum genus & talia κωτοφόρα intelliguntur: ſed ita ut elephanti & cameli, etſi dorſuaria ſint, tamen non proprie *jumenta*, ſed jumentorum praeſtare vicem dicantur.

IBID. *Eſſe liceat*] Abſolviſſe hoc mihi caput videbar. Sed adhuc eſt quod moneam. Vbi *plauſtra inania aut ſtercoris*

hoc feciſſe. Verum ſi Ennii nutat fides, at quid Duilianae columnae roſtratae inſcriptione antiquiſſima fiet, in qua CARTACINIENSIS, itemque CARTACINIENSI, ſenis ſyllabis ſine ulla verſus neceſſitate ſcribitur? An non a Duiliano marmore eam ſcriptionem vates Rudienſis hauſit potius, quam ut ipſe primus aliis exemplo fuerit?

(76) Nam cum in partitione hac *Inania & ſterc. exp. cauſa* invicem opponi debeant; haec altera intelligi non poſſunt *inania*. Ergo interdiu fimo replebantur, & ita detineri licebat, donec poſt horam decimam ex Vrbe prodirent.

Digitized by Google

ris exportandi cauſa audis poſt ſolem ortum *ESSE in Vrbe licuiſſe ;* cave inde elicias vacua plauſtra aut ſimo onuſta primis decem diei horis efferri ex Vrbe potuiſſe . Hoc enim nec verba Legis (quae ſolum tantiſper iis horis ESSE h. e. conſiſtere in Vrbe patitur , non exeundi cauſa per Vrbem agi) nec Legis ratio ſinit. Nam plauſtra inania denſae ultro citroque itantium frequentiae impedimento ac periculo ſunt , multo plus ſtercore onuſta ? quod alterum tum viſu ſordidum atque impurum erat , tum etiam inſalubri anima obvios quoſque infeſtaſſet . Ergo tantum morari in Vrbe primis decem horis , etiamſi animalibus juncta eſſent , permittebatur , nec quoquam prorepere , niſi poſt horam diei decimam per totam uſque noctem ad ſequentis diei ſolem ortum . Quid hoc differte ſanciri placuit ? Ne , ſicuti publicorum aedificiorum rudus egeri permiſſum fuit, ſic etiam & ſtercus , aut plauſtra vacua educi licere putaretur . Diſpar eſt enim ratio , quia ad publicorum aedificiorum celeritatem nihil non ſinebatur . Etiam in hoſtium reip. demolitionibus fabricarum , ad incutiendum terrorem placuit rudus egeri interdiu poſſe . At nihil horum ad ſtercoraria aut inania ploſtra educenda valere videbatur .

Hactenus commentarius in caput ploſtrarium eſt . Nunc jugulum ipſum cauſae petamus , & quouſque ploſtraria lex patuerit , videamus .

COMMENTATIO

De plauſtri notione & lege ploſtraria .

REm ſalebroſam aggredior : cui plus ne lucis an tenebrarum offuderit veterum auctorum uſurpatio vocabulorum, neſcias : apud quos vehiculorum nomina crebrius permiſcentur , quam proprie accipiantur . Vtinam exſtaret illa Caſauboni lucubratio , ad quam ad Lampridii Heliogabalum cap. 4. digitum (77) intendit . Nam Schefferi (viri cetera accuratiſſimi) rei vehicularis opus , ſylva eſt bonae frugis , ſed parum digeſta : a qua nihilo ſaepe certior , quam veniſti , diſcedas : ita pari modulo univerſa metitur , & raras obviaſque , proprias impropriaſq. ſcriptorum acceptiones perinde habet ; nec in vocibus vehiculorum aetates ſcite diſtinguit : quae ſane ingentes notionum mutationes eidem vocabulo ſaepe afferunt . Sed tamen Schefferiana farrago juvat juvabitque rerum hujuſmodi cupidos , donec limatiora & concinniora procuderit alius.

C A P. I.

An Plauſtri vox ad omnia vehiculorum genera pertinuerit .

Plauſtrorum nomine antiquitus prope omnia veniſſe vectabula , quae bobus jumentiſve junctis agerentur , plura ſuadere videntur . I. Ac primum etymon a *plaudenda* (78) terra petitum univerſo generi vehiculorum commune eſt . II. Re ipſa cum *Plauſtro* ſaepe *Carpenti* , *Pilenti* , aliaque non pauca nomina antiquitus confuſa leguntur (de quo in (79) ima ora)

(77) Vbi de confuſione horum vocabulorum ante conqueſtus : ſtatim ſic pollicetur : *Alibi genera vehiculorum omnia recenſemus diligenter , & totam illam rem ſedulo exponimus .*

(78) Poſtquam Scaliger a plaudendo *Plauſtrum* arceſſivit (ſicuti a claudendo *clauſtrum* , a rodendo *roſtrum* & complura hujus generis) nemo unus inventus eſt , qui aliunde adſciſceret veriloquium . Vide Voſſii Etymologicum. Itaq. iraſcor iis, qui aliunde malunt ; & inventa fruge , glande oblectantur.

(79) *De Carpento , Pilento , aliiſque vehicularibus vocibus cum Plauſtro confuſis.*

I. CARPENTVM.

Carpenti vox veteris Latii fuit, facile a Tuſcis accepta : maxime ſi deduxerimus ab Hebr. רחף *rachap* (& per metatheſin *charap*) quod eſt *vectari* , ita ut *vectabuli* genus univerſum notet. Quamquam propius eſt , ut ab Orientali radice principio verbum *Carpo* fluxerit, deinde a *Carpo* nomen *Carpentum* . *Carpo* Latinis generalem *permeandi* notionem meo judicio obtinet . Virg. 3. Georg. 142. *Carpere prata fuga* . Et v. 191. *Carpere mox gyrum incipiat* . Ovid. 3. Faſt. 416. *Aethera carpere equis* . I. Triſt. X. 23. *Pede carpere campos* . *Carpere iter* tritiſſima locutio eſt : in qua *Iter* pro *Via* ponitur. Quocirca *Carpere iter* tantumdem quod *Carpere* (h.e. permeare) *viam* . Hoc ultimum Virg. Aen. VI. 629. uſurpavit : *Sed jam age carpe viam* . Atque hoc etymon *Carpento* , utpote plurimum geſtatorio vehiculo , convenientiſſimum. Sed jam quo pacto cum *Plauſtri* voce alternet, videamus.

Apud Ammianum lib. 31. de Alanis , ita ſcribitur : *Vileſque ſupellectiles PLAVSTRIS impoſitae ſunt corticibus tectae , & cum placuerit , ſine obſtaculo migrant , eadem CARPENTA* (quae modo *plauſtra* vocaverat , nunc *carpenta* nuncupat , quia illud genus , hoc ſpecies) *quo libuerit , convolventes.* Sic etiam *Carpenta ſtercoris* , quae Palladius vocat , ſunt haud dubie plauſtra minora ſtercore onuſta . Et ubi Vegetius II. 25. *anagras* (genus eſt machinae

Digitized by Google

plane quia *Plaustro* totius rei genus, ceteris vocibus diversae notantur species. III. Legis hujus plostrariae scopus (ne quid nempe periculi urbi populosissimae crearetur, neve quid morae ultro citroque commeantibus fieret) non tantum ad oneraria plaustra, verum etiam ad quidquid rotis junctisq. animalibus agitur, haud dubie extenditur. IV. Plaustra, quae in hoc ære Vestalibus, Flaminibusq. ad gestandum dantur, ea apud plerosq. scriptores (80) *Carpenta* aut *Pilenta* vocantur, & alibi, ni fallor, aliter: haud dubie quod *Plaustrum* nomen universi generis esset. V. Accedit ad extremum Lex Oppia: quam quidem videtur noster Legislator revocare hîc voluisse. Ac vero e re facturum me censeo, si antequam cap. seq. de universo negotio transigo, ab lege hac Oppia (quae lex nihil fere aliud quam vectationis muliebris superbiam retundebat) filum hujus disputationis duxero.

CAP. II.

De lege plostraria.

SECTIO I. *De legis plostrariae gestatoriae, sive de legis Oppiae vicibus.*

Biennio post Vejos captos, cum votum quod Camillus nuncuparat, perfectum nondum fuisset; anno 359. matronae aurum mundumq. muliebrem ad aureum cratera votivum Apollini conflandum contulerunt. *Grata ea res* (ait Livius V. 25.) . . . *senatui fuit: honoremq. ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad sacra ludosque, carpentis festo profestoque uterentur.*

Atque eo honore per annos centum undeoctoginta gavisae matres familias fuerant, cum ecce anno 538. Legem tulit C. *Oppius tribunus pl. Q. Fabio, Ti. Sempronio cos. in medio ardore Punici belli* (alterius) *Ne qua mulier plus semunciâ auri haberet: neu vestimento versicolori uteretur: neu IVNCTO VEHICVLO in Vrbe oppidove, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa veheretur.* Hactenus verba sunt Livii ineunte lib. XXXIV.

Sed antequam ultra progredior, excerpto huic legis Oppiae Liviano paullisper est immorandum, idque cum hac, quam exposui, nostra lege plostraria conferendum; quippe cum ambo inter se amice conjurent: nisi quod Oppia primario feminarum luxuriae obviam ibat, plostrariae nostrae praecipuus scopus est periculum a catervis ultro citroque in Vrbe commeantibus amoliri, etsi ex obliquo etiam fastum cum Oppia retundit, dum *certis tantum personis causisq.* (nim. de quibus Oppia caverat) vehiculum indulget. Ergo tam *juncti vehiculi* Liviani, quam *plostrorum bubus jumentisve junctorum* nostrae Tabulae, synonyma sunt vocabula, planeque generalia, ut infra dicimus, ubi Livium suo saeculo indulgentem *plaustri* vocem cum *vehiculo* permutasse, ostenditur. Deinde quod in Tabula non modo Vrbs ea lege tenetur, *sed & Vbi continenti habitabitur*, id in Liviano plebiscito est *In Vrbe oppidove*. Ex quo discimus apud legislatorem Oppium non aliud *Oppidi* nomine, quam *Vrbis continentia*, quae

nae bellicae, de qua & alibi Vegetius, & Ammianus loquuntur) *carpentis*, h. e. plaustris vectari jubet: *Item*, inquit, *decem onagri . . . in carpentis bobus portantur, armati*. Nec dubium est, quin ubicunque *carpenta* oneraria leguntur, ea plaustra mera fuerint. Itaq. ubi Vegetius III. 7. monet ut *Monoxylos* (scaphularum genus est) *carpentis secum portet exercitus:* & ubi Ammianus lib. 14. narrat, *Minores duodecim* (naves) *disposuit vehi carpentis:* in his, inquam, & similibus Carpenta oneraria eadem esse quae plaustra, Curtius VIII. 10. ostendit scribens: *Sic junxere naves, ut solutae plaustris vehi possent*. Sed nec gestatoria carpenta, cujusmodi in nummis Agrippinae visuntur, a plaustris diversae formae sunt: nisi quod gestatoria carpenta arcuata essent, de genere scil. contectorum plaustrorum.

II. PILENTVM.

Pilenti forma eadem quae carpenti fuit, nisi quod, teste Isidoro, quatuor rotis ageretur, sicuti & plaustra quatuor interdum rotis meabant. Modo cum plaustro, modo cum carpento confunditur. Re vera usu magis quam forma a carpento discrepabat. Vsus enim pilenti in sacris fuit. Hinc ubi Vestales in hac Tabula Sacrorum causa plaustro vectas vidimus, posterior aetas *pilento* illatas dixisse maluit. Sed prisci omnia haec *plaustri* nomine complectebantur. Cetera de pilento alii dabunt.

III. ALIA CVM PLOSTRO CONFVSA.

Atq. hîc non vacat iis omnibus corradendis vehiculorum vocibus, quae cum *plaustri* nomine alternasse compererim. Sed illud notandum quod Cicero etiam *Currum* cum *plaustro* confuderit Tusc. I. in Cleobis & Bitonis historia: *Cum*, inquit, *illam* (adolescentium duorum matrem) *ad sollemne & statum Sacrificium CVRRV* (at Graeci ἅμαξαν, Latini *plaustrum* vocaverunt) *vehi jus esset; juvenes ii ad jugum accesserunt. Ita sacerdos advecta in fanum, cum CVRRVS esset ductus a filiis*. Adhaec quod nostra Tabula ubiq. *Plostrum*, id Livius XXXIV. 1. *Vehiculum* dixit. Vide locum initio cap. 2.

(80) Tacitus Ann. XII. 42. ubi de Agrippina loquitur (locum vide sup. pag. 355. in fine col. 1.) *Carpentum* id vocat, quo *Sacerdotes & Sacrae Virgines*, i. e. Vestales ad sacra vehebant. At alii *Pilentum* aptius appellarunt, quod in sacris locum habere voluerunt. Vide Livium V. 25.

Digitized by Google

quae ICti vocant, deſignari: quod nemo ad Livium adnotaverat. Et quod in Livio ſequitur, *Aut propius inde mille paſſus*, id quoque in ære noſtro v. 67. diſertim ſcribitur. Poſtremo Livianum illud, *Sacrorum publicorum cauſa*, id de *Veſtalibus*, non item de ceteris mulieribus capio, ære noſtro interprete. Habes igitur apud Livium Legis Oppiae non quidem continentiam totam, ſed breve excerptum.

At anno poſt vigeſimo matronis omni ope connitentibus, abrogata lex Oppia fuit: de quo copioſe Livius lib. XXXIV. a cap. 1. ad 8. ubi, & Catonis conſulis, novae legis diſſuaſoris acerrimi, & L. Valerii Flacci trib. pl. ſuaſoris, orationes adverſas ſane quam pulcherrimas affert. Atque ab eo tempore lora urbanae vehiculationi mulierum permiſſa fuerunt. Ac non niſi ſero Quirites videntur ad continendas pudore matres familias ſatis ſe viros praeſtitiſſe.

Sed & ſi ſero, aliquando tamen non mulieribus tantum, ſed & maribus urbana vectatione fuiſſe interdictum, ex hac legum collectione ſatis conſtat: cujus hoc capite III. ſolis Veſtalibus, nec non regi ſacrificulo, flaminibuſque ploſtro uti ſacrorum cauſa licet. At quam pridem ea lex, quae in hanc συναγωγὴν invecta fuit, perlata videatur, ecqua nobis Pythia vaticinabitur? Niſi quod perſuaſiſſimum habeo, non ſtatim & impreſſione una, ſed quibusdam ſenſim gradibus ad legem Oppiam reducendam fuiſſe proceſſum.

Ac primus is gradus fuit, quo idem ille M. Porcius Cato, qui conſul tanto conatu abrogationem legis Oppiae diſſuaſerat, undecimo poſt anno cenſor factus, per quosdam veluti cuniculos ad eamdem revocandam praeſtruxit viam. Ergo cum ea dumtaxat referri in cenſum ante ſolerent, quibus Romani rem familiarem ſive tuerentur, ſive ampliorem facerent, ut inde pro modo censûs tributa ſolverentur; veriſimile fit, veſtimenta mundumq. muliebrem (81) incenſa abiiſſe. At Cato, cujus in omnes ordines triſtis & aſpera cenſura fuit, effrenem feminarum luxuriam (quam olim, quia in retinenda lege Oppia fruſtra deſudaverat, cohibere penitus nequiviſſet) ſaltem artioribus finibus coercere his artibus adorſus eſt. Nam de ejus cenſura ſic Livius XXXIX. 44. *Ornamenta & veſtem muliebrem, & VEHICVLA* (notes velim) *quae pluris quam XV. millium aeris eſſent, in cenſum referre viatores juſſit*. Itaque tum legis Oppiae abrogandae diſſuaſio (quae tunc inter ejus orationes manibus omnium terebatur) tum in primis ejus atrox cenſura, in luxum feminarum invecta, Romanos admonuit, ut exuto tandem nimis uxorio ingenio, in mulierum ferociam lupatis ac vinculis edomandam incumberent, a vehiculis mundoque primum exorſi.

Et quandoquidem antiquatas majorum ſaluberrimas leges, non alii quam eorumdem gentiles reducere (82) ſatagebant; fallor? an re vera exſtitit tandem Oppius alius, legis illius Oppiae veteris inſtaurator? Locus Taciti luculentiſſimus exſtat, qui non unam olim Oppiam de luxu muliebri compeſcendo legem, ſed plures adſtruit. Nam An. III. 33. in Caecinae oratione ſuadentis, ne quem magiſtratum provincialem uxor comitaretur, poſt exaggerata mala, quae ex conjugum impotenti dominatu maritis quamvis continentiſſimis inferuntur, ad extremum ita legitur: *Quae* (uxores) *OPPIIS quondam aliiſque legibus conſtrictae, nunc vinclis exſolutis, domos, fora, jam & exercitus regerent*. Sciebam equidem *Oppias* plurative dici pro ſeveris legibus figurate potuiſſe, idq. etiam (83) Vetranius ad Tac. notat. Sed ut Caecinae huic eam figuratam locutionem placuiſſe utcumq. demus: at ubi certe in Valerii Meſſallini reſponſione easdem *Oppias leges* reperio, ibi certe plures re vera Oppias agnoſci, ſenſus communis jubet, *Placuiſſe quondam*, inquit, *OPPIAS* (84) *leges, ſic temporibus reip. poſtulantibus: remiſſum aliquid poſtea*

(81) Ac merito haec quae uſu teruntur, olim incenſita relinquebantur, cum nihil inde fructuum in utentes rediret, ex quibus tributa excuterentur.

(82) Hoc in Valeriis, hoc in Semproniis, totq. aliis conſtat, quos majorum ſuorum leges antiquatas repetitis rogationibus reduxiſſe conſtat. Satis ſuperque huius generis exemplorum ex Romana hiſtoria ſuppetit.

(83) Qui ſic adnotat: *Sic Tertullianus profert leges Julias & leges Papias: Sic Vlpianus Caducarias leges: Sic Plinius Voconias & Julias leges . . . ut amplificatione per numerum multitudinis aliquid majus elocuti videantur*.

(84) Meſſallini ſcopo, mitiora ſuadentis, adverſabatur amplificatio illa, qua uſus Caecina fuerat, *Oppias leges* plurative laudans. Itaq. ſi Meſſallinus po-

Digitized by Google

poſtea & mitigatum , quia expedierit .

Hactenus de Oppia duplici aut multiplici . Ecquando vero lex Oppia reducta fuerit, quaeſierit alius. Nec enim temere quidquam proloqui ſuſtinuerim. Scio Oppios in rep. fuiſſe omni tempore plurimos , & quidem magiſtratibus, ac plurimum tribunitiis , geſtis illuſtres . Eorum igitur unum aut plures ad reducendam Oppiam legem incubuiſſe puto : de quo nonnulla imae (85) orae illinimus .

Ergo antequam noſtrum hoc Digeſtum prodiret, adhuc ducebat ſpiritum Oppia lex alia recentior ; eaque in hoc legum ſyntagmate confirmata (86) atque traducta ad poſteritatem fuit . Eamdem proxime ante Caeſarum tempora adhuc valuiſſe , ex eo patet quod ſub prioribus Auguſtis carpento uti, rarum privilegium erat pauciſſimis perſonis (87) indultum . Imo & ſub Hadriano geſtatoria in Vrbe vehicula vetita (88) mihi fuiſſe videntur, niſi *certis hominibus cauſiſque*, uti Tabula loquitur. At poſtea laxatas fuiſſe habenas, ſed in Auguſtarum potiſſimum gratiam , ex Hiſtoria & earum numiſmatibus liquidum eſt. Ac ne uſus vulgatior porro evaderet , exſtitere illa ridicula in Heliogabali (89) ſententiam SCta . Mitto jam citeriora tempora, quibus alii mores, alia vehiculorum genera & nomina in dies prodierunt . Hactenus de lege Oppia , ſive de ploſtraria , quatenus vectationem ſpectat : nunc de ploſtraria oneraria .

Sectio II. *De lege ploſtraria oneraria.*

Saepe monui praecipuum hujus legis ploſtrariae , quam Tabula exhibet , ſcopum eſſe, ut periculum a Quiritium confertim itantium cervicibus omne depellat. Quam pridem vetitum fuerit , ne horis diei primis gravia ploſtra per urbem agerentur, aut quam mox ea lex oblitterata fuerit , haud queo dicere ; nihil enim , quod eo pertineat , reperio proditum . Verum de abolitione pronum eſt judicare. Nam plures hujuſmodi leges non nova lege abrogantur , ſed paullatim in deſuetudinem abeunt.

potuiſſet ex vero dicere, *Placuiſſe quondam Oppiam legem ;* hoc ipſo retudiſſet Caecinae magniloquentiam . Nunc *Oppias leges* uſurpans , fatetur fuiſſe re vera plures. Fatetur , inquam, plures, atque in eo tantum vim ſuae defenſionis intendit, *Remiſſum aliquid poſtea & mitigatum , quia expedierit.*

(85) *Ecquis reduxiſſe priorem Oppiam videatur .*

Non eos afferam , qui magno numero tertio aut ineunte quarto Romae ſaeculo tribunatum geſſere , utpote priores Cajo illo Oppio qui anno 538. legem celeberrimam de mundo & vehiculis muliebribus tulit . Poſteriores igitur quaero ; & quidem ex eadem Salinatorum familia , ex qua legislator ille prodierat . Ac ſane poſt minus viginti ab hoc legislatore annos quidam L. Oppius Salinator tribunus plebis fuit anno 556. qui legem de prorogando Macedoniae imperio T. Quinctio legem rogavit . Verum de hoc quidem vanum eſt cogitare , quia adhuc eo anno lex Oppia illa vigebat , quae non niſi biennio poſt , fruſtra obnitente Conſule Catone , antiquata fuit.

Ergo non alius ex Oppiis reſtat , qui legem hanc Oppiam , de qua tamdiu loquor , revocare debuerit (certe ut ἀνισορηστίας notam a Tacito, *Oppias leges* bis uſurpante, amoliamur) non alius, inquam, ſupereſt, quam Q. Oppius Salinator anni 657. tribunus plebis. Hic igitur Q. Oppius Salinator ille fuit, qui legem familiae ſuae peculiarem poſt centum ferme annos ex quo abrogata fuerat, revocavit. Ac bene eſt, quod hic pauciſſimis annis legum Digeſto huic anteceſſit : quo minus profecto mirabimur, ſi in hac Tabulâ lex Oppia, quâ parte vehiculis interdicebat, vi ſua polleret , uti conſtat ex verbis illis v. 60. qua *certis* tantum *hominibus*, *certis de cauſis Plauſtri* indulgebatur uſus : qua voce etiam geſtatoria vehicula antique continebantur.

Antequam hinc abeo , ſciendum eſt , hunc eumdem Q. Oppium anno 663. praetorem urbanum fuiſſe , anno vero ſequente praetorem provincialem cum proconſulari imperio miſſum in Aſiam contra Mithridatem . Quo bello eum a Laodicenſibus Mithridati deditum , ab hoc vero non ſine ludibrio circumlatum , Appianus in Mithridaticis refert . Hujuſmet exſtat aereus nummus ab Vrſino & Vaillantio deſcriptus , in cujus averſa parte ſcribitur Q. OPPIVS. PRaetor, cum effigie Victoriae.

(86) Verſu ſcil. 60. quo tantum *certis hominibus , certis de cauſis* vectari per urbem licet, veluti magiſtratibus curulibus , & quibusdam utriuſque ſexus ſacerdotibus ad ſacra euntibus. Ex qua exceptione conſtat, id neque matronis nec aliis licuiſſe.

(87) Veluti Agrippinae & paucis aliis, quarum carpenta in nummis conſpiciuntur.

(88) Nam ex eo quod Hadrianus (uti Spartianus cap. 22. loquitur) *vehicula cum ingentibus ſarcinis Vrbem ingredi prohibuit*; videtur is ibi tantum medicas admovere voluiſſe manus , ubi gangraena ſerpebat latius. Oneraria tunc vehicula plateas infeſtabant, a quibus denſae multitudini metuebatur: hinc graviora plauſtra prohibuit , leviter onuſta toleravit. At contra de vehiculis geſtatoriis , quod eo malo civitas minus laborabat, & quod adhuc lex noſtra vigebat, qua certis tantum perſonis vectari licebat, ea de cauſa nihil cavit : proviſurus, ſi fuiſſet opus ; ut vel ex equitatione interdicta patet . Nam in Spartiano ſic ſequitur. *Sederi equos in civitatibus non ſivit*. Capitolinus Marco: *Sederi in civitatibus vetuit in equis*. Nam qui non Romae ſolum ſed & in aliis civitatibus equos inſideri vetuere, etiam vehicula geſtatoria (quae & luxu faſtuq. animos, & incurſu & impreſſione corpora oblidebant) prohibuiſſent, ſi tunc duci vulgo ſolerent.

(89) Lampridius in Heliogabalo cap. 4. *Facta ſunt ſenatuſconſulta ridicula de legibus matronalibus . . . quae pilento , quae equo ſagmario , quae aſino vehere tur , quae carpento mulari , quae boum &c.*

Digitized by Google

abeunt. Ac ſane crediderim poſt Mariana & Sullana tempora, ſecutaſque diſcordias Principum, cum maxima civium parte conſumpta, ingens ſolitudo Romae viſeretur, de hac lege, utpote iis temporibus minime neceſſaria, fuiſſe remiſſum: nec tamen de eadem revocanda poſtea laboratum, niſi poſtquam ſub primis Caeſaribus Roma confertius habitabatur: de quo Juvenalis (90) luculentiſſimus teſtis eſt. At poſtea Hadrianus neceſſitatem legis agnoſcens, eamdem ſed mitiorem (91) reduxit.

Verum ad rectam legis hujus ploſtrariae intelligentiam nihil prorſus aliud, niſi vera *Ploſtri* notio, rectâ ducit viâ, ſine qua fruſtra ludemus operam. Quare eodem redeo, unde cap. 1. exorſus, rem tamen ibi in incerto reliqui, quod rem nondum plane pertentaſſem. Ac ne nunc quidem plane, quid ſtatuam, certum habeo. Tamen experiundum eſt aliquid.

CAP. III.

De genuina Plauſtri notione: tum quamdiu generalis fuiſſe, quando vero primum reſtrictior evaſiſſe videatur.

Jam tum capite I. *Plauſtri* notionem tam late quam univerſi generis vectabulorum, patere non ſine metu ſuſpicabar. Ac tum quidem urgentibus operis typographicis, id pauciſſimis argumentis ſuadere conatus, rem malui premere, ac tantiſper in incerto relictam, ad extrema Commentationis hujus differre, ſicunde interim lux rei obſcurae clarior affulgeret. At nunc quoque ſollemne illud *non liquere* libens pronuntiaverim.

Tamen inter preli feſtinationem illud videor ſtans pede in uno poſſe univerſe affirmare, aliter antiquos, aliter extremae reip. & Caeſareorum temporum ſcriptores plauſtri vocem accepiſſe: dum illis *Plauſtrum* totius vehiculorum generis nomen fuiſſe videtur, his onerariorum tantum ſordidorumque vectabulorum vocabulum. Ac de hoc ſcriptorum diſcrimine malui in ima (92) ora ſeorſum cupidos iſtiuſmodi rerum docere, quam homines hujuſcemodi tricarum ſecuros hîc demorari. Ergo uti dixi primitus *Plauſtri* ambitu univerſa vehicula (ſive oneraria, ſive geſtatoria, imo & ſacra) continebantur: at extremis reip. temporibus *Plauſtri* nomen ad ſarcinas amandatum, dum interim vectandis honeſtioribus perſonis alia nomina adjudicari placuit.

Quod

(90) Juvenalis locus, etſi ſatis obvius, & a Conrado allatus, hîc non poterit non recte legi, ex Sat. III. v. 255. *Longa coruſcat - Sarraco veniente abies, atque altera pinum - Plauſtra vehunt: nutant altae, populoq. minantur. - Nam ſi procubuit qui ſaxa Liguſtica portat-Axis, & everſum fudit ſuper agmina montem; - Quidſupereſt de corporibus, quis membra, quis oſſa - Invenit? Obtritum vulgi perit omne cadaver.*

Sed & ſub Auguſto plauſtrorum frequentia interdiu infeſtabat. Hor. I. Sat. 6. *At hic ſi PLAVSTRA DVCENTA, - Concurrantque foro tria funera, magna ſonabit.* Ac rurſus Epiſt. ad Jul. Florum, rationem hanc reddit, cur meditari verſus ambulans in Vrbe nequeat: *Triſtia robuſtis luctantur funera PLAVSTRIS, - Hac rabioſa fugit canis, hac lutulenta ruit ſus, - I nunc, & verſus tecum meditare canoros.*

(91) De quo Spartianus c. 22. *Vehicula cum ingentibus ſarcinis urbem ingredi prohibuit.* De quo vide dicta Adn. 88. Nimirum graviora tantum vehicula vetuit, a quibus denſae multitudini pertimeſcendum, non item quae ſarcinas leviores vectarent. At geſtatoriis vehiculis *certi* tantum *homines certis de cauſis* (uti lex jubebat) utebantur: a ceteris perſonis minus hac parte peccabatur, in tanto praeſertim ſellarum & lecticarum tunc temporis uſu.

(92) SCHOLION DE ἈΜΑΞΗΙ, ET PLAVSTRO,

Quo oſtenditur, tam Graecorum Ἅμαξαν, quam Plauſtrum Latinorum antiquitus generale fuiſſe vehicularis rei nomen: at poſtea ruſticum & onerarium evaſiſſe.

SECTIO I. *De Ἅμαξη, Hamaxa.*

Ἁμάξης etymon duplex Euſtathianum: obiter de Axe verſatili. Etymologia alia tertia praefertur. Hamaxa vetus τετράκυκλος inſtar ſigni celeſtis. Hamaxa Homerica γενικῆς notionis, uſibus honorificis deputata, & cum ἁπήνῃ confuſa. Hamaxae Scythicae: item bellicae. Gordii geſtatoria hamaxa. Hamaxa ſacra, qua mater Cleobis & Bitonis ad Junonis, & Matres Atticae ad Eleuſinia procedebant. Hamaxae Thucydideae funebres: item dramaticae. Quid ἅμαξα Polluci fuerit.

Cum caeleſte ſignum Graeco nomine, Latinis litteris *Hamaxam* notarit Gellius; imo & ubi vehiculum notat, item Latinis elementis *Hamaxam* Capitolinus ſcripſerit (ut cetera moris hujus Graeca Latine ſcribendi taceam in Vitruvio aliiſque) id mihi quoq. interdum in hoc Scholio licere ſinam.

Et quidem cum Hamaxa Graecorum Latino *Plauſtro* e regione reſpondeat; ſi *Hamaxae* notionem generalem fuiſſe oſtendero, id aeque in *Plauſtro* valebit.

Ἁμά-

Digitized by Google

Ἅμαξης etymon duplex Euſtathius tradidit; ſive (ſi quidem tenuetur, ut in Homero ſaepe invenitur) παρὰ τὸ ἄγειν τὰ ἀμώμενα (ab avehendis meſſibus) ſive (ſi denſetur, uti plerumq. ſcribitur) παρὰ τὸ ἅμα καὶ τὸ ἄξων (a *Simul* & *Axis*) quod ſcil. axis ſimul cum rotis volveretur: id quod Probus ad Geor. I. plauſtro tribuit: vere ne (I) an ſecus, alii judicaverint. Mihi neutrum placet etymon, ſatius ducenti ſi ἅμαξα ab Ἅμα (*ſimul*) & ἄξαι (*ducere*) derivetur. Quod & H. Stephano jam antea placuiſſe, mirifice gaviſus ſui. Hoc vero etymon in omnia vehicula convenit. Nam tum homines tum onera ſimul plura ducuntur vehiculo, quibus ſigillatim vectandis plura jumenta dorſuaria, ſingula ſingulis, aegre ſufficerent. Sed jam ad ſcriptores venio, ecqua notione uſurparint.

Ac ſi a Populo Dei ordiri placeat; non eſt dubium quin apud Seniores Ἅμαξα iis locis, ubi עֲגָלָה *Agala*, i. e. *plauſtro* reſpondet, non tantum pro ruſtico aut onerario accipiatur, ſed ſaepiſſime pro itinerario (ut Gen. XLV. 19. 21. 27. XLVI. 5.) aut ſacro ac rituali ſicut Lev. VII. pluries, & 1. Sam. VI. pluries, & 2. VI, 3. 4. & 2. Paral. XIII. 7. Graecae translationis antiquitatem nemo neſcit.

Ἁμάξης (*hamaxae*) omnium antiquiſſimae formam ſi quaeras, eam dabit ſidus illud, ſive ſtellarum ſeptem congeries, quam *Vrſam*, ſive Graeco nomine *Hamaxam*, aut Latino *Plauſtrum* vulgo appellabant: & quidem diu ante Homerum, ut qui id nomen tamquam diuturno ante ſe uſu confirmatum uſurpet Od. E. v. 273.

Ἄρκτον θ', ἣν καὶ ἅμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσι.

Vrſam, quam vulgo & Plauſtrum cognomine dicunt.

Si quaeras, cur *Plauſtrum* dici placuiſſet, reſpondebit vetus Homeri Scholiaſtes, quod ea conſtaret *ex quatuor* ſtellis (ἐν πλινθίῳ σχήματι) *arcae inſtar in quadrum, & ex tribus* (ἐφεξῆς) *in directum diſpoſitis*: quarum ſcil. priorum (ut idem ibidem interpretatur) quaternio quaternas plauſtri rotas, tres aliae temonem exhiberent. Videatur & Theon ad Aratum p. 7. Habes hinc antiquiſſimam plauſtri effigiem, quatuor conſtantem rotis, cujuſmodi ἅμαξαι non modo in Homero τετράκυκλοι ſunt, ſed & in Herodoto illae Scytharum: quae (II) apud Hippocratem interdum etiam ſex orbibus inſtructae erant. Ita ut omnium antiquiſſima ἅμαξα (*plauſtrum*) quatuor habuiſſe rotas videatur; nec niſi poſtea plauſtrum binis rotis invehi a ruſticis coeperit. Quod ſi *hamaxa* temporum heroicorum quaternis inſtrueretur ſaepe rotis; hinc etiam facile ſuadebitur, illam vehiculationi forſan potius, quam ruſticis operibus ſerviiſſe. At haec levia: meliora jam demus.

Venio ad *Hamaxam* Homericam, quae inter cetera epitheta Καλὴ i. e. *elegans*, & ἠμιονείη (*a mulis tracta*) Poetae noſtro dicitur: quae duo nobiliora,

---

(I) Quod vetus axis ſimul cum rotis converteretur, & quomodo. Sirachides, Probus, Heſychius, Pollux conferuntur & illuſtrantur:

Probus ad I. Geor. ver. 163. habet; Plauſtra ſunt vehicula, quorum rotae non ſunt radiatae, ſed tympana cohaerentia axi, & juncta cantho ferreo. Axis autem cum rotâ volvitur; nam rotae circa ejusdem cardinem adhibentur. *Quam commode vero rotae ſimul cum axe volvi potuerint, parum intelligo. Interim Euſtathianum etymon ab ἅμα & ἄξων huc mihi ſpectare videtur. Ac priſca aetate arbitror ita factum. At quin in pleriſque vehiculorum ſemper factum credam, vetat Procli definitio Axis mundi*: ΑΞΩΝ καλεῖται τῦ κόσμυ, ἡ διάμετρος αὐτῦ, περὶ ἣν στρέφεται. AXIS mundi appellatur ejus diameter, circa quam (*utique immobilem*) vertitur mundus. *Ab eadem immobilitate factum ut in humano corpore ſpondylorum ſecundus vocetur* Axis, *teſte Polluce his verbis: τῶν δὲ σπονδύλων ὁ δεύτερος*, ΑΚΙΝΗΤΟΣ ὢν, ἄξων ὀνομάζεται. Spondylorum ſecundus, quod ſit IMMOBILIS, ab eo Axis nuncupatur.

Atque ego cum apud auctores exempla verſatilis axis conquirerem, nunc quidem hoc unum in Sirachidis Sapientia reperi. Eccleſiaſtici XXXIII. 5. ita legitur: Praecordia fatui, quaſi rota carri: & quaſi AXIS VERSATILIS cogitatus illius. *Altera pars commatis in Graeco ita concipitur: καὶ ὡς ἄξων στρεφόμενος* (ut axis qui vertitur) ὁ διαλογισμὸς αὐτῦ. *Habes hic axis volubilis ſpecimen: de quo loco illuſtrando nihil interpretes fategiſſe miror. At contra in 3. Reg. VII. 33. ubi in Latino vulgatae* & radii & canthi & modioli *rotis tribuuntur* (modioli *autem axem immobilem arguunt*) *ea omnia vocabula in Hebraeo ejuſmodi ſunt, ut longe aliter a Senioribus, a Chaldaeo interprete & a Pagnino reddantur. Ergo fuerit priſcis temporibus interdum axis volubilis, rota vero ſimul cum axe verſata.*

Id totum quo pacto inſtrueretur, Probus ſupra laudatus expoſuit. At ejus ultima parum perſpicua videntur. Rotae, *inquit*, circa ejusdem (*axis*) cardinem adhibentur. *Quid rogo* Cardinem *vocat? haud ſane aliud quam illud ipſum, quod* Cardo *in janua eſt. Januae* Cardines *ſunt illi duo cavi* (*ſuperne unus, inferne alter*) *intra quos poſtes inſerebantur, & circa quos vertebantur fores. Pari ratione concipiantur annuli aerei aut ferrei duo, utrinq. ſub arca vehiculi exſtantes, in quos tamquam cardines inſertus axis, ita demum volvi potuiſſe videtur una cum adhaerentibus rotis. Ex quibus lux magna ſimul Heſychio affunditur.*

Nam niſi magnopere fallor, ab his Probi cardinibus *haud plane differunt Heſychiani* Ἁμαξίποδες, *ab eo ita deſcripti:* ΑΜΑΞΙΠΟΔΕΣ· τὸ ὑπερτερίας τὰ ἐδη, τὰ (*Scal. corr. τὰ ἐλητὰ: Scheſſerus de re Veh. p. 40. τὰ ἅλη τὰ: utrumque ad rem*) οἷς ἄξοι προσιδήμενα, στρεφομένοις περὶ αὐτά. Hamaxipodes, *inquit*, ſunt hyperteriae (*de qua mox*) verticula, axibus appoſita, circum quae illi (*axes*) vertuntur. *Jam* ὑπερτερία *eid. Heſychio eſt* ſuperior compaginatio (πῆγμα) hamaxae: *Polluci* τὸ ὅλον ἐπίδημα τῦ ἅρματος, *quod idem eſt: Euſtathio demum eſt arca quadrata axi incumbens, quam Homerus* πάτρην *vocaverit. Habes Hamaxipodum Heſychianam deſcriptionem. At Pollux paulo aliter:* Καθαραίαις ἁρμάζονται οἱ ἁμαξίποδες, ἀφ' ὧν ὁ ἄξων ἕλκεται στρεφόμενος. Catharaeis aptantur hamaxepodes (*ſive* Cardines) in quibus (*nam legerim in Polluce* ἀφ' *pro* ἀφ') in quibus axis converſus trahitur.

Haec eo pertinent, ut videantur olim non aliter vehicula revoluta fuiſſe, quam cum axe verſatili, qui ſimul rotas ſibi affixas pertraheret. At animadvertendum eſt, Pollucem Heſychiumque ex antiquioribus rei vehicularis ſcriptoribus haec hauſiſſe. At poſtmodum credo fuiſſe mutatum, ita ut axis immobilis, rotae vero verſatiles eſſent: nec aliter res geri poterat, ubi rotae radiis & modiolis inſtruebantur. Nam rotae, quae axi mobili affixae, per axis converſionem volvebantur, ex aſſeribus continentibus compingebantur: quae tympana *Probo dicuntur.*

(II) *Hippocrates in de aëre, ubi de Scythicis* hamaxis *inſtar portatilium domor. factis: αἱ δὲ ἅμαξαι εἰσὶν, αἱ μὲν ἐλάχιστον τετράκυκλοι, αἱ δὲ ἑξάκυκλοι.* Eorum vero plauſtra rotis minimum quatuor, quaedam etiam ſex inſtruuntur.

Digitized by Google

liora, quam pro ruris miniſteriis, aperte videntur. Exſtat prae ceteris Homericus ille locus Il.Ω.v.266.

Ἐκ μὲν ἄμαξαν ἄειραν εὐτροχον ἡμιονείην
ΚΑΛΗΝ, πρωτοπαγῆ· πέρι δ' ἔδησαν ἐπ' αὐτῆς,
Κὰδ δ' ἀπὸ πασσαλόφιν ζυγὸν ἧρεον ἡμιόνειον.
Extulerunt ploſtrum, junctis verſatile mulis,
Perpulchrum atq. recens, capſumq. ſuperne locarunt,
Ac mulare jugum loculis prompſere repoſtum.

An non vides nihil minus quam ſordidum hîc ploſtrum deſcribi, ſed illud nobilius, cui muli jungebantur, aeque ut illi quod ἀπήνη vocatur ab Homero ipſo? apud quem ἅμαξα, quam hîc deſcripſit (donis Achilli ferendis in Hectorei capitis pretium ſervituram) mox ver. 275. & alibi, ἀπήνη diſerte nuncupatur. Sed & Od. Z. uno eodemque loco idem vectabulum utroque donatur nomine.

Οἱ μὲν ἄρ' ἐκτὸς ἄμαξαν εὐτροχον ἡμιονείην
Ὦπλεον, ἡμίονοι δ' ὑπαγον, ζεύξάν δ' ὑπ' ἀπήνη.
Atque illi plauſtrum junctis revolubile mulis
Inſtruxere, ſubhaec rhedae junxere jugales.

Ex quo ſequitur, recte ἀπήνην definiri *Mulare vehiculum*, idq. auctore Homero niti (ut qui toties ἀπήνην cum *Hamaxa* ἡμιονέην h. e. *mulari* confundit) deinde *Hamaxam* ad omnia vectabula porrigi, nec niſi addito (ἡμιονείην) potuiſſe ad ἀπήνην ſignificandam reſtringi. Hinc non miror, a Barneſio ἅμαξαν plerumque *Rhedam* verti: quamquam non erat neceſſe, quia *Hamaxa* & *Plauſtrum* nomina univerſi vehiculorum generis (ſub quo *Rheda* continetur) antiquitus erant. Plura ex Homero proferre cum poſſim, me contineo.

Sed multus fuero, ſi ex ceteris Graeciae ſcriptoribus paullo antiquioribus *Hamaxae* generalem notionem docere pergam. Sane praeſtabit, ſi uſus multiplices, in quos ἅμαξα adhibebatur, oſtendero. De rure deq. portandis oneribus nihil depromam, cum de eo non ſit dubium.

Ac principio de Scythis ἁμαξοβίοις ſive ἁμαξοοίκοις (h. e. *Quorum plauſtra vagas rite vehunt domos*, ut ſcite Horatius id nomen interpretatur) ſuperfluum eſt monere: niſi quod Ammiani aetate adhuc is mos penes Alanos & quoſdam alios perennabat. Domos tectas portatiles exhibebant ea plauſtra, inſtructa rotis quaternis, plurimoque apparatu atque inſtrumento. Deſcriptionem ex Ammiano & aliis petes. De ἁμάξης uſu bellico ubi non hiſtoriae loquuntur? quibus nec ſemper boves junguntur, nec forma eadem, quae ruſticorum plauſtrorum. Mitto uſus alios, ut ad eos, qui a rure longiſſime abſunt, deveniam.

Ἁμάξας (*plauſtra*) vehiculationi ſerviiſſe, notat hiſtoria tritiſſima Gordii illius, cui plauſtro vehenti regnum delatum fuit, uti Juſtinus loquitur. At plauſtrum illud ruſtici generis fuiſſe, noli ſuſpicari. Arrianus in II. Exped. Alex. c. 3. Gordium hunc refert, juga boum habuiſſe duo, quorum *altero ad arandum* (τῷ δὲ ἁμαξεύειν) *altero ad aurigandum uteretur*. Cave enim hîc ἁμαξεύειν aliud quam *aurigari* intelligas, ſicuti & uſus ſcriptorum oſtendit, & ἁμαξεὺς non alius quam *auriga* eſt. Jam vero addit Arrianus, Midam cum (Gordio) patre & matre (αὐτῇ ἁμάξῃ) *cum vehiculo ipſo* conſtitiſſe in concilio. Nec temere hoc Arriani loco ἅμαξαν *vehiculum* verti, quippe Curtium ducem in eo ſecutus lib. III. num. 14. de Alexandro ita narrantem: *Vehiculum, quo Gordium Midae patrem vectum eſſe conſtabat, adſpexit, cultu haud ſane a vilioribus vulgatiſque uſu abhorrens*. Ultima Curtii verba (ſi modo ea recte accipio) aperte ſignificant, fuiſſe etiam in uſu ἁμάξας elegantiores, & has potiſſimum mox futuro regi conveniſſe; eâque de cauſa curioſe notat, eam tunc ἅμαξαν idcirco miraculo habitam, quod fuerit prope vulgaris: niſi quod non bobus aratoribus, ſicuti oneraria plauſtra, ducebatur, ſed peculiaribus in uſum vehiculationis ſepoſitis, nim. juvencis nitidioribus, quos ſupra idem Arrianus monuerat Gordium habuiſſe in id ſegregatos.

Venio jam ad *Hamaxam* ſacram, qua & Argivae ſacerdotes ad templum Junonis vadebant, & matronae Atticae in ſacris Eleuſiniis, & Veſtales cum ſacerdotibus aliis apud Romanos utebantur, ut ex hac Tabula conſtat. Ad Argivae Junonis ſacra illud Herodoti pertinet de Cleobi & Bitone, de quibus Musâ l. c. 31. ſic incipit: *Cum dies feſtus Junonis apud Argivos eſſet, oporteretq. matrem horum ad templum* (ζεύγει) *bobus junctis invehi, hique ex agro ad horam non adeſſent; juvenes excluſi tempore, ipſi* (ζεύγλην) *jugum ſubeuntes* (ἅμαξαν) *currum traxerunt, quo mater vehebatur*. Atque in hac narratione ceteri quidem *Plauſtri* vocabulo, quia id τῇ ἁμάξῃ e regione reſpondet, utuntur. At equidem malui ſequi Tullium interpretem, Tuſculana I. bis *Currum* interpretantem: *Cum*, inquit, *illam ad ſollemne & ſtatum ſacrificium CVRRV vehi jus eſſet, juvenes ii ad jugum acceſſerunt. Ita ſacerdos advecta in fanum, cum CVRRVS eſſet ductus a filiis*. Atque ad hanc hiſtoriam Virgilium Geor. 3. v. 532. 533. Servius trahit, citans laudatum Herodoti locum. Sed & Matronae Atticae ad ſacra Eleuſinia ἁμάξαις vehebantur, teſte Anu in Ariſtophanis Pluto (ver. 1015.) ita loquente:

Μυστηρίοις δὲ τοῖς μεγάλοις ὀχεμένην
Ἐπὶ τῆς ἁμάξης. Quod Friſchlinus interpres optimus ſic metro alligavit:

Cum aliquando ad magna illa Cereris ſacra veherer
CVRRV. . . Appoſite: etſi *Plauſtri* vocem retinere impune potuiſſet, quippe quam Tabula noſtra non averſatur, ubi *Plauſtrum* Veſtalibus aliiſque ſacerdotibus tribuit. Imo haud ſecus & Comici Scholiaſtes ad eum locum eſt capiendus: *Nam Athenienſium matronae* (ἐπὶ ἁμαξῶν ὀχούμεναι) *plauſtris*, i. e. curribus *invectae ad Eleuſinia magna procedebant*. Ergo exempla hujus Tabulae, de Veſtalibus Flaminibuſque *Plauſtro* ad ſacra vehentibus nihil minus, quam ex rure olent.

His adde plauſtra funebria Thucydidea, eorumque apud Athenienſes ritum, quo illi in bello caeſorum cadavera non ſine caeremoniarum apparatu ploſtris efferebant. Sic enim ille loquitur lib. 2. cap. 33. *Plauſtra* (ἅμαξαι) *adducuntur, quae arcas cupreſſinas, ex ſingulis tribubus ſingulas, portant: quibus inſunt oſſa tribulium*. Cetera ibi vide. Atqui huic mori Homerus jam ante praeluſerat, in cujus Iliadis ſeptimo Trojani ſuorum bello caeſorum cadavera ἁμαξάων ἐπάειραν, *plauſtris* (bene; at citra neceſſitatem hîc & alibi Barneſius *Curribus* vertit, ignarus, ut ἁμάξης ſic & *Plauſtri* nomina *Currum* etiam continere) *impoſuerunt*, ſepulturae daturi: quod itidem Graeci peregiſſe ibidem dicuntur.

Adde & *Hamaxas* dramaticas. Nam ille ipſe pater (uti complures volunt) tragoediae Theſpis, tamen, ut in illis rei tantae initiis, ſcaenae & pulpiti rudimenta, & quidquid eo ſpectabat, atque adeo tragoediam ipſam cum ſuo choragio portatilem, plauſtro circumferebat. De quo Horatius:

Ignotum tragicae genus inveniſſe Camoenae
Dicitur, & PLAVSTRIS vexiſſe poemata Theſpis,
Quae canerent, agerentque perunctis faecibus ora.

An quiſquam eſt ita ſtipes, qui hamaxas illas, quibus tam ingens circumagebatur negotium, habuiſſe quidpiam cum ſordidis & onerariis ploſtris commune putet? Equidem & argumenti & poematis granditati numquam fuiſſe Theſpin tam turpiter defuturum, pro certo habeo; ac nobis contra potius

Digitized by Google

ram ſero natis nominis τὸ ἀμφίβολον nunc illudere, ut qui nunc hamaxas non valeamus alias, niſi agreſtes concipere: quae tamen olim ſui nominis ambitu nihil non quamlibet magnificum continebant.

Adde & rituales *Hamaxas* νυμφαγωγὰς (*ſponſae ductrices*) quas Pollux X. 33. ita deſcripſit: Κλινὶς, *Clinis* (h. e. *lectulus*) *vocabatur id, quod* (ἐπὶ τῆς ἁμάξης) *hamaxae inſternebatur, dum ſponſa tranſveheretur: cui ſponſa ipſa inter Parochum Sponſumque inſideret*. Hoc quidem *Triſellium* vocari licuiſſet, ſi ea vox exſtaret; ſicuti exſtat in vet. marmore *Biſellium*. Accedit Heſychius: ΚΛΙΝΙΣ, ἐπὶ τῆς ἁμάξης νυμφικὴ καθέδρα. *Clinis, Sella ſponſalis in hamaxa*.

Sed antequam de Graecorum ἁμάξῃ deſino, proderit & ex Polluce (ut qui ſua ex antiquioribus quibuſque auctoribus hauſit) illud afferre: quod ſi equidem praevidiſſem, facile ſuperioribus de *Hamaxa* congeſtis ſuperſediſſem. Ergo lib. X. prope ab initio cap. XII. haec meridie lucidiora ſcribuntur: *Siquis vehiculari vectatione mane aeſtivo tempore uti velit, antequam ſolis aeſtus flagrantior fuerit; vectabulorum hujuſmodi ſpecies norit oportet; ſive* (ἅρματα) *currus, ſive* (ὄχους) *vehicula, ſive* (ἁμάξας) *hamaxas* (h. e. plauſtra) *ſive* (λαμπήνας) *lecticas eas nominare conveniat*. An quid luculentius fingi poterat? Ex ultimis vides ita parum *Hamaxas* ab illis aliis, quae recenſet, diſcrepaſſe, ut non multo majus quam nominis diſcrimen id totum fuerit.

SECTIO II. *De generali Plauſtri notione apud Latinos: ejusdemque uſibus ab agreſti & onerario diverſis.*

In tanto vetuſtiorum auctorum naufragio Tabula Heracleenſis una ſupereſt, quae γενικὴν plauſtri notionem doceat, ipſumque currum triumphalem complectatur. Capſi onerarii eadem forma quae triumphalis. Mularis ploſtri Catoniani uſus non alius, quam ad herilem familiam. Latini recentiores quoties in Plauſtri vocem honeſtiore ſignificatu acceptam in hiſtoriis incurrerunt, ei decentiora nomina ſuffecerunt: uti Cicero, Curtius, Livius, Verrius Flaccus.

Apud veteris aevi Latium *Plauſtrum* quouſque ſui nominis protulerit fines, in tanta remotiorum ſcriptorum inopia non queo dicere. Et quod deterius, ex pauciſſimis, qui aetatem tulere, nulla huius vocis uſurpatio rem extricans, praeter fortaſſis ploſtra Catonis (de quibus infra) & ſiquid forte aliud adhuc ſupereſt. Fortaſſis in poetarum priſci aevi fragmentis aliquoties uſurpatum latet; ſed ea nunc excutere non tanti fuit. Nec profecto poterit poſthac aliud, quam hoc Legis ploſtrariae caput, quod ante paucos annos e terra emerſit, afferri, ut intelligatur, Latiale *Ploſtrum* non minus, quam Grajum Ἅμαξα, vocem generis univerſi fuiſſe. Hac enim lege *Ploſtrum* aeque ſtercori exportando, ac Veſtalibus & Sacerdotibus ad ſacra ferendis, itemque aliis *certis hominibus certis de cauſis* invehendis in Vrbe permittitur. Qua de cauſa? niſi quod vectabula omnia, tam pretioſa quam ſordida, uno tunc *ploſtri* nomine continebantur? Quid quod eâdem hac lege etiam triumphantium currum vox *Ploſtri* complectitur? Ac profecto jam tum, cum ad illa verba ver. 63. (*quaeque ploſtra triumphi cauſa, quo die quiſque triumpharit, duci oportebit*) commentarer, ſuſpicabar, ibi plauſtra non ea tantum deſignari, quae ad triumphi apparatum pertinerent, ſed illud etiam quo triumphans inveheretur. Tamen tum quidem hominum judicia veritus ſcripſi (pag. 356. col. 1. poſt medium) plauſtra ibi *non ad ipſius triumphantis* (*quem quadriga ſublimem gerebat*) *ſed ad triumphi choragium pertinuiſſe*. Nunc ipſe me revoco.

Quid enim? Poſtquam evicimus, tam late plauſtrum, quam & Ἅμαξαν patuiſſe, & utriuſque fuiſſe tot genera pretio formâque diverſa, quot uſus diverſi fuere; an poſtea dubitabimus quin, quo tempore ea notio vigebat, triumphantis imperatoris currus, *ploſtrum* fuerit *triumphale* vocatum? Quid quod, exceptis jugalibus (qui in triumphali vehiculo equi fuere candidi, at in ruſtico plerumque boves) forma ploſtri eadem in triumpho ac ruri fuit? Atque forma vehiculi in capſo potiſſimum dignoſcitur. Videſis plauſtri agreſtis effigiem illam, quam Schefferus pag. 246. attulit; quam idem extrema pagina 253. ſe *ex monumento veteri, quod Romae cernitur*, excepiſſe teſtatur. Atqui plauſtri Scheffe-riani capſum (ſive arcam vocare libeat ad onera continenda) cylindricum eſt inſtar turriculae. Nec prorſus aliam capſi triumphalium quadrigarum effigiem in nummis pleriſque conſpicio: intra quam veluti turriculam ſtans imperator procedebat. In eamdem ergo formam agreſtia ac triumphalia ploſtra conveniebant: at pretio plurimum utraque diſſidebant. Quibus autem hoc perſuaſum fuerit, ploſtro victores triumphaſſe, & ploſtrario imperatori IO TRIVMPHE adclamatum fuiſſe; minus profecto de impetranda in ceteris uſibus fide laborabimus.

Jam vero id, quod ſupra de Catonis uſurpatione polliciti fuimus, adhuc praeſtandum ſupereſt. Cato cap. LXII. ita ſanxit: *Quot juga boum, mulorum, aſinorum habebis, totidem ploſtra eſſe oportet*. Ac ſi ſatis legislatoris hujus breviloquentiam capimus; hinc intelligimus, plauſtris tum boves, tum etiam ex mulino & aſinino genere jungi conſueviſſe. Quid ergo? an equi a ploſtro excludebantur? non ſane: verum in ploſtrum onerarium equis haud aditus patuit, niſi forte ſagmariis: generoſiores triumphali reſervabantur. At vero ubi muli ploſtro jungerentur; id non tam vectandis oneribus fiebat (quod ſatis in majoribus ſarcinis boves, in minoribus aſini praeſtitiſſent: mulorum autem pretium ſupra fidem carum) quam hero & herili familiae invehendis. Ad eum igitur uſum muli alebantur in villis: praeſertim quod in his nullus Oppiae legi, nullus ploſtrariae locus. Mulare vero vehiculum generis nomine Ἅμαξα Graecis, Latinis *Ploſtrum* vocabatur; at fuit ejusdem & peculiare nomen, quod Latinis plerumque *Carpentum*, Graecis Ἁπήνη erat. Vide quae de ἁπήνῃ diximus ſect. I. ubi de *Hamaxa* Homerica. Atque hic Catonis locus, ita ut expoſitus a me fuit, mire illuſtratur Plautino altero: quem ſero a me repertum hujus Commentationis Capiti IV. veluti loco coronidis reſervavi.

Jam ſi qua alia ex Latinis decerpi poterant, ea ſparſim in ſuperioribus attigi; & illud in primis oſtendi Latinos recentiores (apud quos ad onerariam atque ſordidam notionem ea vox traducta fuerat) in iis narrandis hiſtoriis, in quibus Graecorum Ἅμαξα, aut Latiare *Ploſtrum* videretur pro decentiore vectabulo uſurpatum, ibi *Ploſtro* ſive *Carpentum*, ſive *Pilentum*, ſive *Currum* aut *Vehiculum* protinus ſuffeciſſe. Ac de hoc nunc pauca dicemus, exorſi a Cicerone. Is Tuſc. I. in Cleobis & Bitonis narratione (qui *plauſtri*, quo mater ad Junonis vehebatur, jugum alacres ſubierunt) rejecto *plauſtri* jam agreſti vocabulo, bis *Currum* ſubſtituit. Vide locum ſect. 1. Sic etiam Curtius in hiſtoria Gordii, *Plauſtro* ad regnum capeſſendum advecti, ei voci *Vehiculum* ſubrogavit. Vide ſect. eâdem.

At Livius in his multo crebrior lib. I. cap. 21. de Numa ita ſcribit: *Fidei ſollemne inſtituit: ad id ſacrarium Flamines bigis, curru arcuato vehi juſſit*. Locus ad oſtendendum quouſque in verbis veteribus interpolandis licuerit Livio mirificus. Nam in antiquio-

Digitized by Google

tiquioribus hiſtoriis *Plauſtro* Flamines ad ſacra illatos haud dubie Noſter invenerat. Sicuti & noſtra haec Tabula ad ſacra *Ploſtro*, tamquam non indecoro vectabulo, tum alios, tum nominatim *Flamines* deducit. At quia jam non eadem priſcis vocibus notio conſtabat; Patavino *Plauſtri* nomen rus oboluit: qua de cauſa plauſtri loco *currum arcuatum* ſuffecit. Qui, niſi litaſſet auriculis delicatulæ multitudinis, potuiſſet *plauſtro arcuato* dicere; nam plauſtra vetera plerumque fornicata fuiſſe, adhuc carpentorum contectorum (quae olim *ploſtra* dicebantur) effigies in nummis obviae declarant. Simile & illud Livii, quod alibi retulimus, de matronis (quibus, quod aurum ad crateram Apollini conflandam contuliſſent, conceſſum uti *pilento ad Sacra ludoſque, carpentis feſto profeſtoque uterentur*) quippe qui *Plauſtri* generali vocabulo, quod in hiſtoriis reperit, duo ſubſtituit nomina neceſſaria, poſtquam ea vocum divortia inducta in mores fuerunt. Idem lib. XXXIV. 1. ita legem Oppiam in pauca contraxit, ut pro *Plauſtro* (quod jam obſorduerat; cum tamen ex noſtrae Tabulae indicio in eo plebiſcito id legeretur) *Juncto vehiculo* ſubrogavit. Sicuti & ubi Catonis acerbitatem cenſurae exaggerat, ait, hunc ne *Vehicula* quidem mulierum, quae paullo pluris (III) ſtetiſſent, incenſa reliquiſſe: quae tamen in tabulis cenſualibus haud dubie *Plauſtra* (ex Tabulae Heracleenſis indicio) vocabantur. Atq. haec ultima Livii loca qui volet, cap. 2. adſcripta reperiet. Ac ſane plura adhuc poſſem: ſed nolo meq. & alios obtundere, praeſertim qui ſparſim plura huc ſpectantia dederim.

Niſi quod ſubmoventi manum de tabula venit in mentem loci pulcherrimi Verrii Flacci, quem Macrobio debemus. Apud hunc enim Sat. I. 6. ita reperio: *Verrius Flaccus ait, cum populus Rom. peſtilentia laboraret, eſſetq. reſponſum, id accidere, quod dii deſpicerentur; anxiam Vrbem fuiſſe, quia non intelligeretur oraculum: eveniſſeque ut Circenſium die* (Ludi Romani Magni (IV) forſitan deſignantur) *puer de cenaculo pompam ſuperne deſpiceret, & patri referret, quo ordine ſecreta ſacrorum IN ARCA PILENTI compoſita vidiſſet.* Vides quanta repente converſio vocabulorum. Tabula Heraclienſis non niſi PLOSTRA vocat, quae IN POMPAM tranſvehendam LVDIS CIRCIENSIBVS adhibebantur: vide ver. 64. At ecce ſub Flacco Verrio cum jam id verbum obſorduiſſet, cum *Pilento* commutari placuit. Pergit porro Verrius: *Qui* (puer) *cum rem geſtam ſenatui nuntiaſſet, placuiſſe velari loca ea, quod* (V) *pompa veheretur: atque ita peſte* &c.

Sed & Iſidori locus ejuſdem plane generis, ac Verrianus eſt. Vterque enim ad pompam Circenſem pertinet: niſi quod *Ploſtris* Verrius *Pilenta*, Iſidorus (ſive is unde ſua Iſidorus hauſit) *Carpenta* ſuffecit. Jam inde ordiar. Ex Tabulae noſtrae verſu 64. diſcimus, *Ploſtra . . . in pompam ludis Circienſibus duci agi opus* fuiſſe. Jam ea ploſtra Verrius in *Pilenta* verterat. At praeter Verrium, alius etiam, (quiſquis is fuit, ex quo ſua Iſidorus contraxit) id genus *ploſtri* pulchre *Carpentum pompaticum* (a *pompa* ſcil. cui tranſvehendae ſerviebat) appellavit. Ejus verba XX. Orig. c. 12. haec ſunt: *CARPENTVM POMPATICVM vehiculi genus eſt, quaſi Carrum pompaticum.* Iſtud ultimum *Quaſi Carrum* ad etymologiam Iſidorianam *Carpenti* a *Carro* (paullo infeliciorem: nos aliam tradidimus Adn. 79.) pertinet. Sed illuc redeo, Circenſium pompa, teſte Tabula, *ploſtris* agi dicebatur, quamdiu *plauſtri* nomen decens fuit, quippe vehicula omnia ambitu ſuo continens. At poſtquam ſordeſcere vox ea coepit, cum vocibus aliis commutari placuit. Verrius cum *Pilento*; is, qui auctor Iſidoro exſtitit, cum *Carpento* (VI) *pompatico* permutavit. Atque ego Verrii & Iſidori loca pluribus expoſui, quam opus erat, quod ea verſui 64. explanando olim reſervata, tamen p. 357. ubi is verſus enodatur (*τί παθόντι;*) exciderit.

SECTIO III. *Amplius de poſterioris aetatis, tum Graecanicae Hamaxae, tum Plauſtri Latini ſignificatu reſtrictiore: quove deinde pacto Plauſtri nomen inverterint.*

Satis ſuperque Sect. I. Scriptores Graecos, Sect. II. Latinos ad trutinam revocavimus. Sed adhuc unum quid alterumve reſtat: quae ad ſua loca revocare cum piguiſſet, hic quaſi per ſaturam ſubjiciemus, id agentes potiſſimum, quo ſtudio illi *Hamaxae* & *Ploſtri* voces, quaſi ſordidas interpolarint.

In Graecis auctoribus id ex eo liquet, quod in narrandis hiſtoriis, in quibus vetuſtiores ἅμαξαν uſurpaverant, e contrario recentiores in artioris no-

(III) *Livius XXXIX. 44. ubi de Catonis triſti in univerſos cenſura*: Ornamenta, & veſtem muliebrem, & VEHICVLA, quae pluris quam quindecim millium aeris eſſent, in cenſum referre viatores juſſit.

(IV) *Ludi Circenſes pluries eodem anno fiebant. At iſtud Verrii* Circenſium die, *majus aliquid, κατ' ἐξοχὴν ita dictum, innuit, ut non temere tantumdem videatur, quod Virgilianum illud*, Magnis Circenſibus actis *Aen. VIII. 636. quem locum Aſconius* (*ſupra relatus pag. 357. Adn. 74.*) *ita exponit*: Nam & (*Ludi*) Magni & Circenſes iidem ſunt. *Res porro ita ſe habet. Circenſium initium a L. Tarquinio fuit, qui & Circum* (*poſtea* Maximum *appellatum*) *primus fecit, ibique Circenſes dedit. Is, a quo haec diſcimus, Livius I. 35. haec addit*: EQVI (*quibus tum Roma carebat*) pugileſque ex Etruria maxime acciti: Sollemnes deinde annui manſere ludi, ROMANI, MAGNIQ. varie appellati. *En igitur cur Virgilius* Magnis Circenſibus *dixerit, quod ſcil. illos primitivos Circenſes* (*h. e. Romanos*) *a Circenſibus aliis ita, teſte Livio, diſtinguerent, ut* Magnos Circenſes *vocarent. Eddem vero de cauſa Verrius* Circenſium die *κατ' ἐξοχὴν dixit. Alioqui ſimpliciter* Circenſibus *ille ſcripſiſſet. Haec cum p. 357. Adn. 74. conferas velim; ut plenior Magnorum ludorum notitia utrinque paretur.*

(V) *Verriana iſthaec lucem Plutarcho aſpergunt ita ſcribenti in Romulo* (*pag. 20. C*) *ubi* Velabri (Βήλαυρον *ipſe vocat*) *priori cuidam etymologiae hanc alteram ſubjicit*: Quidam vero dicunt, ab iis, qui (θέαν) ſpectaculum praebent, inde uſque vela obtendi, quâ ex Foro aditus in Circum patet: *atque ab his ſcil.* Velis *nomen* Velabro *quaeſitum. Vbi quamvis* θέαν (ſpectaculum) *univerſe dixerit; tamen* Circenſes *ab eo intellectos, declarat* Circi *aliorumque locorum deſignatio.*

(VI) *Olim ita Livius diſtinguebat, ut* Pilentum *ad ſacram*, Carpentum *ad vulgarem vehiculationem deduceret. Haec ita Livius in hiſtoria matronarum, quae aurum ad conflandam Apollini crateram contulerant, diſcriminavit. Quod diſcrimen & alii ſecuti. Nec enim Verrius, niſi in* Arca pilenti *illa ſecreta ſacrorum repoſuit. At poſtea cum eorum vehiculorum forma vix aut nullo modo differret, confundi coepere vocabula; ſed ita, ut* Carpenta *pompae circenſis, cum adjectione* carpenta pompatica *vocarentur.*

Digitized by Google

Quod si quis porro a me quaerat, ecquando primum haec nominum secretio inducta fuerit; non aliud respondere habeo, quam quod ea aliquamdiu post legis Juliae tempora incepta, sensim postea sine sensu, ut in his fit, usu confirmata adoleverit. Proxime enim ante & post legem Juliam *Plaustrum* universae vehiculationis (nullo inter rusticam urbanamve discrimine) nomen adhuc commune erat, ut ex hujus Tabulae capite hoc ploströrio constat. Nec aliter aliquamdiu postea obtinuisse arbitror. Atqui sub haec tum lex ipsa Julia (per quam civitas bonae Italiae parti data) non levem sermonis peregrinitatem Vrbi infudit; tum etiam (ne a re vehiculari discedam) ex devictis Gallis, Germanis, aliisque pluribus gentibus nova vectabulorum genera cum suis vocabulis Romam illata fuerunt. Quid postea miramur, si, cum hae novae vehiculorum formae, novaeque eorumdem appellationes se mobili vulgo probarent; nomen jam ipsum plaustri honestioris vetus ab usu recesserit? Postremo cum ex antiquis vectabulis vix ferme alia, quam quibus rustici & redemptores in ferendis sarcinis utebantur, supereſſent, eaque apud ipsos, utpote veterum tenaciores, nomen generis retinerent, nec nisi *plaustrum* dicerentur; hinc factum ut *plaustri* vox agrestibus ac redemptoribus peculiaris evaserit, quippe onerum operumque rusticorum ministeriis affixa.

Atq. hanc totam ratiocinationem juvant epitheta plaustrorum apud eos poetas obvia, qui sub principatu floruere: qui illa *gravia*, *stridentia* aut *stridula*, *gementia*, *querula*, *sonora*, *tarda*, *robusta* aut etiam *roborea* vocant; & plaustrorum descriptiones ubique tales aspergunt, quae non nisi agresti, & onerario ploströ conveniunt. Mitto quod Latini scriptores in iis narrandis historiis, in quibus antiquior Graecia ἅμαξαν, sed itinerario sensu, usurparat, ipsi non *plaustri* voce (ut quam suo tempore oneribus tantum addictam nossent) sed aut *Currûs* (uti Cicero in Cleobis & Bitonis narranda pietate) aut *Vehiculi* (ut Curtius in Gordii historia) aut aliis suae aetatis vocabulis, quae sparsim alibi observavimus, utendum sibi putarint. Mitto & alia hujusmodi plura, ut ad illud Valerii Maximi deveniam, quod mirifice huic causae velificatur.

Ergo Valerius non aliam suo tempore *Plaustri* vocabulo, quam rusticam, vilem atque impuram notionem fuisse subjectam, satis luculenter declarat in L. Albinii, Româ a Gallis captâ, Vestales in plaustrum recipientis, historia: quam omnino vide lib. I. c. I. 10. Atq. hunc laudo, quod *plaustrum* vocarit; sic enim in antiquis reperit. Illud non laudo, quod usq. eo ἀφορασίας processit, ut suspicari nequiverit, ullo tempore *Plaustrum* honestiore acceptione potuisse usurpari, quam *sordidâ* & *agresti*, quam ei mox tribuit. At jam ante narraverat eamdem historiam Livius, sed ita ut plaustrum, quo Albinius conjugem liberosque vehebat, non pro agresti vectabulo acceperit (quî enim medio illo tumultu,

tionis verba Hamaxam refinxerint. Id ex Cleobis & Bitonis historia constat, in qua pro Herodotea ἁμάξῃ Lucianus & Plutarchus ἀπήνην usurparunt: quorum ille in Charonte sic posuit, ἐλκυσαν ἐπὶ τῆς ἀπήνης, *reda traxerunt*: hic vero (quod ἀπήνη pro vehiculo mulari haberetur) etiam de suo, repugnante Herodoto, mulos addidit: *Cum*, inquit, *muli qui traherent* ἀπήνην *deessent*, *ipsi* ἀπήνην (h. e. *mulare vehiculum*) *subierunt*. Ita in lib. de Consolat. ad Apollonium. Plura hujus generis decerpi ex posterioribus Graecis possent, si clepsydrae ratio id pateretur.

In Latinis autem id longe clarius, apud quos *Plaustrum* in sarcinarum usus reservatum cernitur: idque ante tempora M. Varronis qui cum *Plaustri* veriloquium a *Palam* adsciscceret, addit, *Quod perlucent lapides*, *asseres*, *tignum*. Ergo plaustra tantum oneraria agnovit. Varronis loco parum intellecto lux in ima (VII) ora infunditur. Ceterum frustra sim, si ceteros ejus aevi citare in testimonium satagam. At nemo id disertius Valerio Max. ostendit (ejus locum infra in fine capitis hujus tertii illustrabimus) qui in L. Albinii historia non potuit aliud, nisi *agreste* & *sordidum plaustrum* animo comminisci. At poterat ne Albinius Romae boves alere, & plaustro rustico ad iter ineundum uti? Imo potius domi suae mulare jugum alebat, cui ἀπήνην sive carpentum alligabat ad quotidiana vehiculationis (nulla dum lege vetitae) ministeria. Ac de his vide Capitis tertii partem quae restat.

(VII) *Istud* Pellucent *viris quibusdam eruditis nescio cur negotium facessierit*. Perlucent *idem est: quod* Translucent, *hoc autem tantumdem quod* Transpiciuntur. *Istud vero argumento est, eam tunc plane fuisse vulgatiorem Plaustri rustici formam (diversam utique ab illa quam Schefferus pag. 246. exhibuit) ut Plaustri arca ex utroque latere cancellis obsaepiretur, qui sarcinas continerent. Per eos vero sarcinae transpiciebantur. Ita etymon Varronianum a* Palam *sibi constabit. Hodie dum ea est rustici plaustri effigies.*

Digitized by Google

tu, mediâque in Vrbe plauſtrum Albinio ruſticum ſuppeteret ?) ſed pro conſueto ad iter carpendum *vehiculo* ; ut qui ſubjecerit : *Irreligioſum ratus* (Albinius) *ſacerdotes . . . . pedibus ire , ſe ac ſuos in VEHICVLO CONSPICI* (iſtud *Conſpici* ad vehiculi qualecumque pretium pertinet, veluti cum dicitur, *Conſpiciendus in auro*) *deſcendere uxorem ac pueros juſſit*. Vides, a Livio *plauſtri* vocem, quam apud antiquos invenit, ita uſurpatam, ut tamen de honeſtiore itinerario vehiculo eam interpretaretur ; quippe non ignarus, apud antiquos *Plauſtrum* univerſae rei nomen fuiſſe, & hauddum Albinii tempore exſtitiſſe legem, qua plauſtris, h. e. omne genus vehiculis, in Vrbe interdiceretur. At bonus Valerius, vir craſſioris ingenii (niſi vero ſicubi Valerianae purpurae vilior ſaepe pannus aſſutus fuerit) narratae a ſe hiſtoriae in hunc modum adclamat: *Quare AGRESTE illud & SORDIDVM PLAVSTRVM* (cur ita ſcripſit, niſi quia ſimplicitate ſua ſuſpicari nequivit, ullum fuiſſe tempus, quo *plauſtri* vox ſupra ſordidam notionem aſſurgeret ?) . . . *cujuslibet fulgentiſſimi triumphalis currûs vel æquaverit gloriam, vel anteceſſerit*. Mitto jam ex (93) Juvenale & aliis loca furfuris ejusdem proferre. Hanc vero *plauſtri* ruſticam & onerariam notionem cum Iſidorus ab omnibus jam receptam cerneret, ita lib. XX. 12. docuit : *Plauſtrum , vehiculum duarum rotarum , quibus ONERA deferuntur*. Mox ſuam etymologiam qualemcumque tradit.

Sed & apud Graecos per eadem ferme tempora (aut paullo quam apud Latinos ſerius : ut in eo noſtros imitati videantur) *Hamaxa* haud ſecius, amiſsâ generis univerſi notione, ſpeciei & quidem agreſtis & onerariae proprium nomen evaſit. Exempla erunt in propatulo rimantibus libros. Ego verbum non amplius addo.

CAP. IV.

APPENDIX PALMARIA I.

Qua ex loco Plautino ſuperius dicta de lege Oppia , & lege Ploſtraria , deque Plauſtri generali notione mirifice confirmantur : ſimul autem ſcopo Aululariae Plauti (Act. 3. ſc. 5.) lux eximia infertur.

Vbi ſuperiora Commentationis hujus formis expreſſa, jam jam prelum ſubitura eſſent ; incidi in egregium Plautinae Aululariae locum Act. III. ſc. V. v. 24. ubi ex perſona bene dotatae mulieris, ita loquitur Megadorus : *Equidem dotem ad te adtuli - Majorem multo , quam tibi erat pecunia . - Enim mihi quidem aequum eſt purpuram , atque aurum dari , - Ancillas , mulos, muliones, pediſſequos , - Salutigerulos pueros , VEHICVLA QVI VEHAR*. Vides ea omnia hîc a matronis bene nummatis ſuo jure peti , quae vetabantur lege (*) Oppia (cujus verba Cap. 2. protuli) recens abrogata, cum haec fabula ſcriberetur. De vehiculis vero potiſſimum , duobus verſibus interjectis, ipſe ex perſona ſua Megadorus, ita conqueritur: *Nunc quoquo venias , PLVS PLAVSTRORVM IN AEDIBVS - Videas , quam RVRI , quando AD VILLAM VENERIS*.

Ex his vero mirifica legi Oppiae, nec non legi noſtrae ploſtrarie lux affunditur. Nam haec ita dicuntur, utpote brevi poſt Oppiam (94) abrogatam ſcripta: quo tempore

(93) Cum *Ploſtra Bootae* (ſigni caeleſtis id nomen fuit) alii plures Graeci Latinique memoraſſent, idque citra decori jacturam (quia antiquis *Hamaxa* & *Plauſtrum* tam ruſticum & onerarium erat vectabulum, quam etiam itinerarium ; & *Βοώτης* non modo *bubulcus* , ſed & *ἡνιοχεὺς Auriga* erat ; nam & Gordius & alii bobus junctis iter carpebant) tandem Juvenalis , ſaeculi ſui notionem ſecutus , non potuit aliud ſub *Hamaxae* ſeu *Plauſtri* caeleſtis vocabulo mente concipere, quam ruſticum & onerarium vehiculum : quod proinde non alio quam *Sarraci* nomine viliſſimo inſignivit Sat. V. 23.

. . . . . *Aut illo tempore, quo ſe*
Frigida circumagunt pigri ſarraca Bootae.

At *Hamaxam* caeleſtem fuiſſe plauſtris itinerariis , quam agreſtibus ſimiliorem, ſup. Adnot. 92. initio Sectionis 1. conjiciebam.

(*) Nam illa quae proxime recitavi (*Mihi aequum eſt purpuram atque aurum dari . . . Vehicula quâ vehar*) an non ex adverſo cum Oppia pugnant ? in qua *Aurum* & *Vehicula* diſerte vetantur: Plautinae autem *purpurae* reſpondet in Oppia *veſtis verſicolor*, cujus ambitu *Purpura* in primis continetur ex Vlpiano in tit: 3. de Legat. l. 70. §. *Verſicoloribus* 12. & ex Paulo l. 78. §. *Coccum* 5. eod. tit. Ac praeter purpuram , cetera quae ead. ſcaenâ a v. 34. ad 45. (ſane quam lepidiſſima) ſequuntur, magnâ partem ad *verſicoloria* legis Oppiae pertinebant.

(94) Legem Oppiam anno V. C. DLVIII. lex Valeria abrogavit . Plautum Cicero in Bruto anno V. C. DLXX. e vivis ſublatum refert . Itaque intra medios annos duodecim Aululariam docere Plautus debuit. Atqui Act. 3. ſc. 5. corruptelae muliebres, quas lex Valeria peperit , ſic aperte proſcinduntur , ut facile ſtatuas , hanc fabulam multo viciniorem anno DLVIII. (quo Oppia abrogata) quam DLXX. quo Comicus obiit, ſcriptam fuiſſe. Sane ſi quae eâdem ſcaena ſequuntur , cum Oppia conferas ; haud dubie ſcriptam clamabis , cum recens invidia ex Oppia ſublatâ flagraret.

Digitized by Google

pore Romae mulieres praeter ceterum luxum (de quo mox) faſtu tanto vehebant, quantum haec comoedia (ad mores (95) aevi ſui corrigendos utiq. ſcripta) verſibus recitatis declarat. Quid enim amplius dici poteſt? *Vehicula*, inquit, *qui vehar*: ubi *Qui* plurale eſt pro *Quibus*. Non ergo uno matronae vehiculo contentae erant, ſed pluribus ad pediſſequorum (quos verſu ſuperiore memoraverat) comitatum opus fuit: quod ſedulo notari volo, cum hodiedum matronae paullo nobilioris carrucam altera aut plures pediſſequorum ſequantur.

Hactenus dicta confirmantur ſtatim verſu 31. quo indignatur, *plus plauſtrorum* h. e. vehiculorum, *in aedibus* videri, *quam ruri*, *quando ad villam veneris*. An ullus locus excogitari poteſt, qui aeque generalem *Plauſtri* notionem doceat? Hunc equidem locum ſi praevidiſſem; ſuperiore tota Commentatione haud dubie abſtinuiſſem: ita hic locus cum capite ploſtrario Tabulae noſtrae conſpirat. Nam quae plauſtra tam frequentia in aedibus viſebantur, an putamus ea ruſtica, oneraria, ſordida eſſe potuiſſe? quid enim hoc monſtri fuiſſet? quid ceterae delicatiorum matronarum luxuriae ac faſtui aeque diſſonum? Imo erant haud dubie matronalia carpenta (96) mularia tum ipſius matris familias illas aedes incolentis, tum aliarum plurium matronarum inviſendi gratia illuc convenientium, maxime ſi natalis eſſet, ſi nuptiae, ſi puerperium, ſi caena, aut tale aliud.

At inquies, quomodo non ea plauſtra ruſtica intelligantur, ſi cum plauſtris, quae *Ruri* ſunt, conferuntur? Reſpondeo, in villis vectationem ſemper fuiſſe licitam, eâq. de cauſa in iis praeter boves & ploſtrarios aſinos, etiam magnâ copiâ mulos fuiſſe ſtabulatos: boves quidem & aſinos ad laborem & ſarcinas, mulos autem ad vectationis herilis plauſtra, quae proprio mox nomine *Carpenta* vocari coepta. Cato ipſe cenſorius, hoſtis carpentorum in Vrbe tantus, tamen de R. R. Cap. LXII. mularibus plauſtris habenas permiſit. Cujus rei cauſam adtuli ſup. Adn. 92. ſect. 2. in Catone. Ita quidem ſtante Oppia lege. At eâ per Valeriam abrogatâ, merito conqueritur apud Plautum Megadorus, *Nunc* (h. e. paullo poſt Oppiam ſublatam) *quoquo venias*, *plus PLAVSTRORVM* (matronalium ſcil. quia de his ſermo erat) *in aedibus - Videas*, *quam ruri*, *quando ad villam veneris*. Hoc ultimum eo pertinet, quod in villis haud ſemper illa tanta carpentorum copia fuit: ſed in adventu herilis familiae, id maxime opus fuit, tum domini villae cauſa, tum eo convenientium amicorum. Nam Romanos ſeſe invicem ad villas invitaſſe, in eaſque ultro citroque itatum fuiſſe, ex epiſtolis Ciceronis, & ex aliis abunde conſtat.

APPENDIX ALTERA.

De Curru Magiſtratuum: item de lege ploſtraria amplius.

Inter Plinium Gelliumque quod creditur, id mere putativum diſſidium. Aetas veterum *Gelliana eamdem prorſus vim habet, ac Plinii* Conditum aevum. *Gallico incendio Vrbs renata, eſt Secundae Romanae originis epocha*: *Camillus*, Romulus alter. *CONDITVM AEVVM inſtar Luſtri conditi dictum. Novae Romae mores non plane iidem qui primae. In prima laxior vehiculatio: in ſecunda reſtrictior. Ad matronas vehiculatione prohibendas ſemper incubitum, utpote effrenatiores: in maribus minus laboratum.*

Plinius lib. VII. extremo cap. 43. ubi L. Metelli laudes eximias ex laudatione funebri Q. Metelli filii recitaſſet, in fine addit: *Orbam luminibus egit ſenectam, amiſ-*

(95) Sicubi Plautus perditos Romae mores ob oculos habuit, in hac certe fabula habuit. Nam cetera ſcaenae hujus (praecipue illa ſexcentorum artificum caterva, aedes matronae ſtipans, ut ejus impotentiae ſerviat) tam amara eſt luxuriae muliebris inſectatio, ut ſicuti Terentium a Laelio & aliis in ſcribendis comoediis adjutatum dictitabatur, ita Sarſinati poetae in hac ſcaena elucubranda adſtitiſſe adjutorem Catonem illum cenſorium diceres, cujus eſt apud Livium XXXIV. 2. & ſeq. illa legis Valeriae diſſuaſio, ſive verius, in feminarum luxum acerbiſſima invectiva.

Atque hinc intelligi, Latinoss poetas, quamvis Graeci argumenti fabulas plurimum ſcriberent, tamen ad Romanas conſuetudines, inſtituta, ritus perpetuo digitum intendiſſe.

(96) Huc ſpectare *mulos* & *muliones*, quos bene dotata mulier paullo ſuperius ſuo ſibi jure poſcebat, haud dubium eſt. Imo & multo magis huc pertinet, quod ſupra v. 20. idem Megadorus ſpoponderat, ſi ceteri ſecum conſpirarint in uxores indotatas ducendas, ſecuturam ſtatim mulorum, qui tunc tam caro venibant, vilitatem. *Ego faxim*, inquit, *muli, pretio qui ſuperant equos, - Sint viliores Gallicis canteriis*. Haud enim dubie ex Carpentorum muliebrium frequentiâ caritas illa tanta mulorum gignebatur.

Digitized by Google

amiſſis incendio, cum Palladium raperet ex aede Veſtae . . . Tribuit ei Populus Rom. quod numquam ulli alii ab condito aevo, ut quoties in ſenatum iret, curru veheretur ad Curiam. Magnum & ſublime, ſed pro oculis (amiſſis) *datum*. Si oratio illa Metelli filii exſtaret, haud dubium, quin in eâ, *Ploſtro* vectum ad Curiam legeremus, non vero *Curru*: quae vox ex (97) Plinio eſt.

At Plinio A. Gellius III. 18. adverſatur, qui ex Gabio (98) Baſſo ita refert: *Senatores enim dicit* (Baſſus) *in VETERVM AETATE, qui curulem magiſtratum geſſiſſent, Curru ſolitos honoris gratia in Curiam vehi: in quo curru ſella eſſet, ſupra quam conſiderent* . . . . Ecce quod Plinius ex Metelli filii oratione uni L. Metello, idque orbitatis cauſa, conceſſum ait, id Baſſus ſenatoribus omnibus, qui curulem magiſtratum geſſiſſent, impertit. Nodus vindice dignus.

Quem tamen nodum ſolvi difficilem, quidam, id quod ultimum eſt, ſecuerunt. Nam ex Gelliano textu voculas deleri duas illas (IN CVRIAM) jubent, quas, uti volunt, librarii audacia intruſerat. Ergo ſenatores curru per urbem uſos ajunt, *in Curiam* negant; cum hoc uni L. Metello datum fuerit, teſte Q. Metello in patris laudatione.

Atqui illud *In curiam* (utpote in ſcriptis omnibus & editis Gellii ſemper lectum) nos tamdiu opinor retineamus, donec membranae vetuſtiores prodierint, a quibus abſit. Interim tempora diſtingui malim. Totum illud quod Baſſus refert, id non niſi IN VETERVM AETATE contigiſſe ait. Nec tantum non abnuit, ſed & magnopere aſſentitur Plinius: apud quem CONDITVM AEVVM tantumdem eſt, quod illa *veterum aetas* in Baſſi verbis, ut in ima (99) ora oſtendimus. Ergo ſi loco τῦ *Ab condito aevo*, illud Baſſi *Ab veterum aetate* in Plinio reponas, jam hic plane eadem Baſſo dicet: *Tribuit*, inquit, *ei* (Metello) *Populus Rom. quod numquam ulli alii ab veterum aetate*, ſive *poſt veterum aetatem*: qua ſcil. ſenatores illi curru vehebant in Curiam, auctore Baſſo.

Illud forſitan ſcire libeat, quibuſnam finibus *Veterum aetas*, h. e. *Conditum aevum*, ab aetate poſteriore ſecernatur. Mihi parum eſt dubium, quin prorſus idem temporis articulus Romanos veteres a poſterioribus dividat, atque ille qui Romam originis primae ab Roma ſecundae originis, ſive Romam Romuli ab Roma Camilli diſcrevit. Vrbs a Gallico rogo reſurgens eſt limes ille utriuſque aetatis diremptor: de quo videbis in ima pagellae

(97) Sicuti enim quod in Cleobis & Bitonis hiſtoria Herodoto ἅμαξα (*plauſtrum*) dicitur, id Cicero, ſordes nominis averſatus, cum *Curru* bis permutavit Tuſc. I. hoc idem & Plinius fecit: qui cum *Ploſtrum* (ut in Tab. noſtra, & in Plauti Aulularia legitur) in Q. metelli orat. funebri reperiſſet, id vertit in *Currum*. Pari licentia Livius in legum & SCtorum verbis interpolandis, ceterique utebantur.

At quae de hoc L. Caecilio Metello inſcriptio apud Grut. p. 377. 4. legitur, ea ex hoc Plinii loco totidem paene verbis tranſcripta fuit. Nullus in ea antiquitatis odor ſupra Plinianam aetatem: qui tamen ineſſe ei titulo debuiſſet, vel ſi pluſculum a Metelli obitu temporis interceſſiſſet. Ibi quoque CVRRV . *veheretur* . *ad* . *Curiam* . ſcribitur. Et tamen cum aperte ſit Plinio recentior (niſi etiam ab aliquo ſciolo poſt renatas litteras ex Plinio conſarcinata) hodie dum a pluribus viris doctis pro titulo genuino aſſertur.

(98) Videtur Carrioni (in I. Emend. c. 7.) hic Gab. Baſſus idem fuiſſe, qui extremis Trajani temporibus orae Ponticae praefuit, ut ex Plinianis epiſtolis oſtenditur. Ceterum in hoc A. Gellii loco in mea Gryphiana anni 1550. editione ſcriptum reperio C. *Baſſus*. Nec aliter apud Lactantium lib. 1. de falſa relig. c. 22. *C. Baſſus Fatuam nominatam tradit*. Id ex eo factum, quod alicubi vitioſe ſcriptum *Cajus* (pro *Gavius*) poſtea pro praenomine habitum, unâque litterâ ſignatum. Mitto quod apud Macrobium, ac forſan alios, *Gavius* non *Gabius*, ſcribitur. Nec mirum: nam gens *Gabia* ex qua *Gabinia* inflectitur; ſicut ex *Ovia* fit *Ovinia* (& *Ovidia*: & aliae in eumdem morem) modo cum B, modo cum V, etiam in marmoribus ſcribitur. V & B pro more alternantibus.

(99) Verbum *Condo* plerumque compoſitorum notionem induit, modo enim pro *Recondo*, modo pro *Abſcondo* uſurpatur. Vtrovis modo accipias, illud Plinii *Conditum aevum* tantumdem erit, quod *reconditum aevum*, aut potius nobis prae nimia longinquitate *abſconditum*. Eodem pertinet, quod Virg. Solem *condere dies* dixit I. Geor. *Cum referetque diem, condetque relatum*. Et quod apud Plinium *Condere aevum* dicitur, id Lucretius III. 1103. *Condere ſaecla* (h. e. tranſigendo recondere atque abſcondere) uſurpavit.

Proinde licet quotvis vivendo condere ſaecla,
Mors aeterna tamen nihilominus illa manebit.

Haud aliter igitur Q. Metello filio (ex quo haud dubie hanc veterem locutionem retinuit Plinius) *Conditum aevum* non aliud eſt, quam *aevitas* (ſic olim pro contracto *Aetas* dicebant) diu praeterita, nobiſque adeo prae intervallo abſcondita. Quid plura in re clariſſima? Omnino quia in Plinio id antique dictum, obſcurius videbatur, id Gabius de eadem re loquens opportune explanavit, ita invertens: *In veterum, inquit, aetate*.

Atque haud ſcio an non huc etiam tritum illud *Condere luſtrum* pertineat: de quo tamen praeſtat in ſeq. Adnot. diſſeruiſſe.

Digitized by Google

lae (100) ora. Atque hactenus id dedimus operam, ut laudatio Q. Metelli cum Gabio Basso ex putata simultate in amicitiam confessam coiret. Sed & alterum Plinii locum, in quo *Ab aevo condito* eodem significatu usurpatur, reperies in eadem Adn. 100. expositum.

Ad rem vero nostram quod attinet, hinc

(100) *Quod VETERVM AETAS sit Gallico tumultu prior: CONDITVM AEVVM cur eadem appellata: alia Plinii loca inter se & cum vetustissimo titulo, itemq. cum Livio comparata.*

Livius VI. 1. duas Romae origines pandit, unam ab Romulo, quae in Gallico Vrbis incendio desiit, alteram ab Roma suis ex favillis Camillo duce renata. Sic ille librum VI. orditur: *Quae ab condita urbe Roma ad captam eamdem urbem Romani . . . gessere . . . quinque libris exposui.* En prior temporum periodus. Quae a Basso *Veterum aetas* vocatur: quae nisi hoc termino finiatur, quibus rogo finibus aliis describetur? Pergit Patavinus: *Glariora deinceps certioraque AB SECVNDA ORIGINE, velut ab stirpibus laetius feraciusque RENATAE VRBIS, gesta domi militiaeque exponentur. Ceterum quo primo adminiculo erecta* (Vrbs) *erat, eodem innixa M. FVRIO PRINCIPE stetit.* Atque ut Vrbs renovata pro altera origine habita, ita Camillus totius rei auctor *Romulus alter* adclamatus fuit. Livius V. 49. Camillus *dictator recuperata ex* (Gallis) *hostibus patria, triumphans in Vrbem redit; interque jocos militares, quos inconditos jaciunt, ROMVLVS ac parens patriae, CONDITORQVE ALTER VRBIS, haud vanis laudibus appellatur.* Adhaec libri VII. extremo cap. 1. ubi idem laudes mortui Camilli canit, *Dignusque habitus*, ait, *quem SECVNDVM A ROMVLO CONDITOREM urbis Romanae ferrent.*

Libet autem hîc paullisper subsistere, ac laxiores fortasse conjectionibus habenas permittere. Quis enim scit, an non illud in Q. Metelli laudatione *Ab condito aevo* ita dictum sit, quemadmodum *A lustro condito?* Erat Camillus, teste Livio (lib. V. initio cap. 50.) *diligentissimus religionum cultor.* Omnia dicta factaque ejus id aperte demonstrant. Itaque non est dubitandum, quin quod in urbibus conditis aut restitutis fiebat, quodque in ipsa Roma singulis quinquenniis sollemni sacro lustrali instaurabatur, idem sub religionum cultore tanto minime neglectum fuerit. Quandoquidem autem de quinquennali lustratione verbum rituale illud, *Lustrum condi* usurpabatur; ecquid aliud in renascentis urbis encaeniis peracta lustratio vocaretur? An aptius vocabulum excogitari posset, quam *Aevum conditum*, quippe quo aevitas illa Veterum (uti Gabius vocat) ab aevitate posteriorum Quiritium secerneretur? Epocha ergo haec illa est, ad quam tunc vulgo notam Q. Metelli funebris laudatio digitum intendit, ubi *Ab condito aevo* scripsit: nec alia prosus ab ea, quam Gabio Basso interprete, demonstravi. Ita certe conjicio.

Quid quod Plinius ipse (sive potius Q. Metellus: cujus verba, quibus certe vis aliqua ineffet, non fuisse a Plinio temere immutata, certum habeo) in uno illo eodemque praeconio epochas signasse videtur duas, easque ita a se discretas, ut una clarior alteram involutam explicet & suo cardini affigat? Inde enim laudes auspicatur, L. Metellum *Decem maximas res . . . consummasse*, in quibus singulis consequendis sapientes aetatem exigerent. Eas res decem (hae autem sunt: *Primarium bellatorem esse, Optimum oratorem, Fortiss. imperatorem, Auspicio suo maximas res geri, Maximo honore uti, Summa sapientia esse, Summum senatorem haberi, Pecuniam magnam bono modo invenire, Multos liberos relinquere, & Clarissimum in civitate esse*) eas, inquam, res decem ubi numerasset, statim sic infert, *Haec contigisse ei, nec ulli alii POST ROMAM CONDITAM.* Ad ultimum ei ob orbitatem tributum ait, ut curru veheretur ad curiam, *Quod*, inquit, *numquam ulli alii AB CONDITO AEVO.* Habes jam epochas duas. Prior illa (*Post Romam conditam*) ipsa se signat, nec eget interprete: at cum eadem ab altera illa (*Ab condito aevo*) omnino distinguenda sit; non alia relinquetur huic alteri statio, quam Roma restituta, sive secundae originis. Ac sane cum *In veterum aetate* senatoribus a gesto curuli magistratu (teste Basso) passim liceret omnibus in Curiam vehi curru; non nisi post Romae reviviscentiam, cum id non liceret amplius, potuit L. Metellus dici solus ea indulgentia usus.

Adde quod eadem haec temporis epocha (*Ab cond. aevo*) non hîc primum, sed eopte lib. VII. fuerat a Plinio usurpata cap. 34. & quidem, nisi toto caelo aberro, eodem significatu? Ibi sic legitur: *VIR OPTIMVS semel A CONDITO AEVO judicatus est Scipio Nasica, a jurato Senatu.* Notandum est tamen non id fuisse Nasicae singulare, ut *Vir optimus* judicaretur (nam & alius Scipio (1) talis diu antea habitus) sed quod a jurato senatu talis existimatus.

Antequam hinc digredior, nolo id omittere, quod certe non praetereundum videbatur. Romae hujus secundae epocha peropportune in annuma priore Roma CCCLXV. incidit, ut in Liviana Ca-

(1) Quo pacto Plinii de Nasica narratio cum alterius vetustioris Scipionis veterrimo titulo componi possit.

Non ante annum V. C. DXLIX Nasica a Senatu Vir optimus *judicatus fuit, eoque dignus, qui Matrem Idaeam reciperet. Livius XXIX. 14. At vero plus annis quinquaginta antiquior fuit vetustissimus ille titulus L. Scipioni Barbati F. positus, qui sic incipit:* Honc. oino ploirume consentiont. R. DVONORO. OPTVMO. FVISE. VIRO. Luciom. Scipione. filios. Barbati *&c. h. e.* Hunc unum plurimi consentiunt Romae BONORVM OPTIMVM fuisse VIRVM Lucium Scipionem filium Barbati *&c. Falsus ne opinione sua Plinius, ut qui Barbati filium ante annos quinquaginta* bonorum optimum virum *fuisse judicatum, ejus elogio ignorato, nescierit? Absit ut virum talem errasse dicam. Ceteroqui multum inter utrumque Scipionem interfuit. Ante Nasicam quidem Barbati filius* Vir bonorum optimus *habitus, sed plurimorum consensu, non judicio senatus: at Nasica unus* a jurato Senatu *& quidem* ab aevo condito *judicatus fuit.*

Obiter notavero, ubi in Livio l. 29. c. 14. de Nasica legitur (Judicaverunt in tota civitate virum optimum esse) *ibi in pluribus Mss. scribi*, Virum bonum optimum: *ex quo scite Gronovius efficiebat*, Virum bonorum optimum: *id quod mire firmat proxime laudata inscriptio.*

Digitized by Google

hinc vides poſt Vrbis ſecundam originem multum in moribus inſtitutiſque mutatum. Aetate priore licebat omnibus, quicumq. curulem magiſtratum geſſiſſent, quoad viverent, non tantum per Vrbem, ſed & in Curiam invehi *ploſtro*: id quod poſteriora tempora *Curru* duci dixere. At poſt *aevum* illud a Camillo *conditum*, in curiam vehi curru nemini licuit, niſi uni L. Metello, nec tam ob ejus eximia merita, quam propter luminum orbitatem, Plinio teſte. De urbana vero Metelli vehiculatione, quia nihil in oratione Filii reperit Plinius; puto eâ prohibitum virum tantum fuiſſe, ac multo magis ceteros omnes maſculos. Mitto cetera, quae veterum aetate (101) licebant; nam nunc tantum vehiculatio agitur.

Res autem ſic ſe habet. Flamines, Veſtales, ceterique ſacrificuli, ut ad ſacra *curru arcuato* veherent, jam inde a Numa inſtitutum. Liv. I. 21. Vt matronae pilento ad ſacra, carpento per urbem inferrentur, conceſſum poſt expugnatos Vejos, eodem Livio teſte: dum interim praeter mulieres, de maribus verbum nullum. Adde quod lege Oppia non niſi feminis, quibus olim indulta vehiculatio fuerat, interdicta propter earum ſuperbam (102) impotentiam fuit: de viris tacitum. Qua de cauſa de iis tacitum, niſi quia urbana vectatione uti viris nec mos erat, nec licebat? niſi forte *certis hominibus certis de cauſis*, uti Tabula loquitur. Deinde anno poſt Oppiam vigeſimo cum mulieribus eadem vehiculatio reſtituta fuiſſet; nullum etiam de maribus verbum. In Plautina Aulularia, ubi de Plauſtrorum luxu agitur, ea tota infectatio in unas mulieres jacitur; quippe inculpati mares. Haec ultima ad penitiorem Oppiae ploſtrariaeque legis notitiam neceſſaria hîc addidiſſe e re fuit.

Camilli oratione lib. V. c. 54. in fine legitur: *Trecenteſimus ſexageſimus quintus annus Vrbis, Quirites, agitur*. Nam quod ſup. cap. 40. idem Livius *trecentos ſexaginta annos* numeraverat, ibi ſubaudiri id quod excurrit, de more juſſit. Atqui is numerus totidem exacte annos complectitur, quot in uno anno dies. Itaque hanc Vrbis renatae epocham non annum dierum, ſed *annum annorum* dixeris. Neque id eo dico, quaſi qui ex eo aliquid myſterii captem, ſed ut mirer magis. Ab hac rurſus Romae ſecundae epochâ par *annus annorum* in regni Auguſtei principia incurrit, ex eo notabilis, quod tunc temporis in unius arbitrium poteſtas translata fuerit.

(101) Cujuſmodi eſt, quod ex Livii V. 41. apparet, omnes honoribus uſos, ornamenta dignitatum ſervaſſe, iiſque ubi res poſcebat, uſos fuiſſe. Itaque Gallis jam adventantibus *Qui eorum* (ſenatorum aetate gravium) *curules geſſerant magiſtratus, ut in fortunae priſtinae, honorumque aut virtutis inſignibus morerentur, quae auguſtiſſima veſtis eſt thenſas ducentibus triumphantibuſve, ea veſtiti medio aedium eburneis ſellis ſedere*. Hinc eos Galli *ſimillimos diis* ſibi videre videbantur.

(102) Cur matronarum vehiculationem ſuperbam atque impotentem vocarim, non tantum Catonis Liviana concio pro Oppia retinenda oſtendit, ſed & illud documento eſt, quod Suetonius Tiberio (ubi ejus majores recenſet) ita cap. 2. de Claudia narrat: *Quae* (inquit) *novo more judicium majeſtatis apud populum ſubiit, quod in conferta multitudine aegre procedente carpento, palam optaverit, ut frater ſuus Pulcher reviviſceret, atque iterum claſſem amitteret, QVO MINOR TVRBA ROMAE FORET*. De eadem re Livius, Plinius, Val. Maximus, Gellius. Atq. haec uno & trigeſimo ante legem Oppiam anno geſta (ex iis conſulibus, ſub quibus rem actam Gellius X. 6. ex Ateio Capitone refert) aliaque plurima mox ſuperbe à feminis ac petulanter dicta atque facta, videntur legem Oppiam ad mulieres retinendas a populo rogato extorſiſſe. Qua poſtea remiſſa, in quantum amentiae proceſſerit ſexus praeferocis ingenii, ex Plauto in Append. I. oſtendi. Hactenus ad majorem legis Oppiae & Tabulae captum.

MONITVM.

Hactenus Commentatio eſt: multo ſane ſpiſſior, quam praevideram. Cui reprehenſores non defuturos, ſuſpicor. Hui! tantum ne otii in unius voculae notione impenſum! Quibus ita reſpondeo, me, cum in ploſtrariae legis capite explanando verſaretur, etſi de generali Ploſtri *notione ſatis ipſe mihi, vel una Tabulae auctoritate fractus, perſuaſiſſem; tamen tunc id veritum in publicum ſpargere, ne παραδοξολογίας incuſarer. Itaque principio* Commentationem *adhuc imparatus inſtitui: in quam quidquid ad ſuadendum reperirem idoneum, ita conjeci, ut tamen diu judicium ſuſtinuerim. Nec enim ante rem eſſe explo ratam praeſtiti, quam ubi, poſt impreſſa ſuperiora folia, in loca illa eximia incidi, Pollucis ac Plauti (ut alia ſileam) quae ſi cognoſſem initio, me toto hoc labore levaſſent. Sed ſpero lectores aequos ſatis animadverſuros, hanc Commentationem plus in receſſu, quam in fronte habere: tot veterum loca illuſtrari, luce vero enimia Oppiam, ploſtrariamque legem perfundi, plura tandem alia ex occaſione explicata dari.*

Digitized by Google

C a p u t IV.

68 QVAE · LOCA · PVBLICA · PORTICVSVE · PVBLICAE · IN · V · R · P ·
VE · V · R · P · SVNT · ERVNT · QVORVM · LOCORVM · QVOIVSQVE ·
PORTICVS
69 AEDILIVM · FORVMVE · MAG · QVEI · VIEIS · LOCEISQVE · PVBLI-
CE · IS · V · R · P · VE · V · R · P · p · PVRGANDEIS · FRAERVNT · LECIbVS
70 PROCVRATIO · EST · ERIT · NEIQVIS · IN · IEIS · LOCEIS · INVE · IEIS ·
PORTICIBVS · QVID · IN · AEDIFICATVM · INMOLITOMVE · HABETO
71 NEVE · EA · LOCA · PORTICVMVE · QVAM · POSSIDETO · NEVE · EO-
RVM · QVOD · SAEPTVM · CLAVSVMVE · HABETO · QVOMINVS · EIS
72 LOCEIS · PORTICIBVSQVE · POPVLVS · VTATVR · PATEANTVE · NISI ·
QVIBVS · VTEIQVE · LEG PL · VE · SC · S · VE · C · CONCESSVM ·
PERMISSVMVE · ES
73 QVIBVS · LOCEIS · EX · EEGE · LOCATIONIS · QVAM · CENSOR ·
ALIVSVE · QVIS · MAG · PVBLICEIS · VECTIGALIBVS · VLTROVE ·
TRIBVTEIS
74 FRVENDEIS · TVENDISVE · DIXET · DIXERIT · EIS · QVEI · EA ·
FRVENDA · TVENDAVE · CONDVTA · HABEBVNT · VT · VTEI ·
FRVEI · LICE
75 VT · VTEI · EA · AB · EIS . CVSTODIANTVR · CAVTVM · EST · EI
TIS · LOCEIS · VTANTVR · (FRVANTVR)
76 T · NIS · IEIS

VER. 68. *V. R. P. VE. V. R. P.* p] *Et sic linea 69. An mihi licebit legere sic* - urbe Roma, provinciave urbi Romae proxima? *Nam P. apud Sertor. Vrsat. pro* provincia : *quid autem haec notula* (p) *hic & lin. 67. &* (℞) *19. significet, ignoro. MAITTAIRE* [Hanc notam in ecphrasi noſtra expoſitam reperies MILLE. Vide rurſus poſt *Additionem*, quae exſtat ad calcem harum notularum].

VER. 69. *FORVMVE MAG.*] *corrige EO. RVMVE MAGiſtratuum. Et mox FRAERVNT*] PRAEERVNT. Et LECIBVS] *LEGIBVS. Vide lin. 49. MAITT.*

VER. 70. *NEIQVIS*] *NEQVIS*. Inaedificatum inmolitomve] *Liv. lib. XXXIX. cap.* 44. Quae in loca publica inaedificata immolitave privati habebant, intra dies triginta demoliti ſunt. *Turneb. Adverſar. lib. I. cap.* 25. Inaedificata ſunt, quae aliquo in loco aedificata ſunt: ſed cum in loca dixit, ſignificavit aedificia e privato in publicum procurrentia, & aliquid loci publici occupantia. Immolita autem ſunt, quae quis uſpiam molitus eſt. Si quis igitur privatus ante aedes ſuas podium poſuiſſet, aut maenianum projeciſſet, eum id demoliri Cato jubebat. *Lege etiam Turneb. Adverſar. lib. XXVII. cap.* 32. *Fragment. Leg. Mamil. apud Auctor. Fin. Regund.* - Ne quis eos limites obſeptos [Non *obſeptos* ibi eſt, ſed *obſepito*] neve quid in eis immolitum, neve quid ibi poſitum habeto. *MAITTAIRE*. [At male Goeſius in Indice Scriptor. Agrar. in voce INOLITVM illud legis Mamiliae IMMOLITVM in *Inolitum* permutavit, uti jam olim in margine ibi notaveram.]

VER. 71. *Saeptum*] ſaepire *cum bivocali. Dauſq. pag. 276. & Voſſ. Art. Gramm. lib. 1. cap. 43. MAIT.*

Ibid. *Quominus eis loceis porticibuſve populus utatur*] *Eadem ratio in loco Livii praedicto allegatur*: Vt iter populo eſſet. *MAITT.*

VER. 72. *ES*] *Lego EST. T. in fin. lineae detritum eſt. MAITTAIRE.*

VER. 73. *Vectigalibus ultrove tributeis*] *Liv. lib. XXXIX. cap.* 49. Vectigalia ſummis pretiis, ultro tributa infimis locaverunt. *Turneb. Adverſar. lib. 1. cap.* 29. *& lib. XXVII. cap.* 32. Vltrotributa ſunt impenſae & attributiones operum publicorum faciendorum, & ſartorum tectorum praeſtandorum, mancipibus & redemptoribus certa mercede locatorum. Vltrotributa ſunt, quae praeter vectigalia penduntur, *&c. Lege etiam Dauſquii Orthogr. pag.* 344. *MAITTAIRE.*

VER. 74. *DIXET*] *dixit. Vide lin.* 8. *MAITT. CONDVTA pro* Conducta. *CONRAD. Vocem ultimam, quae obſcure apparet, lego LICEAT. MAIT.*

VER. 75. *Hujus lineae partes, prima, media, & ultima, defractae ſunt: quas ſenſus aliquantulum facile reſtituet. MAITTAIRE.*

VT (*vel potius ET*) *VTTI* (*VTEI*) *EA. AB. EIS. CVSTODIANTVR. CAVTVM. EST. & utei eis viciS, LOCEIS. VTANTVR. FRVantur . . . . MAITTAIRE. Sed potius ſcriptum fuit: EI EIS CONDVCTIS LOCEIS. CONR.*[Nihil horum crede]

VERSVS 76. *penitus extritus eſt, nec ulla vocum ſuperſunt veſtigia; praeter . . T . . . NIS IEIS . . . MAIT.*

Additio Maittairi ad Ver. 68. & 69.

IN. V. R. P. VE. V. R. P. N] *Legit* (Maffejus) In urbe Roma propiuſve urbem Romam paſſus mille. *Nam lin.* 50. *PROPIVSVE. VRBEM. ROM. PAS-*

Digitized by Google

PASSVS. N. Nota enim N decurtata esse pars litterae M videtur. MAITTAIRE.

[Vbicumque Maittairus, Conradus, Maffeius sive N, sive P superne hians in fragmento Britan. sibi videre visi sunt, ne dubita, quin ibi nota insolens numeri millenarii fuerit, ac prorsus ejusmodi, qualis in Complemento Neap. v. 3. cernitur in hunc modum ☿ De quo ibi plura dicam.]

CAPVT IV.

De locis publicis.

§. I. Ne quid iis inaedificatum immolitumque privatim fit.

68 *Quae loca publica, porticusve publicae in urbe Roma propiusve urbem Romam passus mille sunt, erunt* [*quorum locorum cujusque porticus*

69 *Aedilium eorumve Magistratuum, qui viis locisq. publicis urbis Romae propiusve urbem Romam passus mille purgandis praeerunt legibus,*

VER. 68. *Quae loca publica, porticusve publicae*] Post *publicorum locorum* mentionem, quid attinebat τὸ *Porticusve publicae* addidisse; neque hîc solum, sed & v. 70. 71. 72.? Multiplex praesto est ratio. I. Referri hoc potest ad consuetam hujus & aliarum legum antiquarum περιεργείαν & πολυλογίαν. II. Vbi sub genere species aliqua sit eximia, disertim eam nominari decet, uti Strabo notat lib. VIII. ubi & schematis hujus crebra exempla suppetere ait, & ex Alcmane & Aeschylo affert versus, in quibus *Cyprus Paphusque* (etsi Paphus in Cypro sit) memorantur. Ea figura tum in Homero frequens, tum passim in aliis tam profanis quam etiam divinis scriptoribus. Videatur prae ceteris Grotius ad illud Marci XVI. 7. *Dicite discipulis ejus & Petro*: qui nominandus fuit, uti dux Apostolici coetûs. III. Inter loca autem publica nihil porticibus frequentius fuit, quarum nullâ in regione Vrbis non plures sparsim visebantur, quippe in usus plurimos comparatae (de quibus infra ad v. 72.) qua de causa speciatim de iis caveri oportuit. IV. Postremo nullis publicorum locorum majus periculum, quam porticibus imminebat. Nam loca cetera portis atque seris, adhaec ambitu murorum, & custodiis defensabantur; cum contra porticus, utpote patentes & incustoditas, invadere quivis & occupare, aut inaedificare & immoliri, si nullus ei rei magistratus advigilaret, potuisset. Id pluries factum historia docet.

VER. 69. *Aedilium eorumve magistratuum, qui viis locisque publicis . . . purgandis praeerunt*] Hi sunt illi Sexviri purgatores viarum (nim. intramurani quatuor, duo extramurani) qui simul cum aedilibus id operam dabant ex v. 50. At eam curationem non ad vias tantum (quarum ibi solum mentio, quia id ibi tantum agebatur) sed ad alia quaevis loca publica purganda pertinuisse, hinc intelligimus. Ergo plena eorum Sexvirûm nomenclatio hîc recte concipitur, ut essent Sexviri *Viis locisque publicis Vrbis Romae, propiusve urbem Romam passus mille purgandis*. Ceterum *Viarum & Locorum publicorum* omni aevo conjunctam fuisse curationem, declarat lib. XLIII. Pandectarum titulus VII. *De locis & itineribus publicis*, & tit. VIII. *Nequid in loco publico vel itinere fiat*. Conjuncta, inquam, ab ICtis instituitur utrorumque tractatio, etsi magistratus diversi erant; ut intelligitur ex inscriptionibus illius aetatis (nempe Caesareae, sub qua & ICti, quorum responsa supersunt, & pleraque marmorum, quae restant, scalpta fuerunt) in quibus alii *Curatores* viarum (& quidem illarum extra Romam, & aut singuli singulis, aut duabus tribusve conjunctim praefecti) alii *Curatores operum publicorum*: ut satis appareat, officia discreta fuisse. Verum haec aliena a Tabulae nostrae temporibus.

IBID. *Viis loc. publicis Vrbis Romae, propiusve Vrbem Romam passus mille.*] Si

Digitized by Google

70 procuratio eſt erit] ne quis in iis locis inve iis porticibus quid inaedificatum immolitumve habeto.

provinciam IVvirûm a IIvirûm provincia diſtinguere Tabula voluiſſet, uſa ea diſtinctione fuiſſet, qua v. 50. utitur, ut priores *In Vrbe* (h. e. intra moenia) purgandis vacarent, alteri extra urbem (h. e. in continentibus) & hinc ad paſſus mille. Nunc quia in commune de utriſque loquitur, ea deſcriptione uſus eſt, quam in hoc verſu vides. In qua VRBIS ROMAE nomine etiam continentia veniunt, ut aperte vides. Ergo ſicuti ſub *Romae*, ita & ſub *Vrbis Romae* nomine comprehenduntur & *Continentia*, ut & hinc apparet, & ex v. 64. ubi legitur, *Romae aut* (pro *ſeu*) in *urbei Romae*. At vero ubi *Vrbs* ſimpliciter dicitur, ibi moenibus terminatur, uti clarum eſt ex v. 50. ubi quatuorvirum provinciam *Vrbe* (h. e. muro) finit: *IVviri*, inquit, *viis in Vrbe purgandis*. Haec eo addidi, quod ſupra ad v. 64. (vide locum pag. 356.) dubitare viſus fuerim, an Tabulae noſtrae in hiſce locutionibus diſtinguendis cum Caeſareorum temporum ICtis ſatis conveniat.

In voce hujus verſus ultima non tantum C pro G (quod in hac Tab. ſaepe occurrit) verum etiam pro B ſcalpitur b parvum, quale in Mſs. reperitur. LECIbVS pro LEGIBVS. Etiam ſupra v. 28. ƟPORTEbIT ſcriptum fuit: ubi male Conradus (in parvis notis) ſuperiorem labialis litterae partem fuiſſe detritam inaniter ſuſpicabatur. Verum tum ille v. 28. tum hic alter locus abunde ſufficiet ad antiquitatem b minuſculi demonſtrandam. Nec ea labialis elementi forma poſtea exolevit. Plura exſtarent exempla, ſi aera vetera adhuc reſtantia ita edidiſſent, ut effigiem litterarum expreſſam darent. Atqui etiam in aetatis Caeſareae marmoribus b illud dimidiatum ſaepiſſime occurrit. Vide Fabrettum pag. 306. ubi num. 306. 307. 308. eo modo littera ſecunda effigiatur; & ibidem num. XXXII. quinquies illud b viſitur. Sed & d pro D, & h pro H, & alia plura minuſcula elementa alicubi vidi. In quodam apud Fabrettum titulo litteras ſimul plures inſtar minuſcularum conſtanter uſurpatas vidi.

VER. 70. *Nequis in iis locis inve iis porticibus inaedificatum immolitumve habeto*] De loco hujus gemello Livii XXXIX. 44. (qui ſic habet: *Quae in loca publica inaedificata immolitave privati habebant, intra dies XXX. demoliti ſunt*) Turnebus Adv. lib. I. ita commentatur. *Inaedificata ſunt quae aliquo in loco aedificata ſunt: ſed cum IN LOCA* (Livius) *dixit, ſignificavit aedificia e privato in publicum procurrentia, & aliquid loci publici occupantia*. Atqui hîc viro magno ne credas. Principio Livianum *In loca* tantumdem eſt ac ſi dixiſſet, *In locis*. Tũ IN ſtatum notantis cum quarto caſu obvia ſunt exempla; & in hoc Tabulae loco (qui Liviani plane parallelus *eſt*) Livianae ſyntaxi (*In loca*) reſpondet prorſus aequipollens ῥῆσις, *In locis . . . inaedificatum*: ut quin utrumque recte dicatur, minime ſit dubitandum. Deinde nec illud aſſentior, *Inaedificata* eſſe idem quod *procurrentia*. Quod *procurreret*, proprie id *Proaedificatum* dicebatur. Feſtus: *Proaedificatum dicitur, quod ex privato loco proceſſit in publicum ſolum*. Dupliciter, opinor, proaedificari poterat: uno modo dumtaxat *Projiciendo* ut in (103) Maeniano: altero vero *Immoliendo*. Horum prius interdici hac lege non placuit, eoque in tanta hujus Tabulae συνωνυμία nulla *Proaedificati* h. e. *Projecti* mentio: at *Immolitum* diſertim vetatur, de quo jam videndum.

Pergit

TABVLATIS (pulchra projectorum ſive maenianorum definitio) *unde ipſe & poſteri ejus ſpectare munus gladiatorum poſſent, quod etiam tum in foro dabatur. Ex illo igitur Columna Maeniana vocitata eſt*. Hunc vetus Horatii Scholiaſtes ad I. ſat. 3. eumdem Maenio decoctori facit (de quo ſcil. Horatius loquitur) idque Lucilio teſte confirmat, ex quo iſtud affert, *Maenius columnam cum peteret*: cui Jan. Duza metri modos ita reſtituit: *Columnam Maeniu cum peteret*, vel *cum exciperet*. Maenianis ſive provolantibus tabulatis perſimiles ſunt hodierni qui dicuntur *Balcones*.

(103) Plinius XXXIV. 5. de *Columna Maenia* ita ſcripſit: *Antiquior columnarum* (celebratio): *ſicut C. Maenio* (ſupple *erecta fuit*) *qui devicerat priſcos Latinos . . . eodemque in conſulatu in ſuggeſtu roſtra devictis Antiatibus fixerat anno Vrbis CDXVI.* Alius ab hoc exiſtimatur Maenius ille fuiſſe, a quo *Maeniana aedificia*, auctore Feſto, ſibi nomen quaeſiverunt. De quo Aſconium in Divin. in Ver. audire praeſtabit: *Maenius* (ait) *cum domum ſuam venderet Catoni & Flacco cenſoribus, ut ibi baſilica aedificaretur, exceperat jus ſibi unius columnae, ſuper quam TECTVM PROIICERET EX PROVOLANTIBVS*

Digitized by Google

§. II. Ne privatim poſſideantur.

71 *Neve ea loca porticumve* (ali-) *quam poſſideto, neve eorum* (ali-) *quod ſaeptum clauſumve habeto, quominus eis*

72 *locis porticibuſque populus utatur, pateantve, niſi quibus utique Legibus, Plebiſve ſcitis, Senatuſve Conſultis conceſſum permiſſumve eſt.*

Pergit ibidem Turnebus: *IMMOLITA autem ſunt, quae quis uſpiam molitus eſt. Si quis igitur privatus ante aedes ſuas podium poſuiſſet, aut maenianum projeciſſet, eum id demoliri Cato* (apud Livium) *jubebat*. Jam de *Podio* & id genus vocibus videamus. *Podium* Philander ad Vitruv. V. 7. ita finit: *Maenianorum habet ſpeciem: cujus pars, quae magis provehitur, Pulpitum eſt, veluti pergula quaedam*. Lipſius in I. de Amph. 11. *Podium appello projecturam hanc, quae in ſummo muro paullulum provehitur, & propendet inſtar pedis, unde & nomen. Maenianorum ea quaedam ſpecies eſt.* Ad ſummam tum podii, tum maeniani, tum pergulae (aut ſiqua alia ſunt aedificia provolantia) pars ultra muri privati libramentum prominens, quantumvis in publicum verſus projiciatur, ea pars ex vi vocabulorum legis hujus minime vetatur: at vero ſi murus ad fulciendum podium menianumque proaedificatus (h. e. ultra privati fines in publico *immolitus*) fuerit, id demum deponendum ex Livio & ex hac Tabula fuit.

Sed jam bona cum Turnebi venia vim intimam verbi *Immolior* ſive *Immolio* (nam utrumque in uſu fuit) ſpectemus. *Immolior*, niſi toto caelo fallor, eſt fundamenta ad fabricandum jacere, ſive ab inchoato aliquid ſtruere: *Moles* autem, unde fit *Molior*, ipſa fundamenta jacta deſignat: de quo ſeorſum in ima (104) ora agimus.

Quorſum haec, inquis, tam multa? Nempe ut in hac Lege & in Livio *Inaedificata* ab *Immolitis* proprie ita diſtinguantur, ut *Inaedificatum* ſit priori aedificio publico novum privatum imponere: *Immolitum* vero ſit quod a fundamentis in publico exſtruitur. Etiam in lege Mamilia cap. IV. *In limitibus immolitum* eſt, quidquid ibi jactis fundamenti molibus aedificatur.

VER. 71. *Neve eorum* (locorum publ.) *quod SAEPTVM clauſumve habeto, quominus eis . . . . populus utatur*.] In legis Mamiliae, haud diu ante hanc Tabulam (105) latae, Capite IV. itidem ſcriptum fuit: *Ne quis eos limites Decumanos OBSEPITO, neve quid in eis IMMOLITVM, neve quid ibi poſitum habeto, neve eos arato, neve eas foſſas obturato, neve quis SEPITO, quo minus ſuo itinere aqua ire fluere poſſit*. Porro SAEPTVM (pro eo quod vulgo hodie *Septum* cum vocali ſimplici ſcribitur) vetus ac vera ſcriptio (106) eſt.

VER. 72. *Quominus eis locis porticibuſque*

(104) *De nativa* Molis, *&* Moliendi *notione*.

Moles primario ſignificatu, ni fallor, eſt quod in altum jacitur ad fundandum. Declarat illud Ciceronis pro Mil. *Subſtructionum inſanis molibus*. Etſi interdum *Subſtructio* etiam de exſtante fabrica dicitur. At idem Cic. IX. Att. 17. *Ab utroque portus cornu moles jacimus*. Horatius: *Jactis in altum molibus*. Verum quid me fruſtra delaſſo, cum jam ante Briſſonius (in *Moles*) denſam exemplorum Horatiano ſimilium nubem undecumque contraxerit? Niſi quod Briſſonii exempla de pilis, quas in aquis ſubſtruunt, capiuntur. At illa Servii generalia ſola reperi: qui ad illud I. Aen. 428. *Moliriq. arcem*, notat *Moliri* tantumdem eſſe, quod *Molibus factis* (ſed pro *factis*, quod nihili eſt, meo periculo ſcribe, *Jactis*) *Molibus*, inquit, *jactis, extollere, quod eſt Exſtruere*. En igitur etiam in ſicco *Moles ad extollendum jactae* dicebantur. Adhaec etiam Μῶλος Graecis eſt aedificium ſubſtructum in fluctibus in uſum nautarum: de Latino utique ſumptum. Hinc in Cyrilli Gloſſis Μῶλος exponitur *Moles*. In vet. Onomaſtico *Moles* & Βάρος (i. e. *profundum*) pro eodem habentur. Habes, opinor, quid proprie *Moles*, unde *Molior*, & Immolitum.

(105) Ea lex non anno 588. (ut Pighius & alii ſtatuunt) ſed anno 643. lata fuit, ut ad Complem. Neap. dicam.

(106) *Saepio* cum ſuis derivatis cur cum diphthongo ſcribendum ſit, non vero cum E ſimplici, tam apertis rationibus Dauſquius p. 276. oſtendit, ut quemvis vel obſtinatiſſimum frangant: Voſſius ipſe in Etymol. idem principio validis argumentis defendit. At piget quod ſtatim ibidem poſtea mutato conſilio, E ſimplex bivocali praetulerit. Cui ſane, cur E ſolitarium jugato anteponat, haec cauſa fuit, nim. quod SEPES veniat a Σηκὸς mutato K in Π, ut a Λύκος fit *Lupus*. Σηκὸς autem, Hammonio teſte, eſt περίφραγμα προβάτων, Maroni *Septum* (Ecl. 1. *Exiret victima ſeptis*) quod Servius *Ovile* interpretatur. Cui reſpondetur, ſicuti a Σκηνὴ fiebat Aeolicum σκαυὴ, & a Σκῆπτρον Aeol. σκάπτρον, unde utrumque Latini per AE ſcripſerunt; parem in SAEPIO ac deriv. τὸ η in αι mutationem valituram.

Nolim tamen quemquam auctoritate legis Mamiliae

Digitized by Google

§. III. Hac lege non tenentur conductores operum publicorum, quominus locis a se conductis utantur fruantur. De hac periocha vide in imo (*) margine.

73 *Quibus locis ex lege locationis* [*quam censor aliusve quis magistratus publicis vectigalibus ultrove tributis*
74 *fruendis tuendisve dixit, dixerit*] *eis, qui ea fruenda tuendave conducta habebunt, ut uti frui liceat,*
75. 1 *& ut ea ab eis custodiantur, cautum est, ii quominus eis locis utantur fruantur* [*ita uti quoque eorum*
2 *ex lege locationis eisdem uti frui licebit*] *ex hac lege nihil rogatur.*

busque populus utatur, pateantve] In populi enim communes usus eae porticus comparatae. Ex iis usibus aliquot (in specimen magis, quam ut iniri numerus possit) seorsum (107) expositos habes.

IBID. *Nisi quibus VTIQVE lege, plebisve scito, senatusve consulto concessum.. est*] Hoc loco τὸ VTIQVE tantumdem quod *Dumtaxat*, notione ICtis usitatissima. Sic l. 3. D. *de Susp. tut.* scribitur: *Sed sciendum, non omnes hac severitate debere tractari, sed VTIQVE humiliores.* Plura exempla dabit Brissonius: apud quem etiam (in *Vtique* & in *NON*) *Non utiq.* idem quod *non tantum*. Exceptionis, de qua hîc agitur, exemplum peti potest ex *Tabernis* & *Stationibus*, quas in foro dispositas artifices, argentarii, ceterique hujusmodi sive conductas, sive quo alio jure sibi concessas habebant: de quibus plura cognitu digna enotavit Brissonius in II. Select. Antiq. cap. 12. Nec enim tantum in foro, sed & in pluribus per Vrbem porticibus id in usu fuisse, minime dubito. Jam vero ad hunc & superiores versus illustrandos Edicti verba apud Vlpianum l. 2. princ. §. 20. 31. 35. & fin. D. *Ne quid in loc. publ. vel itin. fiat.* mire faciunt. Jamque mihi praetoris Edictum cum hac lege hîc conferre destinatum erat, cum retro pedem ad Conradiana capita flectenti mihi, occurrit caput XVI. quo is Edictum cum hoc legis capite breviter comparavit. Ne actum agatur, Conradum adi.

VER. 73. 74. *Quibus locis ex lege locationis, quam censor aliusve quis magistratus publicis vectigalibus ultrove tributis fruendis tuendisve dixit dixerit*] Censores ab inito magistratu nihil ei curae praevertebant, ut vectigalia & ultro tributa locarent. In quo censoris in eo se probabat industria, si id daret operam, ut Vectigalia quanti plurimi, ultrotributa quanti minimi locarentur: id quod Livius a Catone censore praestitum memorat. Atque ex hoc in locando discrimine, simulque quod Plutarchus de eadem Catoniana censura agens *Vltrotributa* interpretetur ἐργολαβίας (*redempturas* sive *conductiones operum*) facile intellectum fuit, de operum publicorum faciendorum tuendorumve locatione *Vltrotributorum* verbum usurpari.

At

miliae transversum agi, cujus Cap. IV. OBSEPITO, ac mox SEPITO vocali una legitur (etsi Brissonius in Form. utrobique diphthongum de suo adscripserit) id enim ex eo factum, quod ejus legis reliquias, non ex tabulis aereis intemeratae fidei descriptas habemus, verum ex manu exaratis non optimo tempore rei agrariae collectaneis, quando in SAEPIO ac derivatis diphthongus jam exoleverat. Quamvis adhuc SAEPE, & SAEPENVMERO (quae adjectiva cum sint, tamen adverbii vim habent, ut prius sit *Spisse*, alterum *Spisso numero*) & alia plura non nisi cum bivocali scribantur.

(107) Minucias porticus frumentationis causa erectas ab auctore suo fuisse, supra ad hujus Tab. Cap. 1. pag. 318. ostendimus. In porticibus interdum habebatur senatus, jus dicebatur, legati externarum gentium excipiebantur. In iisdem artifices, argentarii, aliique propolae merces exponebant suas, veluti gemmas, tabulas, signa, toreumata, aulaea. Cum primis autem ad inambulandum, & ad captandam umbram sub aestu Caniculae valebant porticus. Postremo oborto nimbo, sese in vicinas porticus recipiebant, idque in primis ubi in theatro sederent, teste Vitruvio V. 9.

(*) Hujus periochae verborum ordinem (qui satis perturbatus & implexus est) infra pag. 380. in fine Commentarii suâ nativâ serie recensitum reperies. Ad haec scito usque ad integrum v. 74. ex aere Britannico totum esse: deinde qui sequitur v. 75. eum partim ex Britannico, partim ex aere Neap. coaluisse: prostremo a v. 76. aes Neapolitanum procedere. Ea de causa versui 75. etiam num. 1. (qui ad aes Neap. refertur) praefixi: sequenti vero versui (quem ad integrandam periocham necessario adscripsi) tantum notam 2., nempe aeris Naepolitani, praeposui.

Digitized by Google

At vero olim vocabuli cauſam haud perinde omnes aſſecuti erant. Ne lectorem morer, totam eam de Vltrotributis tractationem in Scholion (108) ſubjectum rejicio.

(108) SCHOLION. *De Vltrotributorum notione, deque nominis cauſa, doctorum virorum ſententiae laudantur. Adhaec Livius corrigitur: mutilus Varronis locus ſolidatur, & illuſtratur.*

Antiquior hac Tabula teſtis afferri nullus hujus vocabuli poteſt: in qua id verbum junctum cum vectigalibus pulchre uſurpatur. Diu poſtea ultimis Reip. temporibus uſurpavit & Varro in V. de L. L. cujus loco pulcherrimo infra opitulabor.

Deinde Livium uſum reperio compluribus locis. Lib. 39. c. 44. De M. Catone & L. Valerio cenſoribus an. 569. *Vectigalia ſummis pretiis, ultrotributa infimis locaverunt*. Idem XLIII. 18. in edicto C. Claudii & Ti. Gracchi cenſorum: *Ne quis eorum, qui Q. Fulvio, A. Poſtumio cenſoribus publica vectigalia, aut ultrotributa conduxiſſent, ad haſtam ſuam accederet, ſociuſve aut affinis ejus conductionis eſſet.* Eod. cap. mox tribunus plebis ita rogat: *Quae vectigalia, ultrotributa* (ne dubita *VltroVE tributa* reponere: id vero tum ne turpe aſyndeton [*Vectigalia Vltrotributa*] offendat, tum in primis ex hujus Tabulae indicio, in qua hîc legitur: *Vectigalibus ultroVE tributis*) *C. Claudius & Ti. Sempronius locaſſent, ea rata locatio ne eſſet: de integro locarentur; & ut omnibus redimendi & conducendi promiſcue jus eſſet.*

Poſtremo uſus eſt Seneca in IV. de benef. cap. 1. his verbis: *Quid enim eſt turpius, quam computare quanti vir bonus ſit?* (h. e. quid emolumenti ſua virtus afferat viro bono) *cum virtus nec lucro invitetur, nec damno abſterreatur, adeoque neminem ſpe ac pollicitatione corrumpat, ut contra in ſe impendere jubeat, ac ſaepius in VLTRO TRIBVTIS ſit*. Locus ad verbi vim declarandam pulcherrimus: ad quam nunc perſpiciendam devenio.

Atque haud ſcio an primus omnium vocis notionem intimam explicatam dederit Ant. Auguſtinus. Huic certe adſcribit Gruterus ad Senecam in IV. de benef. c. 1. At mihi ſatius eſt Turnebi locum (in quo plura aliquot, quam in Auguſtino ſunt) hîc exhibere. Turnebus igitur in I. Adv. 29. ad primum Livii de Catoniana cenſura locum adnotat hunc in modum: *Ambigi video, quid iſta* (vectigalia nim. & ultrotributa) *inter ſe differant: eadem enim ſi eſſent, iisdem pretiis locata oportuit. Sed vectigalia omnibus nota confido: ultrotributorum ignoratio ſententiae cognitioni officit. Ego ultrotributa eſſe puto impenſas & attributiones operum publicorum faciendorum & ſartorum tectorum praeſtandorum mancipibus & redemptoribus certa mercede locatorum. Ita vectigalia, quibus reditus & fructus populi Rom. conſtabant, quantum potuerunt, cenſores auxerunt: ultrotributa, quibus impenſae ſumptuſque & erogationes pecuniae publicae ex aerario hauriebantur, quantum potuerunt... ad minimam ſummam perduxerunt. Huic autem noſtrae ſententiae ſi adſtipulator quaeritur, praeſto Plutarchus erit... Nam de eadem cenſura Livium ſecutus ita ſcribit*: συείλων δὲ τοῖς μισθοῖς τὰς ἐργολαβίας, τὰ δὲ τέλη ταῖς πράσεσιν ἐπὶ τὰς ἰσχάτας ἁλαίνων τιμάς. h. e. Operum quidem publicorum redempturis (quas Vltrotributa vocaverat Livius) mercedes contrahens, contra vero vectigalium locationes ad pretia ſumma promovens. *Itaque illud*

Poſt illud, *Ex lege locationis*, additur, *Quam cenſor . . . vectigalib. ultrove trib. fruendis tuendiſve dixit*: quorum τὸ *Fruendis* ad Vectigalia, *Tuendis* ad Vltro tri-

(Livii) *lib.* 43. Qui publica vectigalia aut ultro tributa conduxiſſent, *in eamdem ſententiam accipiendum etiam arbitror. Quocirca eleganter a Seneca lib. 4. c. 1. de benef. ſcriptum eſt*: Cum virtutem nec lucrum invitet, nec damnum abſterreat, adeoque neminem ſpe ac pollicitatione corrumpat, ut contra in ſe impendere jubeat, ac ſaepius in ultro tributis ſit. *Significat enim ſumptum magnum impenſaſque virtutis cauſa ſaepe eſſe faciendas*. Hactenus Turnebus.

Quae cum ſint planiſſima, non video, quae mens Mureto fuerit, ad eum Senecae locum notanti, ſe quid *Vltro tributa* appellarit Seneca, non intelligere, nec quae Turnebus in Adverſariis de hoc ſcripſerit, ſatis ſibi facere. Porro eumdem Senecae locum breviter ac ſcite Lipſius illuſtravit: qui vectigalia & Vltro tributa ubi ex Turnebo diſcriminaſſet, ſubjicit: *Sententia igitur* (Senecae) *ex alluſione. Virtus adeo lucrum & tributa non accipit, ut ſaepius eroget, & ſit quaſi inter Vltrotributa. Simile in Epiſt.* (Senecae) 113. „ *Me juſtum eſſe gratis oportet. „ Parum eſt: adhuc illud perſuadeat ſibi, me in hanc „ pulcherrimam virtutem VLTRO etiam IMPENDE- „ RE juvet.* „ Haec ad Senecam Lipſius. Addo in Mureti gratiam, quae Seneca in virtutem impendia vocat (quorum gratia virtus in ultro tributis ſit) multo magis de laborum, patientiae, ceterarumque virtutum impendiis, quam de impenſa pecunia (qua ſaepe vir bonus deſtituitur) eſſe capienda.

Verum reſtat adhuc Varronis locus: quem huc uſque diſtuli, ut ei, ſi quâ poſſem, auxilio eſſem. In V. de L. L. ita is locus habet: *LVSTRVM nominatum tempus quinquennale* (hactenus *Luſtri* ſignificatio: ſequitur veriloquium) *a LVENDO, hoc eſt ſolvendo*. Pulchre & ex vero: nam ſicuti a Claudo *Clauſtrum*, a Plaudo *Plauſtrum*, a Rodo *Roſtrum*; ita a Luo *Luſtrum*. Poſtremo etymologiae ſuae a *Solvendo* rationem hanc affert: *Quod*, inquit, *quinto quoque anno Vectigalia & Vltrotributa per cenſores PERSOLVEBANTVR*. At quis fando audivit cenſores non tantum Vltrotributa, ſed & Vectigalia perſolviſſe? An non igitur mutilus locus eſt? ita ſanandus: *Quod quinto quoque anno Vectigalia PER PVBLICANOS, & Vltrotributa per cenſores perſolvebantur*. Vis Varronis in compoſito *Perſolvo* eſt, quod accipit pro eo quod eſt *In totum ſolvere*, aut ſolidare rationes. Quotannis quidem tam Vectigalia quam etiam Vltrotributa ſolvebantur, ſed in partem, id quod reliquatores ſolent: at quinto quoque anno PERSOLVEBANTVR, ita ut rationes exaequarentur. Hinc a *perſolvendo* ſive *Luendo* pulcherrime quaeſitum vult *Luſtro* nomen.

Plura ſane, quam voluiſſem, de Vltrotributis attuli: nec me facti poenitet, ea maxime de cauſa, ne quem Conradus ille, cujus Capita quatuordecim, Fragmento Britannico praetuli, a tramite recto abducat. Quamquam vix fore arbitror, ut cuiquam hoc ille perſuadeat, Vltro tributa ſcil. tantumdem eſſe quod *Primo tributa*, & particulae *Vltro* eam notionem ineſſe. Eum confer, ſi lubet cap. 15. pag. 302. init.

Illud potius tirones monendi, cum *Vltrotributa* ſint quae ultro ſolvuntur mancipibus operum, tamen (nec niſi μετωνυμικῶς) pro ipſis operibus publicis (pro quibus ſcil. ultrotributa penduntur) accipi in iis locutionibus, ubi *Locari* aut *Conduci* Vltrotributa dicuntur. Verum hiſce ſatis frivolis abſtineo.

Digitized by Google

tributa refer. Eſtne vero credibile, Cenſoriam locationem ad minutiſſima quaeque deſcendiſſe, ita ut hujus illiuſve porticus, & ſimilium publicorum locorum conductores ad haſtam ſummi illius magiſtratus acceſſuri eſſent? Non arbitror equidem: verum eo locationis cenſoriae hîc mentio injicitur, quod locatio cenſoria quaſi norma minoribus locationibus, quae quaeſtoribus aliiſve permittebantur, legem daret. Et vero minores quasdam locationes a minoribus magiſtratibus factas, non eſt dubium. Vel ſup. v. 33. & ſeq. habes viarum tuendarum locationem per aediles & quaeſtores factam. Ad ſummam locationum duo erant genera, ſive vectigalium aerario inferendorum, ſive ultro tributorum, h. e. operum, in quae expendenda pecunia. Vtraeque locationes quandocumque, & per quoſcumque fierent, ad ejus locationis formulam ac legem exigebantur, quam cenſor aut alius magiſtratus (de quo mox dicam) vectigalibus ultrove tributis initio dixiſſet. En quo tot verba in textu infarta pertinent. Porro quae hîc *Lex locationis*, ea Alfeno & aliis *Lex* (109) *cenſoria* dicitur: ſane ad hunc locū appoſite.

Illud magis notaſſe intererit, cum ea locationis lex Cenſoris peculiaris fuerit, eccur hîc addatur, *Aliuſve quis magiſtratus*. Pronum eſt reſpondere, incidiſſe tempora, quibus civitas variis de cauſis in totum cenſurâ vacarit. Adhaec cenſore mortuo, non tantum neminem ſubrogari licebat, ſed & cenſor ſuperſtes cogebatur abdicare. Illud quoque notiſſimum eſt, quamquam quinto quoque anno novum cenſorum collegium creabatur; at eorum tamen imperium ultra octodecim menſes primos non fuiſſe prorogatum. Verum ne plura: quidquid circa locationes quandocumque acciditſſet, quod cenſoris auctoritate indigeret, ſi forte cenſor nullus eſſet, id omne per alium ſuccedaneum magiſtratum tranſigebatur. Quis vero alius excogitari ſuccedaneus, niſi conſul poteſt, aut hoc impedito, praetor? En quo illud ALIVSVE MAG. pertinet. Iſtud idem in Tabulae Complem. Neap. ſaepe recurret, ubi dabuntur meliora, ſiqua forte ſuccurrent.

Tota porro haec ultima periocha ita hyperbatis ac trajectionibus implexa eſt, ut nihil ſupra. Ac proderit verborum ſeriem, ſic quaſi aciem explicare ac dirigere. Quod antequam praeſto, haec moneo. I. Caveat lector, ne illud *Quibus locis* (initio v. 73.) cum *Fruendis tuendiſve* jungat; re enim vera τὸ *Quibus locis* pendet a *Cautum eſt*, quod poſt initium v. 75. legitur. II. Quaedam pauca interdum parentheſi, litterâ diversâ interpoſui, conciliandae perſpicuitatis cauſa. III. Quae tamen prope a fine craſſioribus uncis eodem charactere continentur, ea ex textu ſunt, ſed ita ut abeſſe potuerint; quia non aliud quam meram ſuperiorum explicationem complectuntur. En igitur verborum ſeries.

QVibus locis cautum eſt eis, qui ea (loca) *fruenda tuendave conducta habebunt, ut uti frui liceat, & ut ea ab eis cuſtodiantur* (idque totum cautum eſt) *ea lege locationis, quam cenſor aliuſve quis magiſtratus publicis vectigalibus ultrove tributis fruendis tuendiſve dixit dixerit; ei* (pro ii: vide in ima (110) ora) *quominus eis locis utantur fruantur* [*ita uti* [re ipſa] *quoq. eorum* [locorum] *ex lege locationis eisdem uti frui licebit*] *ex hac lege nihil rogatur.*

Hoc unum reſtat, ut Edicti verba ab Vlpiano producta (in l. 1. D. *de loco publ. fruendo*) cum Tabulae hac periocha ult. conferam. *Quominus* (ait ibi Praetor) *loco publico* (*quem is cui locandi jus fuerit, fruendum alicui locavit*) *ei qui conduxit ſociove ejus E LEGE LOCATIONIS frui liceat, vim fieri veto*. Accedit quod loca publica ſunt pars vectigalium, Vlpiano interprete, qui Edicto ita ſubjicit: *Interdictum hoc publicae utilitatis cauſa proponi palam eſt; tuetur enim vectigalia publica dum prohibetur quis vim facere ei, qui id* (loci) *fruendum conduxit*.

(109) De *Lege cenſoria* Alfenus Varus (ille ſcil. Jul. Caeſaris aequalis) in l. 203. D. *de V. S.* ſic incipit: *In lege cenſoria portus Siciliae ita ſcriptum erat: Servos quos domo quis ducet ſuo uſu* (antique pro *Vſui*) *pro his portorium ne dato*. Vide ibi cetera. Feſtus in *Produit* affert haec ex *Lege Cenſoria*: *Porticum ſartam tectamq. habeto, prodito*. Supplet deinde Dacerius ita: *Ne produit* &c. Briſſonius in *Lex Cenſoria* plures Tullii locos indicat huc pertinentes. Eū vide, & Vrſinū ad illud Var. II. R. R. 1. 16. *Lege cenſoria committant*.

(110) In paribus hujus legis exceptionibus, quae initio Complementi Neap. leguntur, biga iſta vocum (EI. QVOMINVS) legitur v. 6. itemque quidem recto caſu plur. EI, inquit, QVOMINVS . . . VTANTVR. At v. 3. QVOMINVS EI (dat. ſing.) . . . LICEAT. Vide Tabulam in aere inciſam.

PARS

Digitized by Google

PARS III.

IN COMPLEMENTVM NEAPOLITANVM COMMENTARIVS.

MONITA TRIA Ἐμβολιμαῖα

Inter fragmentum Britannicum & Complementum Neapolitanum.

MONITVM I.

De coalitione utriusque fragmenti: ubi & supplementi ratio assignatur.

SCiendum est, fragmentum Britannicum ad totum usque versum 74. procedere. Deinde versus 75. partim ex Britannico, partim ex aere Neapolitano conflatur; eâque gratia ei versui duos numeros praefiximus, nim. 75. & 1. quia pars ejus in Britannico versu septuagesimo quinto reperitur, pars in versu æris Neapolitani primo. Quid ex frusto Britannico quid ex Neapolitano contractum, unâque ferruminatum fuerit, ex hujus inscriptionis in aes incisae tabula prima versu 1. potes cognoscere: in quo litterae cavae Britannici sunt peculii, plenae Neapolitani. At versus sequens (qui num. 2. praesignatur) nihil Britannico fragmento debet, sed ex Neapolitano totus est, tribus quatuorve suppletis primoribus voculis illis [EX· LEGE · LOCATIONIS · EISDEM] quas ex vero prorsus restituimus. Nec enim tantum sententiae filum secuti sumus, itemque nihil supra infrave intervalli vacui modum supplevimus; sed & suis apte locis litterulas sive totas, sive earum partes reposuimus. Nam in (LEGE) prima littera ex ære Neapolitano est, itemque in vocis EISDEM elemento primo ille ductus, qui inferne jacet, adhuc in eodem ære conspicitur.

Illud sane doleo, quod ubi hic legum pandectes principio incidendus in ære fuit, festinatione tanta usus est artifex, ut non licuerit hoc loco de supplendo trium dictarum vocum hiatu cogitare: quocirca initio versûs secundi, lacuna relicta fuit. Ac licuisset quidem inciſori aeream tabellam eâ parte vocibus tribus additis, supplere; nisi jam inde exemplaria prelo expressa fuissent. Nunc autem, ut satis lectori faciam, proderit duos tantum versus (nim. 1. & 2.) ex triplici fonte, nempe ex Britannica, & ex Neapolitana lamina, & ex supplemento exploratissimo, haustos, hîc formâ expressos exhibere: in qua formâ Britannici litteras cavas, Neapolitani plenas, supplementi vero elementa punctis interciſa vides. Ac sane, ne ea forma egrederetur paginae longi-

VT·VTEI·EA·AB·EIS·CVSTODIANTVR·CAVTVM·EST·E
EX·LEGE·LOCATIONIS·EISDEM·VTEI·FRVENTVR·LICEBIT
EX·H·L·N·R·

IQVOMINVS·FIDEI·IVSSVS·VTANTVR·FRVANTVR·itaveti·quo
que eorum.

Digitized by Google

tudinem ; non potuit verſus primus integer ad finem uſque aequalibus inſculpi litteris. Quocirca eo uſque tantum, quo, ad oſtendendam versûs primi cum ſecundo parem progreſſionem, neceſſe erat (nempe uſque ad FRVANTVR) aequalia ubique elementa ſcalpi juſſimus, cetera ejusdem verſus exiguioribus litteris, quantum ad pervidendum ſententiae filum ſatis erat, ſignavimus.

MONITVM ALTERVM.

De aetate legis, ſive potius legum Digeſti hujus.

Hic ſane locus eſſet, ut in confinio ſaltem utriuſque fragmenti de vera aetate univerſae νομοθεσίας (*legum lationis*) hujus ex Britannico ac Neapolitano ære coaleſcentis decerneremus. Initio Britannici id non licuit ; ne Conradiana illa Commentaria, capitibus XIV. comprehenſa, nimium a textu ſuo, in quem ille commentus fuit, divellerem. Nunc in Neapolitani veſtibulo non licebat id tantum, ſed & res ipſa videbatur expoſcere; niſi verendum fuiſſet, ne forte augeſcente in manibus rei examine, Neapolitanum aes, quod ut cum Britannico coeat omni ope ſatagendum fuit, ab eo nimium ſemoveretur.

Sed tamen media incedere via commodius arbitror. Nam equidem lectorem non patiar ἀνίπτοις ποσὶν (*illotis pedibus*) adyta legum Tabulae hujus ingredi: ſed eum tamen praeguſtatione tantummodo univerſae rei contentum, ita demum in penetralia legum inducam: cetera, quae ad aetatem pertinent, non defunctorie, ſed quantum opus erit, in fine Tabulae peculiari tractatione exſecuturus.

Quid de tempore æris hujus Conradus ſenſerit, apparet ex ejus cap. IV. (ſup. pag. 292.) ubi *non multo tempore poſt C. Sempronii Gracchi interitum promulgatam eſſe* (hanc legem) *credit*; ac magis etiam ex cap. V. ubi eamdem ad M. Octavium anni ab V. C. DCXXXIII. Tribunum plebis (h. e. biennio poſt legem a C. Graccho latam) referre geſtit. Hunc enim *frumentariam largitionem reddidiſſe ex magna modicam & reip. tolerabilem & plebi neceſſariam*, Cicero in II. Offic. 21. memorat. *Modicam* autem reddidit, uti Conradus interpretatur, reſtricto ad egenos tantum immenſo antea frumenta accipientium numero. Ea Conradi ſententia (nam cetera huc pertinentia videbis apud eum toto cap. V. ſupra pag. 292.) erat ſane optima & convenientiſſima, ſi Britannico fruſto tenus proceſſum fuiſſet ; nam & reliqua quae in eo fruſto ſequuntur, huic rationi temporum minime refragantur. At cetera quae in aere noſtro leguntur, ſi ICtus eruditus vidiſſet, nae ille aliter haud dubie judicaſſet. Nam quae ſequuntur omnia, ea non tam ad cives Rom. in Vrbe degentes pertinent, quam ad ceterorum infinitam multitudinem per *Municipia*, *Colonias*, *Praefecturas*, *Fora*, *Conciliabula* (quae quina vocabula non ſine *Civium Romanorum* adjectione tertio quoque verſu occurrunt) diffuſam.

Ergo ne dubita, quin haec univerſa Tabula cum ſociis laminis (nam plures fuiſſe non eſt dubium; ac forſitan δωδεκαδέλτου numerum aequabant) ad id tempus, quod Legem Juliam, ſive magis Plotiam anno DCLXV. latam, eſt proxime ſubſecutum, ſit referenda : quo tempore tot integrae regiones παμπληθεῖ Romana civilitate donatae, Roma-

nis

Digitized by Google

nis legibus pro ſuo modulo imbuendae fuerunt. Itaque licebit hanc, &, quae praeibant ac ſubſequebantur, Tabulas, ſive Pandectẽ legum Municipalium, ſive Civium Romanorum extra Romam degentium δωδεκάδελτον (modo numerus tabularum par illis Romanis fuerit) nuncupare. Nec illud te turbet, quod aeris Britannici ſcita urbis Romae pomoerium non egrediuntur. Nam & qui foris poſt Juliam Plotiamq. morabantur, Romam frequentes itabant, & quoties Romae eſſent, iis legibus aeque ut cives ceteri tenebantur, &, opinor, ad easdem leges mores ſuos etiam in patriis ſedibus jubebantur accommodare.

Atque haec quidem praeguſtatio eſto. Nam rei univerſae rationes in fine Neapolitani cimelii perſequemur: cujus cimelii caput ultimum (quod ceteroqui tranſverſos agere imperitos quiverit) recte expoſitum haud dubie id, in quo rei totius caput eſt, acu tanget, ut ibi exponemus. Ex dictis autem hujus cimelii pretium mirifice augetur.

Nunc quod ſupereſt, aeris Neapolitani tabulam ex Heracleae aerario municipali depromptam in publico proponamus, & quidem VNDE DE PLANO RECTE LEGI poſſit, ſecundum ſollemnem hujus ipſius Tabulae formulam.

MONITVM III.

Tabulae totius ex ære Britannico & ex Neapolitano ſolidatae diſtributio.

Tabula univerſa duas partes complectitur. Prior Leges civibus Romanis Romae degentibus tradit: quae pars ab initio æris Britannici uſque ad Neapolitani verſum octavum pertinet, eamq. in capita IV. diſtinctam vides. Haec eadem civibus Romanis omnibus, non tantum Romae habitantibus, ſed & per municipia & cujuſvis nominis oppida diſperſis viſa eſt neceſſaria. Cur etiam his alteris neceſſaria? nempe uti ſcirent, quid ſibi, quoties Romam ad ſuffragia, aut ad petendos magiſtratus itarent, ſervandum eſſet, tum etiam ut ad ea legum capita in municipiis mores ſuos, quantum populi fundi ratio ſuaſiſſet, conformarent: quod etiam ſupra jam attigi.

Pars vero altera (quam totam Neapolitano huic complemento debemus, quaeque ab hujus æris ver. 9. ad finem uſque Tabulae per capita octo porrigitur) non niſi leges municipales continet in *Municipiis*, *Coloniis*, *Praefecturis*, *Foris*, *Conciliabulis civium Romanorum* obſervandas. Quid quina iſta oppidorum nomina ſibi velint, peculiari Diatribâ capiti V. praeviâ exponetur. Haec vero Pars altera incredibile dictu eſt, quantopere ſupra priorem illam aeris Britannici νομοθεσίαν afficere cupidos amatores debeat. Etenim Romanas ſtantis Reip. leges jam partim ex hiſtoriis, partim ex æreis decem quantilibet pretii Tabulis (quae in altero Regis noſtri Muſeo Capimontano aſſervantur) & ex tot Latinis veteris aevi ſcriptoribus maximam jam partem compertam habebamus. At legum municipalium Pandectẽ quis unquam non dico viderat, ſed omnino cogitarat? Et caremus nos quidem συνήματος hujus laminis reliquis. At unam hanc ſaltem de naufragio tabulam his temporibus enataſſe, nonne erit in commune omnibus gratulandum? Huic vero alias praeceſſiſſe, ex eo oſtenditur, quod æri Britannico (in quo ab initio nulla fractura

Digitized by Google

cernitur, ut ea parte argui mutilum possit) deest consuetum legum ceterarum exordium; ita ut necesse sit huic ex Britannico & Neapolitano ære coalescenti alias praecessisse lamnas. Sed & huic alias successisse deinceps credo. Nec enim id dissuaserit Capitis ultimi clausula de *Municipio fundano*: nam simili clausula singulas Tabulas fuisse terminatas putaverim. Singulae, aeque ut haec, ab initio forsan leges aliquot Vrbis Romae continebant: sequebantur municipales: ad extremum eapte conclusione forsan terminabantur. De populis vero fundis quot eruditorum discidia? quae videntur posthac hoc uno ære compóni posse. Nolo pluribus detinere lectorem, quin manu arreptum in legum sacrarium inducam.

Reliqua capitis IV. *ex ære Neap.*

75. 1 VT · VTEI · EA · AB · EIS · CVSTODIANTVR · CAVTVM · EST · EI · QVOMINVS · EIS · LOCEIS . VTANTVR · FRVANTVR · ITA · VTEI · QVOQVE EORVM
2 EX · LEGE · LOCATIONIS · EISDEM · VTEI · FRVEI · LICEBIT EX · H · L · N · R ·
3 QVOS LVDOS · QVISQVE · ROMAE · P · VE V · R · P · ↀ · FACIET · QVOMINVS · EI · EORVM · LVDORVM · CAVSSA · SCAENAM · PVLPITVM · CETERAQVE
4 QVAE · AD EOS · LVDOS · OPVS · ERVNT · INLOCO · PVBLICO · PONERE · STATVERE · EISQVE · DIEBVS · QVIBVS · EOS · FACIET · LOCO · PVBLICO · VTEI
5 LICEAT · E · H · L · N · R
6 QVEI · SCRIBAE · LIBRAREI · MAGISTRATIBVS · APPAREBVNT · EI · QVOMINVS · LOCEIS · PVBLICEIS · VBEI · IS · QVISQVE · EORVM · APPAREBVNT
7 IVSERIT · APPARENDI · CAVSSA · VI · ANTVR · E · H · L · N · R ·
8 QVAE · LOCA · SERVEIS · PVBLICEIS · AB · CENS · HABITANDEI · VTENDEI · CAVSSA · AD · TRIBVTASVNT · EI · QVOMINVS · EIS · LOCEIS · VTANTVR · E · H · L · N · R

TABVLAE HERACLEENSIS LATINAE

COMPLEMENTVM NEAPOLITANVM.

Br.v.75.Neap.1. *Et* (E scil. pro V mendoso) *uti ea ab eis custodiantur cautum est: ii quominus iis locis utantur fruantur, ita uti quoq. eorum*
2 *ex lege locationis eisdem uti frui licebit, ex hac lege nihil rogatur*(*).
§. IV. Eâ lege non tenentur qui ludos faciunt.
3 *Quos ludos quisque Romae, propiusve urbem Romam passus mille faciet, quominus ei eorum ludorum causa scaenam, pulpitum, ceteraque,*

VER.3. QVOS LVDOS] Poterant hi versus non interrupta serie, ita ut continentes cum Britannicis essent, numerari. Sed aliis contra suadentibus obtemperandum

(*) Haec a p. 378. ad 380. explicavimus.

Digitized by Google

dum fuit. Itaque hoc ſemel dictum volo. Qui verſus ex aere Britannico & Neapolitano coaleſcit, quiq. Britannis quintus & ſeptuageſimus eſt, is nobis numeratur primus. Hic vero, qui in aere noſtro tertius eſt, in ſerie Britannica habebitur ſeptuageſimus ſeptimus. Et ita porro.

QVOS. LVDOS. QVISQVE . . . FACIET]. Ludorum ſumma diviſio in Circenſes & Scaenicos. Vtrorumque ambitu plura genera continebantur. Hîc certum eſt non niſi ſcaenicos intelligi; non quod *κατ' ἐξοχήν ludi* dicerentur, ſed quod ex ſequentibus non niſi ſcaenicos accipi appareat. Saepe iſto modo loqui ſcriptores cernas: apud quos Ludi ſive Circenſes, ſive Scaenici, ſive quilibet alii, nomen ſibi generis arrogantes, *Ludi* abſolute vocantur. Theatralium ſive ſcaenicorum nomine veniebant *Satyrae*, *Comoediae*, *Tragoediae*, *Mimi*, *Atellanae*. Porro quid *Scaena* (ſic enim cum bivocali ſcribitur in omnibus marmoribus, nim. ut ſit ab Aeolico *σκαυνὴ* pro communi *σκηνή*) quidve *Pulpitum* in re theatrali ſint, putidum vel pueris oſtendere. At illud eſt magnopere notandum, quod hujus Tabulae tempore theatra ejuſmodi fuiſſe apparet, cujuſmodi Legis Juliae tempore (h. e. nonageſimo ferme ante Chriſtum anno) fuiſſe ex hiſtoria diſcimus; temporaria ſcil., adhaec ſine ſubſelliis, ita ut ſpectatores ſtarent.

Atque ea quae huc pertinent, in tranſitu ut attingam, locus ipſe a me flagitat. Cn. Pompejum a bello Mithridatico redeuntem primum omnium anno Vrbis DCLXXXIX. ſtatuiſſe ſtructile ac manſurum theatrum, ſatis conſtat: ante quem ſcil. non niſi temere ac ſubito fuiſſe pro uſu compacta neceſſe eſt. Tametſi enim anno V. C. DXCIX. ſtabile theatrum a cenſoribus M. Valerio Meſſalla, C. Caſſio Longino inchoatum fuerat; id tamen opus paullo poſt adnitente P. Scipione Naſica & graviter edocente, quantopere id eſſet publicis Civitatis moribus nociturum, diſturbatum fuit. Id quod tunc locatum a cenſoribus hiſce fuerat, id ſtabile futurum fuiſſe certum eſt: ſed utrum e materia an ex lapide, incertum. Sed magis eſt, ut ſtructile moliti cenſores fuerint, ſi quidem duraturum ſtatuere voluerunt. Ergo SCto in Naſicae ſententiam facto, diruta theatri fabrica fuit, & in eo perſtitum, ut non niſi ſubitaria ac ſolutilia theatra, ut uſus poſceret, compingerentur, ac rurſus disjicerentur. Id aperte ex hoc loco conſtat, in quo ludos facturis, ſcaenam & pulpitum in loca publica inferendi facultas datur: quae ſcil. poſt ludos amovenda fuerunt.

Illud etiam dubitari queat, a ſedentibus ne an ſtantibus aevo hujus Tabulae ſcaenici ſpectarentur. In SCto, quod in Naſicae ſententiam paullo poſt ann. Vrbis DC. factum Val. Max. recitat, diſerte continebatur, *Nequis . . . ſubſellia poſuiſſe, ſedenſve ludos ſpectare vellet*. Id vero ſexageſimo poſt anno, dum haec Tabula incideretur, adhuc obtinuiſſe, ſatis ex eo intelligitur, quod ſcaenae quidem & pulpiti in eâ mentio fit, nulla ſubſelliorum. Sed tamen ab anno circiter DCLXX. uſq. ad theatri ſtabilis a Magno Pompejo exſtructi tempus adhiberi ſubitaria ſubſellia conſueviſſe, ex Tacito in Adn. 1. oſtendam. Atque haec ad hujus loci intelligentiam ſatis. Ceterum in eorum gratiam, qui plura aliquot de his cognoſcere volent, loca ſelectiora antiquorum non ſine animadverſionibus in ſubjecta (1) Adnot. ſepoſui.

IBID.

(1) *Excerpta ex antiquis loca ad illuſtrandam hanc periocham idonea.*

Piſonis locus cum Paterculo comparatus. Theatri cenſorii Apparatus haſtae ſubjectus *ecquis apud Val. Max. ſit. Videri fuiſſe ſcaenae choragium. In SCto apud Valerium ſuppletur* Romae *vocabulum*, *ne non* Continentia *complectatur. In epitoma Liv. τὸ* Aliquamdiu *quouſque pertineat*, *id ex Tacito expiſcandum*: *ex quo cum hac Tabula collato definitur*, *quamdiu ſpectatores ſteterint*, *quando ſedere coeperint*, *ac vela theatro per Q. Catulum inducta. Objectio ex v. 64. Tabulae petita diluitur.*

Paterculus lib. 1. c. 15. num. 3. *Caſſius cenſor a Lupercali in Palatium verſus theatrum facere inſtituit*: *cui in demoliendo* (Lipſius mavult *emoliendo*) *eximia civitatis ſeveritas*, *& Coſ. Scipio* (Naſica) *reſtitere*: *quod ego inter clariſſima publicae voluntatis argumenta numeraverim*. Sane cum in hoc facto civitatis univeſae ſobria conſilia Velleius commendet; quid illud ſibi vult, quod in Plinio XVII. 25. legitur? Qui cum loco palmae ficum enatam in Capitolio narraſſet *M. Meſſallae*, C. *Caſſii cenſorum luſtro*, ſtatim ſic infert: *A quo tempore pudicitiam ſubverſam*, *Piſo gravis auctor prodidit*. Sed ſcito, ubi Piſo *ſubverſam pudicitiam* horum cenſorum luſtro conqueritur, id privatim ad cenſores eſſe referendum, non publice ad civitatem, cum

hujus

IBID. *Romae, propiusve urbem Romam passus Mille*] Nota millenarii numeri (quae in ære talis ⏨ est) pluries in hujus fobria consilia Velleius commendet . Ergo expostulat Piso, a censoribus, qui retinere pudicitiam debuissent, eam esse subversam, dum Theatrum stabile faciundum locarunt . At contra Velleius laudat civitatis consensionem ad probandam Theatri dejectionem, quam Nasica suasisset . Placuit Pisonis hujus dictum quo pertineret (a Plinii enarratoribus omissum) indicasse . Hic ille Piso Frugi est , vir consularis & censorius , quique in tempora ipsa theatri censorii, h. e. subversae pudicitiae, incidit, adhaec idem & annalium conditor, & plurium orationum auctor .

Jam vero de eadem re ita Valerius Max. II. 4. num. 2. *Quae* (theatra) *inchoata quidem sunt a Messalla & Cassio censoribus : ceterum auctore P. Scipione Nasica , omnem apparatum operis eorum subjectum hastae venire placuit* . Miror quid sibi voluerit , ubi *apparatum operis eorum venire* dixit . Lapides ne ac tigna veniisse vult ? Nusquam alibi legitur, talia sub hasta venumdata . At ne superesse quidem potuerant, si vera Appianus refert in I. Civil. pag. 367. ubi in ead. historia ait (καὶ ἤδη τοῦ τέλους ἐλαμβανεν) *Jamque ferme consummatum* (id theatrum) *fuerat* . Atqui illud *Operis eorum* si inducas, aut si de apparatu histrionico capias ; tum recte omnia ; quia ad vestes scaenicas, ad aulaea , & omne scaenae choragium vox *Apparatus* referetur . Vlpianus l. 15. D. *De usufr.* (lib. VII. tit. 1.) §. 5. ait: *Proinde & si scaenicae vestis ususfructus legetur , vel aulaei , vel alterius APPARATVS , alibi quam in scaena non utetur* . Itaque *Apparatum operis eorum* de toto scaenae choragio accipias , censeo ; Id theatro prope perfecto , jam quaesitum fuerat : quod theatro depositio , venire sub hasta placuit .

Jam quod statim apud Valerium sequitur , id multo pluris est . *Atque etiam senatus consulto* (illo scil. quod in Scipionis sententiam dixi factum) *cautum est , nequis in Vrbe , propiusve passus mille* . Hic enimvero etiam a verbor. proprietate descivit; nam scribendum erat , *Romae* , aut *in urbe Roma* , *propiusve* &c. Nam , ut toties in superioribus dictum, *Roma* aut *Vrbs Roma* etiam continentia amplectitur . Nunc cum noster *Vrbe* simpliciter dixerit , eaque vox muro terminetur ; proinde *continentia* ex SCto excluſit . Verum facilius laterem, quam scriptoris hujus sordes elueris . Ad quem tamen redeo . *Atque etiam* , inquit, *S. C.' cautum est , nequis in Vrbe* (Roma) *propiusve passus mille SVBSELLIA posuisse , SEDENSQVE ludos spectare vellet* . Hactenus SCtum est, quo vetita in theatris sessio. Cetera quae ibid. in Valerio sequuntur , non ex SCti majestate , sed ex Scriptoris ingenio profecta . *Vt scil.* , ait , *remissioni animorum juncta standi virilitas , propria Romanae gentis nota esset* .

Porro piaculum fuerit, si quae ex Valerio protuli , non eadem & ex Livii Epit. XLVIII. huc afferam . *Cum locatum a censoribus theatrum exstrueretur , P. Cornelio Nasica auctore , tamquam inutile & nociturum publicis moribus* (praeter Graecanicam mollitiem evitandam , addit Appianus & hanc causam , *tamquam novarum seditionum materiam* , placuisse deponi) *ex SCto destructum est, populusque ALIQVAMDIV STANS ludos spectavit* .

Post illud ergo tempus *Aliquamdiu* spectatores stetisse , Florus ex Livio prodidit . Vtinam quousque illud *Aliquamdiu* (quod incertis finibus vagatur) pertineat , indicasset . Promovet aliquid Britannico occurrerat. At eam Maittairus modo per *N* , modo per M dextrorsum mutilum , modo aliter exhibuit, incertus ec-

Tacitus , etsi nihilo certiora prodit . Nam Ann. XIV. cap. 20. inter varia de quinquennali ludicro Romae instituto judicia, ita refert : *Quippe erant , qui Cn. Pompeium incusatum a senioribus ferrent , quod mansuram theatri sedem posuisset . Nam antea subitariis gradibus , & scaena in tempus structa, ludos edi solitos : vel si VETVSTIORA repetas, stantem populum spectavisse ; ne , si consideret , theatro dies totos ignavos continuaret* . Diversarum quidem conversionum articulos tangit ; sed explicate nihil , ut queas intelligere , quousque *Seniores* , quove *Vetustiora* porrigi velit . Sed tamen consideratis omnibus, distingui tempora in hunc modum possunt . Seniores illi a quibus sedentibus (quamvis in *subitariis gradibus*) ludos spectari datum , potuere viginti circiter annis stabili Pompeiano theatro antecedere . Ita circiter annum Vrbis DCLXX. (nam Pompeii theatrum an. 689. positum) illi *seniores* fuerint oportet . Ad hanc eamdem Seniorum periodum etiam vela a Q. Catulo in theatris suspensa pertinent , uti mox ostendam. Subjicit Tacitus : *Vel si vetustiora* (his senioribus) *repetas tempora , stantem populum spectavisse* . Haec *tempora vetustiora* ab illo SCto in Nasicae sententiam facto incipiunt , quo populus vetabatur sedere, & usque ad ann. circ. DCLXX. pertinent. Spatium quidem sexaginta amplius annorum interjacet: sane longius, quam pro illo ALIQVAMDIV Epitomae Flori . Sed tamen Floro , qui sero scripsit , breve id intervallum retro respicienti visum . Ac Tabula quidem nostra (in qua nec gradus nec subsellia memorantur) ad *vetustiorum* Taciti *temporum* finem pertinet . At statim post haec tempora , cum infinitis Graecanicis municipiis civitas data fuisset , quorum magna pars Romae domicilium fixit; quid mirum si ex tanta Grajorum colluvie Graecanicorum theatrorum desidia, in quibus spectatores sedebant , Romam inducta fuerit ? Ita equidem Taciti periodos illas distinguo ; & ita ut nostrae Tabulae & verisimilitudini apprime conveniant .

Venio jam ad Q. Lutatii Catuli *Vela* : quae Romae *Primus omnium* (ait Plinius XIX. 1.) *invenit Q. Catulus , cum Capitolium dedicaret* . Dedicavit autem id consul Catulus eopte anno , quo Sylla mortuus, Vrbis DCLXXV. Confer Plinium XVII. 43. & Tacitum in III. Hist. qui id solum felicitati Syllae defuisse queruntur , quod non dedicarit : quod a Catulo factum , Plutarchus in Poplicola tradit . Taxat autem hunc Catulum Val. Max. II. 4. 6. quasi qui *Campanam imitatus luxuriam , primus spectantium consessum velorum umbraculis texit.* Eamdem totidem verbis notam ei Ammianus inurit: sed *in aedilitate sua* eum id feciſſe cum dicit, a Plinio recedit, qui a dedicante Capitolium, h. e. a consule id factum narrat. Mitto tricas. Verum si ob vela in theatro suspensa tantâ is apud posteros infamia flagravit ; non temere posset & hac suspicione onerari novâ , quasi idem quoq. dederit operam , ut adversus vetus illud, Nasica auctore, SCtum (quo nihil molestius populo lascivienti videbatur) sedendi etiam veniam in theatro fecerit . Verum frustra de auctore sedendi quaerimus, quando certum est, sub idem fere tempus & sederi coeptum , & umbracula velis fuisse quaesita .

Antequam hinc abeo , restat evellendus scrupulus . Nimirum pro explorato posuimus , aevo aeris

Digitized by Google

4 *quae ad eos ludos opus erunt in loco publico ponere ſtatuere, eiſque, quibus diebus eos faciet, loco publico uti*
5 *liceat, ex hac lege nihil rogatur.*

§. V. Nec ſcribae librarii.

6 *Qui ſcribae librarii magiſtratibus apparebunt, ii quominus locis publicis, ubi quiſque eorum apparebunt,*
7 *juſſerit, apparendi cauſa utantur, ex hac lege nihil rogatur.*

ecquidnam monſtri eſſet. Egomet in illis æris Britannici locis de hac Neapolitani nota, quae tunc animo exciderat, nihil notavi. At lector, ſiquando ad ſuperiora Britannici legendâ recurret, meminerit, moneo, notae hujus; ac ſimul animadvertat, eamdem hanc eſſe notam, quae in veteribus monumentis pluribus variata modis occurrit, velut CIↃ, aut CIↃ, aut ut Arabica numeri octonarii nota jacens veluti ∞. Omnium hujuſmodi millenarii notarum geneſis ab illo æris hujus charactere derivatur, aut ſaltem cum hac una notâ omnes mutuâ cognatione vinciuntur.

VER. 4. *Ceteraque, quae ad eos ludos opus erunt*] Scaenae choragium his verbis deſignatur: non vero cuneata graduum tabulatio, quae utpote moliminis magni negotium, diſertim nominaretur, ſi quidem de hac quoque circumferenda hîc ageretur.

VER. 6. 7. *QVEI Scribae librarei*] Rectum plurale τῦ *Librarius*, ut & omnium aeris hujus non ſeſſitatum in theatro fuiſſe. At contra hujuſmet aeris v. 64. ſediſſe ſpectatores dicuntur. Verum ſunt alia omnia. Hîc de Roma agitur, illic de Graecanicis municipiis: hîc de ludis theatralibus, illic de gladiatoribus deque circi ſpectaculis: de quo in loco plura.

in IVS finitorum, in omnibus marmoribus & antiquioribus Mss. in ſimplex I. deſinebat, idque interdum altiuſculum. Itaque a LIBRARIVS fiebat plurale LIBRARI. At ſtante republica I proſodiâ longum, plerumque in EI reſolvebatur, ut in aere noſtro millies. Hinc iſtud LIBRAREI pro LIBRARI profectum. Nolo autem de *Scribis* deque *Scribis librariis* ab aliis dicta recoquere. Apud Judaeos quanti *Scribarum* dignitas fuerit, ex Evangelica hiſtoria ſatis conſtat. Multo etiam pluris iidem in Graecorum urbibus, praeſertim Aſiaticis, habebantur. Ac fuit ubi Γραμματεὺς ſummus apex honorum eſſet. Horum mentione referta ſunt marmora & numiſmata. De quorum ſcribarum dignatione videndus prae ceteris Spanhemius in *De praeſt. num.*

At ne Romae quidem *Scribatus* multo minoris initio fuit, ſi Feſtum (2) audimus; ſique ad C. Flavii (3) hiſtoriam animum advertimus. Tamen ultimis reip. tempo-

oratione utebantur in quibuslibet rebus poſteritati mandandis: cujuſmodi carmen Saliare erat, & alia plurima quae perierunt. Eâque gratiâ Feſtus ait, ab initio *Poetas* (h. e. verſuum, qui ut illis temporibus non multum a proſa diſcrepabant, ſcriptores) *Scribas proprio nomine* fuiſſe vocatos..

Porro ubi Feſtus veterem *Scribarum proprio nomine* notionem docuiſſet, de ſuo tempore ita pergit: *At nunc dicuntur Scribae* (proprio ſcil. nomine) *quidem librarii, qui rationes publicas ſcribunt in tabulis.* Poſt illud *Quidem*, exſpectabas aliquod μόριον adverſativum, veluti *Autem*, *Vero*, *Tamen* &c. Nunc quia nihil tale ſequitur, non dubito pro *Quidem*, quod nihil eſt, reponere *Quidam*, id maxime exigente ſententia. *At*, inquit, *nunc* (proprio nomine) *dicuntur Scribae* (non omnes librarii, ſed tantum) *QVIDAM*, *qui* (ſcil.) *rationes publicas ſcribunt in tabulis.* Jam vero quod Livio Andronico (*Scribarum* veterum uni) & *Scribis* aedem Minervae in Aventino antiquitus fuiſſe adtributam ſcribit, & reliqua, quae ibid. affert; id etiam pulchrum antiquitatis monumentum eſt, quod potes ex ipſo Feſto ibidem cognoſcere.

(2) *Feſti locus ſanatur & illuſtratur.*

In Feſto hodie ſic legitur: *SCRIBAS proprio nomine antiqui & Librarios & poetas vocabant.* Recte ſatis: nam *Scriba* re vera ſcribentium nomen commune videbatur: at *proprio nomine* dupliciter ab antiquis uſurpabatur, ſive pro *Librariis* (qui & *Scribae librarii* junctim dicebantur) ſive pro *Poetis*. Cur hoc alterum? nimirum quia apud veteres duobus Graecis vocabulis (nempe γραμματικὸς & γραφεὺς) unum *Scribae* nomen olim reſpondebat. Quare *Scribae* dicebantur tum Γραμματεῖς (qui etiam poſtea ſic vocati) tum praeterea *Scriptores* ſive auctores (qui Graecis ſunt γραφεῖς) quos Feſtus ait, olim *Scribas* fuiſſe vocatos, ſicuti & apud Iudaeos & Graecos Aſiaticos. Ergo in Roma vetere auctores operum & commentariorum non aliter, quam *Scribae* vocabantur. Quia vero apud Romulidas (ſicut apud Graecos, ceteraſque nationes) proſa oratio elaborata recentior versâ fuit; hinc Romanorum antiquiſſimi non aliter, quam vinctâ

(3) Caii ſive Cn. Flavii (qui ipſe ingenuus, etſi libertino patre natus, ex ſcriba aedilitio repente aedilis curulis creatus fuit) hiſtoria ex Livio IX. c. 46. Gellio VI. 9. ex Piſonis annalibus, Tullio

Digitized by Google

poribus haud paullo abjectiore loco fuit, ut hinc & ex aliis monumentis constat: etsi tum quoque Cicero de Scribis (4) magnifice loquitur. Hos Romae ingenuos (5) fuisse minime dubito: at foris libertinae plurimum conditionis erant, ex iis scil. qui, cum optimatibus servitutem olim serviissent, facile postea favore patronorum ad honores in coloniis aditum sibi patefaciebant, quod ex subjecta (6) inscriptione potest intelligi.

Porro apud Romanos hoc Scribae a Notariis differebant, quod *Notae* (quibus notarii dicta excipiebant) a litteris. Scribarum, qui magistratibus apparebant, peculiare munus erat rationes in tabulas referre, librosque conficere, ex quo & *Librarii* vocabantur. *Scribae librarii* ubi non in monumentis antiquis occurrunt? nisi quod in SCto apud Frontinum artic. 100. cum ET inserto sic reperio, SCRIBAS ET LIBRARIOS: quod erroris alibi damnavi: nunc (7) absolvo. Porro *Scribae* & *Scribae librarii* a diversitate sive magistratuum, quibus apparebant, sive rerum, in quibus describendis versabantur, diversa sibi cognomina adsciscebant. Itaque in marmoribus hic *Scriba aedilitius*, ille *quaestorius* &c. inscribitur: a re autem *Scriba censualis*, *navalis*, *libellensis*, &c.

IBID. *EI* (pro *ii*) *quominus locis publicis*, *ubi is* (pro *iis*) *quisque eorum* (magistratuum) *apparebunt jusserit . . . utantur . . .*] Insolens sane constructio planeque σολοικοφανὴς *Apparebunt jusserit*. Quam tamen tueri pro virili satago. Si quidem particula VT usus, scripsisset, *VT appareant*, *jusserit*; rectum esset & quidem vade ac sponsore Plauto Amphit. I. 1. 50. *Telebois jubet*, *sententiam VT dicant suam*. Adhaec in l. 7. D. *de l. Jul. repet.* Legis Juliae haec verba recitantur: *Nequis ob judicem arbitrumve dandum, mutandum, jubendumque VT judicet, neve ob . . . non jubendum VT judicet . . . . aliquid acceperit*. Hirtius de bello civ. lib. 3. *Julius Caesar jussit militibus*, *NE qui captivorum violarentur*. Haec quidem rariora sunt, sed antiquis suffulta testibus. Atqui dices, ne sic quidem Tabulam in tuto fore, quippe in qua deest VT, quod in superioribus exemplis adest. At hoc si sibi Tacitus antiquitatis aemulator sumpsit, ut demeret VT, id Tabulae non licuit? Certe apud Tac. Ann. XIII. 15. ita reperio ἀσυνδέτως (h. e. sine VT) *Britannico jussit, exsurgeret*, *progressusque in medium*, *cantum aliquem inciperet*. Nec aliter Suetonius

lio & aliis tritissima est. Idem etiam summâ nobilium invidia aedem Concordiae dedicavit.

(4) Cicero in Ver. *Ordo* (scribarum) *honestus*, *quod eorum fidei tabulae publicae*, *periculaque magistratuum committuntur*. Illud majus, quod Torrentius (ad Suetonii Claudium cap. 1.) Romae scribas obtinuisse ordinem equestri proximum putat: id quod ex Verrinarum loco III. 79. colligi potest, ubi de scribis haec ait: *Cum decuriam emerunt*, *ex primo ordine explosorum*, *in secundum ordinem civitatis* (equestrem) *se venisse* dicunt. *Decuriam emere* idem quod in Scholiaste Juven. *Decuriam comparare*, alibi *Scriptam comparare*, h. e. scribatum emere, quia in decurias describebantur.

(5) Sigonius lib. II. cap. 15. *De Ant. ju. civ. Rom.* Scribarum ordinem ex ingenuis potius, quam ex libertinis constitisse existimat. Adhaec Horatius (auctore Suetonio in ejus vita) ex tribuno militum, *Scriptum quaestorium comparavit*. Sed tamen postea non defuere sub Caesaribus exempla, cum libertini ad scriptum faciendum perreperent. Sarmentus ille (de quo Juvenalis Sat. V. 3.) si Scholiastae credimus, *Incertum libertus*, *an servus*; & tamen *forma & urbanitate*, *eo fiduciae venit*, *ut praeterquam equitem Romanum ageret*, *decuriam quoque quaestoriam compararet*. Idque sub Augusto; ut suspicari liceat, deteriora sub pessimis principibus ordini scribarum tam honesto postea evenisse.

(6) Fabrettus (de col. Tra. p. 289. C) ex vita Colotii titulum marmoris affert, in quo TRAIANO . . . D. IVLIVS . D. L. MAMEVS . PRINCEPS . SCRIBA . LIBRARIVS . IL VIR . QVINQVENNALIS . . . Mox alii libertini recitantur. Hanc inscriptionem alicujus coloniae fuisse, ex *duoviratu quinquennali*, colonico magistratu, ostenditur: quo minus miror, magistratum colonicum ab homine libertino fuisse aditum.

At illud PRINCEPS . SCRIBA . LIBRARIVS titillat magis. Res ita se habet. Scribas coepisse aliquando in decurias describi, in confesso est tum ex Verr. III. 79. (vide supra Adnot. 4.) tum ex hac narratione Suetonii Claudio cap. 1.: *Corpus ejus* (Drusi) *suscipientibus obviis scribarum decuriis*, *ad Vrbem devectum*. Decuriae vero cujusque qui primus descriptus esset, is facile ex hujus marmoris indicio PRINCEPS SCRIBA LIBRARIVS decuriae suae dicebatur. Ita Mameus iste non aliter, opinor, quam suae decuriae princeps exstitit.

(7) Olim *scribatus* tribus modis exprimebatur. Interdum absolute *Scriba*: alibi junctim *Scriba librarius*: alibi *Scriba & librarius*. Istud ultimum in SCto apud Frontinum artic. 100. usurpatur: SCRIBAS ET LIBRARIOS. Hoc autem ita dictum puto, sicuti VI. VIR . ET . AVGVSTALIS in plurimis marmoribus, etsi aliquanto sacpius ἀσυνδέτως *Sevir Augustalis* scribatur: de quo in nostris schedis copiose aliquando egimus. Nam quia re vera scribatus a librarii munere alius, & seviratus ab Augustalitate res diversa erat; hoc satis fuit ad interponendum ET, ubi id placuit. Ceterum quia plerumque haec jungebantur, ideo & ἀσυνδέτως utrumque plurimum efferebatur.

Digitized by Google

§. VI. Nec ſervi publici ea lege tenentur.

8 *Quae loca ſervis publicis ab Cenſore habitandi, utendi cauſa adtributa ſunt, ii quominus iis locis utantur, ex hac lege nihil rogatur.*

nius Vitellio cap. 14. *Quo* (edicto) *jubebat, intra Kal. Octobris Vrbe Italiaque mathematici excederent*. Verum ne ſic quidem abſoluta defenſio. Nam dices, fuiſſe ſaltem ſcribendum, *Appareant, juſſerit*, non vero *Apparebunt*. Equidem, ſi *Appareant*, legi (I) per criticos liceat, id mercer quantilibet. Verum quid ſi praeſto, id ſibi licere putaſſe legislatorem, ut modo indicativo uteretur? Aut vero quid ſi potius τὸ *Apparebunt* ſic quaſi vocem indeclinabilem uſurpavit? Forſitan enim illud *Apparebunt* (quaſi ἄκλιτον, h. e. *flexione carens*) referendum eſt ad verba quibus magiſtratus utebatur, ferme hujuſmodi, *Illo die, illo loco ſcribae Apparebunt:* imperative. Hoc ubi magiſtratus indicebat, tunc vulgo dicebatur *jubere* τὸ *Illic Apparebunt*. Utut eſt; locus mendi ſuſpicione caret; & conſilium potius, quam ſupinitatem ſubolet.

VER. 8. QVAE · LOCA · SERVEIS · PVBLICEIS ·] Servos publicos paſſim in ſcriptis marmoribus abſolute *Publicos* vocari reperio. Iidem ubi libertatem aſſequerentur, praenomen quidem ab eo accipiebant, cujus opera manumiſſi fuiſſent, nomen vero ſuum priſtinum loco cognominis adhibebant. At vero pro medio illo nomine in IVS deſinente, (quod nomen gentilitium vocant) τὸ PVBLICIVS uſurpabant: aut vero aliud a proprio urbis, cui ſerviebant, nomine flexum: ut a Piſauro *Piſaurius*, a Venafro *Venafranius*, a Campana colonia *Campanius*, & hujuſmodi plurima: quibus nunc ſuperſedeo, qui praeſertim alibi (II) haec copioſe expoſuerim.

VER. 9. Hactenus priores verſus octo aeris Neapolitani ſunt, qui ad caput IV. (in aere Britannico inchoatum, in Neapolitano abſolutum) pertinent. Sequitur jam Legum vere Municipalium Digeſtum, ſive Complementi Neap. Caput I. ſeu (ſi libet junctim cum Britannico numerum cogere) quintum. Hujus vero Capitis verſus I. (qui nonus aeris eſt) ita legitur: *Quicumq. in Municipiis, Coloniis, Praefecturis, Foris, Conciliabulis civium Romanor. duumviri . . . erunt*. Atque haec locorum, in quibus cives Rom. incolerent, quina nomina ad duodecies eodem ordine in Tabula inculcantur. Qui me locus monet, ut ſemel eo labore perfungar, unaque tractatione de his omnibus differam.

DIATRIBA.

De diverſis locorum a civibus Romanis circa legis Juliae tempora habitatorum nominibus, conditionibus, formuliſque regiminis.

CAP. I.

Quo primum tempore ſumma locorum civium Romanor. diviſio in Colonias, Municipia, Praefecturas, Fora, Conciliabula uſurpari coepta. De Mamiliae legis aetate.

Quando primum ea quinque locorum vocabula junctim audiri coeperint, mihi non dum planiſſime conſtat. *Fora* & *Conciliabula* pluries alibi juncta leguntur: cum quibus interdum aliud aliquod nectitur

(I) Ceteroqui haud ingens utrinque diſtantia. Ex APPAREBVNT enim inducta labiali littera, & V in A verſo, fiet APPAREANT.

(II) Exſtat ea de re ſcriptiuncula, quae ſine meo nomine Tomo V. Calogerianorum Opuſculorum (Venet. an. 1731.) pag. 161. prodiit, non ſine tamen plurimis operarum erroribus. Opuſculi occaſio fuit marmor Campanum hujuſmodi:

SEDATO . COL
CAMPANIA . PHRONIME
PATRI
VIX . AN . . . . IIII .

Vbi noſtri homines cum v. 1. *Sedato colliberto* legerent, non extricabant. Oſtendi legendum, *Sedato coloniae* (ſupple *ſervo*) *patri Phronime* (filia) quae poſt manumiſſionem, adſcivit ſibi a colonia nomen; eoque ſupra vetus nomen dicta eſt etiam *Campania*. Plurima ibi exempla luculentiſſima ſervorum publicorum attuli, qui libertatem adepti, modo *Publicii* vocari, modo nomen ab urbe manumittente inclinatum ſibi quaerere conſueverunt.

Digitized by Google

nomen. Sed nusquam ante hanc nostram Tabulam, & ante Legem Mamiliam junctim quina. Verum quia Mamilia aere nostro habetur anterior; ex ea prius loca decerpam, in quibus ea simul vocabula cumulantur.

In legis Mamiliae de Limitibus (cujusmodi in Collectaneis rei agrariae Goesianis prostat) Caput III. sic incipit. *Quae colonia hac lege deducta, quodve municipium, praefectura, forum, conciliabulum constitutum erit . . . is cujus is ager erit, terminum restituendum curato: idque magistratus, qui in ea colonia, municipio, praefectura, foro, conciliabulo jure dicundo praeerit, facito ut fiat.*

Mox capite IV. qui haec quinûm generum loca incolunt, iis omnibus commune nomen (*Colonis* nempe *municipibusque*) inditur; & ita meo judicio, ut prius nomen de solis coloniis intelligatur, alterum vero commune municipiis, praefecturis, foris, conciliabulis fuerit. Re vera praefecturas & conciliabula (quidni & fora?) interdum evasisse municipia, alibi notabitur.

Jam vero caput V. ita incipit: *Qui hac lege coloniam deduxerit, municipium, praefecturam, forum, conciliabulum constituerit, in eo agro, qui ager intra fines ejus coloniae, municipii, fori, conciliabuli, praefecturae erit, limites decumanique ut fiant, terminique statuantur, curato.*

Postremo eod. cap. medio scribitur: *Cum Curator* (cujus scil. *jurisdictionem, reciperatorumque dationem addictionem* esse proxime sanxerat) *hac lege non erit, tunc quicumque magistratus in ea colonia, municipio, praefectura, foro, conciliabulo jure dicundo praeerit, ejus magistratûs ea de re jurisdictio, judicisque datio addictio esto.*

Atque haec in Mamilia primum reperio, itemque in aere Neapolitano. At longo post intervallo haec eadem Paulus in IV. Sent. tit. 6. §. 2. ita cumulavit: *Testamenta in municipiis, coloniis, oppidis, praefectura, vico, castello, conciliabulo facta, in foro* (venalium, aut judiciario) *vel basilica praesentibus testibus vel honestis viris, inter horam secundam & decimam diei recitari debent.* Tantum *Fora* ex quinis illis Tabulae nominibus praeterivit, quorum loco *Oppida*, *Vicos*, *Castella* adnumeravit. Locus sane notatu dignus. Atque inter recitata testimonia hoc interest, quod in Vrbe Roma, in qua promulgata Mamilia fuit, visum e dignitate populi Rom., ut *Coloniae* (utpote ex Roma propagatae, ac veluti Romae totidem) municipiis praeponerentur suopte quadamtenus jure utentibus: at contra tabula haec (utpote in Heracliensi municipio descripta propositaque) *Municipii* dignitatem maluit anteferre coloniis: nec aliter Paulus ex vero judicavit. De quo discrimine extremâ hac Tabulâ rursus agam.

Nunc de Mamiliae (ex qua primum quina haec nomina prodierunt) aetate libet aliorum opinionem simulque nostram proponere. Pighius eam legem anno Vrbis DLXXXVIII. a tribuno pleb. C. Mamilio Turrino latam putat. Exstat hujus denarius cum epigraphe C. MAMILIVS. Q. F. TVRRINVS, in cujus aversa parte inter cetera aratrum scalpitur: quod argumento est, hunc Mamilium legis Mamiliae de Limitibus auctorem fuisse, quippe cum limites aratro signarentur. Eadem Vaillantii sententia est in gente Mamilia num. 1. & 2. Ergo, si his creditur, huic Mamilio antea cognomen *Turrino* fuit, ut in denario. At ex lege ab eo de *Limitibus* lata non nisi postea *Limetani* sibi nomen quaesivit, quod transmisit ad posteros. Id quod ex *C. Mamilii Limetani* denariis cognosci potest: qui quidem videtur *Turrini* nepos exstitisse, idem vero anno Vrbis DCXLIII. plebis tribunus fuit, teste Sallustio.

Proderit autem locum Sallustii adscribere Bel. Jug. cap. 40. ita narrantis: *Interea Romae C. Mamilius Limetanus Tr. pl. rogationem ad populum promulgat, uti quaereretur in eos, quorum consilio Jugurtha Senati decreta neglexisset*, & reliqua ad eamdem legem pertinentia. Atque huic alteri Mamilio, cui *Limetano* cognomen, non priori illi Turrino, Ursinus ad Sall. & Manutius in *de Leg.* legem Mamiliam de limitibus acceptam referunt.

Quid equidem in hoc discidio sentiam, paucis expono. Ea Mamilia, cujus tria tantum Capita in collectaneis agrariis restant, non videtur magno intervallo a nostra hac Tabulâ divellenda, ut vel ex quinûm generum locis (nim. *Coloniis*,

Munic.

Digitized by Google

Munic. Praefecturis, *Foris*, *Conciliabulis*) utrobique ad nauſeam inculcatis, cognoſcitur, quae nuſquam antea cumulata reperias. Sane ſiquem alium Mamilium tribunum pl. proximiorem Legib. Juliae Plotiaeq. (quarum haec Tabula aut pars, aut appendix fuit) liceret oſtendere; huic eam Mamiliam, cujus fragmentum reſtat, accepto referrem. Vel ſic tamen Salluſtianus Mamilius cum viginti tantum annis Juliae legi praeceſſerit, potuit Mamiliae lator fuiſſe; praeſertim cum quae tempora Gracchanas turbas ſubſecuta fuerunt, iis agrariae plurimae contentiones exſtiterint, quae talem de limitibus rogationem a C. Mamilio anni 643. tribuno extorſerint.

Accedit, quod eidem *Limetani* cognomen fuit (ut ex Salluſtio & ex denariis oſtenditur) quod illi facile haec de limitibus lex conciliaverit. Aut ſi malumus hunc Noſtrum id cognomen a majoribus hereditarium accepiſſe; tum neceſſe erit, duas ſaltem exſtitiſſe Mamilias de Limitibus latas: quarum quae exſtat, juniori anni 643. debeatur, prior vero alia *C. Mamilio Turrino* anni 588. plebis tribuno. Qui antiquior cum poſt tribunatum cognominari ab ea lege *Limetanus* coeperit; non mirum ſi ipſe in denariis eo cognomine careat, quod tamen ipſe poſtea ad liberos tranſtulit. Atque haud ſcio an ad illam priorem pertineant, quae antiqui ex Mamilia (8) recitant. Neminem vero turbet, ſi duplicem unius argumenti Mamiliam adſtruere ſatagam, aut certe cupiam. Neque enim id veri ſimilitudine caret; quippe cum domeſtica decora nepotes revocare in ſuam familiam uſque ſtuduerint.

Antequam hinc diſcedo, non omittam, huic *C. Mamilio Limetano* (cui equidem Mamiliam hodie ſuperſtitem tribuo) laudem conciliari maximam ab uno illo nummo, quem in ejus memoriam Trajanus Aug. reſtituit; nec enim niſi optimis principibus, aut laudatiſſimis ſtantis reip. viris hunc ille numiſmatum reſtitutorum honorem (ab acri meritorum aeſtimatore profectum) tribuit. Qui nummus reſtitutus (aeque ut in ceteris hujus) hinc caput Mercurii praefert, illinc Vlyſſem pileatum (a quo adſcivere Mamilio genus) abblandiente cane: ubi in area legitur: C. MAMIL. LIMETAN. in ambitu vero: IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. RESTituit.

Atque ex hactenus dictis intelligitur, cum illa quinùm locorum enumeratio legi Mamiliae (anno fere vigeſimo ante Juliam Plotiamque latae) fuerit cum ære noſtro communis; proinde aes iſtud aut illarum legum partem, aut appendicem videri poſſe. Nam nihil nunc de argumenti affinitate dico.

CAP. II.

De Municipiorum Coloniarumque notione, & utrorumque diſcrimine.

De *Coloniis* plura olim in Comment. ad Mutilum Amphith. Camp. titulum ediſſerui, & alibi paſſim, ſicuti & de *Municipiis*. Horum accurata notitia verumque diſcrimen ex Gellio XVI. 13. ex Feſto & antiquis aliis, ſed & ex Sigonio, M. Velſero, & ex Spanhemii Orbe Rom. peti poterit. Nec dubito, ubi ad hujus æris Neapolitani Cap. ultimum ventum fuerit, ubi de populis fundis diſputandum erit, quin argumenti parilitas plura de his exſculptura ſit. Interim paucis habeto.

Gellius XVI. 13. dum inter ea diſtinguit, ſimul veram utriuſque notionem docet. *Coloniarum*, inquit, *alia neceſſitudo eſt* (quam municipiorum) *nec enim veniunt extrinſecus in civitatem, nec ſuis radicibus nituntur* (quorum utrumque municipiis peculiare facit) *ſed ex civitate quaſi*

(8) *Ciceronis de Mamilia locus ex altero Aggeni loco correctus & illuſtratus.*

De lege Mamilia ita apud Tullium in I. de leg. cap. 21. ſcribitur: *Controverſia nata eſt de finibus: in qua quoniam uſucapionem XII. tabulae inter quinque pedes eſſe voluerunt, depaſci veterem poſſeſſionem Academiae ab hoc acuto homine non ſinemus; nec MAMILIA LEGE ſinguli, ſed ex iis* (melius *ſed Ex XII.*) *tres arbitri fines regemus*. Illud (*Vſucap. XII. Tab. inter quinque ped. eſſe voluerunt*) non modica luce allinemus ex his Aggeni Vrbici: *De Fine LEX MAMILIA quinque pedum latitudinem praeſcribit; quoniam hanc latitudinem vel ITER ad culturam accedentium occupat, vel circumactus aratri: QVOD VSVCAPI NON POTEST*. Haec Aggeni ſuadent, ut in Tullio ſit legendum: *VSVCAPI* (non *uſucapionem*) *XII. Tabulae ITER* (non *inter*) *quinque pedes* (iſtud, *iter quinq. pedes*, appoſitio eſt) *POSSE* (non *eſſe*) *noluerunt* (male *voluerunt*). Lege ergo: *Vſucapi XII. tab. iter quinq. pedes poſſe noluerunt*. Gravi ulceri gravior medela.

Haec Tullii Aggenique ad utram (ſi duae fuerint) Mamiliam pertineant, quis auguretur?

Digitized by Google

propagatae ſunt, & jura inſtitutaque omnia populi Rom. non ſui arbitrii habent. Municipia igitur ſui ſunt juris & arbitrii, ſuarum legum, ſibique ipſa ſufficiunt: Coloniae vero ſunt propagines quaedam ex pop. Rom. traduces, & reip. Rom. veluti effigies ac ſimulacra.

Ac Municipia non unius ante Jul. leg. fuere generis: poſt Juliam vero ad unam fere formam regiminis redacta fuerunt, ut non tantum *muneris* (militaris ſcil.) *capiendi* participes fierent (quod olim tantum concedebatur, & a militari *Munere* in legionibus *capiendo*, *Municipes* vocabantur) ſed ut & ſuffragium haberent, & honores Romae conſequerentur: interim vero in ſuis Municipiis iidem Romanis legibus viverent, non plane omnibus, ſed iis quarum populus eorum *Fundus* factus eſſet. Haec explicatius ad æris hujus Caput ult. praeter quae praelibavimus pag. 114. Adn. 84.

Ceterum quod in ære Neapolitano iſto *Municipia* coloniis conſtanter praeferantur, id eo factum quod haec Tabula in ipſo Heracleae municipio ſculpta fuerit: municipia autem ipſa, utpote ſui quodammodo juris, ſeſe coloniis anteponebant. Nec aliter Gellius initio laudati cap. judicavit, uſus etiam auctoritate orationis Hadriani, Italicenſes, Vticenſes alioſque reprehendentis, qui *in jus coloniarum mutare geſtiverint*, contra vero laudantis Praeneſtinos, ſumma ope a Tiberio flagitantes, ut ex colonia in municipii ſtatum redigerentur. Habes cur merito in ære hoc praeponantur municipia coloniis. At contra eadem in lege Mamilia coloniis poſtponuntur. Quid ita? Quod ea lex Romae ſcripta fuit. Romae autem (ut ait eodem extremo cap. Gellius) coloniarum *conditio, cum ſit magis obnoxia & minus libera, potior tamen & praeſtabilior exiſtimatur propter amplitudinem majeſtatemque populi Rom. cujus iſtae coloniae, quaſi effigies parvae ſimulacraque eſſe quaedam videntur*. Sed recte eſt, quod Paulus ICtus, dum in IV. Rec. ſent. (cujus locum ſup. cap. I. protuli) Municipiis cauſam haud obſcure adjudicat, quippe quae coloniis priora recitat.

CAP. III.

De Praefecturis earumque variis conditionibus.

§. I. *Conditionis praefecturarum ſpecimen ex Capua petitum. Obiter de multiplici Capuae fortuna.*

Sicuti Municipiorum Coloniarumq. honorificentiſſima conditio fuit (quippe quorum erat commune concilium reſq. publica, ipſique ſe ſive Romanis, ſive partim his partim ſuis ſeſe moribus atq. inſtitutis regebant) ſic Praefecturarum ſtatus deterrimus erat, ſi quidem talis in omnibus exſtitit, cujuſmodi Capuae & in aliis pleriſque fuit. Non hîc loquor de priore Capuae praefectura anni CDXXXV. (quam brevem minimeque duram fuiſſe infra Adnot. 10. oſtendetur) ſed illam praefecturae formulam intelligo, qualis urbi primariae, poſtquam expugnata a Romanis anno Vrbis DXLII. fuit, praeſcripta a proconſule Fulvio Flacco fuit. Nam poſt duriter in ſenatum ac primores civitatis ſaevitum, *De urbe* (ait Livius XXVI. 16.) *agroque reliqua conſultatio fuit, quibusdam delendam cenſentibus, praevalidam, propinquam, inimicam. Ceterum praeſens utilitas vicit. Nam propter agrum (quem omni fertilitate terrae conſtabat primum in Italia eſſe) urbs ſervata eſt, ut eſſet aliqua aratorum ſedes . . . ager omnis & tecta (9) publica populi Romani facta. Ceterum habitari tantum tamquam urbem, Capuam, frequentarique placuit: corpus nullum civitatis, nec ſenatus, nec plebis concilium, nec magiſtratus eſſe: ſine conſilio publico, ſine imperio multitudinem, nullius rei inter ſe ſociam, ad conſenſum inhabilem fore: Praefectum ad jura reddenda ab Roma quotannis miſſuros*. Omitto cetera, quibus Livius, quae ad Capuam a Fulvio geſta, ea ab omni parte laudabilia fuiſſe oſtendit. Et tamen de tanta illa ſeveritate fuiſſe aliquid poſtea remiſſum, videtur Tullius in Sextiana cap. 4. innuere: quod quale fuerit, dicerem, ſi liceret filum incepti ſermonis de praefecturis abrumpere. Sed tamen quid vetat

(9) Cave τὸ *Publica ad Pop. Rom.* referas, quod cum *Tectis* junctim eſt pronuntiandum. *Agrum omnem* vult *populi Rom.* eſſe, at *Tecta* non omnia (nec enim domini ab ſuis aedibus deturbabantur niſi ſiquid admiſiſſent proſcriptione dignum) ſed tantum *Publica* populi Rom. facta. Ergo Praefectura Campana aerario ſuo caruit. Siquid ſumptuum faciendum foret, id ex aerario populi Rom. erogabatur.

Digitized by Google

vetat diverſas Capuae vices ſeorſum (10) enumerando potius percurrere, quam accurata inquiſitione diſcutere? Ceteroqui debetur hoc tum tantae urbis claritudini, ut ex ipſa diſcamus potiſſimum quid ceteris factum fuerit; tum etiam quod merito eadem apud Feſtum urbium in praefecturae formulam redactarum agmen ducat.

(10) *EXCVRSIO de diverſis Vrbis Campanae vicibus antequam duriſſimam praefecturae conditionem ſubiret, ac donec tandem coloniae jus conſecuta, gravi jugo levaretur.*

Non hîc hiſtoriam, ſed indiculum earum viciſſitudinum texam. Nec de Capua agam, quamdiu ejus reſpublica ſuas ipſa ſibi res habuit, ac ſeorſum ab Rom. populo agens, nec foedus cum eo nec bellum habuit. At poſtquam immiſceri cum Romanis coepit, interdum aequo cum iis foedere juncta fuit, interdum iniquo.

Anni CDXIII. Campana deditio ad iniquum foedus pertinet. Et quidem jam antea anno CDX. metu Samnitium adacti Campani ſe Romanis dediderant. Liv. VII. 31. At ſub haec ubi apud eos potior ſocietas cum Latinis fuiſſet, tum vero ſecuta deterior illa deditio, quae exſtat apud Livium VIII. 11. ubi adeo acciſas res Latinorum refert, ut eorum deditionem conſuli factam *Campani ſequerentur: Latium Capuaque agro multati.*

An. CDXV. *Campanis equitibus* (ait Liv. VIII. 14.) *honoris cauſa, quia cum Latinis rebellare noluiſſent . . . civitas ſine ſuffragio data.*

Ann. CDXXXII. ab Vrbe condita *Sp. Poſtumio* (verba ſunt Paterculi I. 14.) *Veturio Calvino Coſ. Campanis data eſt civitas, partique Samnitium ſine ſuffragio.* Huc hexameter Ennii apud Cenſorinum pertinet.

Civeis Romanei tunc factei ſunt Campanei.

Ab illo ſcil. tempore Municipii jure frui Capua coepit, ſed non niſi leviore illo jure municipii, quo nim. *municipes* militiae *munus laperent* in legione uti cives, non in auxiliis uti ſocii.

Anno tamen CDXXXV. h. e. vix interjecto triennio, videtur inter praefecturas numerari coepiſſe: de quo Livius IX. 20. ita ſcripſit: *Eodem anno* (435. M. Foslio Flaccinatore, L. Plautio Vennone Coſ.) *primum praefecti Capuae creari coepti, legibus ab L. Furio praetore datis, cum utrumque* (tum praefectum, tum etiam leges) *ipſi pro remedio aegris rebus diſcordia inteſtina petiſſent.* Difficultas ſane ardua. Nam ſi uſque ab anno 435. praefectum unaque leges Campani ab Roma accepiſſent; quo pacto verum erit quod idem Livius XXVI. 16. de Capua ſcripſit, non niſi anno 542. ademptum Capuae conſilium publicum, & in praefectorum ab Roma miſſorum poteſtatem delapſam civitatem? Atqui de anno 435. res ita ſe habuit. Campana diſcordia ſciderat magiſtratus, opinor, ita ut hi parti uni, alii factioni alteri faverent. Quare Campanis remedium ei malo petentibus, magiſtratum unum ſummo imperio praeditum praefici placuit, ſicuti & Romae ſimilibus de cauſis Dictator dicebatur. Atqui nego eum qui Capuae praeficiendus erat, ab Roma miſſum (nec enim *Praefectos Capuae*, h. e. in urbe Capua, *creari*, ſcripſiſſet Livius, ſed *Capuam mitti*, uti lib. XXVI. 16. loquitur, aut urbi *Capuae dari*) verum hoc vult Livius, Praetorem *dediſſe leges*, quibus legibus praefectus creandus eſſet Capuae non Romae. Eadem loquendi conſuetudo apud Feſtum occurrit, in loco de Praefecturis, qui mox afferetur: in quo *Praefectum legibus mitti* quam vim habeat, ibi explicabitur. Ac profecto quis unquam credet, Campanos omnium ſuperbiſſimos eo ſe fuiſſe demiſſuros, ut ſuapte ſponte ſeſe Romanis in ſervitutem deterrimam manciparent? Fuit hoc igitur Capuae voluntariae praefecturae genus, nec perpetuum, ſed tantiſper duraturum, donec pacatis diſcordiis priſtinos *Meddixtuticorum* magiſtratus reducerent; ſicuti & Romae dictatura ad breviſſimum tempus in remedium adhibebatur. Porro & ante & poſt hoc tempus, & toto bello Hannibalico *Meddixtuticos* binos fuiſſe ſummum Capuae Magiſtratum, ſatis ex hiſtoria compertum eſt: ut praefecturae illius Livianae, de qua dixi, remedium non potuerit non breve admodum eſſe.

Anno demum DXLII. in illud Capua incidit duriſſimum praefecturae genus, quod & a Livio, Feſtoque Pompeio (utriuſq. loca ſuperne attulimus) deſcribitur, & a Paterculo tangitur: cujus ultimi ſcriptoris locum cognoſſe proderit. *In hoc conſulatu* (ait lib. II. c. 44. de coloniae Juliae deductione loquens) *Caeſar legem tulit, ut ager Campanus plebei divideretur, ſuaſore legis Pompeio. Ita circiter XX. millia civium eo deducta, & jus* (h. e. proprios juri dicundo magiſtratus) *ab his* (colonis reip. Rom. ſimulacrum Capuam inferentibus) *reſtitutum poſt annos circiter CLII.* (non *circiter*, ſed ne uno minus ampliuſve) *quam bello Punico ab Romanis Capua in formam praefecturae redacta erat.*

At objici Velleio poſſet, non a Caeſare juriſdictionem atque ſenatum Capuae reſtitutum, cum aliquot ante Caeſarem annis civilem primum coloniam quidam M. Brutus Capuam deduxerit, ſubhaec vero & Sulla militarem. Atqui de hiſce duabus coloniis diſputatum a me accurate fuit in *Comment. ad mut. Amphith. Camp. Tit.* a pag. 5. ac deinceps, ibique oſtenſum Bruti coloniam ſtatim fuiſſe diſſipatam, Syllanam vero, aſſignationem verius, quam juſtae coloniae deductionem fuiſſe: quocirca ob Syllanam aſſignationem parum aut nihil de Campanae praefecturae humilitate deceſſiſſe.

At deceſſiſſe tamen aliquid de tanta illius primaevae praefecturae ſervitute, vel ante Juliam coloniam, certiſſimum habeo. Cicero in Sextiana, ubi res in conſulatu ſuo (h. e. anno DCXC., quadriennio ante coloniam a Caeſare Capuae conſtitutam) Capuae geſtas retuliſſet, ita ſubjicit: *Qua de cauſa & tum* (cum Capua adhuc praefectura eſſet) *CONVENTVS ille Capuae* (hinc viri docti arguunt, quod in Coloniis & Municipiis *Senatus* vocabatur, hoc in Praefecturis *Conventum* fuiſſe dictum: tametſi potuit *Conventus* uni Capuae claritudinis tantae gratia, indulgeri) *Conventus*, inquit, *ille Capuae, qui propter ſalutem illius urbis conſulatu conſervatam meo, me unum patronum adopta-*

§. 2. *Locus Feſti de Praefecturis inquinatiſſimus ex priſca ſcriptura & ex Dione emaculatur; ſed & variis juvatur & explicatur locis.*

Verum quid moror, quin Pompeium ipſum Feſtum de Praefecturis in commune docentem producam in medium? Ejus locus quantilibet aeſtimandus tres partes com-

Digitized by Google

complectitur. Prima notionem generalem praefecturae complectitur hisce verbis: *PRAEFECTVRAE eae appellabantur in* (11) *Italia, in quibus & jus dicebatur &* (12) *nundinae agebantur, & erat quaedam* (13) *earum resp., neque tamen magistratus* (14) *suos habebant: in quas legibus* (15) *praefecti mittebantur quotannis, qui jus dicerent*. Hactenus notio rei est.

Sequuntur genera praefecturarum duo, unum earum, in quas populus, alterum in quas Praetor praefectos mittebat. *Quarum*, inquit, *genera fuerunt duo: alterum, in quas solebant ire praefecti* [*quatuor sexvirum pro*] *populi suffragio creati erant in haec oppida, Capuam, Cumas, Casilinum, Vulturnum, Liternum, Puteolos, Acerras, Suessulam, Atellam, Calatiam: alterum in quas ibant quos praetor urbanus quotannis in quaeque loca miserat legibus, ut Fundos, Formias, Caere, Venafrum, Allifas, Privernum, Anagniam, Frusinonem, Reate, Saturniam, Nursiam, Arpinum, aliaque complura*.

In his genus posterius ab omni mendo vacat: at prius illud inquinatissimum est, nec sine scriptorum codicum ope sanabile. Ac recte est, quod ex prisca scriptura Scaliger loco vocularum trium, quas in Festo uncis inclusi, ita recitat: [*Quatuor viginti sexvirum num pro*] quorum loco ipse reponit: *Qui auctore viginti sexvirum numero, populo* &c. Sed non satisfacit. Ipse in Festi margine sic olim priscae scripturae Scaligerianae insistens, correxeram: *In quas solebant ire* [*Quatuor ex vigintisexvirûm numero, qui*] *populi* &c. Duo tantum monosyllaba (*Qui* & *Ex*) adjeci: cetera partim ex Festo, partim ex vetere Scaligeriana scriptura sunt. Et quidem hanc correctionem firmat mirifice Dio lib. LIV. cap. 26. (pag. 757. edit. Reimarianae) ubi Augustus ex illis XXVI. stantis reip. viris reliquisse viginti solos, sex scil. sublatis, testatur. Post injectam igitur *XXvirum* illorum mentionem, ita pergit: *Et hi XXviri facti fuerunt ex illis XXVI. in quibus erant III. viri rerum capitalium, & alii tres signandae pecuniae gratia* (in nummis IIIVIRI A. A. A. F. F. dicti) *quatuor viarum urbanarum curatores* (de his IVviris diximus ad æs Britannicum) *& decem ad judicium centumvirale delecti. Duoviri enim, qui vias* (ἔξω τῦ τείχυς) (16) *extramuranas curabant, &* (praefecti) *quatuor qui in Campaniam*

adoptavit. In quibusdam hoc amplius legitur, *Me inaurata statua donarat, me unum patronum* &c. Verum illud de *statua* non ex Mss. erutum, sed ex Pisonianae cap. XI. huc intrusum fuerat. At his missis; jam ex Tullio perspicitur, fuisse Capuae quadriennio ante deductam coloniam Conventum Optimatium, qui in commune consulerent, qui Ciceronem statuâ inaurata donarent, eumque in patronum adoptarent. Nec vero multo his ampliora in municipiorum & coloniarum curiis agitabantur: id quod ex sexcentis lapidibus litteratis perspicitur. Cum Campana ergo praefectura paullatim mitius agi coeperat. At post deductionem coloniae sublato praefecto ab Roma ad jura dicunda misso, tum vero, ut ait Velleius, in totum urbi *jus restitutum* fuit. Hactenus de Capua dicta poterunt nonnullam ceteris etiam praefecturis, quarum ipsa caput, commodare lucem.

Quod de Campano Conventu Tullium sibi patronum adoptante vidimus; par infra Adn. 22. exemplum afferam ex Peltuinate praefectura sibi Nummiam communi consilio patronam adsciscente.

(11) *In Italia* dicens, satis ostendit praefecturas extra Italiam non fuisse. *Italiam* autem non illam intellige, quae sub Augusto Alpibus terminata fuit, sed eam quae ad extrema usq. reip. liberae tempora Rubicone amni finiebatur. In hac tantum angustiore Italia fuisse praefecturas res ipsa suadet, & ex æris hujus ver. 68. apparet, de quo in loco.

(12) Ad hoc praeter cetera nundinae valebant, ut quia nono quoque die multitudo agrestis illuc conveniebat, in eo conventu jus diceretur. Trita haec sunt, nec digna quibus sit immorandum.

(13) Erat quidem respublica quaedam (nec enim ferarum ritu vivebatur in praefecturis, sed erat quaedam in commune consultatio) sed ea non ἀυτεξούσιος, sed praefectis Româ missis obnoxia.

(14) Habebant quidem magistratus, at non suos, sed praefectos, quos Roma princeps misisset. Quin ne minoribus quidem magistratibus caruere suis, sed quos aut praefectus pro imperio constituebat, aut quorum creandorum praefectus plebi veniam permisisset. De his propriis magistratibus videatur inscriptio Peltuinatis praefecturae infra Adn. 22.

(15) Tam hîc *Legibus mitti* dicuntur in suas quisque praefecturas praefecti, quam etiam infra, ubi de iis loquitur praefectis, *Quos praetor urbanus*, inquit, *in quaeque loca miserat legibus*. Ac *Mittere legibus* non aliud videtur notare, quam quod his praefectis (tum qui a populo, tum qui a praetore mittebantur) formula praescribebatur, ad quam componere suam jurisdictionem deberent. Non ergo solutam legibus, sed vinctam potestatem accipiebant. Alteram τῦ LEGIBVS acceptionem in fine hujus §. dabimus.

(16) In nupera accuratissima Reimari editione illud Dionis, ὰ τὰς ἔξω τῦ τείχυς ὁδὰς ἐγχαριζόμενοι, vertitur, *Qui vias extra Vrbem curabant*. Sed *Extramuranas* sibi Graeca Dionis volunt. Nam (ut ex aere Britan. cap. *de Viis* patet) IVviri intra Vrbem muro tenus curabant: IIviri vero extra murum. At istud *Extra murum*, non ita accipe, ut vias omnes per Italiam curarent, sed ut eorum curatio continentibus aedificiis, & inde ad mille passus contineretur. Vide nostra ad æs Brit. p. 349.

Digitized by Google

paniam mittebantur, *tunc* (κατελέλυντο) *abrogati fuerant*: non ab Auguſto ſcil. ſed diu antea, h. e. partim poſt legem Juliam anni DCLXIII. partim lege Julii Caeſaris deducentis coloniam anno DCXCIV. de quo vide inferne (17) notata. Superiorem Feſti emendationem ubi ſchedae illeviſſem, meoque Feſto adglutinaſſem; comperi fere eamdem & Cujacio tanto antea in mentem veniſſe. Eum (18) vide.

Sed redeo ad Praefecturas a Feſto enumeratas. Earum priores decem ad Campaniam pertinent, ad quam praefecti quatuor mittebantur populi Rom. ſuffragio quotannis creati. Hi porro Campaniae IVviri partitas ne provincias, quas ſortirentur aut compararent, habuerint, an (quod magis eſt) eas in commune adminiſtrarint, mox inquiremus. Porro ab his praefecturis, in quas praefecti quatuor ab Romano pop. mittebantur, diverſae illae ſunt praefecturae, in quas Colonia Capua (nec ſecus aliae, ſaltem celebriores) ſuos praefectos jure dicundo (19) mittebat, inſtar illorum de quibus loquitur Feſtus.

Venio ad alias XII. quas Feſtus enumeravit: quae omnes in Latio (aut certe proxime ab Latio, veluti *Venafrum* & *Allifae*) occurrunt, ſi ab uno *Caere* diſceſſeris. Quod *Caere* aegre mihi perſuadeo, tam longe ab Etruria petitum, ut unum veluti corpus cum praefecturis Latinis efficeret. At ſicuti prior illa Feſti Decapolis fines Campaniae non egrediebatur; ita credo & Dodecapolis tota ſimul in Latio fuit. Sane aliquid aliud (20) a Feſto fuiſſe antea ſcriptum neceſſe eſt, quod poſtea in *Caere* evaſit; praeſertim cum MVNICipii CAERITVM exſtet apud Grut. mentio pag. 214. & pag. 485. num. 5. at praefecturam *Caere* fuiſſe, nuſquam ſcribatur; imo haud veriſimile videatur, tam bene meritum de ſacris populi Rom. municipium aliquando in duram praefecturae conditionem fuiſſe redactum.

Ad has vero XII. praefecturas aliaq. complura oppida non populus Rom. ſed praetor Vrb. praefectos mittebat. Mittebat autem non in commune recturos totam illam ἐπαρχίαν (*provinciam*) verum unicuique unum, aut forſitan etiam plura oppida regenda aſſignabat. In quas praefecturas (ait Feſtus) *ibant quos Praetor Vrb. quotannis IN QVAEQVE LOCA miſerat legibus*. Ergo praetor ſingulos ſingulis locis praefectos mittebat. Quod ideo diſerte adnotaſſe Feſtus videtur, ut illorum Quatuorvirûm Campaniae contraria fuiſſe ratio intelligatur. Non enim ſinguli ſingulis praefecturis praeerant, ſed erat eorum quoddam veluti conſilium: etſi diſpertiviſſe tamen inter ſe conventus, quos quiſque obiret, & alius alia munia exercuiſſe de conſilii ſententia veriſimile ſit.

Idem Sex. Pompeius ita deſinit: *Nurſiam*, *Arpinum*, *aliaque complura*. Sane iſtud, *Aliaque complura*, cave ad totam Italiam extendas, ne ad illam quidem anguſtiorem, quae non ultra Rubiconem fluviolum Septentriones verſus protendebatur verum ad ea reſtringendum eſt oppida: ad quae Praetor MITTEBAT LEGIBVS, h. e. mittere ſinebatur per ſcriptas de una, quaque

(17) Poſt legem Juliam non tantum his praefecturis omnibus civitas optimo jure conceſſa fuit (per quod multo mitius cum iisdem agi oportuit) verum ante & poſt Capuam (quae non niſi anno DCXCIV. deducta fuit) jam in pleraſq. earum praefecturarum ſcriptis coloniis, praefecti non amplius mittebantur. Sed & ex iis quae ſup. Adnot. 10. ex Tullii Sextiana cap. 4. notavi, videtur anno DCXC. Capua ſuis ipſa rebus ſine praefecto conſuluiſſe. Sed àge, nihil horum fuerit: at certe cum anno 694. Caeſar celeberrimae Campanae deductionis auctor fuerit; ne Capuam quidem mitti amplius a pop. Rom. praefectus potuit. Poſtremo diu ante Auguſtum ceſſatum ab hujuſmodi praefectis ordinandis fuiſſe, ſatis aperte declarat Dionis illud κατελέλυντο, *exoleverant*.

(18) Ejus emendatio tota ad illum Dionis locum compoſita fuit. At ſi idem vidiſſet priſcam illam Scaligeri ſcripturam, potuiſſet & ex ea proficere. Sicuti contra Scaliger ob ignoratum Dionis locum non ſatis aptam cudere Feſti lectionem quivit.

(19) Id quidem in Comm. ad Amphith. Camp. ubertim docuimus a pag. 44. ad 50. Itaque ubi quis in marmoribus PRAEF. I. D. (*jure dicundo*) dicitur, id plerumque ad praefectos a colonia ad ſuas praefecturas miſſos pertinere monui, auctoribus Siculo Flacco & aliis. Vbi & titulum, qui tum recens in *Pertica Campana* e terra prodierat, protuli, qui ſic incipit: C. TERENTIO. C. F. PALatina. CARINO. PRaefecto. I. D. (*jure dicundo*) MONTIS. DIANAE. TIFatinae &c. Ex quo didicimus, *Montem Dianae Tifatinae* (a Dianae Tifatinae celebri templo ita appellatum) unam fuiſſe ex Campanae coloniae praefecturis. Is hodie *Mons S. Nicolai* vocatur ab ejus vetuſtiſſima eccleſia.

(20) Veluti ſi olim *Feren.* (pro *Ferentinum*: nam decurtari locorum nomina conſueviſſe, nemo in marmoribus & membranis volutatus ignorat) ſcriptum fuerit, quod deinde in *Cere* aut *Caere* migravit. Ferentinum autem nobile Hernicorum in Latio oppidum fuit, Anagniae, & quibusdam aliis a Feſto nominatis vicinum.

Digitized by Google

quaque praefectura (21) leges; eâque gratia Praetor *Mittere legibus* Festo dicitur: at populus mittebat suffragio. Haec de Festi loco dicta sufficiant.

§. 3. *Reliqua de praefecturis ante & post legem Juliam.*

Praefecturae ante legem Juliam ab eisdem post ejusdem legis tempora duabus maxime rebus diffident. Primum quod ante Juliam pleraeque non civium Rom. sed sociorum, & quidem non aequo foedere, fuerunt; cum contra post Juliam Plotiamq. civitate sociis data, praefecturae omnes, aeque ac municipia coloniaeque, civium Romanor. fuerint, ut vel ex hac Tabula cognoscitur. Deinde quod ad magistratus attinet; ante Juliam praefecturae (saltem maxima ex parte) non suos sibi ipsae magistratus praeficiebant, sed extrinsecus ab Roma quotannis destinatos praefectos exspectabant. At post legem Juliam aliquamdiu quidem, ut ante, rectores indidem accipiebant: verum id non perpetuum fuit. Nam ut de Capua exemplum petam, ea paullo ante coloniam a Caesare deductam, favente Cicerone, ut sup. dixi, videtur suos magistratus recuperasse: quod beneficium alias quoque Campaniae praefecturas fuisse deinceps consecutas, conjici licet. Nec enim alia fuisse Augusto causa, cur quatuor Campaniae praefectos aboleret, mihi visa fuit, quam quod jam ejus Decapoleos oppida partim suos magistratus recuperaverant, nonnulla vero etiam colonias Romanas acceperant. Quo spectare supra notavi Dionis illud διελέλυντο.

At ubi jam ante Augustum teste Dione, IVviri illi Campaniae exoleverant; ab eo tempore praetorios etiam praefectos desiviſse; nec tantum Campaniae Decapolitas, sed & ceteras omnes per Italiam praefecturas suos sibi magistratus creavisse, suumque habuisse juxta cum coloniis & municipiis commune consilium, non est dubitandum. Id quod etiam Peltuinatium in Vestinis exemplo confirmare possum, quorum exstat pulcherrima apud Gruterum inscriptio quam in extremam paginae (22) oram conjeci. Ex qua ostenditur, sub Gordiano Pio, etsi pleraeque prae-

(21) Nam si quod sociorum municipium a foedere defeciſſet, nec missis legatis sive facti poenitentia, sive idonea purgatione sese senatui populoque Romano reconciliasset (id quod tum Caerites tum alios prolixe feciſſe, apud Livium legitur) tum armis edomiti ad praefecturae conditionem redigebantur, pro qualitate meritorum duriorem levioremve, secundum eam formulam, quam illis sive dux Romanus praescripsisset, sive senatus populusve Romanus. Hae sunt *leges* illae, ad quas hîc Festus digitum intendit.

(22) *Peltuinatis praefecturae tabula recitatur & explanatur. De Peltuinatibus sive Peltuinis ex Plinio, ex Balbo, & ex altero elogio notitia. Augusti beneficio videtur eis Curia restituta (ob id* AVGusta *cognominata) &* Ordo Conscriptorum *datus. Summus hujus praefecturae magistratus qui? Praefecturarum curiales videri audivisse Conscriptos. Altera de eâdem Nummia ejusdem praefecturae epigraphe illustratur.*

Exstat apud Gruterum pags 443. n. 6. tabula aenea, quam ex Italia in Hispanias allatam volunt, quantivis pretii (nec enim facile alia praefecturarum elogia confessa reperias) cujus versus interpositis numeris, usui futuris, distinximus. Ea sic habet.

C. *Vettio . Attico . &* (2) C. *Asinio . Praetextato . Cos* (3) *pr. id. April* (4) *Peltuini . Vestinis . in . Cur. Aug. ordinem . habentibus . T. Avidi-* (5) *acco. Restituto . & . Blaesio . Natale . Aedd. QQ. scribundo . ad-* (6) *fuerunt . Quod . universi . verba . fecerunt* (7) *Nummiam . Variam . C. F. Sacerdotem . Veneris . Felicis . ea . adfecti-* (8) *one . adque . prono . animo . circa . nos . agere . coepisse . pro . instituto* (9) *benivolentiae . suae . sicut . & . parentes . ejus . semper . egerunt . ut* (10) *merito . debeat . ex . consens . universorum . patrona . PRAEFECTVRAE* (11) *nostrae . fieri . quo . magis . magisque . hoc . honore . qui . est . apud . nos . potissi-* (12) *-mus . tantae . claritati . ejus . oblato . dignatione . benignitatis . ejus . glori-* (13) *osi . & . in . omnibus . tuti . ac . defensi . esse . possimus . Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C.* (14) *placere . universis . conscriptis . Nummiae . Variae . C. F. sacerdoti . Veneris* (15) *Felicis . pro . splendore . dignitatis . suae . patrocinium . PRAEFECTVRAE . nos-* (16) *trae . offerri . petique . ab . ejus . claritate . & . eximia . benignitate . ut . hunc* (17) *honorem . sibi . a . nobis . oblatum . libenti . & . prono . animo . suscipere* (18) *& . singulos . universosque . nos . remque . publicam . nostram . in . cli-* (19) *entelam . domus . suae . recipere . dignetur . & . in . quibuscumque* (20) *ratio . exegerit . intercedente . auctoritate . dignitatis . suae . tutos . de-* (21) *fensosque . praestet . tabulamque . aeneam . hujus . decreti . N. verba . conti-* (22) *nentem . offerri . ei . per . Avidiaccum . Restitutum . & . Blaesium . Natalem . Q. Q.* (23) *item . Numisenum . Crescentem . & . Fl. Priscum . primores . Ord. N. viros . censuer*

Consules initio signati pertinent ad ann. Vrbis 994. Christi 242. sub Imp. Gordiano Pio.

VER. 4. PELTVINI (in) VESTINIS. Gentile nomen Plinio debueramus, lib. I. c. 12. scribenti: *Vestinorum Angulani, Pinnenses, Peltuinates.* At primitivum ipsum oppidi nomen huic inscriptioni deberi putabam: in qua *Peltuini* videbatur esse genitivus statûs in loco, cujus nominativus *Peltuinum*, a quo fit gentile *Peltuinas*, sicuti

Digitized by Google

praefecturarum in coloniarum aut municipiorum jura & appellationem tranſierant, adhuc tamen fuiſſe, quae in vetere praefecturae nomine ſibi placerent; etſi ubi a nomine diſceſſeris, cetera juxta cum coloniis & municipiis ſibi omnia vindicarent.

CAP. IV.

De Foris & Conciliabulis.

Fora & Conciliabula non tantum cum municipiis, coloniis, praefecturis numerari ſolent (ut in lege Mamilia, & in hac Tabula tertio quoque verſu) verum & ea

ſicuti ex *Abellinum* eſt *Abellinas*, & alia millia. Verum cum in collectaneis Agrariis ex libro Balbi in provincia Valeria p. 145. legatur: *Colonia Peltinorum* (aliter *Peltuinorum*); ex eo apparet, cives tam *Peltuinos*, quam *Peltuinates* dici. Itaque in hac Tabula *Peltuini* non genitivus ſtatûs localis a nominativo *Peltuinum* erit, ſed potius rectum plurale τῦ *Peltuinus* pro *Peltuinas*; quod refertur ad *Scribundo adfuerunt*. In Balbo ſic ſequitur: *Iter populo non debetur. Ager ejus limitibus interciſivis eſt aſſignatus*. Haec ad aſſignationem aliquam pertinent facile ab Auguſto factam; eâque gratia hoc verſu mox CVRIA AVGuſta dicitur. Nam cum Auguſtus agrum Peltuinatem veteranis aſſignaſſet; eâ occaſione Praefecturam ex abjectiore conditione in ſtatum honeſtiorem reduxit. Inter cetera cum Peltuinates communi concilio carerent; videtur Auguſtus ad eos demerendos *Curiam* tunc eis reſtituiſſe, ex eo poſtea dictam *Auguſtam*, ut ante innui. Ibid. ſequitur: ORDINEM HABENTIBVS. *Ordo* (qui etiam in fine Tabulae & in lapide Murator. uſurpatur) haud paullo honorificentior erat *Conventu* (ſic enim Praefecturae Campanae publicum concilium dicitur in Sextiana Tullii) nam in coloniis municipiiſque *Ordo* nomen Senatûs fuit. Ac ſicuti Romae *Habere ſenatum*, ita in ceteris dictum *Habere ordinem fuit*. Vlpianus l. 3. D. *de decret. ab Ord.* ait: *Ordo non aliter habeatur, quam duabus* (tertiis) *partibus adhibitis*. Sic & alibi.

VER. 5. *AEDD. QQ.* h. e. *Aedilibus Quinquen.* qui infra ver. 22. abſolute QQ. h. e. *Quinquennal.* dicuntur. Hic ſummus Peltuini magiſtratus; dum in coloniis & municipiis alibi *Duumviri*, alibi aliud vocabantur. Ac profecto *Aediles* alibi etiam memini pro ſummo Magiſtratu habitos. At junctim *Aediles Quinquennales* nuſquam vidi: niſi quod in Grut. pag. 488. 1. AEDIL. ET. QQ. reperio. Itaque quod hîc δουβλᾶτως (AEDD. QQ.) ſcribitur, ita fort. capiendum, quaſi ſi interpoſitâ copulâ ſcalptum fuiſſet, *Aedd. & QQ.*, nam duo magiſtratus fuere, ſed non ſimul geſti. De quinquennalitate alibi infra. Verum quid in his aeſtuo? Hi duo verſu 22. ſine ulla aedilitatis mentione, ſolum τὸ QQ. ſibi adſcribunt: id quod *Quinquennalicios* (non *Quinquennales*) explico; ſic enim geſto hoc magiſtratu (qui ceteris honorabilior) vocabantur. Poſtremo quod ibidem ſequitur, SCRIBVNDO ADFVERVNT, quam vim habeat, dicerem, niſi notum eſſet ex Ciceronis & Coelii epiſtolis, ex aeneis tabulis, & lapidibus, ex Lampridii Heliogabalo, & ex antiquitatum ſcriptoribus. Subauditur plerumque *SCto*: at hîc ſubauditur *Decreto* ex v. 21. Hanc formulam Graeci ſic expreſſerunt: γραφομένῳ (ſupple δόγματι) παρῆσαν: *Scribendo SCto aderant*. Notabis hîc, eos, qui PELTVINI v. 4. dicuntur, ſic accipi, ut non tantum *Conſcripti*, ſed & ſelecti e plebe ſcribendo adfuerint.

VER. 13. ſingulares illae undecim ita exprimuntur: *Quid de ea re fieri placeat* (aut *placeret*) *de ea re ita cenſuerunt*.

VER. 14. *Conſcripti* quid olim a veteribus ſenatorib. diſcrepaverint, dicam ad æris Neap. v 12. At hîc omnes aeque curiales *Conſcriptorum* nomine donantur; plane ut videatur ea vox praefecturarum membris fuiſſe peculiaris, ut eodem loco conjiciemus. At de his ipſis in lapide Muratoriano uſurpatur illud L. D. D. D. De quo mox videbimus.

VER. 18. *Remq. publicam. noſtram*. Feſtus in *Praefecturae* ait: *Et erat quaedam earum reſpublica*.

VER. 21, *Decreti noſtri*] *Decretum*, quam SCtum aut aliud vocare malunt, ne arrogantius, quam pro praefecturae vice, loquantur.

VER. 23. PRIMORES. ORD. N. (*ordinis noſtri*) VIROS.] Non ignoti *Primores* iſti Pandectis ſunt. *Adhibitis Primoribus viris* legitur l. 16. D. *de uſu & uſufr.* Item *Legatio de Primoribus viris* l. 4. §. *Ordine* D. *de legationibus*. Horum in Curiis poſt magiſtratum ſupremum primus erat locus, ut hinc animadvertis. Nec dubie iidem ſunt, qui in Cod. Th. *Primates* vocantur, quoſq. Ammianus XXVIII. 6. *Primates Ordinis ſui* vocat: & XIV. 7. *Ordinis vertices*. Alibi quoque *Summates* dicuntur. At nullum in Pandectis & utroque Cod. tritius nomen, quam *Principales*: quod & apud Jul. Firmicum, & alios occurrit. Iidem Baſilio, & Theodoreto τριτεύοντας nuncupantur. Poſtremo ad hunc in Curiis honorem, ſicuti gradatim & omnibus muneribus expeditis perveniebatur, ita eorum erat dignatio maxima, pluresque praerogativae: quae quidem ex Cod. Th. cognoſci poſſunt.

Porro de hac eadem *Nummia Varia*, nec non *Nummio Juſto*, exſtat in Muratoriano Theſauro p. 544. n. 1. altera inſcriptio (in Abbatia Romeraci reperta) ſed ſine mentione *Praefecturae*. Ea talis eſt.

IN . . . . . (2) Nummiae . Vari-(3) ae . C. F. M. Nummi-(3) o . Juſto . plebs (5) Peltuinas . patro-(6) no . ob . eximiam (7) adfectionem (8) ejus . quam . uni-(9) ce . exercuit . Huic (10) ſplendidiſſimus (11) ordo . Biſellium (12) decrevit . Gubi-(13) tumque . conces-(14) ſit . L. D. D. D. (15) O. S. F. P. S. F. Verſûs penult. notae tritiſſimae ſunt, nim. *Locus datus decreto DECVRIONVM.* Vbi notabis, eos qui in aenea ſuperiore Tab. *Conſcripti* vocabantur, hîc dici *Decuriones*. An interpoſito tempore, patronis agentibus, ut id vocarentur, ſunt conſecuti? Verſu ult. ſex illas ſingulares, nuſquam obvias, ita interpretor: *Ordo ſplendiſſimus* (ut ver. 10. vocatur) *fieri pecunia ſua fecit*.

Non alibi memini de Nummia Varia aut M. Nummio Juſto legiſſe. Primo verſu videtur fuiſſe ſcalptum, *IN. HONOREM Numm.* &c. Vt IN. H. D. D. (*in honorem domus divinae*) & plura talia. Aut ſi mavis, hoc marmor poſt Nummiae mortem poſitum; tum primo verſu potuit inſcriptum fuiſſe: IN. MEMORIAM, aut IN. RECORDATIONEM. *Nummiae* VARIAE. C. F. Deinde: *M. Nummio Juſto* (ejus Nummiae ſive filio, ſive quo alio gradu deſcendenti) *plebs* . . . ſupple: Poſuit ſtatuam. Demum quid ei Ordo decreverit, dicitur. Muratorius haec ſecus omnia. De Honore biſellii exſtant Chimentellii doctae lucubrationes. Quam gauderet (ſi viveret) in hoc quoque lapide BISELLIVM offerri, ſicuti & in eod. Murat. p. 522. in priore Tab. bis, & p. 523. 1. hoNOREM. BISELLI. Sed aliud eſt quâ vulgo putant. Nunc non id agimus. Notabis *Gubitum* pro *Cubitum* ſeu *Accubitum*

Digitized by Google

tantum duo saepe junctim usurpantur. Livius XXV. 5. *Senatus . . . triumviros binos creari jussit ; alteros qui citra, alteros qui ultra quinquagesimum lapidem in pagis forisque & conciliabulis omnem copiam ingenuorum inspicerent ;* &. . . milites facerent. Idem XL. 37. *Decemviri supplicationem in biduum valetudinis causa in urbe & per omnia fora conciliabulaque edixerunt*. Ibidem: *Veneficii quaestio . . . ultra decimum lapidem per fora conciliabulaque C. Maenio . . . decreta*. Ac semper, quod equidem sciam, Foris Conciliabula postponuntur : ex quo haec aliquantum minoris dignationis prae Foris obtinuisse, arguere possis. A prioribus ordiar.

§. 1. *De Foris*.

Ea maxime *Fora* dicebantur, in quae nundinarum gratia agrestes coibant, qua opportunitate ibid. conventus agebantur. Ac mirari subit, cur, cum Paulus in IV. Rec. sent. (ejus locum cap. 1. attuli) omnia locorum genera memoravit, tamen *Fora* praeterierit. Cujus mihi rei ea prorsus videtur fuisse causa, quod quo tempore ICtus ille scripsit, jam omnia quae per Italiam fora celebriora erant, partim in illustres civitates non sine servato *Fori* (23) nomine, creverant : partim aut evanuerant, aut in vicos abierant. Qua de causa *Fori* acceptio talis, cujusmodi stante Rep. & sub primis Caesaribus fuit, Pauli aetate jam exoleverat. Itaque in libris JCtorum nulla, quod sciam, ejus notionis usurpatio exstat.

§. 2. *De Conciliabulis*.

Pomp. Festus : *CONCILIABVLVM dicitur locus, ubi in concilium convenitur*. Cum autem *Concilium* non tantum populi conventum notet, sed etiam nundinas, & *Conciliare* sit etiam *Emere* (unde illud Terentii, *Male conciliate*, Eugraphius interpretatur, *Male empte: Nam*, inquit, *Concilium, Nundinas dicimus*) hinc in Conciliabula tum nundinationis, tum etiam consultandi & jurisdictionis causa conveniebatur. Nam fuisse in conciliabulis (aeque ut in municipiis, coloniis, praefecturis) Forum atque Basilicam ad consulendum in commune idonea, & in quibus legitimos actus (veluti recitandorum testamentorum &c.) transigi oporteret, testatur Paulus in eo loco, quem cap. 1. protuli.

Porro ambitiosos homines conciliabula ad tribules prensandos circumire solitos, ostendit Livius VII. 15. *De ambitu ab C. Poetelio Trib. pl. . . . latum est: eaque rogatione novorum maxime hominum ambitionem, qui nundinas & conciliabula* (ἐν διὰ δυοῖν : nam in conciliabulis etiam nundinae, ut initio dixi, agebantur : etsi non in solis conciliabulis, sed & in foris, & alibi) *obire soliti erant, compressam arbitrabantur*. Atque huc procul dubio titulum C. Gracchi orationis apud Gellium I. 7. spectare arbitror, *In oratione*, ait ibi Gellius, *cujus titulus est, DE Q. POPILIO CIRCVM CONCILIABVLA*. Nam quia hoc vetitum, lege Poetelia ; idcirco id vitium in Popilio tota oratione illa carpebat insectator acerrimus. Atque haud scio, an huc etiam illud Ciceronis de Div. fragmentum pertineat, quod Diomedes lib. 1. servavit : *Praeterea*, inquit, *cohortatione circum conciliabula antecellunt*.

Verum hisce missis, nescio ecqua lethei vi poculi id, quod primum fuerat, praeterierat. Nimirum Conciliabulorum dignitatem nemo magis Cyrillo extollit, sub cujus nomine Glossae G. L. plenae bonae frugis circumferuntur. In iis primum Κωμόπολις redditur, *Oppidum, Conciliabulum*. Ex quo intelligimus, *Conciliabulum* plusquam *Vicum* esse, imo quiddam inter *Vicum* & *Vrbem* interjectum ; ea enim est vis compositae vocis Κωμόπολις, quasi si dixeris *Vico-civitas*. Deinde hoc ipsum alibi luculentius declaratur, ubi scribitur: Ὄψις πόλεως : *Conciliabulum*. Quo quidem non aliud sibi vult, quam Conciliabulo nihil aliud ad justae urbis dignationem deesse, quam nomen : cum ceteroqui *Effigiem urbis* (id enim Ὄψις πόλεως notat) absolutissimam praeferat.

Hinc parum miror, quod Frontinus in *De limit. agror.* pag. 41. scriptum reliquit : *Hoc conciliabulum fuisse fertur, & postea in Municipii jus relatum. Nam non omnia*

(23) Hinc illa urbium nomina, veluti *Forum Novum* Piceni, & cognomine alterum Cisalpinae Galliae. Adhec illa cum clarorum virorum, quibus sua incrementa debent, nominibus copulata, veluti *Forum Allieni, Appii, Aurelii, Cassii, Claudii, Cornelii, Decii, Flaminii, Fulvii, Julium* Carnorum, & *Foro julienses* Vmbriae, *Licinii, Popilii Sempronii*. Item *Forum Druentinorum, Gallorum, Jutuntorum*. Etiam extra Italiam alia quaedam, sed pauciora, occurrunt.

Digitized by Google

omnia antiqua municipia habent ſuum privilegium. Vult autem Frontinus multa ſuo tempore fuiſſe antiqua municipia, quae privilegio, h. e. monumentis conceſſi juris municipii, id non poſſent comprobare, ſive quia ea monumenta intercidiſſent, ſive quia ex conciliabuli ſtatu in jus municipii ſine privilegio perrepſerant. Eodem ſpectant & Aggeni ad Frontinum iſta: *Sunt autem loca publica uti coloniarum, ubi prius fuere conciliabula, & poſtea ſunt in municipii jus relata*.

Jam vero in Conciliabulis aeque ut in Municipiis, Coloniis, Praefecturis, Jus dictum fuiſſe ex ſuperioribus patet. At hoc inſuper addo, quod ex lege Mamilia Kap. V. in conciliabulis, aeque ut in municipiis coloniis &c. proprius magiſtratus juri dicundo praeerat. Verba legis haec ſunt. *Cum Curator* (de quo proxime dixerat) *hac lege non erit, tunc quicumque MAGISTRATVS in ea colonia, municipio, praefectura, foro, conciliabulo IVRE DICVNDO PRAEERIT, ejus magiſtratus ea de re jurisdictio judiciſque datio addictio eſto;* & quae ibi ſequuntur. Laudari video & alteram aeneam tabulam, in qua ſic ſcribitur: *In oppidis, foris, conciliabulis, ubi IVRI DICVNDO PRAEESSE ſolet*.

§. 3. *De Conciliabulis amplius: ac de eo potiſſimum, quod haec non aliud quam Pagorum complurium in conſilium unum conſenſio fuerint*.

Jamque in ultimum mihi locum rem ſane pulcherrimam reſervatam video; nec tam conſilio, quam quod prorſus animo effluxerat. Mirabar equidem, quid cauſae eſſet, cur in enumeratione locorum tum hujus Tabulae, tum etiam Mamiliae, tum poſtremo Pauli in IV. Rec. ſent. nulla prorſus *Pagorum* mentio fiat. Neque id injuria mirabar, cum *Pagi* inter locorum ἀξιολόγων nomina ſemper fuerint, praeſertim vero apud Caeſarem: apud quem Helvetiorum, Suevorum, aliarumque gentium *Pagi* ſunt ingentium praefecturarum nomina, de quibus viri doctiſſimi plurima adnotata reliquerunt, minime recoquenda. Dices, nihil Germaniae aliarumq. gentium pagis cum Italia commune eſſe. At vis argumenti in eo ſita eſt, numquam Latinos homines tam magnis Helvetiorum aliarumque gentium regionibus *Pagorum* nomen indituros fuiſſe, niſi etiam in Italia *Pagus* aliquid ingens ſonaret.

Sed & apud nos Livius XXV. 5. ad ann. DXLI. ita junxit, *In Pagis foriſque & conciliabulis*. Imo jam inde ab rei Romanae initio Numa regionem Romanam εἰς πάγους (*in pagos*) diviſerat, teſte Dionyſio, & Plutarcho. Ne plura: nemo mihi hoc eripiet, quin apud Latinos hujuſmet aetatis, qua ſcalptum aes noſtrum fuit, *Pagi* & *Conciliabula* duo unius ejuſdemque rei nomina fuerint. Quam perſuaſionem *Pagi Herculanei* in agro Campano inſcriptio mirifice confirmat. Verum de hac mox dicam.

Nunc ante omnia ſponſor huic opinioni dabitur Iſidorus, quem ſua ex fontibus optimis plerumque ſublegiſſe, non eſt dubium. Qui lib. XV. cap. 2. ita ſcripſit: *PAGI ſunt apta aedificiis loca iter agros habitantibus. Haec & CONCILIABVLA dicta, a conventu & ſocietate multorum in unum*. Omnia quidem commode habent; niſi quod poſt *Multorum* deeſt *Pagorum*. Nimirum *Pagos* ait *Conciliabula dicta a ſocietate & conventu multorum* (non hominum, ſed *pagorum*) *in unum*. Ergo *Pagus* unus paullo amplior *Vico* aut *Villa* erat. At ubi *Pagi* plures in unum conſenſiſſent, ea tota ſocietas *Conciliabulum* vocabatur: in quo & commune conſilium erat, & magiſtratus aliquis juri dicundo, & locus ad jurisdictionem idoneus, nempe (auctore Paulo) Forum atque Baſilica. Poſtremo pagi per ſe ſinguli, qui conſenſiſſent, dicebantur *Compagi*.

Quae dixi, illuſtri inſcriptione in agro Campano effoſſa *Pagi Herculanei*, cum quo *Compagus Jovus* communis adminiſtrationis ſocietate vinciebatur, jam illuſtrabimus. Ea inſcriptio, in fine conſules gerit anni DCLIX. ita ut quadriennio antiquior lege Julia fuerit. Ea vero ſic incipit.

Pagus. Herculaneus. ſcivit. A. D. X. TERMINAlia [h. e. die XIV. Febr.] (2) *Conlegium. ſeive. magiſtrei. Jovei. compagei. ſunt* (3) *utei. in. porticum. paganam. reficiendam* (4) *pequniam. conſumerent. ex. lege. pagana* (5) *arbitratu. Cn. Laetori. Cn. F. magiſtrei* (6) *pagei. ei* (h. e. *ejus*) *uteique. ei. conlegio. ſeive. magiſtri* (7) *ſunt. Jovei. compagei. locus. in. teatro* (8) *eſſet. tam. quaſei. ſei. ludos*

Digitized by Google

feciſſent (9) *L. Aufuſtius L. L.* &c. Sequuntur enim undecim aliorum nomina Magiſtrorum, & quidem, ut ego interpretor, *Jovi Compagi*, quibus locus in theatro futurus erat, ſi quidem porticum refeciſſent.

Et hanc quidem epigraphen in Comment. ad Amphith. Tit. pag. 148. & ſeq. copioſe expoſuimus. Verum huc quod attinet: primum totius conciliabuli caput, *Pagus Herculaneus* erat, qui proinde ſemper *Pagus*, numquam *Compagus* dicitur, ſicuti & quae ad eumdem pertinent, *Pagana* vocantur: ex quo indicio *lex pagana*, & *porticus pagana* ad Pagum Herculaneum referuntur. Vt & v. 5. *Cn. Laetori. Cn. F. magiſtrei. pagei. ei*, ſupplebis (24) Herculanei; nam ille alter ſemper *compagus* vocatur, & ad eum quae pertinent, ea (25) *compagana* dicenda fuiſſent. Deinde major Pagi Herculanei prae compago ſuo dignitas oſtenditur, quod theatrum in Herculaneo tantum eſſet, ibique proinde Baſilica ceteraque publica aedificia. Accedit quod Laetorius Herculanei magiſter ingenuus erat: at contra magiſtri duodecim Jovi compagi, qui finem tituli occupant, ad unum omnes libertini ſunt.

Habes veterum Italiae conciliabulorum adumbrationem: quae ex pago principe (in quo ſcil. jurisdictio) & ex circumjectis aliis compagis coaleſcebant. Hanc πολιτείας effigiem nomenque ipſum ex Attica (quae primis temporibus pagatim adminiſtrabatur) deſumptam, Numa in Latium intuliſſe videtur, ſi Dionyſium audimus.

(24) In Comm. ad Amphith. Tit. extremâ pag. 152. dixeram, hunc Laetorium Cn. F. fuiſſe magiſtrum Pagi Jovi, & ex eo majorem dignitatem compagi Jovi (cujus magiſter ingenuus) prae Herculaneo argueram, quippe cujus magiſtri omnes libertini huic titulo ſubjiciuntur. At nunc in alia omnia abeo. Laetorius non τῷ Jovi (qui non *pagus* ſed *compagus* conſtanter vocatur) ſed pagi Herculanei, qui non aliter quam *Pagus* dicitur, magiſter fuit: contra vero duodecim illi libertini, qui in imo lapide referuntur, magiſtri Jovi compagi ſunt, ideo ſcalpti, ut intelligatur, iis locum in theatro futurum.

Eâdem pag. 152. addideram, in altero ejuſd. *Jovi* marmore (in Grut. p. 59. n. 8.) duodecim magiſtros recenſeri, omnes ingenuos. At ea inſcriptio non ad pagum *Jovium* (de quo ne γρὺ quidem) ſed ad *Venerem Joviam* pertinet.

(25) Exſtat ea vox apud Grut. p. 209. 1. *Sententiam quam . tulit . L. Novius . . . . inter* COMPAGANOS . RIVILARENSIS . ET . VAL . FAVENTINAM .

K a p u t V.

9 QVEIQVOMQVE INMVNICIPIEIS · COLONEIS PRAEFECTVREIS · FOREIS · CONCILIABVLEIS · C · R · II · VIR · IIII · VIR · ERVNT · ALIOVE
10 QVO · NOMINE · MAG · POTESTATEMVE SVERACIO · EORVM QVEI · QVOIVSQVE · MVNICIPIA · COLONIAE · PRAEFECTVRAE
11 FORO · CONCILIABVLI · ERVNT · HABEBVNT · NEIQVIS EORVMQVE · INEO · MVNICIPIO · COLONIAE · PRAEFECTVRAT · EOKO · CONCILIA
12 BVLO · SENATVM · DECVRIONES · CONSCRIPTOSVE · LECITO · NEVE · SVBLECITO · NEVE · COAPTATO · NEVE · RECITANDOS · CVRATO
13 NISI · INDEMORTVEI · DAMNATEIVE · LOCVM · EIVSVE · QVEI · CONFESSVS · ERIT · SE · SENATOREM · DECVRIONEM · CONSCREIPTVMVE
14 IBEI · H · L · ESSE · NONILICERE



CA-

Digitized by Google

CAPVT V.

Magiſtratus ſupremus ne quem in Senatum legito, neve niſi in vacuum locum ſublegito.

9 *Quicumque in Municipiis, Coloniis, Praefecturis, Foris, Conciliabulis Civium Romanorum Duum-viri, Quatuor-viri, aliove*
10 *quo nomine magiſtratum, poteſtatemve* [*ſuffragio eorum, qui cujuſque Municipii, Coloniae, Praefecturae,*
11 *Fori, Conciliabuli erunt*] *habebunt; ne quis eorum* (ali)*que*(m) *in eo Municipio, Colonia, Praefectura, Foro, Concilia-*
12 *bulo* (in) *Senatum, Decuriones, conſcriptoſve legito, neve ſublegito, neve cooptato, neve recitandos curato,*

VER. 9. *Quicumq.... IIviri IIIIviri aliove quo nomine magiſtratum ...habebunt*] Summus municipiorum coloniarumque magiſtratus plerumque Duoviros fuiſſe, alicubi (26) Quatuorviros, ſed & aliis etiam nominibus plurimis interdum fuiſſe appellatos, nemo ignorat: de quo tritiſſima ſunt, quae viri docti adnotarunt. Hinc Vlpianus l. 1. D. *de albo ſcrib.* ubi *duumviratum* nominaſſet, opportune addit: *Si hic honor* (ibi) *praecellat*, non ignarus, alibi alium ſummum fuiſſe magiſtratum.

VER. 10. *Suffragio eorum, qui cujuſq. municipii ... erunt*] Hoc tantum hinc diſcimus, ſuffragiis populi magiſtratus fuiſſe creatos. At de modo ἀρχαιρεσιῶν nemo antiquorum facem praeivit: niſi quod ex Vrbe principe comitiorum rationem fuiſſe petitam, pro explorato haberi decet Exſtat infra de Comitiis v. 24. & 58. mentio.

VER. 11. 12. 13. *Ne quis eorum... Senatum, Decuriones, Conſcriptoſve legito, neve ſublegito, neve cooptato, neve recitandos curato, niſi in demortui damnative locum...*] Primum quod tribus his verſibus negotium faceſſit, eſt συνωνυμία, quae in aliis etiam paſſim legibus omnibus graſſatur latiſſime. At illa ſynonymorum inculcatio, tantopere odioſa legentibus, viſa eſt legum latoribus neceſſaria, ne captionibus rima pateret. Vt ecce hîc, ſi poſt *Decuriones* non addidiſſet *Conſcriptos*, poterat magiſtratus, ſi quos in curiam ſupra numerum adlegiſſet, hac ſe exceptione tueri, ſe non in Decuriones, ſed in Conſcriptos adlegiſſe. Fuiſſe enim aliquando inter ea duo diſcrimen aliquod, Feſtus, Liviuſque teſtantur, uti mox ex ſubjiciendis ad v. 12. intelligetur. Adhaec ſi tantum LEGITO ſcriptum eſſet, potuiſſet Magiſtratus excipere, ſe non *legiſſe* ſupra numerum, verum *ſublegiſſe*; ac ſi minus in locum vacuum (ut infra ver. 13. ſancitur) at certe in propediem (27) vacaturum, in locum

(26) Quatuorviros aevo Ciceronis non infrequentes fuiſſe, oſtendit ejus Epiſt. (ad Famil. XIII. 76.) *Quatuorviris & Decurionibus* (eccujus loci neſcitur) inſcripta, qua iis poſſeſſionem a C. Valgio in agro Fregellano emptam commendat. Ad Att. X. 13. Cum M. Antonius evocaſſet e municipiis denos; *Quatuorviri venerunt ad villam ejus mane.* Vnde apparet, Municipia hoc numero in magiſtratibus ſummis delectata; quod & ex Cluentiana patet c. 8. *Oppianicus... Larinum cum armatis advolavit: Quatuorviros, quos municipes fecerant, ſuſtulit: ſe a Sylla, & alios praeterea tres factos dixit.* Sed & ſub principatu non raro inveniuntur. Vide ind. Gruter. in IIIIvir. I. D. Vbi enim *jure dicundo* additur, non niſi ſupremus curiarum magiſtratus eſt. Nam ceteroqui & alios magiſtrus ἰσαρίθμους fuiſſe, non ignoro. In Fabretto etiam (cujus indices deſideramus) *Quatuorviros* reperio pag. 456. num XVI. & n. 75. & pag. 460. num. 89. Item pag. 459. num. 81. ubi idem Acilius *IIIIvir. I. D.* ac ſimul *IIIIvir. QQ.* ſcribitur haud aliter, ac uttumque cumulatur pag. 463. num. 92. & 93.

Equidem hoc videre mihi videor: in Municipiis (in quibus ἀυτεξουσιότης adhuc nonnulla reſtabat) alibi duumviros, alibi facilius quatuorviros ſummae rei praefuiſſe: at in coloniis, quae ad urbis Romae effigiem ſe conformare debuerunt, ut Romae duorum Conſulum, ita duorum magiſtratum placuiſſe; ſive *duoviri* vocarentur, ſive *aediles*, ſive *praetores*, ſive *conſules*.

(27) Promotiones ſcil. inveniri potuerunt iis ſimiles, quae citimis Eccleſiae temporibus *Vacaturae* vocabantur: de quibus conqueritur Jac. Stephaneſcus in vita S. Caeleſtini V. PP.

Atque Vacaturas concedens &c.

Et alii paſſim. Nihil enim frequentius ante Synodum Trid. quam ut beneficia ante obitum poſſidentis conferrentur aliis.

Digitized by Google

locum scil. invalidi senis. Postremo inventas fuisse mere honorarias dignitates supra numerum (variis [28] nominibus appellatas) ex Augusta historia cognosci potest. Atque ad hanc alteram captionem praecavendam non satis habuit vetare, sublegi quemquam, nisi in demortui damnative locum verum etiam, ut fraudes undeunde praecideret, neminem supra numerum *Recitari* ex albo jussit; nam in ea re quoque latere aliquid fallaciae potuit. En quo tot synonymorum (quae putantur, cum non sint) inculcatio pertinet. Ceteroqui non nego, si ex antiquioribus legibus praecideris πολυλογίαν, nihil iis fore brevius, concinnius, elegantius.

Vides igitur quid summo magistratui municipali tantum licuerit. In mortui damnative locum sublegere decurionem conscriptumve poterat: at senatum ab inchoato legere, aut inopia curialium laborantem explere non poterat. Et tamen post legem Juliam Plotiamque, cum ex cruentissimo illo sociali bello flos urbium socialium caesus internecione fuisset; horum alterutrum necesse fuit, nim.ut alicubi ab integro curiae replerentur, aliae vero plures ad paucos redactae supplerentur. Quid porro tum factum in curiis explendis fuit? De eo in subjecta (29) conjectione commen-

(28) *De Supernumerariis, Vacantibus, Adscriptitiis, aliisque mere honorariis dignitatibus.*

Fuisse fortassis tale aliquid liberae Reip. temporibus, ex eo conjici potest, quod saltem sub principatu accidisse comperimus.

Jam primum sub Claudio cusus exstat Neronis nummus ille, in cujus antica parte legitur, *NERO. CLAVDius. CAESar. DRVSVS. GERManicus. PRINCeps. IVVENTutis.* Adest ejusdem effigies. In postica vero scalpuntur instrumenta pontificalia, & in ambitu scribitur, *SACERDOS. COOPTatus. IN. OMNia. CONLegia. SVPRA. NVMerum. EX. SC.* Jam tum scil. *supra numerum* cooptationes fiebant. Sed res ardua habebatur; nec sine SCto (quod diserte in nummo scalpitur) ne in Principe quidem juventutis admittenda. De eodem Claudio principe Tranquillus cap. 25. *Instituit & imaginariae militiae genus, quod vocatur SVPRA NVMERVM: quo absentes & titulo tenus fungerentur.*

Jam vero Trajani beneficio fuisse plures *super legitimum numerum* adlectos in Bithyniae curias (credo etiam in Orbis Romani ceteris id factitatum) Plinius epistola ad Trajanum (X. 113.) significat, quae sic incipit: *Lex Pompeia . . . eos qui in Bulea a censoribus* (curiarum) *leguntur, dare pecuniam non jubet: sed ii, quos indulgentia tua SVPER LEGITIMVM NVMERVM adjicere permisit, & singula millia denariorum, & bina intulerunt.* Mitto cetera. Locus ad rem nostram notabilis, cum de curiae supernumerariis agat.

Lampridius Alex. Severo cap. 15. *Jurejurando deinde se adstrinxit, nequem adscriptum* (melius *Adscriptitium*, uti Trebellius in Balista) *id est Vacantivum* (pro Vacantem: βακαντῖβος vox est Suidae & Synesio nota) *haberet, ne annonis remp. gravaret.*

Trebellius Pollio in Balista affert ex epistola Valeriani, quod hic gratias Balistae ageret, *Quod ejus consilio nullum Adscriptitium, idest Vacantem haberet, & tribunum nullum stipatorem, qui non vere pugnaret. Vacantes tribunos* non semel memorat Ammianus, ad quem locum plura affert Valesius.

L. 2. C. *ut dignit. ordo servetur* numerantur gradus quinque illustrium personarum: I. eorum qui in actu positi, illustres peragunt administrationes: II. *Vacantium* praesentium in Comitatu: III. *Vacantium* absentium: IV. *Honorariorum* praesentium: V. *Honorariorum* absentium.

Fuere & illi Supernumerarii Palatini, quorum meminit Codex Theod. tit. *De Palatinis sacrar. largit.* &c. Videatur & Jac. Gothofredus ad L ult. C. Th. *De agentib. in rebus.*

Huic malo in anteccssum Lex occurrit, vetans quemquam nisi in vacuum locum legi.

(29) *CONIECTIO de ratione, qua post legem Plotiam Curiae Sociorum civ. Rom. sive constitutae, sive expletae fuerint.*

A coloniis, praefecturis, foris, conciliabulis ordior, quae minus ἀντιξυσιότητος prae municipiis habuerunt. In coloniis, quae tum primum deductae fuerunt, ad III. viros coloniae deducendae (quorum semper fuit ordinare coloniae statum) haud dubie pertinuit, sicuti cetera ibi rite ac recte constituere, ita in primis senatum colonicum ab integro legere, sive suffragiis colonorum adhibitis, sive, quod expeditius erat, sola ex albo recitatione. At quae vetustiores coloniae erant, eae post socialis belli clades tantum explendae fuerunt. Quod ipsum majoris moliminis res visa fuit, quam pro colonici magistratus auctoritate: id quod ex hoc loco apparet, ubi summo locorum magistratui decurionem sublegere in mortui damnative locum tantum permittitur, at explere inopia laborantem senatum (quod Romae majorum potestatum res habebatur) non permittitur. Imo sic de toto hoc negotio lex loquitur, tamquam jam ante hanc Tabulam expletae curiae fuerint. Ac sane videtur jam statim ab extincto Italico bello & civitate sociis data, magistratus aliquot Roma missi, qui obeuntes colonias, praefecturas, fora, conciliabula, curias aut tum primum constituerent implerentque, aut defectas curialibus explerent.

At in municipiis non videtur plane idem valuisse. Nam ex hujus Tabulae ultimo capite v. 85. & seq. liquet, unicuique *Municipio fundano* (h. e. populo fundo, ut in loco dicam) *permissum* fuisse aliquem, qui *leges municipibus daret*, & ut intra annum posset *ad eas leges addere, commutare, corrigere*, & reliqua quae ibi sequuntur. Ac profecto huic homini tanta potestate praedito, sicuti tam plena legislationis potestas permittebatur, quis dubitat, quin eidem datum negotium fuerit, ut de consilio primorum municipii omnem ejus reip. statum ordinaret, in primis autem senatum inopia laborantem expleret? Quo facto nihil in posterum summis municipiorum magistratibus relictum fuit, nisi ut in demortui damnative locum decurionem novum sublegeret: hunc vero a curia nominatum.

Digitized by Google

mentamur. Hic vero quod inſtat, poſtquam in univerſum de ſumma re diſputavimus, textum ab initio retexamus.

VER. 12. *Senatum, decuriones, conſcriptoſve . . . legito*] Rectum erat aut, *Nequem* (in) *ſenatum . . . legito;* aut *Nequem* (collective pro *Nequos*) *ſenatum* (pro *ſenatores*) *Decuriones . . . legito.* Atque *Senatum* pro *Senatores* ita uſurpaſſe videtur, ſicuti Horatius I. ep. 1. *Plebs eris*, pro *Plebeius eris*, dixit. At in cetera tabula utroque modo. Vel *Senatus* enim, vel *Senatores* ſcalpitur ante *decuriones* & *conſcriptos*. Ad *Decuriones Conſcriptoſve* quod attinet, hinc videtur oſtendi, illis poſt legem Juliam temporibus curias omnes ex decurionibus antiquis, & ex *Conſcriptis* recentioribus coaluiſſe. Proinde de *Conſcriptis* hiſce uti dicam, locus exigit.

Feſtus in *Conſcripti* ait: *Conſcripti dicebantur, qui ex equeſtri ordine Patribus adſcribebantur, ut numerus Senatorum expleretur.* Eadem paullo aliter in *Adlecti* ſcripſerat. Ac rurſus idem in *Qui patres* ita poſuit: *Qui patres, qui conſcripti vocati ſunt in curiam, quo tempore regibus Vrbe expulſis, P. Valerius Coſ. propter inopiam patriciorum ex plebe adlegit . . . ut expleret numerum Senatorum trecentorum; & duo genera appellata ſunt.* Quaenam haec duo genera? nim. duo illa *Patrum* & *Conſcriptorum*, quae initio poſuerat, ubi tamen ita ſcribendum eſſe (*QVI PATRES QVIQVE CONSCRIPTI vocati ſunt in Curia*) ex ultimis illis Feſti verbis (*Duo genera appellata ſunt*) ſicuti etiam ex Livio II. 1. patet: *Traditumque inde fertur, ut in ſenatum vocarentur, QVI PATRES, QVIQVE CONSCRIPTI ESSENT: Conſcriptos videl. in novum ſenatum appellabant lectos.* De eadem re Dionyſius, Tacitus, alii, ſed ita ut magna inter antiquos diſcidia circa auctorem hujus facti (dum Feſtus Poplicolam, Livius cum aliis Brutum, alii utrumque memorant) circaque alias hiſtoriae circumſtantias fuerint: quae minutim notare non tanti viſum.

Ex his intelligitur, aliquamdiu poſt illud tempus ita inter duo genera fuiſſe diſtinctum, ut antiqui dicerentur *Patres*, recens autem lecti vocarentur *Conſcripti*. At ea non perpetua diſtinctio fuit; nam diu, ut videtur, ante Ciceronis aetatem eo ventum fuit, ut confuſis in unum generibus, univerſi communi nomine *Patres* (30) *Conſcripti* compellarentur. Quocirca cum in hac Tabula a Decurionibus ſedulo Conſcripti diſtinguantur; hinc inferri ſuſpicor, ſimilem ſenatorum inopiam in ſociorum curiis incidiſſe, ac Romae regibus exactis acciderat: de qua ſupra. Ea vero decurionum caritas non alias major, quam bello ſociali finito eſſe potuit, cum flos Italicae nobilitatis eo bello extinctus fuiſſet. Quocirca non ſatis eſt poſt legem Juliam (quae medio bello Italico, anno DCLXIII. lata fuit, quaeq. non omnibus ſociis urbibus civitatem largita fuit, ſed iis quae id meruiſſent) hanc Tabulam fuiſſe ſcalptam, ſed forſan poſt legem Plotiam, quae biennio aut triennio poſt Juliam juſſa fuit, quaeque ad univerſos ſocios beneficium Romanae civitatis extendit. Tunc ſcil. temporis, jam ſocialibus armis (quibus lectiſſimae quaeque familiae urbium interierant) depoſitis, imminutas fuiſſe maxima ex parte curias animadverſum fuit. Itaque ex hoc uno *Conſcriptorum* vocabulo diſcimus, poſt Juliam Plotiamve (quae ad ann. 663. & 666. pertinent) hanc Tabulam fuiſſe perſcriptam. Nec tamen diu poſt utramvis, verum dum curiarum expletio adhuc recens eſſet: tum enim tantum diſtingui a veteribus Decurionibus *Conſcriptos* uſuvenire potuit. At ſtatim deinde ab eo diſcrimine deſcitum fuit,

Con-

(30) Ac, niſi vehementer fallor, in hac compellatione (PATRES CONSCRIPTI) nullum ſyllabae unius inter antiquos, recentioreſque diſcrimen fuit, verum hoc tantum interfuit, quod veteres ita ἑφυδίτως (*Patres, Conſcripti*) uſurpabant, tamquam ſi, *Patres & Conſcripti*, dicerent. Amabant enim ἑφυδίαις antiqui: quantum ex vetuſtioribus monumentis liquet. Sed tamen ubi poſt PATRES retinuiſſent ſpiritum, & ita poſtea τὸ *Conſcripti* pronuntiaſſent; ſatis ſola pronuntiatione ſignificabant, ſe *Patres* a *Conſcriptis* dirimere. At ubi paullatim illa inter utroſque interſpiratio neglecta fuit, unoque ſpiritu raptim utrumque efferebatur; poſtremo eo ventum fuit, ut illud *Conſcripti* tamquam τῦ *Patres* epitheton haberetur. Quî ſcis, inquies, aevo Ciceronis *Conſcriptos* pro epitheto habitum? Ex Auctore ad Her. didici IV. cap. 21. hoc annominationis exemplum afferente: *Demus operam, Quirites, ne omnino Patres Conſcripti, circumſcripti putentur.* Hanc enim vim habet: Ne *Patres*, qui nunc univerſi *Conſcriptorum* ephiteton gerunt, poſthac agnominari verius *Circumſcripti* debeant. Vides profecto quantum momenti perverſa dumtaxat pronuntiatio ſenſim attulerit.

Digitized by Google

Conſcriptis ſcilicet (quorum longe major numerus praevalebat antiquis) connitentibus, ut uno communi nomine *Decuriones* vocarentur. Hinc merito Conſcriptorum a Decurionibus diſcrimen ab aevi poſterioris monumentis abeſt. Hoc vero aetatis hujus Tabulae indicium, ex ipſa re hauſtum, haud omittendum duxi, ſicuti nec, ſiqua in cetero commentario licebit extundere, praeteribimus.

Atque haec jam ſcripſeram, cum Peltuinatis praefecturae in mentem venit, cujus ordo (ut ex aenea ipſius tabula, quam ſup. ubi de Praefecturis agebam, pag. 396. protuli, intelligitur) non ex *Decurionibus*, ſed ex *Conſcriptis* (uti v. 14. vocantur) conſtabat. Cur non igitur etiam in aere noſtro *Conſcripti* ad praefecturas, *Decuriones* ad colonias, *Senatores* ad municipia, referentur? Atque haec paullo latius in imo (31) margine deducta reperies.

IBID. *Legito, neve ſublegito, neve cooptа-*

(31) *Videri in hac Tab.* Conſcriptos *peculiares eſſe praefecturis, ac facile etiam Foris & Conciliabulis: ſicuti &* Decuriones *ad Colonias*, Senatores *autem ad Municipia referri.*

In aenea Peltuinatis praefecturae tabula, qui alibi *decuriones*, ii non aliter quam *Conſcripti* vocantur. Sane ſi alterius praefecturae ſimile exemplum *Conſcriptorum* ſuppeteret; colligi haud temere poſſet, praefecturarum curiales non aliter quam *Conſcriptos* fuiſſe vocitatos: proinde in noſtra Tabula (ubi de Municipiis, Coloniis, Praefecturis in commune loquitur) tria illa nomina, quam ſaepiſſime recurrentia, *Senatorum* quidem de municipiis, *Decurionum* de coloniis, *Conſcriptorum* vero de *praefecturis* eſſe capienda. Id ſi ita ſit; tum quidem argumentum pro aetate Tabulae, de quo paullo ſupra laborabam, concidet. Sed parum id damni prae pulcherrima hac obſervatione (modo vera ſit) nim. in noſtro hoc Legum Digeſto *Senatores* municipiorum, *Decuriones* coloniarum, *Conſcriptos* praefecturarum proprias nomenclaturas fuiſſe.

Suſpicor igitur, jam inde ab legum Juliae Plotiaeque temporibus, cum civitas jam Peltuinatibus data eſſet, eorum curialibus *Conſcriptorum* nomen ex hujus Tabulae praeſcripto haeſiſſe. Nec mirum ſi apud Peltuinates ſub Gordiano Pio illius Corporis membra adhuc *Conſcripti* vocarentur. Nam quia ab illius praefecturae exordio ex aequo univerſi ſic dicebantur; nulla aemulatio potuit animos accendere, uti nomen mutarent: quae haud dubie curiales inter ſe commiſſura fuiſſet, ſi alii *Patres*, alii *Conſcripti* maxima cum invidia appellandi fuiſſent.

Ergo in aere noſtro *Conſcriptos* de Praefecturis uſurpari, fidem Tabula Peltuinas (Adn. 22. pag. 396. producta) facit. Nec refert, quod in Muratoriano Peltuinate titulo (quem vide ead. Adn. pag. 397. col. 2.) in fine legitur, L. D. D. D. Nam interpoſito tempore videntur Peltuinates coloniae jura conſecuti, ut ad Muratorianum titulum adnotavi: id quod etiam ex ipſa nomenclatura *Ordinis SPLENDIDISSIMI* intelligitur; cum contra in aenea ejusdem praefecturae Tabula v. ult. *Ordo* adjectione *Splendidiſſimi* careat.

Jam vero in coloniis haud facile aliud quam *Decurionum* vocabulum eſſe uſurpatum, ex ſcriptorum omnium, ex tot marmorum myriadibus, ex Pandectarum & ex utriuſque Codicis lectione teſtatiſſimum eſt.

Quocirca *Senatorum* nomen (quod in hoc aere perpetuo *Decurionibus* atque *Conſcriptis* eodem ordine praeponitur) non niſi Municipiis relinquitur.

Neges? Atqui fidem adſtruet Cicero in plurimis Verrinarum locis luculentiſſimis, quae in ſine producam: imo & ſeries ipſa adſtruet, qua haec nomina in aciem producuntur. Etenim cum, quo ordine *Municipia*, *Coloniae*, *Praefecturae*, eodem ſemper *Senatores*, *Decuriones*, *Conſcripti* recenſeantur; an non is ordo conſtantiſſimus exſerta voce clamitat, horum prima primis, altera ſecundis, tertia tertiis reſpondere?

Fortaſſe dixeris, non tria, ſed plerumq. quinque locorum in aere noſtro nomina recenſeri. Quid ergo *Foris*, quid *Conciliabulis* fiet? Atqui haec ignobiliora loca erant: quorum ob eam cauſam non eſt habita ratio, quod eorum qualiumcumque conventuum membra non uno nomine vocitarentur, ſed alibi aliter. Etſi vero ex Pagi Herculanei *titulo* (quem ſup. ubi de Conciliabulis, attuli) & ex aliis marmoribus appareat, in locis minorib. plerumque *Magiſtros* fuiſſe dictos; tamen mihi veriſimile fit, Fora & Conciliabula poſt hanc legem commune cum Praefecturis nomen adepta fuiſſe, eoque nihil ſeorſum de iis hic cautum reperiri.

Poſtremo hoc reſtat, ut ei objectioni reſpondeam, quod nim. hujus vocabulorum diſcriminis in auctoribus nulla ſuperſint impreſſa veſtigia. Atqui de *Senatoribus* atque *decurionibus* tantum diſcriminandis nunc agitur; quandoquidem *Conſcriptorum* nomen in Peltuinate praefectura ad trecenteſimum ab hoc aere annum perduraſſe oſtenſum fuit. At recte eſt, quod Cicero cum in Sextiana coloniae Capuae recens deductae curiales non aliter quam *Decuriones* pluries appellet (etſi urbis aemulae Romae claritudo ſuadere potuiſſet, ut illos eodem antiquo nomine *Senatores* vocaret, quo a Livio toties nuncupantur in Capuae captae hiſtoria) tamen idem in Verrinis, ubi de Siculis urbibus (ſive illae *Liberae*, ſive *Municipia*, ſive ex utroque temperatae fuerint; nec enim in ea inſula unius fuere modi) verum ubi de Siculis civitatibus agit, non niſi *Senatus* & *Senatorum* nomen uſurpet. Veluti lib. 2. in Ver. cap. 49. *Legati Centuripini, Haleſini, Catinenſes, Panormitanique dixerunt, multarum praeterea civitatum . . . tota Sicilia per triennium neminem ulla in civitate SENATOREM factum eſſe gratis . . . . atque his omnibus SENATORIBVS cooptandis &c.* Ac ſtatim pergit: *Quicumque SENATOR voluerit fieri, quamvis puer, quamvis indignus . . . pretio . . factum eſſe.* Poſt pauca: *Haleſini . . . cum haberent inter ſe controverſias de* (ſuo) *SENATV cooptando, leges ab ſenatu noſtro petiverunt.* Vides, ne tum quidem nomina commutari, ubi ſenatores municipales cum Romanis comparantur. Poſt non multa: *Pueri annorum ſenûm ſeptenûmque denûm SENATORIVM NOMEN nundinati ſunt.* Deinde cap. 50. *Cum eſſet . . . quidam SENATOR demortuus . . . . venerunt emptum locum illum SENATORIVM.* Cap. 51. *Neminem iſto praetore SENATOREM fieri potuiſſe, niſi qui iſti pecuniam dediſſet.* Vides qua con-

cooptato] *Sublegere* (32) eſt in locum alterius legere. In ære non COOPTATO, ſed COAPTATO ſcribitur: quod erroris confeſſi haudquaquam (33) damnaverim.

IBID. *Neve recitandos curato*] Sicuti ſuperiora (*legito*, *ſublegito*, *cooptato*) non in totum vetantur, ſed ita v. 13. reſtringuntur, ut tantum in vacuum locum ea fieri liceat; idem & de recitatione ex albo cenſendum eſt. Ea vero recitatio ſicuti Romae cenſorum (34) erat; ita in curiis municipalibus aut colonicis ad magiſtratus ſummos pertinebat; niſi ſicubi ſive *Cenſores*, ſive ſub alio nomine magiſtratus aequipollentes eſſent: quos quidem alicubi exſtitiſſe ex lapidum titulis (35)

Eee cogno-

conſtantia idem ſemper nomen uſurpet. Atqui ſi promiſcue ſive *Senatores* ſive *Decuriones* in Siculis municipiis vocarentur; haud dubie Orator ea vocabula variaſſet. Quid nunc miramur, ſi Heracleae in Magna Graecia poſt ſociale bellum, idem inſtitutum atque in vicina Sicilia, valuerit? nempe ut in municipiis, utpote ſui juris, *Senatores*, in coloniis vero *Decuriones* vocarentur.

Etſi fatendum eſt id non diu valuiſſe. In ſcriptoribus certe & marmoribus aetatis Caeſareae rarius *Senatorum* nomen in municipiis uſurpatum cernitur: in quibus, haud ſecus atque in coloniis, curiarum membra haud ferme aliter quam *Decuriones* vocitabantur. Par eſto de minoribus locis judicium: quibus (ubi ab una Peltuinatis praefecturae tabula diſceſſeris) *Conſcriptorum* nomen inditum nondum reperio. Nec id te conturbet. Nam quas Romani leges circa novorum nominum impoſitiones jubebant, eae raro obſervabantur, quod populi antiquis nominibus aſſueti, raro valebant recentibus inſueſcere. Quotam quamque coloniam novum in deductione impoſitum nomen cum vetere, quod animo altius inſederat, commutaſſe (niſi tantum interdum in inſcriptionibus) animadvertimus? Neque id interim Quirites rerum domini gravate ferebant.

(32) Varro de L.L. *Collegae, qui una lecti: & qui in eorum locum ſuppoſiti, SVBLECTI: additi, ADLECTI.* At nihil diſertius Liviana concione (lib. XXIII. cap. 23.) M. Fabii Buteonis ad legendum ſenatum dictatoris dicti, qua Fabius profitetur, ſe *ita in demortuorum locum ſublecturum, ut* &c. Vbi integram aeris hujus locutionem vides (de qua infra Adn. 39.) & ita ut ῥῶσις haec plane cenſoria fuerit.

At alteram Tabulae locutionem, *In damnati locum ſublegere*, firmat Vlpianus l. 2. D. *de decurionib.* in principio: *Nam & ſublegi in locum ejus* (decurionis relegati) *poteſt*. Mox: *Sed & in hujus* (ad tempus ordine decurionum remoti) *locum ſublegi poterit*. At *Senatum ſublegere* Juſtino III. cap. 3. videtur uſurpatum pro eo quod eſt *Explere deficientem*, ubi de Lycurgo ita ſcripſit: *Populo ſublegendi ſenatum, vel creandi quos vellet magiſtratus, poteſtatem permiſit*.

(33) *Coopto* quidem probum eſſe, ex omnibus veteribus monumentis conſtat, ac vel ex aureo nummo Neronis, quem ſup. Adnot. 28. protuli. Conſtat item ex eo, quod & OPTO, & ADOPTO eodem intellectu uſurpantur. Tamen COAPTO non inepte dici putaverim; nam *Aptus* eſt *Junctus* & *Apto* eſt *Jungo*, *Necto*: ſive id ex *Apio*, ſive ex ἅπτομαι petatur. Non his immoror. Vide ſis quae Voſſius affert in *Apio*.

(34) Cenſores ubi recitandum ſenatum curabant, nemo ignorat, ab eis plures ſola ex albo recitatione in ſenatum adlectos, alios ſola praeteritione ſenatu motos. Nec in removendis ſenatoribus facti ſui rationem reddere cogebantur, ut qui ἀνυπεύθυνοι eſſent. At non eadem poteſtas ſummo magiſtratui colonico in recitandis curialibus erat, ut hinc oſtenditur.

(35) *De Cenſoribus urbicis. Hos Quinquennales fuiſſe dictos, ac ſupremo magiſtratui* ἰσαρίθμους (*unde in lapidib. modo IIviri QQ. modo IIIIviri QQ. occurrunt*) *eosdem fuiſſe ceteris magiſtratib. honorabiliores.*

Tum ex hoc legis Kapite, tum infra ubi de cenſu agitur, ſatis liquet, in municipiis aliiſque ſociorum locis illis, quibus haec lex ſcripta fuit, non fuiſſe peculiarem magiſtratum, qui Romanis cenſoribus reſponderet: quocirca cenſoria munia ad IIviros aut IVviros pertinuiſſe.

Ceteroqui fuiſſe pluribus in locis *Cenſores* ſuos, ex aliquot inſcriptionibus conſtat; & ex Plinio X. 113. ita de provinciae curiis conſulente Trajanum: *Lex Pompeia . . . qui in Bulen a CENSORIBVS leguntur, dare pecuniam non jubet*. Mox: *Proconſul eos etiam, qui a CENSORIBVS legerentur . . . juſſit inferre*. Etſi pleriſque in locis non *Cenſores*, verum *Quinquennales* vocabantur, quod is magiſtratus quinquennalis eſſet. A Spartiano cap. 19. *In patria ſua quinquennalis, & item Hadriae quinquennalis, quaſi in alia patria* Hadrianus fuiſſe dicitur. Ea dignitas in curiis municipalibus apex honorum fuit, uti mox Adn. 38. ex tabula Canuſina & ex Appuleio demonſtrabitur.

Porro ſingulare iſtud huic magiſtratui fuiſſe reperio, quod (quantum ex lapidum titulis deprehendi) ἰσάριθμος (*par numero*) ſemper annuo magiſtratui ſupremo erat: haud aliter ac Romae conſulum cenſorumque numerus idem. Itaque ubi annuus magiſtratus tantum duumviralis erat, ibi & Quinquennales non amplius duo fuerunt: ubi vero magiſtratus annuus Quatuorviros dabat, ibi totidem etiam Quinquennales ſaxa litterata oſtendunt. A duoviratu quinquennali ordior utpote frequentiore. Nam ubi non *Duumviri Quinquennales* (aut per notas IIVIRI. QQ.) nuncupati in marmoribus reperiuntur? Et tamen illud IIVIR. QQ. (quo nihil crebrius in lapidum titulis) pro duumviris I. D., h. e. pro ſupremo municipali magiſtratu olim capiebatur; donec Velſerus aliique poſt eum aperte docuiſſent, non raro in lapidibus de uno eodemque ſcribi: II. VIR. I. D. II. VIR. QQ. nempe quia diverſo tempore duovirum jure dicundo (qui ſummus ſed annuus magiſtratus erat) ac poſtea duovirum quinquennalem geſſerat. Itaq. apud Gruterum C. Hedius inſcribitur II. VIR. II. VIR. QVINQ. quippe utroque honore diverſo tempore functus. Item in Grut. pag. 100. 5. M. MINATI . . . II. VIR. I. D. (*jure dicundo*) QVINQ. Et pag. 1091. 12. eadem duo copulantur. Sed duoviros ſimul quinquennalicios mitto, quorum ingens copia. Vide Tab. Canuſinam: de qua infra Adn. 38.

At ubi annuus jure dicundo magiſtratus a qua-

Digitized by Google

cognoſcimus. Hîc in verbo RECITANDOS ſoloecon ineſſe videtur : quod tamen defendi (36) utcumque poteſt. Porro ea recitatio non aliunde quam *de Albo* fiebat, juſſu Cenſoris, aut Quinquennalis, ſive (ubi hi non erant) juſſu ſupremi magiſtratus. Ad hos pertinebat in exordio magiſtratûs *Senatum recitandum* (ea propria locutio erat ex Livio (37) & aliis notiſſima) curare : qua recitatione ſi qui forte praeteriti, ii hoc ipſo (non reddita facti ratione) ſenatu moti erant: qui vero tum primum recitati, ii lecti in ſenatum aut ſublecti dicebantur. Cum vero ex albo recitatos conſtet ; jam recitationi neceſſe eſt Albi ſcriptionem praeiviſſe. Ac ſane exſtat *De Albo* (curiae) *ſcribendo* libri 50. Pandectarum titulus tertius: exſtat & curiae Canuſinae Album in aes inciſum. Ex utroque vero lux ingens æri noſtro cum allinatur; utrumq. in ſubjecta (38) παρεκβάσει explanabimus.

VER.

quatuorvîris adminiſtrabatur, ibi etiam quinquennalitas quatuorviralis erat. Tales illi, quos alicubi reperi, *C. Veſidienus* IIIIVIR.IVR.DIC.IIIIVIR. QVINQ. Et *A. Quintilius* IIIIVIR.IVRE.DIC. IIIIVIR.QVINQ. Item apud Fabrettum p.459. n.81. C. ACILIO . . . IIIIVIR. I. D. IIIIVIR. QQ. Et pag. 463. num. 92. M. BAEBIO . . . . IIIIVIR. I. D. IIII. VIR. QVINQ. Pluribus contrahendis abſtineo. Ex quibus ſatis apparet, ubi juri dicundo bini creabantur, ibi & quinquennales duos : ubi juri dicundo quatuor, ibi & totidem quinquennales.

(36) Σολοικοφανὶς eſt, quia refertur ad QVEM. Nam v. 11. ſcribitur : *Nequis eorum* QVEM . . . *legito* . . . *neve Recitandos* (pro *Recitandum*) *curato*. Verum amoliri a Tabula id vitium poſſumus, fortaſſis quia illud RECITANDOS unum ex illis ἀκλίτοις eſſe queat, quae Gellius I. 7. Graecis ἀπαρέμφατα (quae ipſe *indefinita* interpretatur) fuiſſe appellata, dicit. Ibidem exempla affert, *Futurum*, *Dicturum*, *Facturum*, *Proceſſurum* & ejuſmodi talia, omnibus generibus atque numeris uſurpata. Vt Cic. *Hanc rem praeſidio futurum*. C. Gracchus : *Inimicos meos hoc dicturum*. Quadrigarius : *Deos bene facturum*. Val. Antias : *Omnia ex ſententia proceſſurum* &c. Horum exemplo quis ſcit, an non ſimile aliquid in re cenſoria licuerit, ut *Recitandos curare*, tamquam ἀπαρέμφατον, cum nomine ſingulari jungeretur? Aut (ſi hoc παραδοξολογητὸν videbitur) illud propius fidem erit, τὸ QVEM (quod v. 11. praeivit) cum ſit indefinitae notionis, deque pluribus accipi queat ; proinde naturam collectivorum imbibere, quae cum verbo plurali nectuntur.

Auget hanc ſuſpicionem, quod ad illud *Quem* (pro *Aliquem*) refertur v. ſeq. τὸ *Decuriones*, *Conſcriptoſve* : etſi τὸ IN ſubaudiri poſſe, in loco dixi.

(37) Livius XXIII. 23. de M. Fabio Buteone ita ſcribit : *Recitato vetere ſenatu, inde primum in demortuor. locum legit* . . . Cicero pro Domo. 84. *Patrem tuum* . . . *L. Philippus cenſor avunculum ſuum praeterierit in recitando ſenatu.*

(38) Παρέκβασις. DE ALBO CVRIAE.

Titulus De Albo ſcribendo *illuſtratur, & cum Tabula Canuſina aliiſque comparatur.*

§. 1. *Ex lib. L. Pandect. Titulus III.*

Eum titulum Vlpiani lex 1. & 2. abſolvunt. Prima ſic incipit : *Decuriones in Albo ita ſcriptos eſſe oportet, ut LEGE MVNICIPALI praecipitur.* De *lege municipali* crebra in Pandectis mentio : de qua nos infra Adn. 43. Pergit Vlpianus : *Sed ſi lex ceſſat, tunc dignitates erunt ſpectandae, ut ſcribantur eo ordine, quo quiſque eorum maximo honore in municipio functus eſt : puta : qui duumviratum geſſerunt, ſi hic honor praecellat* (nam alibi IIIIviri, alibi dictatores, praetores, conſules ſummus magiſtratus erat) *inter duumvirales antiquiſſimus, prior is* (inter duumvirales eſto) *deinde hi qui ſecundo poſt duumviratum honore in rep. functi ſunt: poſt ii, qui tertio, & deinceps : mox hi qui nullo honore functi ſunt, prout quiſque eorum in Ordinem venit.* §. 1. *In ſententiis quoque dicendis idem ordo* (a quo *Ordine* facile ſenatus, non tantum municipalis, ſed etiam Romanus, ORDO vocabatur) *ſpectandus eſt, quem in Albo ſcribendo diximus.*

Idem l. 2. eod. tit. *In albo decurionum in municipio nomina ante ſcribi oportet eorum, qui dignitates Principis judicio conſecuti ſunt ; poſtea eorum, qui tantum municipalibus honoribus functi ſunt.*

Haec tametſi longiſſimo poſt Tabulam noſtram intervallo ſcripta, tamen profutura moribus curiarum municipalium cognoſcendis putavi. Cum his vero ex corpore juris, & ex Cod. Th. alia complura junges, in primis autem Tabulam Canuſinam vivo Vlpiano conſcriptam: de qua incipio.

§. 2. *Album Curiae Canuſinae ſaeculo ſuperiore ex agro Canuſino erutum, deſcribitur & illuſtratur.*

Ea Tabula aenea in agro Canuſino anno 1675. reperta, ubi in plurium dominorum manus inciderat, poſtremo Venetias aſportata, ibi adhuc detinetur. Noriſius ſeſe illam in aedib. Juſtinianor. anno 1681. vidiſſe in Epiſtola conſulari (ad conſules anni 222.) ſcripſit : at Monfauconius (in Diar. Ital. pag. 63.) in Muſeo Ant. Capelli eamdem ſe contemplatum teſtatur. Ejus exemplum allatum a Sponio, poſt etiam in Theſaurum Italicum illatum fuit. Eam Abbas Damadenus ſpiſſo commentario illuſtravit, ſed rem ipſam acu non tetigit. Ne multa: totum æs illud nihil aliud quam Curiae Canuſinae *Album* exhibet. Et quidem plane eopte ordine ac methodo procedit, qua Vlpianus in lege modo recitata confici *Curiae album* jubet. Quocirca moneo lectorem harum rerum amantem, ut in Vlpiani legem modo recitatam commentarium non aliunde petat, quam ex lamina Canuſina : quae quidem ſub Alex. Severo ſcalpta fuit, cujus principis idem Vlpianus conſiliarius & ſcrinii magiſter fuit. Ea hodie inſcriptio eſt ſatis obvia, quippe quam etiam Fabrettus (cujus Syntagma inſcriptionum omnium manibus teritur) pag. 598. inſeruit. Ad eam vero illuſtrandam pauca hîc afferam, aliis, quod norim, intacta, ex quibus antiquitas evadat illuſtrior: maxime cum ſit unicum, quod norim, *Albi* curiae monumentum. Nam quod Gothofredus ad l. 48. C. Theod. *de decurion.* ait, exſtare apud Grut. pag. 302. num. 2. Curiae Album marmoreum, cave credas. Id enim fragmentum prorſus alio ſpectare,

docet

docet illud ver. 3. (*Incipit*) FELICITER. ORDO. SACER. DOMVS. AVG. PALAT. &c. Ad quodnam corpus *Domûs Aug.* ſpectarit, incertum. Sed ad æs Canuſinum venio.

Jam primum omnium (praeter ea, quae de *Albo* univerſe diximus ſup. ad æs Brit. ad v. 18.) quod huc attinet, ſciendum eſt, *Curiae Album* proprie intelligi Tabulam albo inductam, in qua ſtatim ab inito magiſtratu Quinquennales, aut ſupremus magiſtratus ſenatum eo ordine, quem ex Vlpiano didicimus, deſcribi curabant, quem & ex ea tabula recitari jubebant; unde locutio fluxit *Recitari ex albo*. At ſtatim deinde quae ibi perſcripta fuerant, eadem in aere incidebantur. Id ex ære Canuſino conſtat: in quo poſt conſulum nomina (qui ad ann. 223. pertinent, ſub Alex. Severo) ita ſcribitur: *M. Antonius. Priſcus. L. Annius. Secundus. IIVIR. QVINQVENN. (duumviri quinquennales) nomina. decurionum. in. aere. incidenda. curaverunt.* Idque æs, ubi ei alterum refectum ſuccederet, in tabulario recondebatur. Dixi in Adn. 35. *Quinquennales* hoc in curiis municipalibus fuiſſe, quod Romae Cenſores, nim. a quinquennio, quo durabant, ita dicti; ſicuti & ab ipſorum numero hîc *Duumviri* ſunt. Ad hos, ſicuti pertinuit Album condere, & recitari facere, ita & in aes incidendum curare.

Sequuntur deinde nomina Decurionum in quatuor columnas diſtincta. Prima columna Patronos coloniae complectitur: qui (quia illud, NOMINA DECVRIONVM, omnibus columnis deſuper imminet) videntur & ipſi corpore Decurionum comprehenſi fuiſſe, neq. hîc alio, quam primo, ſicuti par erat, loco. Hujuſmodi *Patroni* dûm fuere generum. Priores inſcribuntur PATRONI. C. C. V. V. h. e. *Clariſſimi viri*, qui nim. honoribus functi, & ſenatores Romani erant; maxime cum alterum genus inſcribatur: PATRONI. E. E. Q. Q. R. R. h e. *Equites Romani*. Equites octo non amplius, at Clariſſimi XXXVI. numerantur.

Altera columna primo loco *Quinquennalicios* (h. e. Quinquennalitate functos) ſeptem (quorum ſextus & ſeptimus ſunt illi ipſi *M. Ant. Priſcus*, *L. Annius Secundus*, qui Album incidendum curaverunt, in ære ſummo ſcalpti) deinde *Adlectos inter QVINQuennalicios*, quatuor; poſtremo *IIviralicios* novem & viginti numerat. Ex his appareret, ſicuti Romae cenſorii conſularibus honorabiliores, ita in municipiis Quinquennalicii Duumviraliciis. Appuleius X. Met. pag. 335. *Thyaſus . . . patria Corintho . . . GRADATIM permenſis honoribus, quinquennali magiſtratui fuerat deſtinatus*. Plura de hoc magiſtratu ſupra Adnot. 35. Qui *Adlecti* dicuntur, ii credo beneficio Principis iis, etſi non geſto eo honore, adlegebantur. Inter IIviralicios primi tres poſt cognomen adſcriptum habent II. h. e. *Iterum*, propter bis geſtum duumviratum. Jam vero columnae tertiae initio ſcribitur, AEDILICII; iique undeviginti numerantur. Sequuntur QVAESTORICII novem, *PEDANI* vero duo & triginta, qui & partem columnae quartae occupant. Hi ſunt *Judices dati & delegati*, ſeu qui *ex delegatione cauſas audiunt*, quique Theophilo χαμαιδικασταὶ vocantur. Dicti quia *pede plano* non pro tribunali judicarent. Gellius III. 18. *pro pedariis pedaneos* barbare dictos queritur. Nim. ævo Gellii adhuc illi ſenatores erant *pedarii*, qui tamen nove (ideoque barbare) mutata liquida dici *pedanei* coeperant. At poſtea *Pedaneorum* vox ad *judices delegatos* translata fuit: ii vero ultimi numerantur in albo, minorennibus tantum ſuperiores. Hi ſane quod hîc PEDANI vocantur ſyllabis tribus, novum eſt; ac facile defectus τῦ E errori vertendus. Niſi vero principio triſyllabum, poſtea auctum nova vocali fuit.

Quarta columna poſt Pedanos non alios, quam *Praetextatos* quinque & viginti exhibet. Sunt autem illi qui ante ann. decimum ſeptimum in curiam adlegebantur, h. e. adhuc praetextati, nondum toga virili ſumpta; idque vetere more nititur. Vide Macrob. I. Sat. 6. ubi de facto Papirii illius, cui cognomen *Praetextato* haeſit, agitur. Id poſtea ſub principatu videtur fort. principis indulgentia conceſſum: at carebant ſententiae dictione. Plerumque hi erant decurionum filii (qui quidem *debiti curiae* poſtea vocari coeperunt) aut ex latere deſcendentes, uti conſtat ex IVN. de quo mox dicendum erit. Totus ergo deſcriptorum in Albo numerus CLXIX. continet: ex quibus ſi patronos XLIV. demas, tantum CXXV. reliqui erunt.

Poſtremo de IVNioribus pauca dicam. Reineſius ad Cl. I. num. 99. p. 134. in fine plura de his parum conſiderate (quibus rejiciendis nolo immorari) tradit, ut alios taceam. At iſtud IVN. tabulae Canuſinae demonſtrat, eſſe plane veriſſimum, quod ad Kalendar. Marmoreum Neap. & in *De SS. Epiſc. Neap.* (ubi de *S. Paulo Juniore* egi) dixeram, τὸ IVN. in homonymis tunc uſurpatum, ubi homonymus unus alterius ſenioris aetati ſuccreſceret. Pariter ergo in hac tabula inter cognomines duos major natu abſolute vocatur: alter (qui ſemper prioris filius, aut nepos, aut ex latere veniens) cum adjectione *IVNior* appellatur.

Quare ne mireris ſi col. I. quia inter patronos duplex *Valerius Turbo* ſignatur, horum alter IVN. inſcribatur: qui cum *Marci* praenomine, prioris *Lucii* ſive filius, ſive fratris filius fuit. Col. IV. inter Aedilicios L. FAENIVS MEROPS IVN. filius fuerit neceſſe eſt alterius L. FAENI MEROPIS inter IIviralicios. Ead. columnâ *C. Lucretius Venuſtus IVN.* filius eſt alterius *C. Lucret. Venuſti* inter IIviralicios. Item inter pedanos *Ti. Claudius Oneſimianus IVN.* filius eſt alterius, eisdem trib. nominib. praediti, inter IIviralicios. Item *C. Julius Hoſpitalis IVN.* qui inter praetextatos eſt, parentem ſibi cognominem inter IIviralicios oſtentat. Inter Praetextatos *L. Abuccius Proculus IVN.* patrem habet cognominem inter Quinquennalicios: itemque L. TRECCIVS APOLLINARIS IVN. habet inter IIviralicios parentem. Cur vero ille inter Praetextatos *P. Publicius Maximus IVN.* nullum oſtendat in toto ære cognominem, id arguit, ei fuiſſe domi natu majorem homonymum, ſed extra curiam. Vides igitur, quo τὸ IVN. (in inſcriptionibus obvium varieque acceptum) plerumque pertineat: deinde & illud (quod huc pertinet) vides, quemadmodum curiales Ordinis honorem in filios propagarint. At IV. ſaeculo cum onera curiae importabilia evaſiſſent; filii inviti curiae adſcribebantur, dicti propterea *Debiti curiae*.

Haec Tabula quamvis trecentis poſt æs noſtrum annis inciſa; tamen lucem non modicam affundet municipalibus curiis, maxime aevi Caeſarei.

VER. 13. *Niſi in demortui damnative locum*] *In Demortui* dixit; nec enim ſubbant, ſed *in Demortui* (39) *locum*. In quo legere *in MORTVI locum* antiqui dice-

(39) *In Mortui*, inquam, *locum* non memini a quoquam uſurpatum: at *In demortui locum* ubi non ſcriptum reperio? Auctor ad Heren. I. 20. *Altera lex*

Digitized by Google

13 *nisi in demortui damnative locum, ejusve qui confessus erit, se Senatorem, Decurionem, Conscriptumve*
14 *ibi hac lege esse non licere.*

quo quidem videntur sive leguleiorum, sive philosophorum argutas (40) captiones praecavere conati. Ad *Damnatos* quod attinet, ii intelliguntur, qui capite damnati essent, sive qui maximam mediamve capitis deminutionem passi fuissent. De utroque vocabulo ICti videantur.

VER. 13. 14. *Ejusve qui confessus erit, se senatorem . . . hac lege esse non licere*] Quid proprie *Confiteri* sit, nemo mea sententia melius Varrone docuit lib. V. de L. L. pag. 55. *Hinc* (a *For*, *Faris* scil.) *Fassi & CONFESSI* (non aliud sunt, quam) *qui FATI id, quod ab heis QVAESITVM*. Ergo si Varroni creditur, qui de se aliquid produnt, si sua sponte id faciant, hi profecto nec *Fateri* nec *Confiteri* proprie dicendi erunt, sed, ut opinor, *Profiteri*: at ubi interrogati sua edunt, tunc proprie *Confiteri* dicentur. Eaque proprietas in criminum quaestionibus valet. Suetonius de Augusto c. 33. *Dixit autem jus . . . (cum) lenitate: siquidem manifesti parricidii reum, ne cul-leo insueretur (quod non nisi CONFESSI afficiuntur hac poena) ita fertur INTERROGASSE: Certe* (41) *patrem tuum non occidisti?* Plurima hujus generis loca contrahi ex auctoribus possent: verum hic ex Suetonio se primus obtulit. Cetera cui bono?

Ergo qui hîc CONFESSVS dicitur, eum non sine praevia interrogatione confessum intellige. Romae verbi causa censor ita interrogabat: *Dic Marce*, aut *Cai, ex animi tui sententia, est ne tibi aetas senatoria, est senatorius census?* &c. Ad singula respondebat interrogatus: *Ex animi mei sententia, Est*, aut *Non est*. Quae Romae censor, eadem in municipiis coloniisque summus magistratus quaerebat. Quidquid quaesiti respondissent, ejus rei *Confessi* dicebantur. Hinc ubi quis confessus esset, se sive aetate legitima, sive natalibus, sive senatorio censu, sive quo alio, quod lex municipalis requireret, destitutum; tum vero in confessi locum alius sublegebatur. Erant & qui sese excusarent, teste Suetonio. Eum (42) vide.

VER.

lex jubet augurem in demortui locum qui petat nominare. In Verr. lib. 2. cap. 50. *Cum esset . . . quidam Senator DEMORTVVS . . . cooptari necesse erat* (supple *in demortui locum*) *legibus*. In Verr. lib. 4. cap. 5. ex nescio qua lege ita affert; *NE QVIS EMERET MANCIPIVM NISI IN DEMORTVI LOCVM*. Livius XXIII. 22. Sp. Carvilium de supplendo senatu ita censentem inducit: *Vt ex singulis populis Latinorum binis senatoribus . . . civitas daretur; atque in DEMORTVORVM locum in senatum legerentur*. Mox cap. 13. M. Fabius Buteo extrema concione profitetur, se *Ita in demortuorum locum sublecturum, ut* &c. Ac statim: *Recitato vetere senatu, inde primum in demortuorum locum legit, qui* &c. Suetonius Julio cap. 41. *Instituit, quotannis in demortuorum locum, ex his qui recensiti non essent, subsortitio fieret*. In Augusto cap. 10. *In locum Trib. plebis forte demortui candidatum petitorem se ostendit*. Ibid. cap. 31. *Cumque in demortuae* (Vestalis) *locum aliam capi oporteret*.

(40) Si ICtorum subtilitates spectamus, *Interire homines maxima & media capitis deminutione* aeque ac morte dicuntur l. 63. §. ult. D. *pro socio*. *Et Deportatos mortuorum loco haberi* traditur l. 4. §. *Si deportatus*. D. *de bon. libert*. l. 1. §. ult. D. *de bon. poss. cont. tab*. Adhaec *pro mortuo habetur*, cujus universa bona publicantur l. 65. §. *publicatione* D. *pro socio*. Postremo alibi *pro mortuo habetur exheredatus*. Atq. hi *mortui* dicebantur, non efflato spiritu, sed morte civili, eaque de causa *Mortui* tantum, numquam autem *Demortui* vocabantur: plane quod intelligerent *Demortuos* non nisi eos dici, qui animam exspiassent. Vnde ab eo factum, ut cum de alio in locum alterius morte naturali defuncti sublegendo leges agerent, uterentur *Demortui* vocabulo. DE enim in compositione rem absolutam, imo & rei veritatem, non meram imaginem notat.

Nec solum ICtorum subtilitatibus, sed & sophistarum argutiolis lex obviam ivit. Cujusmodi illa in Tauri convivio fuit quaestio (quam A. Gellius VI. 13. exposuit) *Quando moriens moreretur: cum jam in morte esset, an tum etiam cum in vita esset* (etsi morti conterminus)? *& quando surgens surgeret: cum jam staret, an tum etiam cum sederet?* Vide ibidem quaenam Taurus responderit. Ex his igitur fiebat, in mortis confinio positos ex quorumdam sententia dici recte potuisse *Mortuos*. At nemo unquam dicturus *Demortuos* eosdem illos fuisset; quia DE in compositione rem plane perfectam notat. Cujusmodi illud Tranquilli Caligula c. 34. est: *Desaltato cantico* (i. e. ad finem saltato) *abit*. Sic *Desertuit* pro Stertere desiit apud Persium. Plin. lib. 37. *Gladiatores deluserunt*, pro ludere desierunt.

(41) H. e. *Nonne certum est, te patrem tuum non occidisse?* Atqui legitima interrogandi formula fuisset: *Feceristine parricidium tibi objectum?* Ac sicuti, qui reum perditum ibant, captiosis interrogatis illaqueabant; sic alii contra uti reum servarent, Augusti interrogata imitabantur. Vide ibi Casaub.

(42) Fuit aevo posteriore cum in municipalibus curiis decuriones dedita opera, nim. ut onera curialia subterfugerent, sese excusarent, imo & fugam arriperent: de quibus in Jure nostro & C. Th. saepissime agitur. At fuere etiam sub primis

Cae-

Digitized by Google

VER. 14. HAC LEGE] Duæ voces notatu digniſſimae: quae ad hanc ipſam Tabulam referuntur, neq. ad hanc ſolam, quae ſuperfuit, ſed & alias ſocias. Nam cum de ſenatorum ſive decurionum qualitatibus pauca tantum in hac ſuperſtite lamina (nec niſi Kap. 8. & ſequentibus) adſpergantur; hinc fit, cetera vel uno ſimul in loco alîus tabulae exſtitiſſe, vel ſparſa diverſis locis. Vel hinc ergo (ſi cetera deſint indicia) agnoſcere cogimur, Pandecten hunc ex pluribus laminis conſtitiſſe. De toto vero hoc Digeſto illud *Hac lege* capiendum eſt. Nam totum quantum id fuit, Juliae Plotiaeque pars vel appendix fuit.

PRAEGVSTATIO

De legis hujus noſtrae auctore ac nomine.

Quod ſi de HAC LEGE, hîc memoratâ, a me quaeritur, ecquo nomine ſit appellanda; equidem veluti unus de grege Pyrrhonico, ἐπέχω. Tamen (etſi de his diſſerendi locus ad ver. 85. & ſeq. proprius erit) de univerſa re ita nunc in anteceſſum reſpondeo. Hanc generali appellatione *Legem* (43) *municipalem*; aut vero a municipii nomine *Heracleenſem* (ut illa apud Ovidium (44) *Carſeolana*) dici non vetaverim. At peculiare nomen, a legislatore deductum, ecquod ei dabimus? Sane ſi Heraclea lege Juliâ anni DLXIII. civitatem adepta fuit; quis vetabit hanc *Legem Juliam* vocari? Quod ſi Juliae non niſi traducem tantum hanc, ſive appendicem fuiſſe contendatur; cur non *Juliam municipalem* vocabimus? Atque ad hanc maxime conjectionem Fabretti elogium me mirifice perpulit, quod pag. 485. num. 160. ex Jo: Garzia de Londonio in hunc modum affert. *M. Junius* [2] *Sabinus* [3] *IIIIVIR. AEDILICIAE. POTEST* [4] *E. LEGE. IVLIA. MVNICIPALI* [5] *patronus* [6] *collegi. centonariorum* [7] *frontem. templi* [8] *veruis. et. hermis* [9] *marmoreis. pecunia* [10] *ornavit. et. tuition* [11] *dedit. HS* [12] *N. CCXXXXII.* Quam vellem effoſſi marmoris locus innoteſceret. Quis ſcit enim an non ex loco eruti cippi aliquid in Heracleam noſtram redundaret? Vtcumque tamen eſt, inclinat animus, ut noſtram hanc *Legem Juliam municipalem* vocemus: praeſertim quod Heraclea, utpote ſemper fida Romanis, non debuit Plotiae legis, non niſi triennio poſt Juliam latae, beneficium praeſtolari. Aut tantiſper certe *Juliam* vocabimus, donec meliora ſuccurrerint, ubi ad ver. 85. deventum fuerit.

Ceterum non ſum ignarus, aliquibus ex ſocialis belli ducibus dari negotium potuiſſe, ut pacatas jam provincias obeuntes, eas ad Juliae Plotiaeve praeſcriptum formarent, ac legibus Romanis, quantum municipiorum antiqui mores paterentur, imbuerent. Quocirca ab uno ex iis ducibus non abnuo legi Heracleenſibus datae quaeri nomen potuiſſe. Veluti ſi a Pompeio Strabone Magni Pompeii parente dicta *Lex Pompeia* fuerit, inſtar ſcil. illius *Pompeiae legis* mox ab filio Magno Bithynis & Ponticis datae: de qua vide in ſubſtrata (45)

Ad-

Caeſaribus, qui clam monerentur, uti ſe ſubtraherent ignominiae, ſeque excuſarent. Suetonius Auguſto cap. 35. *Quoſdam ad excuſandi ſe verecundiam compulit; ſervavitque etiam excuſantibus inſigne veſtis* (laticlaviae) *& ſpectandi in orcheſtra, epulandique publice jus.* Confer Dionem ſub finem lib. LII.

(43) *De legis municipalis nomenclatura.*

Lex Municipalis non ea tantum eſt, quae Municipio (cujuſmodi Heraclea noſtra erat) data fuerit; verum & (cum latiſſime voces *Municipium* & *Municipalis* in Jure pateant) ad alias cujuſcumque conditionis urbes pertinet; ita ut *Municipalis* idem plane ſit, quod *Vrbicus*. Eâque notione *Lex Municipalis* accipitur ab Appuleio in I. *de habit. doctr. Plat. phil.* pag. 571. *Vt municipales leges ejus provinciae addiſceret.* Et in Jure noſtro millies, ut L. 3. §. *Plane* D. *quod vi aut clam.* L. 1. C. *De ſervis reip.* L. 3. §. *Divus.* D. *De ſep. viol.* L. 1. D. *de Albo ſcrib.* L. 25. D. *Ad municipal.* L. 11. §. 1. D. *De muner. & honor.* L. 3. D. *De decret ab ord.*

Adde quod etiam ſine *Municipalis* adjectione, *Lex* abſolute de *municipali* accipitur, quoties id τὸ ὑποκείμενον ſuadet. Apud Cic. in VI. ad Fam. ep. 18. *Quaeſivi a Balbo . . quid eſſet in Lege. Reſcripſit, eos qui facerent praeconium, vetari eſſe in decurionibus.* Ac ſic plane in ære noſtro hîc: *Se ſenatorem, decurionem . . HAC LEGE eſſe non licere.* Nec aliter l. 11. D. *De decurion.* L. 12. D. *De appellation.* L. 3. D. *Quod cujuſcumque univers.*

Niſi quod æris noſtri lex municipalis id habet peculiare, quod haec Tabula (& ſic forſitan aliae) principio quaedam ex Romanis legibus, per cives Romanos Romae (tametſi ad tempus) habitantes obſervandis, aſpergat; tum cetera civibus Rom. municipia, colonias, &c. incolentibus peculiaria: de quo ſup. pag. 383. *Monito* III. dixi.

(44) De *lege Carſeolana* Ovidius I. Faſt. v. 708.

\- - - - *Nam vivere captam*
Nunc quoque Lex vulpem Carſeolana vetat.

(45) *De Bithynorum Ponticorumque lege Pompeia a Magno data: & an Pompeia in cippo Caſinate reperta queat ad Pompeium Strabonem, extincto ſociali bello, referri.*

Quae Bithynicis & Ponticis civitatibus data fuit,

Digitized by Google

Adnot. ex cujus fine cognoſces, legem alteram illam *Pompeiam*, quam cippus Caſinas ter indicaſſe videtur, ad Pomp. Strabonem poſſe referri, qui facile, compoſita ſociali diſcordia, plurium municipiorum legislator fuerit: quis ſcit, an non etiàm Heracleae? ita ut is demum fuerit legis noſtrae hujus, de qua angimur, auctor. Verum de his plura ad v. 85. & ſeq.

In eumdem modum ſunt illae Siculorum legum municipalium appellationes, quas Tullianis in Verrem (46) actionibus acceptas referimus. Aliae multae undeunde corradi poſſent, ſi quis forte inſcriptiones auctoreſque hoc quis conſilio volutare ſatagat.

fuit, ea non plane ab alio data, quam a Cn. Pompeio Magno fuit, cum devicto Mithridate, provinciam ordinavit. Haud ſemel ejus meminit Plinius junior lib. X. Nam ep. 83. ſcripſit: *Cautum eſt, Domine, Pompeia lege, quae Bithynis data eſt, nequis capiat magiſtratum, neve ſit in ſenatu minor annorum XXX.* Rurſus ep. 113. *Lex Pompeia, Domine, qua Bithyni & Pontici utuntur, eos qui in Bulen a cenſoribus leguntur, dare pecuniam non jubet.* Et ep. 115. *Lege, Domine, Pompeia permiſſum Bithynicis civitatibus adſcribere ſibi quos vellent cives.*

Atque hujus mentionem reperiſſe ſibi Fabrettus videtur in Caſinatis inſcriptionis fragmento (in quo Faſti quatuorvirales municipii alicujus per conſules ordinantur) quod apud eum videbis pag. 485. num. 159. In eo enim v. 9. quidam occurrit RVLLVS. IIIIVIR. P. L. P. Eaedem tres ſingulares de *Macrone* ver. 11. & de *Marcello* v. 13. ſcribuntur. Quas quidem notas Fabrettus interpretatur. *Per legem Pompeiam.* Quae ſi proba expoſitio eſt (cur autem non ſit?) tum ea lex, opinor, non tam ad Pomp. Magnum, quam ad ejus patrem pertinebit, qui ſociali bello ſummopere inclaruit, eaque occaſione potuit civitates aliquot ordinare. Nec enim faſtos hoſce, apud Caſinum repertos, ad Bithyniam referri veriſimile fuerit.

Poterant tres illae ſingulares exponi *Per legem Plotiam*, quae duobus tribuſve annis ſerior Juliâ. At Caſinum videtur potius cum Latinis lege Julia, quam cum ceteris Italicis L. Plotiâ ad civilitatem perveniſſe; eoque facilius eſt, a duce Pompeio Strabone legem *Pompeiam* fuiſſe vocatam, quam paullo poſt a Plotio Silvano trib. pl. *Plotiam* appellatam.

(46) *Leges municipales aliquot a Tullio memoratae.*

Hujuſmodi *Lex Claudia* eſt a C. Claudio Ap. F. Pulchro Haleſinis data de ſententia omnium Marcellorum qui ibi erant, *De ſenatu cooptando*, cum ſuper ea re leges a Senatu Rom. petiſſent. Exſtat de hac lege pulcherrimus Ciceronis locus lib. II. in Ver. cap. 49. quem alibi dabimus.

Venio ad legem Corneliam Agrigentinis antiquitus a Scipione data, de qua Orator lib. II. in Ver. cap. 50. ubi ita infit: *Agrigentini de ſenatu cooptando Scipionis leges antiquas habent, in quibus & eadem illa ſancta ſunt, & hoc amplius: cum Agrigentinor. duo genera ſint, unum Veterum, alterum Colonorum . . . cautum eſt in Scipionis legibus, ne plures eſſent in ſenatu ex Colonorum numero, quam ex Vetere Agrigentinorum.*

Atque huc revocanda eſt Gualtheriana inſcriptio, quae in inſ. Strongyle viſebatur, poſita *M. Meconio* . . . . IIIIVIR. LEG. COR. h. e. *Lege Cornelia*, illius Scipionis ſcil. qui totius Siciliae & adjacentium inſularum (e quarum numero Strongyle) curias ordinavit. Hinc Meconius iſte factus *Quatuorvir* dicitur ex *Corneliae legis* praeſcripto.

In ead. Sicilia *legem Rupiliam* judiciariam idem orator eopte lib. II. in Ver. cap. 13. ſummopere commendat, *ex P. Rupilii decreto* profectam: alteramque frumentariam legem, *Hieronicam* appellatam. De utraque loco cit. Tullius.

Imo & alia *lex Rupilia* de cooptando ſenatu fuit, quam idem Rupilius Heracleae Sic. dedit: de qua videndus Cicero eod. lib. cap. 50. exeunte.

Kaput VI.

15 QVEI · MINOR · ANNOS · XXX · NATVS · EST · ERIT · NEIQVIS · EORVM ·
POST · K · IANVAR · SECVNDAS · INMVNICIPIO · COLONIA · PRAEFE
16 CTVRA · II · VIR · IIII · VIR · NEVE · QVEM · ALIVM · MAG · PETITO ·
NEVE · CAPITO · NEVE · GERITO · NISEI · QVEI · EORVM · STIPENDIA
17 EQVO · IN · LECIONE · III · AVT · PEDESTRIA · IN · LEGIONE · VI ·
FECERIT · QVAE · STIPENDIA · INCASTREIS · INVE · PROVINCIA ·
MAIOREV
18 PARTEM · SVI · QVOIVSQVE · ANNI · FECERIT · AVT · BINA · SEMESI ·
RIA · QVAE · EI · PRO · SINGVLEIS · ANNEIS · PROCEDERE · OPORTEAT
19 AVT · EI · VOCATO · REI · MILITARIS · LECIBVS · PL · VE · SC · EXVE ·
FOIDERE · ERIT · QVOQIRCA · EVM · INVEITVM · MERERE NON
20 OPORTEAT · NEVE · QVISQVE · PRAECONIVM · DISSIGNATIONEM ·
LIBITINAMVE · FACIET · DVM . EORVM · QVID · FACIET · INMVNI
21 CIPIO · COLONIA · PRAEFECTVRA · II · VIR · IIII VIR · ALIVMVE ·
QVEM

Digitized by Google

QVEM · MAC · PETITO · NEVE · CAPITO · NEVE · GERITO · NEVE · HABEIO
22 NEVE · IBEI · SENATOR · NEVE · DECVRIO · NEVE · CONSCRIPTVS · ESTO · NEVE · SENTENTIAM · DICITO · QVEI · EORVM · EXEIS · O.VEI · S · S · S ·
23 ADVERSVS · EA · FECERIT · IS · HS · Iɔɔɔ · P · D · D · E · EIVSQVE · PECVNIAE · QVEIVOLET · PETITIO · ESTO

CAPVT VI.

Minores XXX. annis, niſi confectis ſtipendiis, aut vacatione legitima, IIviri IIIIvirive ne renuntiantor: neve praeco, diſſignator, libitinarius, ſive ad magiſtratum capiendum ſive ad curiam promoventor: ſecus qui faxint pecunia multantor.

15 *Qui minor annis XXX. natus eſt erit; ne quis eorum poſt Kalendas Januarias ſecundas in Municipio, Colonia, Praefe-*
16 *ctura Duum-viratum, Quatuor-viratum, neve quem alium magiſtratum petito, neve gerito; niſi qui eorum ſtipendia*

VER. 15. 16. *Qui minor annis* XXX. *natus eſt erit, ne quis . . . duumviratum . . . . petito*] Livius XL. 43. *Eo anno* (DLXXIV.) *rogatio primum lata eſt ab L. Villio trib. pl. quot annis nati quemque magiſtratum peterent caperentque. Inde cognomen familiae inditum, ut Annales appellarentur.* Ea lex *Annaria* Feſto, & Lampridio in Commodo vocatur. Sed vero negant eruditi viri, Romae nullam ante Villium annariam legem fuiſſe, idque exemplis eorum, quibus petentibus ante Villium minor aetas obſtiterit, demonſtrant. Itaque Arnobius l. 2. adv. gen. *Leges annarias* numero multitudinis nominat, quaſi a pluribus latas. Quare iidem ſatius habent ita rem componere, ut Villius rem hanc univerſam ad limam revocaverit, & ea accurate omnia conſtituerit, quae poſtea ibi obſervata fuiſſe conſtat. Conſtat autem legitimum quaeſturae annum fuiſſe XXXI. aedilatûs curulis XXXVII. praeturae XL. conſulatus XLIII. Atq. his ipſis annis Cicero *pro Domo* hos omnes honores ſe capeſſiviſſe ſignificat: *Anno ſuo*, inquit. Hos vero annos praevertere non licebat, niſi impetrata legis annariae venia. Atque haec Romae.

Venio ad leges municipales. Noſtrae huic vetanti ante annum trigeſimum magiſtratus peti, ceterae, credo, municipales conſentiebant, circiter haec eadem tempora latae. Conſonat certe lex Pompeia, quae (47) minus annis triginta hac noſtra ſive Julia, ſive Plotia recentior fuit. Ergo Plinius X. epiſt. 83. lege Pompeia cautum ait, *Nequis capiat magiſtratum, neve ſit in ſenatu minor annorum* XXX. Etſi

(47) Magnus Pompeius anno Vrbis DCXC. & DCXCI. Mithridate devicto, quidquid ab eo poſſeſſum, in provincias ordinavit. De his legi poſſunt Appianus in Mithridaticis, atque Dio. Cur autem non ad alium quam ad Pompeium Magnum Pliniana lex Pompeia ſit referenda, nec ad aliud tempus quam ad notatum biennium, praeter modo dicta, nos plane adigunt Plinius cum Strabone comparatus. Plinius enim ep. 113. incipit: *Lex Pompeia, Domine, qua Bithyni & Pontici utuntur.* Ergo non ab alio data Pompeio fuit, quam a Magno, quippe qui Mithridatico bello confecto, Pontum cum Bithynia conjunxit in provinciam unam: a quo tempore uterque terrarum tractus in provinciam unam coaluit, ſicuti & Plinius Junior utramque regionem adminiſtrabat. In ea igitur ordinanda provincia lex Pompeia Bithynis ac Ponticis data fuit.

Digitized by Google

Etsi postea addit, edicto divi Augusti in eadem provincia permissum fuisse *Minores magistratus ab annis duobus & viginti capere*. Ejus epistolae initium cum responsione Trajani, utpote ad annalem curiarum municipalium legem maximopere pertinens, in (48) *imo* adscribimus.

At aegre est, quod cum Bithynorum lex annaria XXX. annos ex aequo ad utrumque requisierit, tum scil. ad magistratum, tum etiam ad introitum in curiam; tamen de priore tantum Tabula nostra caverit, de posteriore ne verbum quidem. Idque hoc magis miror, quod annariam ad capiendum magistratum legem, praeter aes istud, sola ex antiquis lex Pompeia complectitur: cum contra senatoria XXX. annorum aetas pervulgata in curiis esset, utpote tum antea legibus Claudia, & Cornelia (de quibus [49] in ima ora) tum postea Pompeia Bithynis & Ponticis data contineretur. Quid ergo causae fuit, quin hoc ex vicino lex nostra arripuerit, ut aetatem senatoriam ab annis XXX. inchoaret?

Dixeris, de aetate senatoria videri in alia ex deperditis laminis fuisse sancitum. At, inquam, hic proprius locus erat. Nam cum hoc ipso capite de quaestu, qui arceret a curia, deinde cap. octavo copiose de notatis infamia a senatu repellendis caveatur; ecquis locus fuisset hac ipsa lamina opportunior, ut aetatem senatoriam praestitueret? Itaq. potius legislatoris consilium hoc puto fuisse, nullis ut aetatem senatoriam cancellis coartaret, temporis necessitati magis, quam quod id optimum factu esset, prospicientem. Quid enim? Eo tum loco urbes Italicae erant, ut, quippe flore nobilitatis perpetuis plurium annorum cladibus exhausto, vix aut nullo modo curiae claris & idoneis senatoribus expleri possent, nisi tantum junioribus senatorii generis in ordinem adlectis. Quod si XXX. annorum aetas ex lege Cornelia deinde & Claudia Siculis data, expetenda fuisset; quis non videt, patres ex faece plebis legendos fuisse? Quare post belli Italici carnificinam legislator satis habuit, si ad magistratus quidem aetatem tricenariam exquireret: ceterum juniores, si modo claris parentibus orti, bonam indolem, mentemque consilii plenam ostentarent, quin adlegerentur in patrum concilium non morae fuit.

IBID. *Duumviratum, quatuorviratum, neve quem alium magistratum petito, neve gerito*] Ex his vides, non tantum ad maximum, sed etiam ad inferiorem quemvis magistratum capiendum minores annis XXX. ex hac lege inhabiles fieri; non secus ac lege Pompeia, qua cautum scripsit Plinius X. 83. *Nequis capiat magistratum minor annorum XXX.* Ac sane a Plinio τὸ *Magistratum* sine restrictione accipi, satis ostendit, quod de secuto Augusti edicto sub-

(48) Plinius ep. 83. libri X. ita exorditur: *Cautum est, Domine, Pompeia lege, quae Bithynis data est, nequis capiat magistratum, neve sit in senatu minor annorum triginta: eadem lege comprehensum est, ut qui ceperint magistratum, sint in senatu. Secutum est dein edictum divi Augusti, quo permisit minores magistratus ab annis duobus & viginti capere. Quaeritur ergo, an qui minor XXX. annorum gessit magistratus, possit a censoribus in senatum legi; &, si potest, an ex iis quoque qui non gesserint, possit quis per eamdem interpretationem ab ea aetate senator legi, a qua illis magistratum gerere permissum est: quod alioqui facilitatum adhuc, & esse necessarium dicitur; quia sit aliquanto melius honestorum hominum liberos, quam e plebe in curiam admitti . . .*

Quibus ita Trajanus ep. 114. respondet, ut prius adprobet, alterum autem a Plinio quaesitum (ibi: *Quaeritur, ergo* &c.) abnuat.

(49) *De legibus Claudia & Cornelia Siculis rebuspublicis data.*

Claudiae annum ignorare non possumus, utpote auctore Tullio, *L. Licinio* (Crasso, oratore celebri) *Q. Mucio* (Scaevola, Pont. Max.) consulibus latae. Is autem consulatus in annum Vrbis DCLVIII. incidit, triennio ante exortum sociale bellum. At Corneliae legis annum haud certo commonstrare possum. Nisi quod cum Cicero lib. II. in Ver. ita inter utramque legem distinguat, ut de *Claudia* τὸ NVPER usurpet (sic enim cap. 49. *Halesini . . .* NVPER *L. Licinio . Q. Mucio cos . . . de senatu* (suo) *cooptando leges ab senatu nostro petiverunt*) at contra leges Cornelias ANTIQVAS vocet (*Agrigentini*, inquit cap. 50. *de senatu cooptando Scipionis leges ANTIQVAS habent*) cum, inquam, ad antiquiora tempora nos revocet orator; facile non alius leges illas antiquas tulisse videtur, quam ille Publius Cornelius Scipio, cui postea haesit Africano nomen, quando proconsul Siciliam obtinuit anno Vrbis DXLIX. ex qua postea trajecit in Africam. Id si verum est, plus centum annis Corneliae leges antiquiores Claudiis fuerint.

Haec de utriusque aetate. Ceterum quod nostra interest, inter alia Claudius *sanxit de aetate hominum, nequis minor XXX. annis natu* in senatum cooptaretur. Ita Cicero l. cit. c. 49. Qui cum initio capitis 50. de legibus Scipionis affirmet: *In quibus & EADEM ILLA* (quae scil. in lege Claudia) *sancta sunt*; eo manifeste significat, lege Cornelia Agrigentinis scripta senatoriam aetatem fuisse nihilo secius annorum XXX.

Digitized by Google

17 equo in legione tria, aut pedeſtria in legione ſex fecerit. Quae ſtipendia in caſtris, inve provincia majorem

ſubjicit. *Secutum eſt dein edictum divi Auguſti, quo permiſit MINORES MAGISTRATVS ab annis duobus & viginti capere*. Ergo ante edictum omnium magiſtratuum aetas tricenaria erat ex lege Pompeia. Atque hoc Auguſteum edictum omnibus Imperii Rom. provinciis commune fuiſſe arbitror; ita ut etiam Major Graecia & Heraclea noſtra eo teneretur. Ac ſane id ad replendas viris experientiſſimis curias ſalutare fuit. Nam ſicuti Romae quaeſtura, aliique aliquot magiſtratus minores erant ad curiam gradus; ita quoque & in municipior. βελῶς (*conſiliis*). Plinius eâd. epiſt. *Eâdem lege* (Pompeia) *comprehenſum eſt, ut qui ceperint magiſtratum* (quemlibet) *ſint in ſenatu*. Qua lege ibid. adductus Plinius, quaeſitus reſpondit, eos qui ex edicto Auguſti minores annis XXX. geſſiſſent minorem aliquem magiſtratum, *poſſe in ſenatum . . . ſecundum legem Pompeiam legi, quoniam . . . Lex ſenatorem eſſe voluiſſet, qui geſſiſſet magiſtratum*. Nec aliter ex hac Tab. infra v. 61. & ſeq. quivis magiſtratus ſenatoriam dignitatem largiebatur. Ait enim: *Quibus hac lege . . . in ſenatu . . . eſſe non licebit, ne quis eorum . . . duumviratum, quatuorviratum, ALIAMVE QVAM POTESTATEM, ex quo honore in EVM ORDINEM* (ſenatorum) *perveniat, petito, neve capito*.

VER. 16. 17. *Niſi qui eorum ſtipendia . . . fecerit . . . aut ei vacatio rei militaris erit*] Exceptio legis eſſe videtur. Nec enim lex in magiſtratu duo requirit, tum nim. legitimam aetatem, tum etiam ſtipendia ex parte emerita, aut ſaltem vacationem. Non, inquam, utrumque requirit, ſed alterutrum. Qui inermes fuiſſent, aetatem tricenariam ad petendum quemlibet magiſtratum afferre debebant. Quod ſi quis ab anno uſque XVII. (ea prima aetas militaris habebatur) merere equo aut pedibus coepiſſet; eques tribus confectis ſtipendiis, ab anno ſtatim vigeſimo petere honores poterat, ſicuti pedes ſenis confectis, ab anno XXIII. Quo ſerius vero quis nomen dediſſet, eo minus veniae legis annariae opus habebat, quod pauciores anni ad aetatem tricenariam deeſſent. Vacatio quoque eatenus veniam Annariae dabat ſi juſta eſſet: de qua ad ver. 19. dicam. Vides autem terreſtri tantum militia remitti Annariam, non item navali: certe quia haec ſemper apud Romanos habita vilior. Poſtremo additur ſemper IN LEGIONE. Nam municipum, utpote civium Rom. hoc peculiare fuit, ut in Legione, non in auxiliis uti ſocii, militarent. Haec ſatis protrita ſunt.

VER. 17. *Quae ſtipendia in caſtris, inve provincia*] Singularis, ut puto, locus. Nec enim ante reperiſſe memini, ubi *Caſtrenſis* militia *militiae in provincia* opponatur, & quidem eodem modo quo *Caſtra* ab *Aperto* (*) *Marte* (qui Italis *Guerra viva*) aut vero potius ab *Expeditione* (Italice, *Vna campagna*) diſtinguuntur. *Expeditio* enim tum intelligitur, ubi belli gerendi causâ educitur exercitus. Caeſar Bel. Gal. c. 7. *Et mittentibus & miſſis ea laeta expeditio fuit*. Atque *Expeditio*, quod *provincendi* h. e. longius prorogandi imperii cauſa fieret, eo eleganter in ære noſtro *Provincia* vocatur. Feſtus: *PROVINCIAE appellantur, quod populus Rom. eas PROVICIT, id eſt ANTE VICIT*. Ac *PRO* quidem pro *Ante* interdum uſurpatur, ut *Pro pedibus* eſt idem, quod Graecis πρὸ ποδῶν, h. e. *Ante pedes*. At ipſum hoc *Ante*, quo Feſtus interpretando utitur, valet *Longius*, opinor; nam *Pro* in compoſitione ſaepiſſime eſt *Longius*; ut *Promoveo*, *Produco*, *Protendo*, & plura millia. Ergo ex eo quod *Provincia* in aere noſtro (& quidem ſignificatu primario) actum ipſum *provincendi*, ſive *Expeditionem* inceptam notet; prono inde alveo id fluxit, ut quidquid ea *Provinciâ* ſive expeditione porro acquireretur, id quoque μετωνυμικῶς *Provincia* nuncuparetur: quod quidem Graecis eſt δορύκτητος, Italis *Terra di conquiſta*.

(*) Ovidius XIII. Met. ver. 280. *Aperti copia Martis Nulla fuit:*

Digitized by Google

18 *partem ſui cujuſque anni fecerit ; aut bina ſemeſtria , quae ei pro ſingulis annis procedere oporteat :*
19 *aut ei vacatio rei militaris* [*Legibus , Plebiſve ſcitis , exve Foedere*] *erit ; quocirca eum invitum merere non*

VER. 17. 18. *Quae ſtipendia . . . majorem partem ſui cujuſque anni fecerit , aut bina ſemeſtria , quae ei pro ſingulis annis procedere oporteat*] Hae militiae Rom. leges ſunt notatu digniſſimae : atque illud in primis , quod *Bina ſemeſtria pro ſingulis annis proceſſura* ait. Ex quo liquet , militiae annos non *continuos* , ſed *utiles* , uti jura noſtra loquuntur , computari . Jam vero ad locutiones quod attinet , nova haec ſunt ; SVI CVIVSQ. ANNI tam hîc quam mox v. 28. pulchre pro *Vniuſcujuſq. anni* uſurpatur. Deinde illud *Bina ſemeſtria* non ſubſtantive uſurpatur (quaſi ſit a recto ſing. *Semeſtrium*) verum haud dubie adjectivum eſt , a ſubſtantivo *Stipendia* fultum, ut in (50) ora demonſtramus . Poſtremo PROCEDERE apud ICtos haud plane aliud eſt, quam *Valere*, *Proficere*. Briſſonii lexicon exempla notionis (51) hujus ſuppeditabit.

VER. 19. *Aut ei vacatio rei militaris legibus, plebiſve ſcitis, exve foedere erit, quocirca eum invitum merere non oporteat*] In Tabulae ſcalptura ſicuti τὸ *VOCATIO* pro *Vacatio* non plane (52) excuſo, ſic *FOIDERE* pro *Foedere* rectum eſt: etſi τῦ OI pro OE exempla (53) rariora ſunt.

Nunc

(50) SEMESTRIVM legitur in Columella XI. 2. *Hoc igitur Semeſtrium & deinceps ſequentia . . . .* Quo loco non ſex menſium ſpatium, ſed dimidiati menſis aperte deſignatur. Tametſi in Lipſienſi Cod. *Semimenſtruum* legitur : quod in notis ultimae Lipſienſis editionis lectioni vulgatae praefertur . Sed non ego credulus illis ; nam uti mox videbitur, in Gloſſis vet. *ſemenſtris* etiam ad menſem dimidiatum refertur, ſi ſit a *ſemis* : unde *Semeſtrium* .

At hîc aperte *Semeſtria* ſex menſium intervallum notat. Quod tamen non nunc primum legitur, quippe celebratiſſima ſunt in Jure civili *Semeſtria divi Marci*, de quibus vide Briſſonium de V. S. Sic *In ſemeſtribus relata conſtitutio divi Marci*, l. 46. D. *de pact.* l. ult. D. *de ſerv. export.* & alibi pluries . Nec multum inter *ſemeſtria Marci*, & hujus Tabulae *Semeſtria* intereſt ; quia ſicut illud adminiculo ſubſtantivi cujuſpiam ſubaudiendi fulcitur , ita & in Tabula hîc & v. 28. apertiſſime ſubſtantivum *ſtipendia* intellectu ſuppleri debere , ex v. 28. conſtat, ubi legitur: *Bina ſemeſtria quae ei pro ſingulis ANNVEIS* (non *Annis* ut hîc) *procedere oporteat* . Non minus ergo *Semeſtria* quam *Annuis* adjectivum eſt, & utrumque a *Stipendiis* fulcimentum exſpectat.

Etſi fuiſſe aliquod ſubſtantivum, dubitare non ſinunt Gloſſae vet. in quibus (praeter *Semenſter* , & *Semenſtris:* cui alteri Graece tum ἑξαμηνιαῖος tum etiam ἡμιμηνιαῖος reſpondet) legitur etiam *Semenſtruum* ; & quidem , ne de ſignificatu dubites , ei reſpondet Graecum ſubſtantivum ἑξαμηνίδιον .

(51) Veluti ſunt locutiones illae apud ICtos tritiſſimae : *Quod ita procedit , ſi . Hoc in ſervo non procedit* , &c. Ad haec *Proceſſiſſe ſolutionem* , l. 18. C. *de ſolution. Procedere temporis ſuffragium*, l. 24. D. *de don. int. vir. & uxor.* Sed illa duo propria aeris noſtri ſyntaxi ſunt : *An tempus longae poſſeſſionis HEREDI PROCEDERE poteſt*, l. 7. D. *pro emptor* . Et illud alterum eod. titulo l. 2. §. ult. *EMPTORI venditoris tempus AD uſucapionem procedit* . Haec ex Briſſonio : quibus nolo plura ex ICtis addere.

Verum quis non eod. modo loquebatur olim ? Cato de R. R. c. 148. *Quot dies per dominum mora fuerit , quo minus vinum deguſtet , totidem dies procedent emptori* . At nil ſimilius ſyntaxi Varronianâ in II. R. R. c. 2. *Si cui* (ovi) *vetuſtate dentes abſunt , binae pro ſingulis ut procedant* , h. e. adnumerentur : ut hîc *ſingula ſemeſtria pro ſing. annis procedunt.* Poſtremo Livius XXV. 5. in re ipſa ſtipendiorum ſic huic Tabulae concinit : *Ad populum ferrent , ut qui minores ſeptem & decem annis ſacramento dixiſſent , iis perinde ſtipendia procederent , ac ſi ſeptem & decem annorum , aut majores , milites eſſent* . Nec enim hîc *ſtipendia procederent* , eſt , Aera perſolverentur (uti nonnullos interpretatos reperio : ad quod lato ad plebem quid opus erat ?) ſed eſt , ut iis anni militiae , etſi ante aetatem militarem , pro confectis legitimis ſtipendiis valerent. Sed ne plura . Val. Max. II. c. 7. n. 15. *aera* ſatis aperte a ſtipendiis dirimit , ita ſcribens : *Legioni* (quae Q. Petillium coſ. fortiſſime adverſus Ligures pugnantem occumbere paſſa erat) *neque ſtipendium* (ejus) *anni procedere , neq. aera dari voluit* . Et tamen hîc quoque plerique adnotatores , ſtipendiis cum aere confuſis, in vado haeſerunt .

(52) Tametſi non temere hoc eſt , quod bis hoc vocabulum in hoc aere uſurpatum , ſemper tamen cum O legitur (ſemel hîc ſcilicet, etſi VOCATO mendoſe pro *Vocatio :* rurſus vero integre v. 29.) numquam cum A in priore ſyllaba . An antiquis *Vocare* pro *Vacare* , & *Vocatio* pro *Vacatione* uſurpabatur ; ita ut utroque modo ὀρθογραφεῖσθαι ea vox conſueverit ? Non auſim affirmare . An vero potius iſta VOCATIO ad eos populos foederatos pertinet , quos *vocari* & invitari, non item cogi, foedus eorum vetus jubebat? Ac videndum an *Evocatorum* nomen (de quo litigant eruditi viri) ad hos proprie pertinuerit . Id ſi eſt ; tum aeris verba ita interpretari licebit : *Aut ei* (cui ſcil. ea invitatio ex foedere convenit) *Vocatio rei militaris* (i. e. invitatio ad militiam) *legibus , plebiſve ſcitis , exve foedere erit* (h. e. competet) *quocirca eum invitum merere non oporteat* , ſed tantum uti voluntarium . Haec quidem admonuiſſe ſatis habui : ceterum ne παραδοξολογίαις capi videar, ubiq. *Vacationis* vocabulo uſus interpretando fui .

(53) Cujuſmodi eſt PROILIVM pro *Proelium* , COILVM pro *Coelum* . Ennius : *Quos endo coilom merita vocaverunt ſua* . Apud Grut. DXII. ver. 24. POINICIO BELLO pro *Punicio* ſive *Phoenicio* . Tamen mox v. 29. FOEDERE . . . mo.: ſcribitur.

Digitized by Google

20 *oporteat. Neve quiſque praeconium, diſſignationem, libitinamve fa-*
ciet: dum eorum (ali)*quid faciet, in Muni-*
21 *cipio, Colonia, Praefectura, Duum-viratum, Quatuor-viratum, alium-*
ve quem magiſtratum (neve) *petito, neve gerito, neve habeto;*
22 *neve ibi Senator, neve Decurio, neve Conſcriptus eſto, neve ſenten-*
tiam dicito. Qui eorum [*ex iis, qui ſupra ſcripti ſunt*]

Nunc de vacatione pauca. Juſtam vacationem dabant I. Emerita ſtipendia legitima: quibus expletis, impune non dabatur nomen. II. Morbus aut vitium, Quod ſiquis conſulto pollicem aut digitos abſcidiſſet, aliudve tale in ſe admiſiſſet, quo militiae ſe ſubtraheret; puniebatur. Exemplis ſuperſedeo. III. Aetas quinquagenaria, etiam nondum emeritis ſtipendiis, eximebat militiae. IV. Magiſtratus & ſacerdotium: quamquam de altero Plutarchus Camillo ait: *Solvebantur militia ſacerdotes, niſi ſi Gallicum bellum eſſet*. V. Senatûs populive beneficio aliquibus interdum indulta vacatio, ſive ad tot annos, ſive perpetua. Haec quidem nota omnibus.

At praeter haec, aliquod aliud vacationis genus videtur hîc deſignari, quod in municipiis certum genus hominum a militandi neceſſitate exſolveret, ita ut ne illa quidem parciora ſtipendia, quae hîc notantur, in totum emererent; ſed parte tantum ſive trium equeſtrium, ſive ſenûm pedeſtrium confectâ, ceteris ſtipendiis eximerentur. Ea vero vacatio *Legibus, plebiſve ſcitis, exve foedere* (h. e. ut interpretor, *Ex foedere antiquo legibus plebiſve ſcitis firmato*, ita ut ſit ἐν διὰ δυοῖν) municipiis optimo jure competebat. Aut ſi minus omnibus, certe Heracleae (in qua haec Tabula ſcalpta fuit) peculiaris ea vacatio erat. Nam quamquam artiore militiae neceſſitate omnia illa quatuor locorum genera (nimirum coloniae, praefecturae, fora, conciliabula) adſtringebantur; at municipia ex veteribus ſingulorum foederibus tanta ſeveritate levabantur: Heraclea praecipue, tum quod maritima (54) civitas, tum in primis, quod ejus exſtabat vetus illud foedus, cujus meminit (55) Cicero. Hoc quidem antiquo foedere Fabriciano continebantur militiae leges, ad quas municipes Heracleenſes ſeſe Romanis obligaverant, & ecquibus hominibus, quibuſve de cauſis ſive vocatio ſive vacatio debita. De his plura fortaſſis ad Tabulae Kaput ultimum.

Ex his obiter poteſt intelligi, non eodem prorſus exemplo has leges in omnibus urbibus poſt ſociale bellum civitate donatis fuiſſe perſcriptas; ſed peculiaria quaedam municipiis addita, prout eorum antiquis foederibus continebatur. Quid enim in coloniis, praefecturis, & ceteris, quae per omnia obnoxiae Romanis eſſent, attinebat foederis meminiſſe? At municipia non, quia per leges Juliam Plotiamve conſecuta perfectam civilitatem Romanam fuiſſent, continuo iis commodis, quibus ante ex foedere gaviſa eſſent, ſpoliata fuerunt.

VER. 20. 21. 22. *Neve quiſque praeco-*
nium,

(54) Civitates maritimae immunitatem a militandi neceſſitate obtinuerant, ut oram maritimam Italiae ab hoſtium & piratarum incurſibus tuerentur. Meminit Cic. in Corneliana & Hyginus de limit. Notandus prae ceteris Livii XXVII. 38. locus ad an. 546. ubi *ſacroſanctam vacationem* vocat, ob eam credo cauſam, quia S. P. Q. R. jurejurando vallatam. *Colonos*, inquit, *etiam maritimos, qui ſacroſanctam vacationem dicebantur habere, dare milites cogebant. Quibus recuſantibus edixere in diem certam, ut quo quiſque jure vacationem haberet, ad ſenatum deferret.* Cetera ibi vide.

(55) Cicero pro Archia cap. 4. *Cum ex ea provincia* (Sicilia) *cum eodem Lucullo* (Archias) *decederet, venit Heracleam: quae cum eſſet civitas AEQVISSIMO IVRE AC FOEDERE; adſcribi ſe in eam civitatem voluit: idque . . . auctoritate & gratia Lucculli ab Heraclienſibus impetravit.* Ac pluribus interjectis, hanc eamdem Heracleam *Municipium* appellat ſect. 8. *Integerrimi municipii jusjurandum fidemque:* ne forte cum alia quavis Heraclea confundas.

Ecquod autem Heracleae foedus iſtud fuerit, & quando percuſſum, declarat in Corneliana Cicero cap. 22. *Quid Heraclienſium legionem . . . ex ea civitate, quacum prope SINGVLARE FOEDVS Pyrrhi temporibus, C. Fabricio* (Luſcino) *conſule, ictum putatur?* Cetera loci hujus in Prodromo ſupra pag. 131. 132. adſcripſimus & explicavimus. C. Fabricius Luſcinus, ſub quo foedus ictum, anno CDLXXV. conſul fuit. Vides igitur, quanti Heraclienſe foedus fuerit, quod Cicero modo *aequiſſimum*, modo *ſingulare* appellavit. Ergo Heraclienſium ſive VOCATIO, ſive *Vacatio* hîc memorata nitebatur (ut in ære dicitur) *legib. plebiſcitis* & *foedere* h. e. (ut ſit ἐν διὰ δυοῖν) foedere legibus plebiſve ſcitis non ſemel firmato.

Digitized by Google

23 *adverſus ea fecerit, is ſeſtertios ſeptingentos populo dare damnas eſto, ejuſque pecuniae, qui volet, petitio eſto.*

nium, diſſignationem, libitinamve faciet, dum eorum quid faciet ... duumviratum ... aliumve quem magiſtratum petito ... neve ibi ſenator, neve decurio ... eſto.] *Quiſque* refertur ad *faciet ... petito:* quocirca QVISQVE pro *Quiſquis* ponitur tum hîc, tum infra ver. 55. ubi ſic ſcribitur: *Neve QVISQVE .... maxumam poteſtatem habebit ... eorum* (ali)*quem ibi in ſenatum ... ire ... ſinito*. Id quod apud antiquos ſcriptores uſitatum ſed raro (56) fuit. Ergo hîc ſic accipe: *Ne quisquis praeconium ... faciet ... dum faciet ... petito ...*

Illud vero notari volo, hos non repelli tamquam infames perſonas (nam de infamibus arcendis ab honoribus infra ſeorſum cap. 8.) ſed quod miniſterium exerceant honoribus indecorum. Sane quod Vlpianus ex Celſo de diſſignatoribus docuit, id & ad libitinarios, & ad praecones trahi modulo ſuo debet. Vlpiani verba l. 4. D. *de his qui not. infamia* haec ſunt: *Deſignatores autem* (recte in hac Tab. bis, ut & in marmoribus ſemper *Diſſignatores*) *quos Graeci βραβευτὰς appellant, artem ludicram non facere* (ex quo uno *ludicrae* capite infames cenſeri potuiſſent: vide in hoc ære v.49.) *Celſus probat; quia MINISTERIVM, non artem ludicram exerceant. Et ſane locus iſte hodie a Principe non pro modico beneficio datur*. Verum de Diſſignatoribus in ima (57) ora ſeorſum diſſero: nam

(56) *Quiſque* pro *Quiſquis* ſeu *Quicunque* uſurpat Plautus Mil. glor. II. ſc. 2. 1. *Mehercle defregeritis talos, poſthac quemque in tegulis Videritis alienum*. Ac ſtatim ibid. v. 5. *Quemque a milite hoc videritis hominem ... huc deturbatote in via*. Item Merc. I. ſc. 1. 20. *Non illum modo ... ſed quemque attigit, Magno atque ſolido multat infortunio*. Terentius Hecyra I. ſc. 1. 8. *Spolies, mutiles, laceres, quemque nacta ſis*. Auſonius:

Pareto legi, quiſque legem ſanxerit.

In epigrammate de Virgilio:

Longe erit a primo, quiſque ſecundus erit.

(57) *De Diſſignatorum vocis orthographia, notione, miniſterio, variaque eorumdem fortuna.*

Recta vocabuli ſcriptio ea eſt, quae in ære noſtro hîc & iterum cap. ſeq. obſervatur, ut prima vocalis I ſit, eamque ſibilum duplex ſequatur. Ita Plautus uſurpaverat Prologo Poenuli v. 19.

Neu diſſignator praeter os obambulet,
Neu ſeſſum ducat, dum hiſtrio in ſcaena ſiet.

Sic enim in optimo Vaticano, & Ms. Cam. primo (etſi in Mſs. aliis perperam eſt Deſignator) item in lapidibus omnibus (1) & ære noſtro, uti dixi, bis. At vero in auctoribus aliis in editionibus juxta ac Mſs. *Deſignator* exhibetur.

De re ſi quaeris, adjungam haec pauca ex Aus. Popma ad Cic. ad Att. IV. 3. illud, *Decimum deſignatorem* &c. *Varium* (inquit Popma) *genus erat Deſignatorum, & errant qui illos ejusd. generis fuiſſe putant. Nam alii conſtituendae funebri pompae praeerant, ſingulis incedendi ordinem praeſcribentes: ipſi cum lictoribus atratis circumibant, ut multitudinem retinerent, teſte Donato in Adelph. Terentii. Hos intelligit Cicero hîc, & Horatius lib. I. ep. 7.*

Deſignatorem decorat lictoribus atris.

Seneca de benef. lib. VI. Tertul. de ſpect. c. X. Alii loca publica in ſpectaculis curabant, & viros honoratos per turbam deducebant in ſuas ſedes publico miniſterio, ut indicat Prologus Poenuli ... Denique alii erant praeſides & arbitri certaminum, leges & praemia agoniſtis dabant, βραβευταὶ Graece appellati: de quibus loquitur Vlpianus .. Haec Popmae ex pluribus, quae Lipſius in Amphith. & P. Faber in Agoniſtic. dixerant, contracta hîc lectori ſatis eſſe poſſent; niſi alia mihi pauca in Vlpianum commentanti in mentem veniſſent.

Ac primum quod apud Vlpianum Celſus ait, ab his *miniſterium, non artem ludicram exerceri*; id immerito ad eum locum ridet D. Gothofredus. *Ratio*, inquit, *elegans: quaſi viltus ſit artem ludicram exercere, quam arti ludicrae apparere*. Atqui hi non hiſtrionibus, ſed viris clariſſimis deducendis apparebant, ſimul etiam, teſte Donato, multitudinem, ne turbaret, retinebant.

Deinde Vlpianus ut Celſi de Deſignatoribus dictum magis confirmet, de ſuo addit: *Et ſane locus iſte HODIE a Principe non pro modico beneficio datur*. Vbi cum *HODIE* dicat, prae ſe oſtendit, ſua id aetate inoluiſſe, ut Deſignatores a Principe ordinarentur, & quidem *non pro modico beneficio*; ac plane eâdem ratione, qua Poteſtas de jure reſpondendi l. 2. in fine D. *de orig. jur.* & Jus togae l. 32. D. *de jure fiſci* dabantur a *Principe*: quae quidem beneficia in librum peculiarem referebantur, qui *Liber beneficiorum* vocabatur, uti conſtat ex Hygino de limit. ex Lampridio & aliis.

Atque hinc vides quantum inter antiquiora in-

(1) *Ajo in marmoribus non legi aliter quam* Diſſignator, *aut cum uno S* Diſignator: *quod idem eſt, ſicuti* Diſrumpo *&* Dirumpo, *item* Disjungo *&* Dijungo *itemq.* Dijunctio, *& alia ejuſdem modi. Ergo cum DIS integro praeter duo aeris noſtri loca, legitur apud Grut. p. 625. 11. his verbis*: C. Mattieni. C. F. OVF. Oviculae. annorum. XXVII. PRAECO. IDEM. DISSIGNATOR. *Item p. 270.* *DISSIGNATORE. SCAENAR. quod infra adſcribetur. At cum DI legitur in Fabrettiano marmore infra producendo de quodam* DISIgnatore. operum. publicorum. *Itemque apud Grut. p. 601. n. 1. in hunc modum.* C. Verres. Eros. Diſignator. Caeſaris. Auguſti. *In ſchedis quidem Pighianis ita recte legitur: at male Jac. Mazochius DESIGNATor exſcripſerat.*

Digitized by Google

nam ceteroqui praecones & libitinarii notiores ſunt, quam ut magnopere de iis fatagam. Diſſignatores autem cum libitinariis jungi haud ſemel (58) reperias: quod ubi fit, ibi non univerſum diſſignatorum genus, ſed eorum qui funeribus praeſunt, intelligitur. Quod non eo dico, quaſi in hac Tabula diſſignatores (utpote cum libitinariis junctos) illos tantummodo funerum a magiſtratibus & curia arceri putem; nam ludorum etiam diſſignatio vili habebatur, ac tantum (auctore Celſo apud Vlpianum in lege ſupra relata) non infamis viſa fuit.

Atque inter haec tria hîc notata miniſteria nihil ſordidius *Libitina* fuiſſe, Val. Maximus V. c. 2. ſatis praeſetulit: neſcio huic Legi (59) plus lucis illaturus, an inde

interque Vlpiani, h. e. Alex. Severi tempora interfuerit. Diſſignator olim ne in municipiis quidem coloniiſque aut magiſtratum quemcumque capere, aut in decurionibus eſſe, non magis quam libitinarius poterat. At trecentis poſt annis, ut Deſignator quis fieret, *pro magno beneficio* id dabatur a principe. Verum nequis fallatur; hoc Diſſignator vetus ferme a novo differt, quod terreſtris canis a ſtella ejus nominis differt; voce enim potius quam re conveniunt. Nam vetus Diſſignator quid fuerit, jam ſupra oſtenſum fuit. At ſub poſterioribus principibus majora coeperunt capeſſere munia, utpote *βραβευταὶ* certaminum facti: res ſane honorifica. Nec hactenus ſteterunt; nam ubi primum ſcaenarum aliorumque ad ludos ſpectantium adumbrationes (vulgo *deſignationes*, Italice, *Diſegni*) exhibere coepiſſent; etiam in operibus publicis ceteris, plane ut architecti, eadem moliti fuerunt: quae quidem ex inſcriptionibus didici. Apud Grut. p. 270. 6. quidam ſub Caracalla *Statilius* eſt, qui cum filiis *Statilio Dionyſio. trib. leg. XVI. . . . ET STATILIO MYRONE. DISSIGNATORE. SCAENAR. . . AMPLA. BENEFICIA. INDVLGENTIA. AVGVSTOR. . . conſecutus* dicitur. Vides verum eſſe quod Vlpianus dixit, *Diſſignationem pro magno beneficio* dari; cum Statilius *ampla beneficia* duo *conſecutus* ab Augg. dicatur, tribunatum unius filii, & *diſſignationem* alterius, quaſi tribunatui parem. Adhaec apud Fabrettum pag. 302. num. 284. affertur quidam *Hierocles Auguſti* ſervus *DISIgnator OPERVM PVBLICORVM*.

Atque hinc paullatim etiam nominis conſecuta permutatio fuit. Antiquitus *Diſſignatores*, id quod erant, vocabantur. *Diſſignare* enim eſt Dirimere ſeu ſeorſum ſignare. Id quia in inceſſu pompae, inque ſeſſu ad ſpectacula tamquam pro imperio faciebant, ſingulis aſſignantes loca; ob id ortum eſt eorum peculiare verbum, ex *Dis* particula diſcretiva & ex *Signare* factum, quaſi dixeris *ſeorſum aſſignare*; nam & *Aſſignare* eorumdem proprium fuit. At poſteaquam aedificiorum adumbrationes edere coeperunt, ſenſim ſine ſenſu iidem illi ex *Diſſignatoribus Deſignatores* evaſerunt. Nam ſicuti *Diſſignandi* verbum, uti ante dixi, proprium *Diſſignatoris* antiqui fuit; ita *Deſignare* (II) peculiare architectonicae adumbrationis videtur. Ac Donati aevo jam *DISSIgnatoris* initium ſyllaba DE occupaverat. Sic enim in comm. ad Adelphos I. 2. 7. ad illud, *Modo quid deſignavit*, commentatur: *Deſignare eſt rem novam facere . . . Deſignatores dicti qui ludis funebribus praeſunt, credo ob eam cauſam, quod ipſis ludis multa fiunt nova & ſpectanda*. At bona cum Donati venia. Prius *Diſſignatores* dicti quod ſua ſingulis loca aſſignarent (id enim *Diſſignare* erat) at poſtea *Deſignatores* vocati, quod iidem *deſignationes* novorum aedificiorum exſequendas proponerent. Quid mirum ſi poſt Donatum vulgo librarii ubicumque in auctoribus deſcribendis *Diſſignatorem* nanciſcerentur, ibi *Deſignatorem* ſubrogarent? At bene eſt quod æs noſtrum hîc & v. 30. *Diſſignationem*, ſimulque ſcripti lapides, & vetuſtiſſimi Plautini codices *Diſſignatorem* adhuc ſuperſtitem retinent.

(58) Vbi ſcil. de diſſignatoribus funeris agitur, ibi ſolent cum libitinariis copulari. Seneca de benef. VI. 38. *An tu Arruntium & Haterium & ceteros, qui captandorum teſtamentor. artem profeſſi ſunt, non putas eadem habere quae deſignatores & libitinarios vota? Illi tamen* (deſignatores & libitinarii) *quorum mortes optent, neſciunt: hi* (captatores) *familiariſſimum quemque . . . mori cupiunt*. Quintilianus declam. VI. *Lacrymas ipſas noviſſime perdo, inanis domi Libitina plangitur, deriſus deſignator redit, refertur rogus*.

(59) *Valerii locus de Libitinariis ex hac Lege corrigitur & illuſtratur.*

Val. Max l. V. c. 2. poſt illuſtrium virorum gratitudinis exempla, tandem n. 10. *Sit aliquis*, inquit, *etiam SORDIDIS* (& tamen) *gratis locus*. Accedo tamen optimae plerorumque Mſs. & vet. editorum lectioni: *Sordibus gratis locus*, ut ſit abſtractum pro concreto: *Sordibus* pro *Sordidis*; ficuti Cic. in Piſ. c. 26. *O lutum, o ſordes!* Ergo libitinarii *Sordes* merae vocantur.

Pergit Valerius. Nam cum Hirtii & Panſae funus publice locaretur; *Qui tunc Libitinam exercebant, tum rerum ſuarum uſum, tum miniſterium ſuum gratuitum polliciti ſunt, quia hi* (Hirtius & Panſa) *pro Rep. dimicantes occiderant. Perſeverantique poſtulatione* (eum ut *gratuitum* fieret, non impetraſſent) *extuderunt* (ſaltem) *ut exſequiarum apparatus ſeſtertio nummo ipſis praebentibus addiceretur*. Porro verba iſta *ſeſtertio nummo addiceretur*, ad imaginarias venditiones ſeſtertio nummo dicis cauſa peractas pertinent. Niſi quod unum hîc animadvertiſſe opus eſt, mancipationibus hujuſmodi, & *Addicendi* verbo, non tantum in venditionibus, verum & in aliis contractibus venditiones imitantibus videri fuiſſe locum. Hîc autem de locatione

(II) *Praeterquam enim quod Itali* Deſignare *dicunt, quod Latinis* Delineare *eſt, & quod iidem architectonicas adumbrationes operum vocant*, Diſegni; *videtur & cadens Latinitas τὸ* Deſigno *eddem notione de operibus uſurpaſſe, qua probi auctores id verbum ad mentis adumbrationes transferebant: ceu Ter. loco cit.* Quae antehac facta ſunt, omitto: modo quid DESIGNAVIT? *Appul. l. x.* Ibid. Deſignatum . . . facinus. *Hor.* Quid non ebrietas deſignat? *Cic. I. de nat. deor.* Omnium rerum deſcriptionem . . . mentis infinitae vi ac ratione deſignari & confici. *Hinc facile* Deſigno *ad ſciagraphiam translatum*.

Digitized by Google

inde capturus: cui, quod hîc *Libitinam facere* legimus, id *Libitinam exercere* dicitur, quaestum scil. qui ex funeribus redit. Nam hoc quoque vox *Libitina* designat, praeter cetera plura quae inferne (60) tangimus.

Ac de ministeriis hisce tribus hoc in commune notandum est, quod ii tantum ab honore curiae & magistratuum repelluntur, qui eorum aliquod adhuc exercent, non qui exercuerint: quod tum hîc aperte in hac lege ostenditur, tum etiam de praeconibus (quod & de binis aliis intelligendum est) diserte Cicero significat Leptae ita scribens VI. fam. 87. *Simul accepi a Seleuco tuo litteras, statim quaesivi e Balbo* (Cornelium, puto, Balbum Caesaris familiarem intelligit) *per codicillos, quid esset in* (61) *Lege. Rescripsit, eos, qui facerent praeconium, vetari esse in decurionibus: qui fecissent, non vetari. Quare bono animo sint & tui & mei familiares. Neque enim erat ferendum, cum, qui hodie haruspicinam facerent, in senatu Romae legerentur; eos qui aliquando praeconium fecissent, in municipiis* (62) *decuriones esse non*

ne fuisse actum, priora Valerii verba, quae initio omisimus, significant. Sic enim incipit. *M. Cornuto praetore funus Hirtii & Pansae jussu senatus LOCANTE, qui tunc Libitinam exercebant*, & reliqua ut supra. Plane quidem locationes non minus atque venditiones dicis causa consueviſse peragi, & *addici nummo sestertio*, hic Valerii locus ostendere quiverit. Vtut est, mancipatio certe est, qua *sestertio nummo ipsis* illis nummum *praebentibus* omnis exsequiarum apparatus *addicebatur*, postea, uti videtur, remancipandus.

Sequitur: *Quorum laudem, adjecta lege, conditio* (hominum sordida) *auget magis quam extenuat; quoniam quidem quaestum contemperunt* (ceteroqui) *nulli alii rei quam quaestui viventes*. Atque illud *Adjecta lege*, eo ab omnibus trahitur, quod lex esset, ajunt, ne funus gratis fieret. Quare libitinarii extuderunt, ut dicis causa *nummo sestertio addiceretur*, nequa fraus legi fieret. Nugae germanae. Nam ubinam de ea lege, ne funus gratis fieret, vestigium? At bene est, quod huic loco acumen Lipsii tulit suppetias. Qui ex ingenio pro ablativo *Adjectâ* rectum *Abjecta* substituit. *Abjecta* (ex ipsa) *lege conditio*. At quia merito quaerebatur a Lipsio, ubinam eam legem reperisset, qua istorum *conditio* habita fuerit *abjecta*; idcirco vir eruditiss. *legem* de *moribus* interpretatur, quippe sic παραφράζων: *Libitinarii, inquit Valerius, etsi LEGE AC MORE abjectum ac vile genus, tamen* &c. Hactenus Lipsii sagacitas steterat: qua tamen non impetravit, ut emendatio pulcherrima in secutas editiones admitteretur; nam etiam in nupera splendidissima ἐκδόσει Leidensi *Adjectâ* excusum fuit.

Verum siqua usquam ex ingenio profecta correctio amplectenda sit; hujus certe in editionibus habenda est ratio. Nam de lege si quaeritur, quae libitinarios viliſſimos & abjectos habuerit; ecce tibi Tabulae Heracleenſis Kaput, in quo versamur: quo Kapite nec magistratus capere, neque ad curias municipales admitti libitinarii sinuntur. Atque haec illa lex est, ad quam respexit Valerius, ubi *abjectam lege conditionem* illam facientium libitinam vulgo habitam scripsit.

Postremo nihil magis sordes libitinariorum demonstrat, quam quod Valerius statim a superiore narratione, ad externa exempla transiturus, veniam a Regibus, de quibus narraturus erat, in hunc modum exposcit. *Pace cinerum suorum reges gentium externarum, secundum hunc TAM CONTEMPTVM GREGEM* (libitinariorum) *referri se patientur*. Verebatur scil. Valerius, ne ex proximitate narrationis manes Regii de grege contaminatissimo maculae quidquam contraherent.

(60) *De variis vocabuli Libitinae acceptionibus, deque Libitinariis.*

I. *Libitina* est dea Venus cognomento *Libitina*, quae funeribus praeest: unde & saepe etiam pro morte accipitur. Scitum est quid Horatio sit *Vitare Libitinam*.

II. *Libitina* (ait Acron ad Hor.) *lectus est, in quo mortui efferebantur*. Quo spectat illud Martialis VIII. 43. *Vna duos ut Libitina ferat*: & illud Quintil. Decl. VI. (quod supra retuli) *Inanis domi Libitina plangitur*. Asconius in Milon. *Fasces ex lecto Libitinae raptos* (ubi videtur lectulum a *Libitina* distinguere, quasi si Libitina sit feretrum, cui lectus imponebatur) *attulit ad domum Scipionis & Hypsaei*. Lipsius ad Sen. de benef. VI. 38. fasces istos ad dissignatoris *lictores atros* (uti vocat Hor) refert.

III. *Libitina* est funerum apparatus, una cum pollinctorum, portitorum & id genus hominum copia. Eo spectat illa locutio apud Livium XLI. 21. & Jul. Obseq. de prod. c. 65. ubi in gravi pestilentia *Non sufficisse Libitina* dicitur.

IV. Postremo *Libitina* est ipsum funebre officium, ex quo qui *Libitinarii* vocabantur, quaestum faciebant. Hoc ipsum in aere nostro *Libitinam facere*, & in Val. Max. *Libitinam exercere* dicitur. Phaedrus IV. 19.

Qui circumcidis omnem impensam funeris,
Libitina nequid de tuo faciat lucrum.

Plura qui volet, eos adeat, qui de funeribus egerunt.

(61) De ea *lege* agitur, quam Caesar Hispaniae municipiis dare volebat; creditur enim epistola haec anno Vrb. DCCVIII. scripta, cum Caesar Romam recens ex Hispania revertisset. Adscribam quae hîc P. Manutius adnotat. Legem hanc *scripserat vel ipse Caesar, antequam iret in Hispaniam, vel post profectionem* (ejus) *Balbus & reliqui familiares ex ejus sententia: ut ipso* (postea) *in Vrbem reverso, promulgaretur & ferretur. Nam si lata fuisset, vel etiam promulgata; non a Balbo, quid in ea esset, Cicero quaesisset*.

(62) *Municipia* potissimum nominat, quod hujus conditionis illa essent, in quibus Leptae familiares decuriones fieri cupiebant. Atque hinc patet cur in Hispaniis tam multa *municipia* (praeter colonias) fuerint: quorum municipior. seges ditissima colligitur ex Augusti & sequentium Caesarum nummis apud Vaillantium in *Coloniarum & Municipiorum numismatibus*. Ea municipia sive Caesar proxime ante mortem datis legibus constituerat, sive eadem ex patris postea sententia Augustus ordinavit. Nonnulla eorum *Julii* cognomen gerunt, alia *Augusti*, aut utrumque.

Digitized by Google

non licere. Adhaec apud Tullium lib. II. in Ver. cap. 49. In legibus, quas C. Claudius Haleſinis dedit, praeter tricenariam aetatem (de qua ſupra ex Cic. docui lectorem) ſanciebatur etiam *de quaeſtu, quem qui feciſſet, ne legeretur: de cenſu: de ceteris rebus*. Adhaec Agrigentinis antiqua lege Cornelia *Eadem illa ſancta* fuiſſe, quae Haleſinis (de aetate ſcil., de quaeſtu, de cenſu, de ceteris) juſſa fuerant, mox Cic. cap. 50. ſignificat. Ad quaeſtum ea pertinent, quae hîc de praeconio, diſſignatione, libitina ſanciuntur, nec non quae infra cap. 8. de hîs qui notantur infamia continentur. At *de cenſu* nihil quidem hac lamina legitur: verum id in alia ex ſociis tabulis comprehenſum fuiſſe, ſatis Cicero indicat, dum cenſum a C. Claudio Haleſinis ſenatoribus conſtitutum ait; ſicuti & poſtea Plinius cenſûs municipalis (63) ſenatorii ſaltem in Italiae curiis modum definivit.

IBID. ver. 20. 21. 22. *Dum eor. quid faciet . . . Magiſtratum petito neve gerito . . . neve ibi ſenator eſto.*] *Dum*, inquit, *eorum quid faciet*, non qui olim fecerit. Nimirum hoc illud eſt, quod ſupra ex Tulliana ad Leptam epiſtola didiceramus, *Qui facerent praeconium, vetari eſſe in decurionibus: qui feciſſent, non vetari*. Similiter lib. II. in Ver. c. 49. *Ab iſto* (Verre) *& PRAECO* (qui adhuc ſcil. praeconium faceret) *qui voluit, iſtum ordinem pretio mercatus eſt*. Quocirca quod paullo ſuperius *Feciſſet* in Tullio legitur, commode explicandum (64) cenſeo.

IBID. *Magiſtratum* (neve) *petito, neve gerito, neve habeto.*] Etſi plerumq. non niſi petentibus dabatur honor; at interdum etiam non petenti deferri poterat. Id ſi accidiſſet contra ſuperiorem legem; magiſtratus ab hujuſmodi deſignatis *geri* non poterat. Ac ne *haberi* quidem poterat, veluti ſiquis domi ſe continens, tamen vim poteſtatemque apud ſe magiſtratûs retinere vellet. Ergo ſicui non petenti, tamen magiſtratus contra ſupra ſcriptam legem deferretur; debebat ſe protinus abdicare, ita ut non modo magiſtratum non *gereret*, ſed ne *haberet* quidem.

VER. 22. *Neve ibi ſenator, neve decurio, neve conſcriptus eſto, neve ſententiam dicito*] Ex ultimis verbis arguitur, legislatorem cavere in poſterum voluiſſe, ne, ſi forte quis contra legem ſive vi, ſive magiſtratuum populive ſtudio in ſenatum intruſus eſſet, is ſententiam rogaretur, aut ne rogatus ſententiam diceret; aut etiam ſi diceret, ne ejus ſententiae ratio haberetur, neve decretum quodvis in ejus ſententiam factum, qui contra leges dixiſſet, ratum haberetur. Ceteroqui olim in ſenatu Romano fuiſſe, quibus, etſi nondum ſenatoribus, tamen & adeſſe in ſenatu liceret, & ibi ſententiam dicere, ſatis (65) compertum eſt.

VER.

(63) *Modus cenſûs decurionum ex Plinio.*

Plinius I. epiſt. 19. ad Firmum municipem ſuum ita ſcribit: *Eſſe autem tibi centum millium cenſum, ſatis indicat, quod apud nos decurio es*. Ergo is cenſus erat, qui in coloniis & municipiis in decurione requirebatur: qui hodiernor. ſcutatorum bis mille quingentorum ſummam aequat. Nec dubito quin in lege noſtra, ubi de hoc agebatur, par cenſus imperatus ſenatoribus, decurionibus, conſcriptiſq. fuerit. Ibidem apud Plinium ſtatim ita ſequitur: *Igitur ut te non decurione ſolum, verum etiam equite Rom. perfruamur, offero tibi ad implendas equeſtres facultates CCC. millia nummum*. Rara in amicum munificentia. Vides hinc cenſum equeſtrem quadruplo, quam decurionum, fuiſſe ampliorem.

(64) Cicero lib. II. in Ver. c. 49. *In quibus* (legibus) *multa ſanxit de aetate . . . de quaeſtu, quem qui FECISSET, ne legeretur*. Ex illo *feciſſet* arguitur, ſordidum quaeſtum, etſi anteactum, ſemper impedimento fuiſſe futurum. Multa reſponderi poſſunt: I. leges de cooptandis ordinibus Tullium non plane tenuiſſe, ne tum quidem cum multo poſt in VI. fam. 87. a Lepta conſultus de praeconibus fuit. Nam quia ex Balbo id quaeſivit; probat ſe hujuſmodi leges (quae ceteroqui ad eumdem modum omnes ſcribi ſolebant) ignoraſſe. II. *Feciſſet* pro *faceret* ab oratore poſitum; nec enim exacte ſemper loquimur ſcribimuſve. III. Quaeſtum de quo Cicero, alium eſſe ſordidum tantum (uti praeconium, diſſignationem, libitinam) alium vero junctum cum nota infamiae, cujuſmodi illa ſunt omnia, de quibus in ære hoc infra cap. 8. & in Edicto praetoris in tit. *De his qui not. infamia*. Horum vero generum prius in praeſens exercentibus tantum nocebat, poſterius etiam iis qui exercuiſſent, etſi ab eo deſtitiſſent. Hinc Tullius ut utrumque uno verbo complecteretur, illud FECISSET uſurpavit, quippe cum notatorum infamiâ genera longe plura eſſent, quam alterorum.

(65) *Diſcrimen inter ſenatores, & eos quibus liceret ſententiam dicere, ex Livio, Feſto, A. Gellio.*

Apud Livium XXXVI. 3. ad ann. 562. cum bellum adverſus Antiochum apparandum eſſet, P. Cornelius Coſ. edixit, *Qui ſenatores eſſent, QVIBVSQVE IN SENATV SENTENTIAM DICERE LICERET, quique minores magiſtratus eſſent, nequis eorum longius ab urbe Roma abiret, quam unde eo die redire poſſet: neve uno tempore quinque ſenatores ab urbe Roma abeſſent.*

Quid

Digitized by Google

VER. 23. *Qui . . . adverſus ea fecerit, is ſeſtertiûm quinquagena millia populo dare damnas eſto.*] Ea pecunia hodiernorum mille ducentorum quinquaginta ſcutatorum ſummam exaequat. Ex irrogatae multae gravitate cognoſci poteſt, quantae tunc temporis curae fuerit curias in perpetuum conſtabilire. Nec minor multa irrogatur infra v. 33. 51. 66. At levior ſupra in Brit. v. 19. ubi quingentor. tantum ſeſtertiûm multa denunciata fuit.

IBID. *Ejuſque pecuniae, cui volet, petitio eſto.*] Hac clauſulâ, quae ſemper multae ſubnectitur, nos ad Brit. ver. 19. explicandâ ſuperſedimus, quippe quam Conradus breviter expoſuerat: quem vide Cap. V. pag. 293.

Quid inter utroſque intereſſet, Feſtus & Gellius expoſuerunt. Prior ita poſuit in v. SENATORES, quos vult a ſenectute dictos: *Et nunc* (pro Etiam nunc) *cum ſenatores adeſſe jubentur* (ſupple: Edicto additur) *QVIBVSQ, IN SENATV SENTENTIAM DICERE LICET: quia ii, qui poſt luſtrum conditum ex junioribus magiſtratum ceperunt, & in ſenatu ſententiam dicunt, & non vocantur ſenatores ante, quam in ſenioribus ſunt cenſi.*

Ea edicti verba etiam Gellii tempore, quo a ſententiae dictione juniorum ceſſatum fuerat, tamen adhuc integra dicis cauſa uſurpabantur. Ait enim III. 18. *Videturque* (Varro) *eos ſignificare, qui* (quia) *nondum a cenſoribus in ſenatum lecti erant, ſenatores quidem non erant, ſed quia honoribus populi uſi quidem erant, in ſenatum veniebant, & ſententiae jus habebant . . . Hoc ſignificabat edictum, quo NVNC QVOQ. conſules, cum ſenatores in curiam vocant, SERVANDAE CONSVETVDINIS CAVSA TRALATITIO utuntur. Verba edicti haec ſunt: SENATORES QVIBVSQVE IN SENATV SENTENTIAM DICERE LICET.*

Ac fortaſſis eodem jure utebantur ii, quibus (apud Plinium X. 83.) ex edicto Auguſti ab anno XXII. minores magiſtratus capere permiſſum fuit, quibuſque ratione magiſtratûs ex lege Pompeia in ſenatum aditus (&, credo, non ſine ſententiae dictione) continuo patebat.

Kaput VII.

24 QVEIQVOMQVE · INMVNICIPIO · COLONIAE · PRAEFECTVRA · POST ·
K · QVICT · PRIM · COMITIA · II · VIR · IIR · VIR ALEIVE · QVOI ·
MAG
25 ROGANDO · SVB · ROGANDOVE · HABEBIT IS · NEQVEM QVEI ·
MINOR · ANNEIS · NATVS · EST · ERIT · II · VIR · III · VIR · QVEI ·
IBEI
26 ALIVM · MAG · HAPEAT · RENVNTIATO · NEVE · RENVNTIAREI ·
IVBETO · NISI · QVEI · SIIPENDIA · EQVO · INLECIONE · III · AVT
STI
27 PINDIA · PEDESTRIA · IN · LECIONE · VI · FECERIT · QVAESTIPENDIA · INCASTREIS · INVE · PROVINCIA · MAIOREM · PARTEM · SVI
28 QVOIVSQVE · ANNI · FECERIT · AVT · BINA · SEMESTRIA · QVA · EI ·
PRO · SINGVLEIS · ANNVEIS · PROCEDERE · OPORTEAT · CVM · EO
29 QVOD · EI · LEGIBVS · PL · VE · SC · PROCEDERTOPORTEBIT · AVT
EI · VOCATIO REI · MILITARIS · LEGIBVS · PL · VE · SC · EX · VE ·
FOEDERE
30 ERIT · QVO · CIRCA · EVM · INVITVM · MERERE · NON · OPORTEAT ·
NEVE · EVM · QVEI · PRAECONIVM · DISSIGNATIONEM · LIBITINANVE
31 FACIET · DVM · EORVM · QVID · FACIET · II · VIR · IIIF · VIR · QVEIVE · IBEI · MAC · SIT · RENVNTIATO · NEVE · INSENATVM · NEVE ·
INDE
32 CVRIONVM · CONSCRIPTORVM · NVMERO · LEGITO · SVB · LECITO ·
COPTATO · NEVE · SENTENTIAM · ROCATO · NEVE · DICERE · NEVE
33 FERRE · IVBETO · SC · D · M · QVEI · AD · VERSVS · EA · FECERIT · IS ·
HS · Iɔɔɔ · P · D. D · ESTO · EIVSQVE · PECVNIAE · QVEI · VOLET · PETITIO · ESTO

CA-

Digitized by Google

CAPVT VII.

Qui comitiis praeerit, ne cujus minorennis, niſi confectis ſtipendiis, legitimave vacatione fulti, ad magiſtratus capiendos rationem habeto: neve praeconem, diſſignatorem, libitinarium ad magiſtratus, aut ad curiam promoveto: ſecus qui faxit, pecuniam populo dare damnas eſto.

24 *Quicumque in Municipio, Colonia, Praefectura, poſt Kalendas Quinctiles primas comitia IIviris, IIIviris, aliive cui magiſtratui*
25 *rogando ſubrogandove habebit, is ne quem, qui minor annis* (triginta) *natus eſt erit, IIvirum, IIIvirum, qui*(-ve) *ibi*

VER. 24. Hoc toto Kap. eadem omnia, quae in ſuperiore, imperantur vetanturve, ejuſdemque poenae ſanctio in fine exſtat. Ad ſummam omnia hîc verbis totidem ex ſuperiore cap. revocantur. Hoc unum diſpar, quod in ſuperiore Kapite oratio perpetuo dirigitur ad municipes, ne hoc illudve admittant: hîc vero verba legis a ſummo ad imum ad eos qui praeerunt comitiis, intenduntur: viderent ſcil. nequid earumdem rerum contra leges fieret. Ni imperata facerent, eisdem comitiorum praeſidibus multa eadem irrogatur.

VER. 24. *Quicumq. poſt Kal. QuinCTiles* (per CT multo ſaepius quam per T, teſte Fabretto p. 199.) *primas comitia IIviris IIIIviris* (ſic ſemper alibi: tamen hîc, & clarius v. 25. eſt III. VIR. pro IIII. VIR.) *aliive cui magiſtratui rogando ſubrogandove habebit, is . .*] Vides hinc & ſupra ex v. 15. comitia in hoc municipio poſt Kal. Quinctiles habita fuiſſe: hanc vero tabulam inter Kal. Quinctiles & Kal. Januarias fuiſſe perſcriptam. Nam quia poſt Kal. Quinctiles h. e. poſt comitia magiſtratuum creandorum ſcripta fuit; idcirco ſupra v. 15. valiturum kaput illud (nequis ſcil. minor ann. XXX. magiſtratum gerat) dicitur *poſt Kal. Januarias ſecundas*, non vero *poſt primas*. Etenim Kalendis Januariis primis magiſtratus illos, qui ſuperioris anni comitiis utcumque creati fuerant, ſive tricenarii ſive minores eſſent, prorſus inire magiſtratum neceſſe erat, ne reſp. turbaretur, & quia rite, utpote ante legem, creati videbantur.

At verſu 24. quia compellantur ii, qui praefuturi erant comitiis anni ſequentis, h. e. *poſt Kal. Quinctiles primas*, habendis; recte hi praeſides comitiorum jubentur, necujus minoris annis XXX. in magiſtratibus ſubrogandis *poſt Kal. Quinctiles primas* rationem habeant. Magiſtratus vero illi *poſt Kal. Quinctiles primas* ex lege creandi, nonniſi *Kalendis Jan. ſecundis* inituri erant. Ad ſummam haec lex quia poſt Kalend. Quinctiles & ante Januarias ſcripta fuit, non quivit efficere, quominus magiſtratus proxime ante creati, etſi minorennes, pro rite creatis haberentur (quia nim. lex in praeteritum nullam vim habet) & quin ſequentibus Kal. Januariis primis inirent. Id vero tantum effecit, ut qui comitiis Quinct. primis praefuturi eſſent, caverent, nequis minor ann. XXX. ſubrogaretur.

VER. 25. *Magiſtratui rogando ſubrogandove.*] Vbi de novo magiſtratu creando agitur, tum *magiſtratui rogando* peragi comitia dicuntur: at *ſubrogando magiſtratui*, ubi novi in locum veterum deſignantur. Vtrique non ſtatim ac deſignati, ſed Kal. Januar. ſicuti & Romae, inibant.

IBID. *Minor annis natus eſt*] Ex v. 15. ſupplendum eſt XXX. Tametſi reſpectu habito ad legem annariam, recte *Minor annis*, aut *Minorennis* intelligebatur is, qui nondum eum annum attigiſſet; ſicuti reſpectu legis Plaetoriae (ex qua aetas legitima ad ſe obligandum erat XXV. annorum) *Minor* abſolute dictus capiebatur is, qui ad eam aetatem non perveniſſet.

Digitized by Google

26 *alium magiſtratum habeat, renuntiato, neve renuntiari jubeto, niſi qui ſtipendia equo in legione tria, aut ſti-*
27 *pendia pedeſtria in legione ſex fecerit. Quae ſtipendia in caſtris, inve provincia majorem partem ſui*
28 *cujuſque anni fecerit; aut bina ſemeſtria, quae ei pro ſingulis annuis procedere oporteat, cum eo*
29 *quod ei Legibus, Plebiſve ſcitis procedere oportebit, aut ei vacatio rei militaris Legibus, Plebiſve ſcitis, exve Foedere*
30 *erit; quocirca eum invitum merere non oporteat. Neve eum, qui praeconium, diſſignationem, libitinamve*
31 *faciet* [*dum eorum* (ali-)*quid faciet*] *Duum-virum, Quatuor-virum, quive ibi* (alius) *magiſtratus ſit, renuntiato, neve in Senatum, neve in De-*
32 *curionum, Conſcriptorum numero legito, ſublegito, cooptato, neve ſententiam rogato, neve dicere, neve*
33 *ferre jubeto ſciens dolo malo. Qui adverſus ea fecerit, is ſeſtertium quinquagena millia populo dare damnas eſto, ejuſque pecuniae, qui volet, petitio eſto.*

VER. 26. *Qui*(ve) *ibi alium magiſtratum habeat*] Hoc, quia duo ſimul magiſtratus geri ab uno non poterant. Tametſi etiam atque etiam videndum, an non error ſcalptoris hîc ſubſit: quem ſcripſiſſe opus fuerat (ſicuti infra v. 31.) *Quive ibi alius magiſtratus ſit*. Nam alibi aliud fuiſſe ſummo magiſtratui nomen, jam ſupra ad ver. 9. 10. (ad illud ALIOVE. QVO. NOMINE) monebamus. Niſi vero, retento τῷ HABEAT, praeſtet ſolum quartos caſus in rectos mutare hoc modo: *Qui* (ve) *ibi alius magiſtratus habeat*. Nam *Habet* pro *Eſt* tum hodie Italico ſermone uſurpatur, tum olim Latine dicebatur: qualia illa ſunt, *Bene habet*, *Recte habet*, pro *Bene* aut *Recte eſt*.

VER. 28. 29. *Aut bina ſemeſtria, quae ei pro ſingulis annuis procedere oporteat*] Hinc aperte cognoſcitur, *Semeſtria* tam adjectivum eſſe, quam ſequens *Annuis*; utrobique enim ſtipendium ſubauditur, ut ad v. 18. dixi: *Aut*, inquit, *bina* (ſtipendia) *ſemeſtria, quae ei pro ſingulis* (ſtipendiis) *annuis procedere oporteat*.

VER. 29. *Cum eo quod ei legibus plebiſve ſcitis procedere oportebit*.] H. e. eo etiam praeterea addito levamento, ſiquod forte ſit, quod ei ex legibus plebiſve ſcitis proficere oportebit. Veluti ſi quaterna trimeſtria pro ſingulis annuis procedere ex legibus poſſent, aut quodvis aliud nobis ignorabile beneficium.

VER. 32. COPTATO) Συνίζησις eſt ſive pro *cooptato* (ut PRAERVNT pro *praeerunt*, uti ſaepe in ære hoc) ſive pro COAPTATO quod ſup. v. 12. legitur.

VER. 32. 33. *Neve ſententiam rogato*] Id quod tum ſaltem accidere potuit, cum in gravioribus rebus ad unum omnes, qui in ſenatu erant, ſententiam rogabantur: id quod PERROGARE vocabatur. Livius XXIX. 19. *Perrogari eo die ſententiae non potuerunt, accenſis pro Scipione & adverſus Scipionem ſtudiis*. Suetonius de Auguſto cap. 35. *Sententias de majore negotio... perrogabat*. Plinius paneg. cap. 60. *Parum eſt... ut cenſentes audias, niſi & perrogas.*

VER. 32. 33. *Neve dicere, neve ferre jubeto*.] *Dicere* ac *ferre ſententiam* quis non pro ſynonymis uſurpavit? Tamen ex tota hac Tab. aliiſque legibus antiquis animadvertitur, data opera coacervari ſynonyma ſingula, nequa captionibus rima pateret, neve eſſent, qui neſcio quibus verborum differentiis freti, vim legibus inferrent, unum non alterum dictitantes vetari. Exſtat & Ulpiani (66) ſententia quae

(66) Vlpianus l. 8. *de munerib.* ſic incipit: *Ad remp. adminiſtrandam, ante viceſimum quintum annum* (vides per haec tempora quaenam aetas ſenatoria, & ad gerendos honores quaeſita fuerit: quem

quae minores aetate ad remp. gerendam (i. e. *ferre ſententiam*) in curia palegitimâ , ne *FERRE* quidem *ſuffragium* titur .

quem locum magnopere notari cupio) *vel ad munera , quae non patrimonii ſunt , vel ad honores , admitti minores non oportet : denique nec DECVRIONES creantur , vel creati SVFFRAGIVM IN CVRIA FERVNT . Annus autem viceſimus quintus coeptus pro pleno habetur &c.*

K a p u t VIII.

34 QVAE · MVNICIPIA · COLONIA · PRAEFECTVRA · FORA · CONCILIABVLA · C · R · SVNT · ERVNT · NEIQVIS · INEORVM · QVO · MVNICIPIO

35 COLONIA · PRAEFECTVRA · CONCILIABVLO · SENATV · DECVRIONIBVS · CONSCREIPTEISQVE · ESTO . NEVE · QVOE IBI · INEO · ORDINE

36 SENTENTEMTIAM · DEICERE · FERRE · LICETO · QVEI · FVRTEI · QVOD · ISPE · FECIT · FECERIT · CONDEMNATVS · PACTVSVE · EST · ERIT

37 QVEIVE · IVDICIO · FIDVCIO · PRO · SOCIO · TVTEIAE · MANDATEI · INIVRIARVM · DEVE · D · M · CONDEMNATVS · EST · ERIT · QVEIVELECE

38 PLAETORIA · OB · EAMVE · REM · QVOD · ADVERSVS · EAM · LECEM · FECET · FECERIT · CONDEMNATVS · EST · ERIT · QVEIVE · DEPVCNANDEI

39 CAVSSA · AVCTORATVS · EST · ERIT · FVIT · FVERIT · QVEIVE · INIVRE · AB · IVRAVERIT · BONAMVE · COPIAM · IVRAVIT · IVRAVERIT · QVEI

40 SPONSORIBVS · CREDITORIBVSVE · SVEIS · RENVNTIAVIT · RENVNTIAVERIT · SE · SOLDVM · SOLVERE · NONPOSSE · AVT · CVM · EIS

41 PACTVS · EST · ERIT · SE · SOLDVM · SOLVERE · NON · POSSE · PROVE · QVO · DATVM · DEPENSVM · EST · ERIT · QVOIVSVE · BONA · EX · EDICTO

42 EIVS · QVID · PRAEFVIT · PRAEFVERIT · PRAETERQVAM · SEI · QVOIVS · QVOM · PVPILLVS · ESSET · REIVE · PVBLICAE · CAVSSA · ABESSET

43 NEQVE · D · M · FECIT · FECERIT · QVO · MAGIS · R · P · C · A · POSSESSA · PROSCRIPTAVE · SVNT · ERVNT · QVEIVE · IVDICIO · PVBLICO · ROMAE

44 CONDEMNATVS · EST · ERIT · QVO · CIRCA · EVM · INITALIA · ESSE NON · LICEAT · NEQVE · ININTECRVM · RESTITVS · EST · ERIT · QVEIVE · INEO

45 MVNICIPIO · COLONIA · PRAEFECTVRA · FORO · CONCILIABVLO · QVOIVS · ERIT · IVDICIO PVBLICO · CONDEMNATVS · EST · ERIT · QVEMVE

46 K · PRAEVARICATIONIS · CAVSSA · ACCVSSASSE · FECISSEVE · QVOD · IVDICATVM · EST · ERIT · QVOIVEAPVT · EXERCITVM · INONOMINIAE

47 CAVSSA · ORDO · ADEMPTVS · EST · ERIT · QVEMVE · IMPERATOR · INCNOMINIAE · CAVSSA · AB · EXEBCITV · DECEDERE · IVSET · IVSERIT

48 QVEIVE · OB · CAPVT · C · R · REFERVNDVM · PECVNIAM · PRAE-

Digitized by Google

MIVM · ALIVDVE · QVID · CEPIT · CEPERIT · QVEIVE · CORPORI · QVAESTVM
49 FECIT · FECERIT · QVEIVE · LANISTATVRAM ARTEMVE LVDICAM FECIT FECERIT · QVEIVE · LENOCINIVM · FACIET · QVEI
50 ADVERSVS · EA · INMVNICIPIO COLONIA PRAEFECTVRAVE FORO CONCILIABVLO DECVRIONIBVS CONSCRIPTEISVE EVERIT
51 SENTEMTIAMVE · DIXERIT · IS HS · Iɔɔɔ. P · D · D · ESTO · EIVSQVE · PECVNIAE · QVEI · VOLET · PETITIO · ESTO.

CAPVT VIII.

Ne notati infamia in ſenatum legantur, ibive ſententiam dicant.

34 *Quae Municipia, Coloniae, Praefecturae, Fora, Conciliabula Civium Romanorum ſunt, erunt; ne quis in eorum* (ali)*quo Municipio,*

Antequam hoc Kaput aggrediar, operae fuerit de his Edicti verba, quae nobis Julianus lib. 1. ad Edictum ſervavit, adſcribere. Ea exſtant Leg. 1. D. *de his qui not. inf.* ubi ICtus ita infit. *Praetoris verba dicunt: Infamia notatur* (I) *Qui ab exercitu ignominiae cauſa ab imperatore, eove cui de ea re ſtatuendi poteſtas fuerit, dimiſſus erit:* (II) *Qui artis ludicrae pronunciandive cauſa in ſcaenam prodierit:* (III) *Qui lenocinium fecerit:* (IV) *Qui in judicio publico calumniae praevaricationiſve cauſa quid feciſſe judicatus erit:* (V) *Qui furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, de dolo malo, & fraude ſuo nomine damnatus pactuſve erit:* (VI) *Qui pro ſocio, tutelae, mandati, depoſiti, ſuo nomine non contrario judicio damnatus erit.* Cetera quae in edicto ſequuntur, huc non attinent. At totus is titulus *De his qui notantur infamia* (lib. III. Pandect. tit. 2.) ſicuti & libri II. Codicis titulus XII. (nim. *Ex quibus cauſis infamia irrogatur*) pluresque ſparſim leges in Jure diſſeminatae (veluti longior illa Vlpiani lex 1. §. 6. D. *de poſtul.*) poſſunt huic Kapiti VIII. lucem aſpergere, eaeque viciſſim ex ære noſtro mirifice illuſtrari; nec enim negari poteſt, quin ex ære hoc plura in Edictum perpetuum immigrarint.

Porro quod in Edicti verbis n. VI. ſcribitur, *Suo nomine, non contrario judicio;* horum prius *directam actionem* ſive *principalem* notat, quae pupillo adverſus tutorem, mandanti adverſus mandatarium, deponenti adverſus depoſitarium, & ita de pluribus aliis, datur: *contrarium* vero *judicium* (ſive actio) eſt, quod tutori adverſus pupillum, mandatario contra mandantem, & ita porro competit. Ac plurimae inſcriptiones titulorum juris (67) huc pertinent. Atque haec quamvis vulgo notiſſima, ea de cauſa notavi, quod *judicia directa* (ſive SVO NOMINE, ut in Edicto ſcribitur) infamiam aſpergunt, non autem *contraria judicia*, ut & Edictum (68) hîc ſtatuit, & Vlpianus alicubi (69) docet.

VER.

(67) Cujuſmodi illae ſunt, *Commodati vel contra: Depoſiti vel contra: Mandati vel contra.* Huc etiam refer titulum (lib. 27. Pand. tit. 4.) *De contraria tutelae & utili actione*, ubi eam Vlpianus l. 1. a Praetore propoſitam dicit, *Vt facilius tutores ad adminiſtrationem accederent.* Sic etiam *Contrarium judicium Commodati, Mandati, Tutelae.* Cicero III. de offic. c. 17. *Fideiq. bonae nomen exiſtimabat* (Scaevola) . . . *verſari in tutelis, ſocietatib. fiduciis, mandatis . . . quib. vitae ſocietas continetur: in his magni eſſe judicis ſtatuere* (*praeſertim cum in pleriſq. eſſent IVDICIA CONTRARIA*) *quid quemq. cuiq. praeſtare oporteret.*

(68) Quid clarius? *Qui pro ſoc. tut. mand. dep. ſuo nom. NON CONTRARIO IVDICIO damnatus erit.*

(69) Vlpianus hoc idem diſerte docuit l. 6. §. 7. D. *de his qui not. inf.* his verbis: *Contrario judicio damnatus non erit infamis. Nec immerito: nam in contrariis non de perfidia agitur, ſed de calculo, qui fere judicio ſolet dirimi.*

Digitized by Google

35 *Colonia, Praefectura, Conciliabulo* (in) *Senatu Decurionibus Conſcriptiſque eſto, neve* (ali)*cui ibi in eo ordine*
36 *ſententiam dicere ferre liceto, qui furti, quod ipſe fecit, fecerit, condemnatus pactuſve eſt erit:*
37 *quive judicio fiduciae, pro ſocio, tutelae, mandati, injuriarum, deve dolo malo condemnatus eſt erit: quive lege*

VER. 35. 36. *Nequis in . . . ſenatu, decurionibus . . . eſto, neve QVOE* (pro *Quoi:* hoc vero pro *Cui*) *in eo ORDINE ſententiam dicere, ferre liceto*] Quare curia *ORDO* appelletur, & quidem *Splendidiſſimus Ordo*, innui Adn. 38. ad Tab. Canuſinam.

VER. 36. *Qui furti, quod ipſe fecit, fecerit, condemnatus, pactuſve eſt erit*] In Edicto praetoris, quod initio recitavi, hoc ipſum continetur num. V. his verbis: *QVI FVRTI, vi bonorum raptorum, injuriarum, de dolo malo, & fraude SVO NOMINE* (iſtud *ſuo nomine* reſpondet noſtro huic: *Quod ipſe fecit*) *DAMNATVS PACTVSVE ERIT*. Quid autem *Pactus* hoc loco ſignificet, etiam ex Jure noſtro notum eſt. Is *furti pactus* dicitur, qui pretio oblato paciſcitur, ne furti ſecum agatur. Atq. is nihilominus tam infamis eſt, quam furti damnatus; *Quoniam* (ait Paullus l. 5. D. *de his qui not. inf.*) *intelligitur confiteri crimen, qui paciſcitur*. Ac de his plura in ima (70) ora ex Vlpiano damus.

VER. 37. *Quive judicio fiduciae, pro ſocio, tutelae, mandati, injuriarum, deve dolo malo condemnatus eſt erit*.] Eadem, etſi ordine diverſo, reperio apud Tullium in III. de Nat. deor. c. 30. *Inde tot IVDICIA de fide mala, TVTELAE, MANDATI, PRO SOCIO, FIDVCIAE*. At equidem a *Fiducia* (quod ultimum in Cicerone eſt, ſed in Tab. primum) ordior. Boethius ad Topica Cic. *Fiducia*, ait, *contrahitur, cum res alicui ea lege mancipatur, ut eam mancipanti remancipet: ut ſi quis tempus dubium timens, amico potentiori fundum mancipet, ut ei, cum tempus quod ſuſpectum eſt praeterierit, reddat.* Ergo fiducia erat contractus juris civilis, & ſpecies quaedam mancipationis, qua fidem alicujus ſecuti, rem ei aliquam dicis cauſa mancipabant ea lege, ut eamdem mancipanti viciſſim manciparet. Cum autem debitores in tradendis creditori pignoribus, interpoſitâ fiduciâ, de iisdem reddendis ſibi caverent; hinc ſaepe *Fiducia* veteri juris ſignificatu pro pignore ſumitur, quod creditori mancipatur, aut in jure ceditur ea lege, ut ſolutâ ad diem pecuniâ, remancipetur, non ſolutâ, creditori pleno jure committatur, ſeu lege commiſſoria cedat. Atque hinc fit, ut ſaepe plurativum *Fiducias* pro pignoribus reperias. Imo & ſaepe etiam utrumque ſimul vocabulum (*Fiduciae* nim. *& pignoris*) cumulatur. Sic apud Paull. in II. ſent. t. 4. & III. t. 6. §. 16. & V. t. 26. §. 4. apud Symmachum lib. IV. epiſt. ad Turnum. Atque illud propius ad æs noſtrum attinet, quod ut in noſtro *Judicium Fiduciae* dicitur, ita & apud alios ea duo nomina junctim occurrunt; ſicuti in Collat. leg. Moſ. & Rom. tit. X. §. 2. apud Ciceronem loco cit. & in Topicis, apud Paullum in II. Rec. ſent. tit. 13. §. 7. Qui ibid. §. 5. 6. *Fiduciae actionem* vocat. Poſtremo *Fiduciae* formulam tradidit Tullius in III. de offic. c. 15. his verbis: *Reliquorum autem judiciorum haec verba maxime excellunt . . . in Fiducia VT INTER BONOS BENE AGIER*. Et in VII. ad fam. 12. *Vbi porro illa erit formula fiduciae, VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET*.

Quae

(70) Vlpianus l. 6. D. *de his qui notantur inf.* in iſtud edicti caput ita notat. *FVRTI accipe, ſive manifeſti, ſive nec manifeſti*. §. 1. *Sed ſi furti . . . condemnatus provocavit . . .* (ubi omnia tempora provocationis lapſa ſunt) . . . *retro infamis eſt* . . . §. 2. *Siquis ALIENO NOMINE condemnatus fuerit, non laborat infamia, & ideo nec procurator, vel defenſor, vel tutor*: & quas plures ambages ibid. Vlpianus addit, quas omnes tribus his vocubis (QVOD IPSE FECIT) aes noſtrum jam ante expedierat. Pergit Vlpianus §. 3. *PACTVSVE, inquit, erit. PACTVS SIT accipimus, ſi cum pretio quantocunq. pactus eſt. Alioquin & qui precibus impetravit ne ſecum ageretur, erit notatus: nec enim veniae ulla ratio: quod eſt inhumanum. Qui juſſu praetoris, pretio dato pactus eſt, non notatur*. Ac plane alia ibidem addit, quae minus huc pertinere putavi.

Digitized by Google

Quae eadem formula in Topicis & III. Offic. c. 17. sic copiosius affertur: *Vt inter bonos bene agier oportet, & sine fraudatione*. Hinc merito in ære hoc, inque Edicto & alibi *Judicio fiduciae damnati infames* habentur; nam & Cicero pro Caecina c. 3. judicium *turpe ac famosum* fuisse dixit, & pro Rosc. Comoedo judicium *summae existimationis*, h. e. in quo summa existimationis agitur.

IBID. *Pro socio, tutelae, mandati.*] Supple in his semper ἀπὸ κοινῆ illud IVDICIO, quod hîc initio ponitur, & Cicero quoque in III. Nat. deor. supra relatus diserte usurpavit. Atque haec pariter tria junctim in Edicto leguntur num. VI. *Qui pro socio, tutelae, mandati, depositi, suo nomine, non contrario IVDICIO damnatus erit*. Exstat in Pandectis lib. 17. titulus 2. *Pro socio*. Nec aliter inscribitur ille qui in Codice lib. IV. titulus trigesimus septimus, & in Paullo Rec. sent. lib. 2. titulus decimus sextus est. Nisi quod apud ICtos aetatis Caesareae coepit non tam *Judicium pro socio*, ut olim, quam *Actio pro socio* saepius nominari. Ita in vet. Glossario Graeco apud Brissonium de V. S. ἐπὶ τῷ κοινῷ ἀγωγὴ non aliud videtur quam *Actio pro socio*. In Instit. lib. III. tit. 26. §. 9. scribitur: *Socius socio utrum eo nomine tantum teneatur PRO SOCIO ACTIONE, siquid dolo commiserit . . . an etiam culpae . . . nomine, quaesitum est*. Sic etiam l. 3. C. *pro socio*, hujusmodi *Actio pro socio* datur heredi & in heredem. Ac pluribus aliis in juris Justinianei locis *Actio pro socio* usurpatur.

Antequam hinc abeo, nolo Tullianum in Flacciana cap. 18. locum praeterire de Nicomede, cui (ut in ære nostro) *judicium pro socio* obstitit, quominus in senatum municipalem reciperetur. *Neque in senatum ulla conditione pervenire potuit, & furti & pro socio damnatus est*.

IBID. *Tutelae*] supple, *Judicio directo damnatus*: nam *Contrarium judicium* (uti sup. ad Edictum ostendimus: ubi conferes Adn. 67. 68. 69.) nulla aspergebat infamiâ. At illud quoque mihi singulare visum, quod Vlpianus l. 42. D. *de V. S.* cum inter probra (infamiam scil. irrogantia) *naturâ turpia*, & alia tantum *civiliter turpia* distingueret, in illorum exemplum afferat *furtum*, in horum vero τὸ *Tutelae damnari*. Qui etiam hoc addit, *Hoc non naturâ probrum est, sed more civitatis. Nec enim naturâ probrum est, quod potest etiam in hominem IDONEVM incidere*, nim. tutelae damnari. Atqui si *Idoneum* pro strenuo & industrio capias; tanto tutor hujusmodi ad fraudem struendam aptior. Quod si *Idoneum* ad facultates referas (nam eâ plerumque notione in Jure nostro accipitur; & ubi de tutore agitur, interdum *honestas* extrinsecus additur, ut l. 17. §. 1. D. *de testam. tut.* ubi legitur, *Bene probati, & idonei, & honesti tutores*) si, inquam, *Idoneum solvendo* intelligas; tum vero bene nummatus tutor tutelae damnatus, si dolus abfuit, probro carere deberet: contra vero si sciens dolo malo. Et tamen cum indistincte Vlpianus dicat, *Tutelae damnari more civitatis* fuisse probrosum, fatendum Romano jure obtinuisse, ut etiam sine dolo infames essent; praesertim cum in Edicto nulla, ubi de tutela agitur, doli mentio sit. In ære vero nostro sit quidem hoc eod. ver. DE D. M. mentio, verum tamquam de crimine a tutela diverso. Verum quid verbis opus est, cum ex Tullio qui in re sibi mandata non *malitiosius*, sed tantum *negligentius* se gessissent, *summum admisisse dedecus* putarentur? Vide in seq. verbo MANDATI. Pari enim gressu tutela & mandatum vadunt.

IBID. *Mandati*] Semper subaudias moneo, *Directo judicio*, *non Contrario*, ut alibi dictum. In mandato autem eadem procedere, quae modo de Tutela ex Vlpiano attuli (nim. ut vel absente dolo, ambo infamiâ aspergerent) Ciceronis in ea pro Sex. Rosc. Am. cap. 38. auctoritas, quantilibet aestimanda, haud dubitare finit. *In privatis*, inquit, *rebus siqui rem mandatam non modo malitiosius gessisset sui quaestus aut commodi causa, verum etiam* (tantummodo) *negligentius, eum majores summum admisisse DEDECVS* (71) *existimabant. Itaque Mandati constitutum est judicium, non*

(71) *Dedecus* vocat, quod Vlpianus l. 42. *de* V. S. PROBRVM vocavit, ubi inter ea quae *naturâ turpia*, & ea quae *civiliter turpia* distinguit: ubi & *tutelae damnari* non nisi *more civitatis* probrosum esse contendit. Vide locum paullo superius in TVTELAE.

Digitized by Google

38 *Plaetoria ob eamve rem, quod adverſus eam legem fecit fecerit, condemnatus eſt erit; quive depugnandi*

non MINVS TVRPE quam FVRTI (Vlpianus etiam ibid. *furtum* cum *tutela* contulit) *credo propterea quod quibus in rebus ipſi intereſſe non poſſumus, in his operae noſtrae vicariâ fides amicorum ſupponitur: quam qui laedit, oppugnat omnium commune praeſidium, & quantum in ipſo eſt, diſturbat vitae ſocietatem.*

IBID. *Injuriarum*] Exſtabat Paulli liber ſing. *de Injuriis:* ex quo Collatio leg. Moſaic. & Rom. tit. II. §. 5. haec refert: *Edictum de injuriis ad eam injuriam pertinet, quae contumeliae cauſa fit. Fit autem injuria vel in corpore dum caedimur, vel verbis dum convicium patimur, vel cum dignitas laeditur, ut cum matronae vel praetextatae comites abducuntur.* De comitibus ſive matronarum ſive puellarum abductis vide l. 15. §. 15. 16. D. *de injur. & fam. libel.* Porro quae modo ex Collatione pauca recitavimus, eadem copioſius Juſtinianus (72) exſequitur.

IBID. *Deve dolo malo condemnatus eſt erit*] Elegantiſſime Tullius de Dolo malo judicium *Everriculum malitiarum omnium* appellavit in III. de nat. deor. c. 30. his verbis: *Inde everriculum malitiarum omnium, judicium de dolo malo, quod C. Aquillius familiaris noſter protulit. Quem dolum idem Aquillius tum teneri putat, cum aliud ſit ſimulatum, aliud actum.* Recte orator hujus judicii utilitatem commendavit, quo everruntur hominum fraudes e vita civili. Id vero non concoquo, cur Aquillius Ciceronis amicus actionem de dolo malo prodidiſſe dicat, cum longo ante Ciceronem intervallo judicium de dolo malo in hac Tab. memoretur. Quid enim hoc ver. 37. luculentius? *Queive. judicio. fiduciae . . . deve. D. M. condemnatus eſt erit.* Sane quin fuerit diu ante C. Aquillium Gallum judicium iſtud, nemo effugiet. At idem Aquillius hîc uti ICtus, non uti legislator a Cic. laudatur: qui videtur plures de dolo malo formulas inveniſſe. Nam hujuſmodi plura Aquillii nomine citantur, veluti formula inſtituendorum poſtumorum: inprimis autem *Aquilliana ſtipulatio* decantatiſſima, cujus verba exſtant l. 18. §. 1. *de acceptilat.* & in tit. Inſtit. *quib. mod. tol. obl.* §. 3.

VER. 37. 38. *Quive lege Plaetoria, ob eamve rem, quod adverſus eam legem fecit fecerit, condemnatus eſt erit.*] Videbatur illa facile *Plaetoria* hîc intelligi, cujus Varro ſententiam affert, at Cenſorinus etiam verba recitat. Nam ſiqua alia praeter hanc Cenſorini affertur, ea non *Plaetoria* in libris editis, ſed *Laetoria* vocatur. Verum illa Cenſorini, atq. Varronis (73) prorſus alio pertinet. Hîc autem lex ea intelligitur, qua adoleſcentium circumſcriptio

(72) Iuſtinian. l. 4. Inſtit. tit. 4. §. 1. *Injuria autem committitur non ſolum cum quis pugno pulſatus, aut fuſtibus caeſus, vel etiam verberatus erit, ſed & ſicui convicium factum fuerit: ſive cujus bona quaſi debitoris, qui nihil deberet, poſſeſſa fuerint ab eo, qui intelligebat, nihil eum ſibi debere: vel ſiquis ad infamiam alicujus libellum, aut carmen [aut hiſtoriam] ſcripſerit, compoſuerit, ediderit, dolove malo fecerit, quo quid eorum fieret.* Hîc ſubſiſto paulliſper. Poena Carminis (quod antiqui *Malum carmen* vocabant) in XII. capitalis erat, teſte Cic. in IV. de Rep. ex quo Auguſtinus in II. de Civit. c. 9. *Noſtrae*, inquit, *XII. Tab. cum perpaucas res capite ſanxiſſent; in his hanc quoq. ſanciendam putaverunt, ſi quis carmen condidiſſet, quod infamiam faceret, flagitiumve alteri. Praeclare. Judiciis enim ac magiſtratuum diſceptationibus legitimis propoſitam vitam, non poëtarum ingeniis habere debemus: nec probrum audire, niſi ea lege, ut reſpondere liceat, & judicio defendere.* At poena capitalis, quam XII. ſanxerant, poſtea ſublata fuit; quia lege Cornelia auctor famoſi carminis inteſtabilis eſt, auctore Vlpiano l. 5. §. *ſiquis* hoc tit. Noviſſime tamen l. un. C. *de fam. libel.* poena capitalis reducta fuit.

Apud Iuſtinianum ita porro ſequitur: *Sive quis matremfamilias aut praetextatum praetextatamve aſſectatus fuerit: ſive cujus pudicitia attentata eſſe dicetur: & deniq. aliis plurimis modis admitti injuriam, manifeſtum eſt.*

(73) *Cenſorini & Varronis loca de lege Plaetoria, qua de officio praetoris urbani agitur.*

Lex Plaetoria anno Vrbis CCCLXXXVII. a M. Plaetorio trib. pl. de jure & officio praetoris urb. tunc inſtituti lata fuit. De ea Cenſorini locum cap. 24. altius inde uſque repetam, ubi diei partes ſuis quaſque nominibus donat. *Tunc MERIDIES, quod eſt medii diei nomen: inde DE MERIDIE: hinc SVPREMA. Quamvis plurimi Supremam poſt occaſum ſolis eſſe exiſtimant, quia eſt in XII. Tab. ſcriptum ſic: SOL. OCCASVS. SVPREMA. TEMPESTAS. ESTO. Sed poſtea M. PLAETORIVS trib. pl. ſcitum tulit, in quo ſcriptum eſt: PRAETOR. VRBANVS. QVI. NVNC. EST. QVIQVE. POST. HAC. FVAT. DVOS. LICTORES. APVD. SE. HABETO. ISQVE. VSQVE.*

Digitized by Google

ſcriptio compeſcebatur: quam quod antehac *Laetoriam* non vero *Plaetoriam* vocari jubebant eruditi viri contra æris noſtri fidem, id librariorum errori tribuendum cenſeo. Ergo haec, de qua hîc Tabula loquitur, illa eſt *lex Plaetoria* (prave in editis *Laetoria*) cujus meminit Tullius in III. Offic. c. 15. his verbis: *Atque iſte dolus malus etiam legibus erat vindicatus, ut tutela XII.* (74) *tabulis, & CIRCVMSCRIPTIO ADOLESCENTIVM LEGE PLAETORIA; & ſine lege* (75) *judiciis, in quibus additur, EX FIDE BONA AGITVR.* Sane quod in hoc Tulliano loco *Plaetoria* ſcripſi, in eo ſecutus ſum Fr. Fabritii Mſs. in quibus ſive *Pletoria* ſive *Plectoria* exhibetur; quamvis Fabritius ipſe vulgatum *Laetoria* ſit ſecutus. Ceteroqui aeris noſtri PLAETORIA, cum non alios quam adoleſcentium doloſos captatores notaſſe, etiam ex eo quod ſequitur, videatur; habemus jam legis hujus ex Cicerone argumentum, ex hoc autem ære orthographiam. Huc quoque illud Ciceronis in III. de Nat. deor. c. 30. referunt: *Inde judicium publicum rei privatae lege Laetoria* (al. *Lectoria:* ſed ſi eadem ſuperiori ſit, legendum *Plaetoria*) *inde everriculum malitiarum omnium judicium de dolo malo.*

Sed ad priorem locum redeo: in quo *Circumſcriptio adoleſcentium* nos tantum de ſcopo legis admonet: at ejus capita quis ex inferis ſuſcitaverit? Niſi quod hos tantum ejus laceros artus apud antiquos reperio. I. Ex Cic. in III. de N. deor. *Judicium publicum rei privatae ex lege Plaetoria* (ſive *Laetoria*) datum; incipio enim cum *Laetoriam* ſcribentibus redire in gratiam, quando ſic librarii voluerunt. Id vero judicium indicatur ære noſtro his verbis: *Ob eamve rem, quod adverſus eam legem fecit, condemnatus eſt.* II. *Legitimam aetatem* ab anno XXV. decurrere (quod in Jure noſtro tritiſſimum eſt) Laetoria primum lege inductum fuiſſe, feliciter Briſſonius ante conjecerat in III. *Sel. antiq.* c. 2. Id quidem conjectura vidit: etſi jam ante hoc Conſtantinus Aug. diſerte ſcripſerat l. 2. Cod. Theod. *De donat.* his verbis: *Donec is... annos Laetoriae legis egreſſus, LEGITIMAM compleverit AETATEM.* III. Ex ſuperiore capite fluit prono alveo tertium, ut ante XXV. annum nemo ſtipulatione teneatur. Caput iſtud Suetonio debemus *in IV. Praetorum* (apud Priſcian. lib. 8. p. 794. ed. Putsch.) *Laetoria, quae vetat minorem annis XXV. ſtipulari:* paſſive *ſtipulari*, ἐπερωτᾶσθαι, Priſciano interprete (h. e. ſponſione teneri) ſicuti & l. ult. D. *de ſtip. tut.* Eadem in eod. Priſciano occurrunt lib. 18. p. 1164. Eoque Plautus alludit: apud quem Pſeudolo Ac. I. ſc. 3. v. 69. ita Calidorus adoleſcens expoſtulat: *Lex me perdit* (76) *Quina-vicenaria.- Metuunt credere omnes.* Idem Rud. Ac. V. ſc. 3. v. 24. *Cedo qui cum habeam judicem- Ni dolo malo inſtipulatus ſis, nive etiam dum ſiem-Quinq. & viginti natus annos.* IV. Caput, eo pertinet, quibuſnam minoribus curator dandus: de quo in M. Aurelio (77) Capitolinus. V. De infamia, quae circumſcribentem adoleſcentes ſequebatur:

VSQVE. AD. SVPREMAM. IVS. INTER. CIVIS. DICITO. Poſt Supremam ſequitur VESPERA... Inde porro CREPVSCVLVM, ſic fort. appellatum, quod res incertae CREPERAE dicuntur...

Varro eadem ante dixerat in V. de L. L. his verbis: *SVPREMA ſummum* (h. e. ultimum) *diei: id a SVPERRIMO* (ſit). *Hoc tempus XII. Tabulae dicunt occaſum eſſe ſolis. Sed poſtea lex PLAETORIA* (male in editis *Praetoria*, quamquam potuit ſic etiam ab ὑποκοπεύειν legis vocari) *id quoq. tempus jubet eſſe ſupremum, quo praetor in comitio SVPREMAM pronunciavit populo.* Haec ultima videntur ex lege Plaetoria deſumpta: in qua lege poſt verba a Cenſorino recitata videtur fuiſſe ſcriptum: ITA. SVPREMAM. POPVLO. PRONVNCIATO. Poſtrema Varronis haec ſunt: *Secundum hoc dicitur CREPVSCVLVM a Crepero...*

Ex his vides, nihil commune huic *Plaetoriae* cum ea *Plaetoria* de qua aes noſtrum loquitur, eſſe potuiſſe; cum illi M. Plaetorio anni 387. plebem roganti non aliud quam jura praetoris urbani conſtabilire propoſitum fuerit.

(74) Hoc vult Cicero, ante Aquillium *de dolo malo* fuiſſe conſtitutum, cum etiam praetor actiones tutelares ex lege Xvirali dederit; & dolus malus ante eumdem Aquillium judiciis bonae fidei vindicatus fuerit.

(75) Vti I. F. Gronovius recte animadvertit, iſta *Sine lege judicia* Ciceronis ea ſunt, quae non deſcendunt ex XII. Tab. aut lege per populum lata, ſed in quibus praetor ſupplet, quod deeſt juri civili. Videatur Juſtinianus in IV. Inſtit. tit. 6. de Action. §. 30. 31.

(76) *Quina vicennaria* cum N duplice Meurſius mavult, cum non videatur eſſe a *Viceni*, ſed a *Vicennes*, εἰκοσαετῆς. Lex enim iſta vetabat minores XXV. annis *ſtipulatu* teneri; ita ut qui credidiſſet, repetendi jus non haberet. Itaque Meurſiana correctio in Taubmanni editione in textum Plautinum admiſſa fuit. Quod factum nollem. Nec enim a *Vicennis* fit *Vicennaria*, ſed *Vicennalis*; ſicuti a *Decennis* eſt *Decennalis*, & alia in eumdem modum. Ac ſane *Quina vicenaria* retinendum.

(77) In Marco Capitolinus cap. X. ita ſcripſit: *De*

Digitized by Google

39 *cauſſa auctoratus eſt erit, fuit fuerit; quive in jure abjuraverit, bonamve copiam juravit juraverit: qui*

batur: quod caput æri noſtro debetur.

Ad ultimum quandoquidem in Mſs. ſaepe *Laetoria* ſcribitur, quae *Plaetoria* fuit, & contra: de utraque gente, tum & utraq. lege, quantum monumentor. penuria patietur, in ima (78) pagella dico.

VER. 38. 39. *Quive depugnandi cauſſa auctoratus eſt erit*] De beſtiariis juxta ac de gladiatoribus haec poſſe accipi, ſuaderet *Depugnandi* verbum, quod de (79)

De curatoribus vero cum ante non niſi ex lege Plaetoria (Caſaub. *Lectoria*, Salmaſius *Laetoria*, ex ſuis quiſque membranis maluerant) *vel propter laſciviam vel propter dementiam darentur; ita ſtatuit, ut omnes adulti curatores acciperent, non redditis cauſis.* Sed vereor, ne Capitolinus jura confuderit. Nam prodigis & furioſis jam antea Lex Xviralis curatores illos dabat, quos biographus noſter ex Plaetoria arceſſit. Niſi vero ita diſtinguendum in Capitolino ſit: *Cum ante non niſi* (aut) *ex lege Plaetoria* (quae tamen praeter laſciviam & dementiam, omnibus petentibus cauſamque probantibus dabat) *vel* (ex XII. Tab.) *propter laſciviam vel propter dementiam darentur; ita ſtatuit* &c. Tantum ὑστερολογίᾳ peccavit Capitolinus.

Itaque per hos gradus ad Marci νομοθεσίαν proceſſum fuit. Leges Xvirales prodigis ac dementibus tantum curatores praeficiebant: Plaetoria minoribus omnibus petentibus ex aliqua cauſa: Praetor omnibus, modo peterent, illos pollicebatur, etiam non reddita cauſa: poſtremo Marcus non modo cauſas non requiſivit, ſed minores omnes juſſit curatores accipere. Reliqua huc pertinentia ICtis relinquo.

(78) *Plaetoriae legis Laetoriaeque confuſionis cauſam in librarios eſſe conferendam.*

Quandoquidem id nunc hac diſquiſitione agitur, utrum lex, de qua tamdiu quaerimus, *Plaetoria* cum ære noſtro, an vero *Laetoria* cum plerorumque auctorum editionibus vocanda ſit; quamdiu in ea diſcuſſione verſamur, utroque nomine abſtinebimus. Ergo lex, cui verum imponendum eſt nomen, interim ab ὑποκαμάρᾳ legis *Quina vicenaria* cum Plauto nuncupabitur. Quaeritur ergo, nomen a gente Laetoria an a Plaetoria ſit petendum.

I. Ac primum ſi ab eo quid probabilius videatur, ordiri libet; quis dubitat multo fuiſſe facilius, ut Quina vicenaria lex ab aliquo ex gente Plaetoria, quam ex Laetoriâ rogata fuerit? Etenim gentem Plaetoriam immane quantum Laetoriâ copioſiorem fuiſſe, marmorum indices Gruteriani, & Muratoriani loquuntur. Ad hos enim teſtes incorruptos provoco, lapides, ac tabulas aereas. Adde & nummos: nam inter gentium Rom. numiſmata gens *Plaetoria* decem, *Laetoria* vix unum denarium poteſt oſtendere. Libros interim parum moror, nihil non a deſcribentibus paſſos: quibus quia *Laetoria* Latinis auribus ſignificantior, quam *Plaetoria* (quae nihil Latine notat) videbatur; ea de cauſa facilius huic illa ſubſtituta fuit.

II. Deinde ſi quidem ſuaſimus non de alia, quam de Quina vicenaria æs noſtrum loqui (non ſuaſi id vero ſolum, ſed plane, ut mihi met ipſe abblandior, perſuaſi) tum vero Tabulae, in quam nihil ſciolorum licentiæ licuit, auctoritas una efficiet, ut *Plaetoria* eadem quae Quina vicenaria fuerit. Maxime cum in loco illo plane ſingulari Ciceronis ea lex, qua circumſcriptio adoleſcentium vetatur, in Mſs. *Plaetoria* nominetur.

III. At, inquies, in aliis auctorum (veluti Ciceronis, Codicis Theod. Capitolini, Priſciani) locis eadem illa Quina vicenaria non aliter quam *Laetoria*, P detruncato, vocatur. Reſpondeo, nemini adhuc id curae fuiſſe, ut in his auctorum locis membranas vetuſtiores excuteret; nec enim deſperem alicubi P illud poſſe reſtitui. Tametſi manu exaratorum antiquiorum inopia maximopere laboramus; & jamdiu amanuenſes gentem *Laetoriam*, tamquam a *Laetus* derivatam, *Plaetoriae* ſubrogare locis omnibus conſueverant.

At erunt fortaſſe homines pleni faſtidii, qui hanc totam concertationem non aliud quam meram cum larvis pugnam videri clamitent. Quid enim? Fulvius Vrſinus, non poenitendae in his rebus auctoritatis, in ſuis Rom. Familiis gentem Plaetoriam non aliam a Laetoria fuiſſe ſtatuit; idque ex eo probat, quod ille primipili centurio, cui populi ſuffragio dedicatio aedis Mercurii data fuit, a Valerio Max. IX. c. 3. n. 6. *M. Plaetorius* nominetur, a Livio autem II. 27. *M. Laetorius*: ad haec quod *M. Plaetorius Ruſtianus*, qui Scipionem in Hiſpania ſecutus eſt, in ſcriptis Hirtii codicibus modo *Plaetorius*, modo *Laetorius*, nuncupetur. At quamquam Fulvii me frangit auctoritas; haec tamen exempla non niſi ad librariorum inter ſe diſcordias referuntur: quod vel ex unius Hirtii exemplo patet, apud quem eodem in loco exſcriptores alii *Plaetorium*, alii *Laetorium*, prout libido fuit, exararunt. Ac tum ſane equidem unam gentem eſſe, quae duae putabantur, Fulvio darem, cum quis eorumdem trium nominum, eodem patre natus, ex ead. tribu, eodemque artificio aut honoribus geſtis, in uno marmore, ærea tabula, nummo, aut horum ſimilibus non variabilibus monumentis, *Plaetorius*, in altero *Laetorius* nuncuparetur.

(79) *DEPVGNARE aeque ad gladiatores atque ad beſtias, ſed diverſe, relatum.*

De munere gladiatorio fidem facit Aſinius Pollio ad Cic. lib. X. fam. ep. 32. *Gladiatoribus autem* (h. e. in munere gladiatorio) *Fadium quemdam . . . cum depreſſus in ludum bis gratis depugnaſſet*. Cic. Tuſc. II. 17. *Cum vero ſontes* (gladiatores intelligit) *ferro depugnabant*. Nec pluribus exemplis opus eſt, cum vox ipſa μονομάχος id ſuadeat. At de feris ubi agitur, varie idem verbum uſurpatur: interdum enim *Depugnare cum beſtiis* uſitato more dixerunt (vide infra Adn. 82. Vlpianum initio ſic loquentem: *Qui operas ſuas ut cum beſtiis depugnaret, locaverit*) alias vero *Depugnare beſtias* (active ſcil. tamquam ſi ſit *Expugnare*) nove uſurparunt. Vt idem Vlpianus in Collatione leg. Moſaic. & Rom. tit. IX. *Quive*, inquit, *depugnandi cauſa auctoratus erit* (hactenus

Digitized by Google

utrisque usurpatum reperitur. Nisi quod, quo tempore haec Tabula prodiit, *Gladiatores* usitatissimi erant, *Venatio* parum: quae venatio postea sub principatu mirifice invaluit; ita ut MVNVS, quod antea sub Rep. vix aliter quam de gladiatoribus accipiebatur, etiam de bestiis usurparetur, ut ad *Amphit. Camp. titulum* ostendi. Jam vero *Depugnandi causa auctoratus* junctim hîc dicitur (sicuti & in Collat. legum Mos. & Rom. in superiore Adnot.) nempe quod ceteroqui etiam aliis de causis auctorari quis diceretur, uti cum *Milites auctoratos* dicimus. Tamen postea usus fecit, ut *Auctorati* absolute dicti, non alii quam (80) *ad depugnandum* auctorati intelligi consueverint.

Sed jam duplici modo se quis auctorare poterat: tum venditione acceptoque pretio, tum & locatione sub certa mercede. Vtriusque modi testes (81) luculentos adhibere queo. Itaque in ære nostro utriusque modi auctoratio inurebat infamiam, & ad honores & ad curiam aditum praecludebat. At eos tamen hinc esse excipiendos, qui tantum *virtutis ostendendae causa* depugnaverint, Vlpianus pluribus (82) quam pro ICtorum solita brevitate verbis docuit. Atque hi, qui non auctorati, virtutis causa congrediebantur, *Gratis depugnare* Asinio Pollioni (83) ad Ciceronem scribenti dicuntur. Sane qui *gratis* aut virtutis causa certabant, quique adeo ab omni nota immunes erant, comprehendi hac Tabula nequeunt, quippe quae non nisi *auctoratos* notat infamia.

IBID. *Auctoratus est erit, fuit fuerit*] Anxie persequitur omnia tempora: ne quid minus dixisse putetur. Vide quae πυλυλογία antiquarum legum.

VER. 39. *Quive in jure abjuraverit*] Abjurare (& quidem absolute positum) *est* (inquit Servius) *rem creditam negare perjurio*. Hoc perjurium qui admiserint, ii in hac Tabula tum demum notantur, si *IN IVRE abjuraverint*, h. e. si rem creditam perjurio infitiati fuerint, idque *apud praetorem*; id enim *In jure* significat. Et quidem nudum *Abjurare* apud complures saepiuscule (84) legitur: at inte-

de gladiatoribus cum ære nostro loquitur: at ubi de bestiis agit, utitur diversa syntaxi) *quive BESTIAS DEPVGNARE locaverit*. Idem Vlpianus *Depugnare feram, quae regioni nocet*, usurpavit l. 1. §. 6. D. *de postul.* Modestinus l. 11. D. *ad leg. Corn. de sic.*, ait: *Dominis potestas ablata est ad bestias depugnandas suo arbitrio servos tradere.*

(80) Hinc Acron ad Hor. *Auctoratos* dictos ab antiquis ait, qui se ludo vendiderant; sicuti & *Auctorationem* esse Gladiatorum venditionem. Quinctilianus (in Declam. quae inscribitur, *Auctoratus ad sepeliendum patrem*) ait: *Quidam, ut patrem sepeliret, auctoravit se*. Seneca in Apocolocynthosi; *Sed & proximo munere inter noxios auctoratos.*

Sane si Reinesiana inscriptio (Classe VII. n. 20.) genuina sit (genuinam autem esse Fabrettus pag. 673. propemodum negat, excepto fragmento illo quod ipse p. 672. affert) sed si genuina sit; in ea legitur Baebius quidam locum sepulturae donasse municipibus suis *Extra AVCTORITATEIS, & qui sibi laqueo manus attulissent, & qui quaestum spurcum professi essent*. Mitto autem, quid illud *Auctoritateis* Reinesius ipse interpretetur; cum multo verisimilius sit legi debuisse *Extra auctoratos*, illos scil. qui sese in ludum mancipaverant, ut ibid. Fabrettus notat. Aut si ne syllabam quidem ex epigrammate ceteroqui dubio deperire curae sit; legemus *Auctoritatos*, idque erit a novo frequentativo *Auctorito, as*: nam hisce portentis lapides ubique scatent.

(81) In primis Glossae vet. (ad quas numquam non confugere soleo) Glossae inquam illae, quae Cyrilli nomen gerunt, ὁ πρὸς σίδηρον πραθεὶς, ὅ ἐστιν ὁ μονομάχος, exponunt, *Auctoratus*. Habes de venditione: de locatione autem & mercede ita ibid. legitur: Μισθοφορῶ: quod explicatur, *Auctoro*.

De locatione pariter intelligendus est Horatius I. ep. 18. ver. 36. ubi de redacto ad inopiam ait: *Thrax* (gladiator scil.) *erit, aut olitoris aget* MERCEDE *caballum*. Quo loco MERCEDE ad utrumque membrum refertur. Ibi Porphyrio: *Auctorabitur se* (Deponens *Auctorari* Appuleio usitatum fuit) *in ludum, ut gladiator sit.*

(82) Vlpianus l. 1. §. 6. D. *de postulando* ita scribit: *Postulare prohibetur . . . qui operas suas, ut cum bestiis depugnaret, locaverit . . . Ergo qui locavit solum, notatur* (infamia) *sive depugnaverit, sive non: quod si depugnaverit cum non locasset operas suas, non tenebitur: non enim qui cum bestiis depugnavit, tenebitur, sed qui operas suas in hoc locavit. Denique eos, qui VIRTVTIS OSTENDENDAE CAVSA hoc faciunt, sine mercede, non teneri ajunt veteres, nisi in arena passi sunt se honorari* (h. e. pecunia donari, non tamquam pacta mercede, verum ut honorario praemio) *eos enim puto notam* (infamiae) *non evadere. Sed siquis operas suas locaverit, ut feras venetur, vel ut depugnaret feram, quae regioni nocet, extra arenam, non est notatus. His igitur personis, quae non virtutis causa cum bestiis pugnaverunt, pro se* (praetor) *permittit allegare, pro alio prohibet.*

(83) Asinius Pollio ad Cic. X. fam. 32. *Gladiatoribus autem Fadium quemdam . : . quia cum depressus in ludum bis GRATIS depugnasset, AVCTORARI* (autem) *sese nolebat . . . . defodit* (Balbus ille de quo loquitur,) *in ludo, & vivum combussit.*

(84) Virgilius VIII. 263. de Caco loquens, *Abjurataeq. rapinae-Caelo ostenduntur*, dixerat. Ibi Servius ita adnotat; *ABIVRARE est rem creditam negare perjurio. Plautus Curcul.* Qui abjurant, siquid creditum est. *Sed hoc isti loco non congruit: unde . . . contra jus retentas intelligamus. Alii 'ABIVRATAS, abductas atque ALIENI IVRIS factas: alii FRAVDE & FVRTO ABDVCTAS tradunt.*

Verum

integrum istud *In jure abjurare* hîc tantum, & in Plauto bis occurrit: semel in Prologo Rudentis, in quo ver. 13. ita Arcturus προλογίζει. *Qui falsas lites falsis testimoniis – Petunt, quique IN IVRE ABIVRANT pecuniam, – Eorum referimus nomina exscripta ad Jovem.* – Rursus Persâ Actu IV. sc. 3. ver. 7. *Sed ut & ego hodie fui benignus! ut ego multis credidi! – Nec satis a quîquam homine accepi: ita prorsus credebam omnibus. – Nec metuo, quibus credidi hodie, nequis mihi IN IVRE ABIVRASSIT.*

IBID. *Bonamve copiam juravit juraverit*] Suppleas ἀπὸ κοινῆς illud (IN IVRE) censeo; alioquin hinc infamia, credo, aberit. Hic vero locus antequam exponatur, cum duobus aliis, de quibus eruditi litigant, committendus est, tum illinc forsitan hausturus lucem, tum & eisdem commodaturus. Prior locus ex Varrone ita habet. *Liber, qui suas operas in servitute pro pecunia, quam debeat, dum solveret, NEXVS vocatur, ut ab Ære obaeratus. Hoc C. Popilio rogante, Sylla dictatore, sublatum ne fieret, & omneis qui BONAM COPIAM IVRARENT, ne essent nexi, dissoluti.* Alter locus ex Cicerone est in IX. fam. 16. ubi cum Paeto ita ludit: *Hirtium ego & Dolabellam dicendi discipulos habeo, cenandi magistros. Puto enim te audisse . . . illos apud me declamitare, me apud eos cenitare. Tu autem quod mihi BONAM COPIAM EIVRES, nihil est. Tum enim cum rem habebas, quaesticulis te faciebam attentiorem. Nunc cum tam aequo animo bona perdas, non eo sis consilio, ut cum me hospitio recipias, aestimationem te aliquam putes accipere.* Nubeculas utrique loco offusas mox dispellam. Atq. ob haec duo loca ingens inter doctos viros concertatio exorta fuit. Hier. Ferrarius ex Varrone Tullium emendabat, in quo, ut in Varrone, *Bonam copiam jures* legi jubebat: id quod etiam P. Victorius secutus fuit, addens in Mss. antiquiorib. haud raro EI pro I poni, veluti *Elumentis* pro *Jumentis*, & similibus; ex eoque ortum, ut in Cicerone *Ejures* pro *Jures* in probatis Mss. legatur. At contra P. Manutius non dubitat, quin Varro potius fuerit ex Tullio emaculandus: quam eamdem Varronis ex Cic. correctionem Brissonius (in de V. S. in EIVRARE) non dubitat sibi ut auctori adscribere.

Atqui gratulandum est, quod haec tandem ærea lamina prodiit, in qua non semel sed bis simplex *Juro*, non *Ejuro*, in hac formula usurpatur. Adde quod in eâdem ita simplex *Juro* adhibetur, ut composito *Ejuro* locus esse nullus possit. Nam *Ejurare bonam copiam*, non aliud esse potest, quam profiteri se non esse solvendo. Atqui hujus rei professio exstat statim in Tab. sequentibus verbis: *Qui creditoribus suis renuntiavit, se soldum solvere non posse.* Quid opus erat rem eamdem iterato eodem in loco inculcare?

Ergo si me audis, in Varrone saltem τὸ *Jurarent* ex æris hujus auctoritate etiam atque etiam retinebimus (nam de Tullio postea viderimus) vicissim autem huic æris nostri loco mirificam ex Varrone lucem aspergemus: nisi quod, cum is locus inquinatissimus sit, sedulo emaculandus est. Sic ille orditur: *Liber, qui suas operas in servitute pro pecunia, quam debeat, dum solveret* (quidam ita non male supplent: *Quam debeat*, dat, usque *dum solveret*) *NEXVS vocatur, ut ab Ære obaeratus.* At quae sequuntur multo maculosiora sunt. *Hoc (C. Popilio rogante, Sylla dictatore) sublatum ne fieret; & omneis qui bonam copiam jurarent, ne essent nexi, dissoluti.* Quae uncis inclusi, ea haud dubie mendosa sunt. Nondum enim *Popilius* ullus Syllae aequalis, qui huc referri possit, innotuit. Nisi quod in editionis Amstelod. an. 1623. margine pro *C. Popilio* sufficitur *C. Poetelio*. Appositi

Verum haec non moror. Illud magis moneo, videri Brissonium in suo de V. S. mendosâ Servii editione usum. Nam hunc criminatur, quasi verba quae in Rudente sunt, ex Curculione citet: quam criminationem etiam Heineccius in reflecto a se Brissonii lexico retinet. At ego Servii locum ex Masviciana Virgilii editione protuli: in qua recte se omnia habent. Nam illud quod ex Curculione Servius affert, re vera in ea fabula sunt Ac. IV. Sc. 2. v. 9. Plautinum vero Rudentis locum habes a me superne exhibitum.

Verum his missis; Cicero I. ad Att: 8. *Tulliola . . . tuum munusculum flagitat, & me sponsorem appellat: mihi autem ABIVRARE certius est, quam dependere.* Sallustius Cat. c. XXV. *Sed ea* (Sempronia) *saepe antehac fidem prodiderat, creditum abjuraverat, cujus conscia fuerat.* Isidorus V. 26. *Abjuratio, id est, rei creditae abnegatio.* Quod verbum S. Ambrosius in de obitu fratris, etiam ad depositum transtulit: *Abjurare depositum.*

Digitized by Google

te quidem teſte (85) Livio. Sed tamen inter hunc Poetelium, Syllaeque dictaturam annorum plus CCXL. hiatus interceſſit. Vt omittam quod noſtra Tabula ad Syllana referri tempora, quibus diutule anteceſſit, nequaquam poteſt. Itaque illud, *Sylla dictatore*, donec ex membranis aut ex ingenio refingatur, interim pro non ſcripto habeatur, cenſeo. Ac recte eſt, quod idem iſtud (*Sylla dictatore*) dum haec ſcriberem, reperi a Vin. Pighio (86) jam antea ex Varronis loco expunctum.

Ergo ſi Varro cum Liviano loco, quem in ſubjecta Adnot. 85. adſcripſi, conferatur, ex utroque poteſt intelligi, nexos fuiſſe diſſolutos, ſi bonam copiam juraſſent, h. e. ſi bona ſibi ſuppetere, nec ſe alio avertiſſe, ex quibus poſſit ſaltem ex parte ſatisfaci creditoribus, ſacramento excepiſſent, eaque bona crēditoribus obnoxia facerent, h. e. bonis ſuis creditori cederent. Ac ſane quod *Bonam copiam jurare*, ſi minus idem ſit ac *Bonis cedere*, at certe cum *ceſſione bonorum* artiſſime copulatum, id inferne (87) demonſtratur. Atque ut mihi perſuadeo, debitores non exſpe-

(85) Livius VIII. 28. ad ann. Vrbis CDXXVII. ubi impotentem Papirii foeneratoris libidinem atque crudelitatem in C. Publilium adoleſcentem, qui ſe illi ob æs alienum paternum in nexum dederat, expoſuiſſet; ſubjicit ſalutare SConſultum: *Juſſique*, inquit, *conſules* (qui eo anno erant C. Poetelius Viſolus, L. Papirius Mugillanus) *ferre ad populum, Nequis niſi qui noxam meruiſſet, donec poenam lueret, in compedibus aut in nervo teneretur. Pecuniae creditae bona debitoris, non corpus obnoxium eſſet. Ita nexi ſoluti: cautumque, In poſterum ne necterentur.* Habes igitur legem conſularem, quae *Lex Poetelia Papiria* a viris doctis nuncupatur. Eamdem hiſtoriam, etſi paullo aliter, habes etiam in excerptis ex Dionyſio Valeſianis pag. 537. a quo Dionyſio eamdem Suidas deſcripſit in Γάϊος.

(86) Statim ac in ſuperiore Varronis loco editionis Amſtelod. ductu tum illud *DAT* adjeci, tum pro *Popilio* ſubrogavi *Poetelio*: comperi in Pighianis Annalibus tum easdem, quas ſupra adhibui, correctiones, tum praeterea τὸ *Sylla dictatore* prorſus expungi. Quocirca tota illa Varroniani loci reſtitutio videtur Pighio principi tribuenda. Eum vide tom. 1. ad ann. 427. pag. 340. Nollem tamen Varronianum illud *Jurarent* in *Ejurarent* idem vir magnus vertiſſet.

(87) *Quod qui bonam copiam jurarent, ſimul bonis ſuis creditori cederent: idque ignominioſum vulgo fuerit.*

Lege Xvirali quouſque olim in debitores ſaevire permiſſum fuerit, fruſtra ſim, ſi adnitar oſtendere. At ei malo occurrit anno 427. lex Poetelia, qua dum debitores *in compedibus aut in nervo teneri* vetantur, ſimul cavetur, ut *pecuniae creditae BONA DEBITORIS, non corpus obnoxium eſſet*. Ergo (uti jam ſupra ex Varrone, ſimulque ex ære hoc noſtro demonſtratum fuit) debitor is, cui eſſet peculium intricatius, quam ut ſtatim ſolidum ſolveret, ne a creditore vexaretur, poterat uti legis Poeteliae beneficio: qua quidem, uti Varro ſupra laudatus docet, *Omnes, qui bonam copiam jurarent, ne eſſent nexi, diſſoluti*. Iſtud vero (ut ex Tabula oſtendi) IN IVRE h. e. apud praetorem, utpote actus juris, fiebat. In jure autem *bonam copiam jurare* non aliud erat, quam profiteri, ſibi ſatis in bonis eſſe, unde creditori ſatisfiat. Hoc ipſo autem debitor bonis ſuis creditori cedebat (ita ut prima ceſſionis bonorum origo non aliunde quam a lege Poeteliâ Papiriâ petenda eſſe videatur) alioqui enim quo pacto illud Livianum de Poetelia (*Pecuniae creditae bona debitoris, non corpus obnoxium eſſet*) verum erit? Ergo una cum actu legitimo *jurandi bonam copiam* ceſſio bonorum, per quam bona creditori fiebant obnoxia, artiſſimo & indiviſo nexu conjuncta erat; ita ut *Jurare bonam copiam* & *Bonis cedere* pro aequivalentibus locutionibus haberentur: niſi quod prior illa honeſtior in ſpeciem videbatur, altera vero paullo deformior.

Atque hinc intelligis, quî factum ſit, ut in ære noſtro *Jurare bonam copiam*, quam *Bonis cedere* uſurpare maluerint. Ad ἐυφημισμὸν hoc pertinebat, quo ἀσχήμοσι dictionibus dedita opera parcebatur. Nam certe bonis cedentes dedecore fuiſſe notatos, ſatis ex hoc ipſo Kapitis hujus cenſu infamium perſonarum intelligimus, & ex eo quod lege Roſcia theatrali, talibus, licet equitibus, locus in theatro negatus fuerit. Id quod tum maxime verum fuit, ubi culpâ ſua quis rem fregiſſet. Spartianus de Hadriano cap. 18. *Decoctores bonorum ſuorum, ſi ſuae auctoritatis* (i. e. αὐτεξούσιοι) *eſſent, catamidiari* (al. *Catomidiari*) *in amphitheatro, & dimitti juſſit*. Atque exſtitit ſane poſtea Alexandri Severi lex, qua *Debitores qui bonis ceſſerint, licet ex ea cauſa bona eorum venierint, infames non fieri* ſcripſit. Tamen etſi id in jure verum erat; tamen ſemper ignominiae id genus fuiſſe habitum, ex Novellis conſtat, praecipue ex Novella 135. Juſtiniani: ex qua quia bonorum ceſſio debitori ἀσχήμονα τὸν βίον & τὴν ἀσχημοσύνην (*ignominiam*) irrogabat; Imperator ſtatuit, ut qui ἐκ τὸ συμβεβηκότος καὶ ὐ ἐκουσίας (*caſu aliquo, non ſua negligentia*) decoxiſſent, bonis cedere veluti decoctores nequaquam cogerentur.

Antequam hinc abeo; exſtat Lex 4. C. *qui bon. ced. poſ.* in qua Dioclet. & Maximianus Augg. hanc, de qua loquimur, *ceſſionem bonorum* legi Juliae neſcio cui tribuunt. *Legis*, inquiunt, *Juliae de bonis cedendis beneficium*. At equidem ſupra ex lege Poetelia (qua fiebat ut *pecuniae creditae bona debitoris, non corpus obnoxium eſſet*) originem arceſſivi: neque id muto. Nam veriſimile eſt lege Julia totum hoc ceſſionis bonorum negotium, cum adhuc indigeſtum eſſet, atque innumeris expoſitum fraudibus, fuiſſe ad limam revocatum, atque per plurimos caſus correctum & explicatum; ita ut legem Juliam potius, utpote luculentam, quam Poeteliam (poſtea tunc forſitan ne exſtabat quidem) aut aliam ejuſdem argumenti quamlibet laudari moris fuerit. Hoc peculiare ſemper legibus accuratis & copioſis fuit, ut antiquiorum negligentius ſcriptarum luminibus obſtruerent.

Digitized by Google

40 *ſponſoribus creditoribuſve ſuis renuntiavit renuntiaverit ſe ſoldum ſolvere non poſſe, aut cum eis*

ſpectato nexu, priores ipſi occupabant bonam copiam jurare, bonaque ſua creditoribus ex lege Poeteliâ obnoxia facere.

Nunc ad Tullii locum venio. Ciceronis luſus in eo vertitur, ut Paetum inducat ſeſe (I) excuſantem, quominus opipare Tullium excipiat, eo quod bona perdidiſſet. Huic vero ſcopo ſicuti τὸ *Bonam copiam ejures* mire ſuffragatur, ita τὸ *Bonam cop. jures* inimiciſſimum eſt. Niſi vero velimus in hac locutione (*Bonam copiam jures*) poſſe ſubaudiri negationem, ſicuti in *Jurare calumniam* : de quo in extrema (II) ora dicimus. Verum ſi quidem in veterib. epiſtolae Tullianae membranis legeretur *Jures*, tunc ad hoc effugium excuſabilis receptus eſſet. Nunc cum non tantum veteres novaeque editiones, ſed & omnes ſcripti cod. τὸ *Ejures* exhibeant, idque cum ſententia mire conſentiat (nam illud *Jurare calumniam* longius videtur petitum) quid obſecro cauſae eſt, cur vetus illud *Ejures* de vetere poſſeſſione dejiciatur? Ergo nulla ſit hac melior ſententia, quam ut ex Edicto *Vti poſſidetis*, in Varrone quidem (æreâ praeſertim lamina ſuffragante) *Jurarent*, in Tullio vero (ut qui contrarium dicere voluit) *Ejures* retineatur, neuter ſcil. in vetere ſua poſſeſſione inquietetur.

VER. 40. *Qui ſponſoribus creditoribuſve ſuis renuntiavit renuntiaverit ſe ſoldum ſolvere non poſſe*] In ære Brittannico v. 36. *Denuncietur domum* ſcriptum exſtat: at hîc cum T, *RenunTiavit renunTiaverit*. De verbi hujus orthographia ibi dixi pag. 341. & ita dixi, ut iſtud inter διττολογήμενα referrem. Neque nunc ab ibi dictis recedo. Sed tamen cum T magis probo, maxime ob auctoritatem Cenotaphiorum Piſanor. & æris hujus: in quo cum T bis ſcribitur uno eodemque loco, ut id ad ſcalptoris lapſum referri nequeat. Sed ad rem venio. *Renuntiare* eſt verbum πρός τι (*relatum ad aliquid*) refertur enim ad interpellantem, ſive denuntiantem. Si, inquit, interpellatus, renuntiaverit reſponderitque, ſe ſoldum ſolvere non poſſe. Atque id quidem, etiam abſente dolo, ignominiam adlinebat, uti modo ad v.39. notabam de ceſſione bonorum ex L. Poetelia. At multo magis ſi id mala fide renuntiaſſet, puta ſi alio interim bona avertiſſet, ex quibus ſatis creditoribus fieret, aut unde fidejuſſores indemnes evaderent. De *Soldo* per ſyncopen uſurpato tritum eſt illud Horatii in re non diſſimili:

Filia Naſicae metuentis reddere ſoldum.

Soldum autem ſive *Solidum* tametſi ad *Debitum* refertur; tamen in jure uti ſubſtantivum uſurpatur. Hinc illae millenae juris locutiones: *Solidum ſolvere*, *ſolidum recipere*, *ſolidum capere*. Adhaec *Solidum petere* apud Quinctil. lib.V. c.10. *Argentarius ab argentario ſolidum petit*. Pulchrum illud Tullii in ea pro Rab. Poſt. cap. ult. *At hoc etiam optat miſer, ut condemnetur a vobis: ita bona veneant, ut SOLIDVM SVVM cuique ſolvatur. Nihil jam aliud niſi FIDEM curat*. Ex quibus ultimis vides (ut hîc quoque de ære noſtro ſatagam) *ſoldum non ſolvere*, etſi dolus abeſſet, vulgo tamen audiſſe perfidioſum.

VER.

(I) Poſt *ejures* in Cic. ſequitur: *Cum rem habebas quaeſticulis* (h. e. lucellis ejuſmodi, quale eſſet, parcius obſonare) *te FACIEBAM attentiorem*. Frid. Gronovius pro *Faciebam* mallet *Ferebam*, aut *Patiebar*. Sed ne muta. *Faciebam* hîc eſt *Reputabam* aut *Reperiebam*. Nunc autem (pergit) cum bona perdas, quid cauſae eſt, ut a me pro hoſpitio mercedem aliquam exſpectes? Nam illud *Aeſtimationem*, alludit ad legem Caeſaris apud Suet. c.42. & apud Caeſarem ipſum in III. B. Civ. c.1. Ceterum Cicero in omnibus prope ſequentibus ad Paetum epiſtolis jocatur ferme in eamd. ſententiam.

(II) *Jurare* cum accuſ. rei plerumque vi affirmativa pollet, ut *Jurare foedus*, *pacta*. *Jurare morbum* uſurpat Cic. I. Att. 1. *Qui denegat, & juravit morbum* (h. e. morbo ſe praepediri. At ſemel negationem ſimbibit, ut in *Jurare calumniam*. Coelius VIII. Epiſt. fam. 8. *Appius, cum calumniam juraſſet, contendere auſus non eſt* &c. Vbi *Jurare Calumniam* contractum eſt ex integra locutione, *Jurare jusjurandum calumniae* (h. e. Nihil calumniae cauſa a ſe dictum aut factum iri). Nam quia id jusjurandum συντόμως *Calumnia* vocabatur: inde ortum τὸ *Jurare calumniam*, pro eo quod eſt, ſe nihil calumniaturum. Imo quia non poterat accuſator exordiri judicium niſi praemiſſo eo jurejurando; idcirco *Jurare calumniam* hîc accipitur pro eo quod eſt, profiteri ſe accuſatorem. Vide loca Livii, & Controverſiarum M. Senecae quae ad Coelii locum attulit Fr. Gronov. (cui praeiit Schottus ad Controv. Sen.) in quibus *Jurare calumniam in aliquem* eſt profiteri ſe ejus accuſatorem.

Digitized by Google

41 *pactus est erit se soldum solvere non posse, pro(ve) quo datum depensum est erit : cujusve bona ex edicto*
42 *ejus qui jure dicundo praefuit praefuerit* [*praeter quam si cujus, quum pupillus esset, Reive publicae caussa abesset,*
43 *neque dolo malo fecit fecerit, quo magis Reipublicae caussa abesset*] *possessa proscriptave sunt erunt : quive judicio publico Romae*

VER. 41. *Aut cum eis pactus est erit, se soldum solvere non posse*] Vix hoc potest intelligi, nisi alterius circumscribendi causa; quia pactiones in hisce rebus fraudem subolent, ut jam supra pag. 424. ex Edicto num. V. intelligitur. *Qui furti*, inquit, *vi bonorum raptorum, injuriarum, de dolo malo, & fraude suo nomine damnatus, PACTVSVE erit*. Quod & totidem verbis legitur in ære v. 36. id quod p. 325. Adn. 70. illustravimus. At, inquis, scire libet, quid sibi velit *Paciscí, se soldum solvere non posse*. Nam decoxisse non nisi aut negligentiae, aut τῷ συμβεβηκότι (*alicui eventui*) in Justiniani Nov. 135. deputatur; neque fingi quidquam potest, cur id in pactum deduci possit. Verum in his legum locutionibus antiquis nunc multa suppleri intellectu debent. Erat, opinor, haec vafris usitata malitia, ut per obtentum τοῦ *non posse solidum solvi*, fraus fidejussori strueretur. Eaque hujus loci calliditas hac specie figurari posse videtur. Seius centum a Titio mutuos acceperat (idem valebit in contractibus aliis) fidejussore Naevio. Cedente die solutionis, Seius cum Titio paciscitur, se ei mercedem numeraturum, modo *ne secum agatur* (uti loquitur Vlpianus) sed debitum a Naevio sponsore, utpote obligato in solidum, repetere malit, cum ipse scilicet (aversis tamen interim bonis) decoxerit. Hanc credo versutiam frequens tunc fuisse usurpatam, eoque rem mutitione tantum indicasse hîc visum est satis. Id si est; tum vero illud *Cum eis pactus*, idem erit, quod *Colluserit*; nec ad *Sponsoribus*, sed ad proximius *Creditoribus* referetur. Haec quidem species obversata animo mihi fuit. Forsitan concipi, & aliae possint: quas juris consultissimis intactas relinquo.

IBID. *Prove quo datum depensum est erit*] Loco τῦ PROVE scribe PRO. Haec nimirum est merces illa, quam a debitore creditori depensam dixi, ut secum in sponsoris perniciem colludere velit.

VER. 41. 42. 43. *Cujusve bona ex edicto ejus, qui jure dicundo praefuit praefuerit . . . possessa proscriptave sunt erunt*] In ære ita scalptum est QVID. PRAEFVIT &c. At si monosyllabo QVID puncta in medio omissa reddideris, fiet QV. I. D. h. e. *Quei, jure, dicundo* &c. Ad rem vero ipsam accedo. *Bona ex edicto ejus qui I. D. praefuerit, possessa*, novum indicant (praeter sexcentos [88] illos ab aliis notatos) possidendi & acquirendi modum: cujus haudquaquam desunt apud antiquos, sed praecipue in Quinctiana Ciceronis impressa vestigia, uti jam mox ostendetur. Atque huic generi possessionis destinatus erat Imperialium Instit. libri III. titulus XII. ita inscriptus: *De successionibus sublatis . . , per bonorum venditiones*: nisi Imperator illas *Multas ambages*, per quas hoc totum negotium in jure vetere transigebatur, consulto praeteriisset. Itaque nunc in tanta antiqui juris obscuritate illas *Multas ambages*, cujusmodi fuerint, magna ex parte ignoraremus, nisi eas (olim vulgo Latinis notas, Graecis incompertas) Theophilus in eod. titulo in suorum Graecorum gratiam accurate explicuisset. Itaque Theophilum secuti ducem, simulque veteres alios, itemque Sigonium (in I. de Judic. c. 18.) ambages illas Justinianeas, quantum ad aeris nostri intellectum necesse erit, breviter evolutas damus.

In Edicto praetoris ita erat: *Qui fraudationis causa latitaverit, si boni viri arbitratu non defendetur, ejus bona possideri* (a creditoribus) *vendique jubebo*. Itaque quicumque grandi ære alieno contracto, vocatus in jus, copiam sui non faceret,

(88) Vide Brissonium in de V. S. unde diversos possidendi modos, suo quemque adjuncto vocabulo notatos, cognoscere licebit. Veluti *Possidere pro herede, pro emptore, pro possessore, pro legato, pro dote, pro derelicto, noxae dedito, pro soluto, suo, donato*.

Digitized by Google

ceret, nec alioqui defenderetur; creditores praetore adito, in ejus bonorum poſſeſſionem mittebantur. Deinde ubi triginta a deſerto vadimonio dies fluxiſſent, iidem creditores ſecundo ad praetorem adibant, uti liceret (89) *Magiſtrum* bonis vendundis conſtituere, qui ea in auctione divenderet; ac tum proſcriptio illa fiebat, quam ex (90) Theophilo diſcimus. Poſtremo non multo poſt tertio praetor adeundus erat, uti liceret legem bonis vendundis facere, cujus formulam eidem (91) Theophilo debemus. Secundum haec bonorum emptores ſectoreſque aderant, ac ſi opus, ſubhaſtatio fiebat: de quibus praeſtat ex Pediano (92) cognoſcere.

His intellectis, facillime jam in ære noſtro hujus inciſi ſententiam aſſequemur. Nam inter infamiâ notatos, eoque ad curiam inhabiles, Tabula refert eum, *Cujus*, inquit, *bona ex edicto . . . poſſeſſa proſcriptave ſunt*. A quonam poſſeſſa, niſi a creditoribus & *ex edicto*, eoque plane modo, quo proxime explicavimus? Atque id acquiſitionis poſſeſſioniſque genus *Per univerſitatem* Juſtinianus initio tit. XII. lib. III. vocavit, Theophilus autem τὴν καθολικὴν κτῆσιν eod. (93) intellectu. Huic vero debitoris tantae calamitati comitem acceſſiſſe infamiam, tum alia (94) plura declarant, tum illud, quod ad eam ignominiam declinandam ſervus ea lege libertatem conſequebatur, ut heres neceſſarius eſſet, quo ſcil. ejus nomine ſubhaſtatio tantopere ignominioſa fieret: de quo herede neceſſario vide Juſtin. lib. II. Inſtit. tit. 19.

(89) Magiſtrorum hujuſmodi Cicero plurib. in locis meminit. Ad Att. VI. 1. *Alterum* (genus) *quod ſine edicto ſatis commode tranſigi non poteſt, de hereditatum poſſeſſionibus, de bonis poſſidendis, magiſtris faciendis vendendis*. Quod ultimum (aliis intactum) ne dubita interpretari in hunc modum: *De magiſtris faciendis ad* (bona) *vendenda*. Nam hujuſmodi dativi notionem cauſae finalis imbibunt. Idem Cic. pro Quint. cap. 15. ſect. 50. ita oratorie munus iſtorum magiſtrorum traducit: *Cui magiſtri fiunt & domini conſtituuntur, qui, qua lege & qua conditione pereat, pronuntient*. Adde ex Quinctil. VI. 3. feſtivum Tullii dictum *In Plaetorium Fonteii accuſatorem*: *Cujus matrem dixit* (idem Cicero) *dum vixiſſet, ludum, poſtquam mortua eſſet, MAGISTROS habuiſſe. Dicebantur autem, dum vixit, infames feminae ad eam convenire ſolitae: poſt mortem, ejus bona venibant*. Quod eo pertinet quod *Magiſtri* haſtae praeeſſent. Cicero I. Att. 1. *Una agebant & ceteri creditores, in quibus erat . . . & is, quem putabant MAGISTRVM fore, ſi bona venirent, L. Pontius*. Atque interdum incidit, ut res ita poſceret, uti magiſtri plures eſſent. Ita certe Cicero ſuadet XII. Fam. 30. *Sed a magiſtris cum contenderem de proferendo die: probaverunt mihi, ſeſe, quo minus id facerent, & compromiſſo & jurejurando impediri*. Vide infra locum ex Quinctiana: *Cui magiſtri fiunt*, &c.

(90) Exſtat in Theophili Inſtit. tit. *de ſucceſſ. ſublat. quae fieb. per bonor. vendit.* formula programmatis hujuſmodi: ὁ δεῖνα ὁ χρεωστῶν ἡμέτερος ὑπάρχων εἰς αἰτίαν ἐνέπεσε διαπράσεως· ἡμεῖς χρεδίτορες ὄντες τὴν τοῦτο διαπιπράσκομεν οὐσίαν· ὧν τις ὁ βουλόμενος, προσίτω. *Ille debitor noſter in ea cauſa eſt, ut bona ejus divendi debeant. Nos creditores patrimonium ejus diſtrahimus. Quicumq. emere volet, adeſto*. Atque hic ille eſt *ſuſpenſus libellus*, cujus meminit Seneca in IV. de benef. 12. *Spondeo pro judicato, & ſuſpenſum amici bonis libellum DEJICIO* (tamquam defenſor aut ſponſor: ſic in Quinctiana *Libellos Sex. Alfenus procurator P. Quinctii dejicit:* Sequitur) *creditoribus ejus me obligaturus: ut poſſim ſervare proſcriptum, ipſe proſcriptionis periculum adeo*. Suetonius de Claudio cap. IX. elegantem metonymiam adhibuit: *Ad eas rei familiaris anguſtias decidit, ut, . . in vacuum lege praediatoria VENALIS PENDERIT*. Eo refer, quod *Proſcribi*, & *Venale ſuſpendi* aeque de bonis ac de bonorum domino vulgo uſurparetur; unde Claudius *pendere* dictus. Ad eum Tranquilli locum videatur Torrentius, Salmaſius de mod. uſurar. p. 739. ſeq. & alii.

Poſtremo utrum *Carmen* illud (cujus meminit Cic. de Orat. extremo cap. 57. his verbis: *Non in XII. tab. . . . ſed in magiſtri carmine ſcriptum videretur*) ad idem πρόγραμμα referatur, alii viderint.

(91) *Atque*, inquit, *ex eo tempore ſupra dictae proſcriptioni talia quaedam addebant*. „ *Ea quicumque emerit is creditoribus in dimidiam partem, verbi cauſa, eorum quae ipſis debentur, reſpondere debet: ſic ut cui centum debentur, accipiat quinquaginta: cui ducenti, accipiat centum*. „

(92) Sectores (teſte Aſconio ad Verr.) *ſunt dicti, qui ſpem lucri ſui ſecuti, bona condemnatorum ſemel auctionabantur, proque illis pecunias penſitabant ſingulis: ac poſtea pro compendio ſuo ſingulas quaſque res pecunia populo venditabant*.

(93) In Cyrilli Gloſſis καθ' ὁμάδα exponitur *Per univerſitatem*.

(94) Hujus dedecoris documentis pleni ſunt Latini ſcriptores. Pauca tantum ex Quinctianae Ciceronis cap. 15. producam. *Nam quid homini poteſt turpius . . . uſu venire? Quod tantum evenire dedecus, quae tanta calamitas inveniri poteſt? . . . Cujus bona venierunt, cujus . . . victus veſtituſque neceſſarius ſub praecone cum dedecore ſubjectus eſt, is non modo ex numero virorum exturbatur, ſed ſi fieri poteſt, etiam infra mortuos amandatur. Etenim mors honeſta ſaepe vitam quoque turpem exornat: vita turpis ne morti quidem honeſtae locum relinquit. Ergo hercule cujus bona ex edicto poſſidentur, hujus omnis fama & exiſtimatio cum bonis ſimul poſſidetur: de quo LIBELLI in celeberrimis locis PRONVNTVR, huic ne perire quidem certe tacite obſcureque conceditur: cui magiſtri fiunt, & domini conſtituuntur, qui qua lege & qua conditione pereat, pronuntient: de quo homine praeconis vox praedicat & pretium conficit, huic acerbiſſimum vivo videntique funus indicitur: ſi funus id habendum ſit, quo non amici conveniunt ad exſequias cohoneſtandas, ſed bonorum emptores ut carnifices ad reliquias vitae lacerandas & diſtrahendas*. Mitto cetera, ne ſim nimius.

Digitized by Google

44 *condemnatus est erit, quocirca eum in Italia esse non liceat, neque in integrum restitutus est erit: quive in eo*

tit. 19. Merito igitur istiusmodi homines tanta ignominia aspersi arcentur a curia.

IBID. *Cujus bona ex edicto ejus, qui jure dicundo praefuit praefuerit*] Si dixisset, *Ex edicto praetoris*, id tantum Romae valuisset. At quia id etiam in municipiis coloniisque processurum erat, ea gratia scribitur, *Ex edicto ejus qui* I. D. *praef.* quae periphrasis est supremi magistratus loci cujuslibet.

IBID. *Possessa proscriptave sunt*] Proscriptio rerum venalium privatim (95) facta nullam conflabat infamiam, sed ea tantum, quae EX EDICTO EIVS QVI (unoquoque in loco) I. D. praeerat.

EOD. VER. 42. 43. sequitur exceptio illa, quam uncis παρεντέθεικα: quae ita habet: *Praeterquam si cujus, quum pupillus esset, reive publicae caussa abesset, neque dolo malo fecit fecerit, quo magis R. P. C. A.* hoc est, Reipublicae caussa abesset. Vtrisque enim competebat restitutio in integrum. De pupillis vel pueri norunt: at Reip. causa absentibus praetor (96) restitutionem pollicebatur. IBID. sequitur: *Possessa proscriptave sunt erunt*. Hae sane quatuor voces bis accipiendae sunt, semel in lege, iterum in exceptione legis. Jam vero ubi *Reip. causa* dicitur, id tum de Rom. rep. (quae Ciceroni communis municipiorum patria vocatur) tum & de rep. uniuscujusque (97) municipii intellige. At vero ejus qui *dolo malo fecit, quo magis Reip. causa abesset*, species figurari potest in eo, si quis provisa creditorum coitione, sive liberâ legatione impetrata, sive quo alio modo, peregre abiens, judicio se subduxerit. In illo: *QVO MAGIS Reipub. causa abesset*, cave τὸ *Magis* pro comparativa particula accipias, cum in antiquis legibus, & in ICtis nihil aliud agat, quam ut τῷ *Quo minus* opponatur. Itaque sicuti *Quominus* est ἀρνητικὸν μόριον (*abnutiva particula*) ita *Quo magis* est καταφατικὸν (*affirmativa*) non carens vi ἐντατικῇ, & nativâ elegantia.

VER. 43. 44. *Quive judicio publico Romae condemnatus est erit, quocirca eum in Italia esse non liceat, neque in integrum restitutus est erit*] Primum omnium quaenam *judicia publica* intelligantur, abunde constare arbitror. Ea nempe sunt, in quibus cuivis e populo permittebatur actio. Ea vero cum alia capitalia essent, alia secus, uti Paullus (98) testatur; hîc non nisi capitalia intelligi, ex eo quod sequitur (*quocirca eum in Italia esse non liceat*) satis ostendi reor. Nam quia judicio capitali caput ex civitate eximebatur; ea de causa eo judicio damnati ii erant, qui saltem

(95) Nam quivis injussu magistratuum, poterat quidvis venale proponere, affixa ad pilam aliquam tabella, in qua res & pretium perscripta essent. Plin. VII. ep. 26. *Deserta . . . domus . . . proscribebatur, seu quis emere seu quis conducere . . . vellet.* II. 1. *Hereditarios agros, quos ego jusseram proscribi.* In Regiis Pompeianae urbis effossionibus plura hujusmodi programmata udo parietum tectorio illita reperta fuerunt: prae ceteris illud illustre, quo locanda proscribuntur aedificia quaedam *Juliae Felicis*, in quibus NONGENTVM TABERNAE ac plura hujusmodi: de quo vide sup. p. 309. adn. 3.

(96) In Vlpiano lib. XI. ad Edictum (in l. 1. D. *ex quib. caus. major.*) haec prima Praetoris verba sunt: *Si cujus quid de bonis* [*erit diminutum:* hae duae voculae ex Cod. & ex Basilicis hîc recte supplentur] *cum is metu, aut sine dolo malo Reip. causa abesset . . . . . in integrum restituam.*

(97) Etsi contrarium videtur suasisse Vlpianus l. 26. §. 9. D. *ex quib. caus. major.* ubi *Rempublicam* κατ' ἐξοχὴν non nisi Romanam intelligit, & a quavis alia *civitate* distinguit. Ejus verba hujusmodi sunt: *Veluti legatione quis pro civitate* (sua, ut ipse intelligit) *functus est, aequissimum est, eum restitui, licet Reipublicae* (Romanae scil.) *causa non absit.* Tamen hoc discrimen, ab Vlpiano assertum sub principibus, opinor, obtinuit, non item liberae Reip. tempore. Nam antiquitus vox *Respublica* de municipiis coloniisque passim & vulgo non minus ac de Roma usurpabatur. Ac sane nisi ita hîc Tabula intelligatur (ut nim. *Reipublicae* nomine etiam communia municipiorum continentur) quo pacto illis subventum fuisset, qui civitatis suae causa abfuissent? Atqui hujusmodi casus pluries incidisse, iisque restitutionem competisse, Vlpianus ipse fatetur verbis sequentibus. *Idem puto*, inquit, *&, si* (quis) *testimonii causa sit evocatus ex qualibet provincia vel in Vrbem, vel ad Principem: nam & hîc saepissime est rescriptum subveniri. Sed & his qui cognitionis gratia vel appellationis peregrinati sunt, similiter subventum. Et generaliter quotiescumq. quis ex necessitate, non ex voluntate abfuit, dici oportet, ei subveniendum.*

(98) Paullus ad edictum principis: *Publicorum judiciorum quaedam capitalia sunt, quaedam non capitalia. Capitalia sunt, ex quibus poena, mors, aut exsilium est, h. e. aquae & ignis interdictio; per has enim poenas eximitur caput de civitate; nam cetera non exsilia sed relegationes proprie dicuntur: tunc enim civitas retinetur. Non capitalia sunt, ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coercitio, poena est.*

Digitized by Google

45 *Municipio, Colonia, Praefectura, Foro, Conciliabulo, cujus erit, judicio publico condemnatus eſt erit; quemve*
46 *calumniae praevaricationis* (ve) *cauſſa accuſaſſe feciſſeve* (ali-)*quod judicatum eſt erit: cuive apud exercitum ignominiae*

ſaltem exſulare cogebantur, nec uſquam terrarum conſiſtere, in quibus cives Romani eſſent. Cumque hujus Tabulae aetate magnâ ex parte Italia civitatem conſecuta fuiſſet; idcirco quibus aqua & igni interdicebatur, ii Italiâ (quouſque ſcil. tunc Italia patebat) abſcedere cogebantur: de quo inferne (99) pauca. Cur *Romae* addatur (*judicio*, inquit, *publico Romae condemnatus*) id ex verſu qui ſequitur, conjici poſſe arbitror. Huc vero facit & Vlpiani l. 1. §. 6. *de poſtul.* illud: *Qui capitali crimine damnatus eſt*, (utpote notatus) *non debet pro alio poſtulare*.

VER. 45. *Quive in eo municipio, colonia . . . cujus erit, judicio publico condemnatus eſt erit*] Semper additur *Judicio publico*; nam privata judicia infamiam non inferunt: ac ſiqua inferunt, de iis jam ſupra actum fuit. Vide ICtum (100) Macrum. Jam vero ex recitatis Tabulae verbis oſtenditur, in municipiis ceteriſque civium Rom. locis judicia quidem publica agitata fuiſſe: non tamen capitalia, quibus aut vita aut civitas adimeretur, ita ut eo judicio damnatis aqua & igni interdictum eſſet; ſed tantum poena pecuniaria irrogaretur, aut ſummum quae non ultra ejectionem e ſuo municipio coloniave procederet. Id ex hoc verſu, ſi cum praecedente conferatur, clare elicitur. Nam quia aquae & ignis interdictio non niſi ROMAE acto judicio (ut ex ver. ſuperiore colligitur) irrogari poterat; ex eo perſpicitur non ultra leviores poenas judicia publica municipalia procedere potuiſſe. Adde quod ex eo quod qui capitali judicio damnatus in ſuo municipio dicitur, is donec *in integrum reſtitutus erit* (hoc enim videtur hîc quoque ex verſu ſuperiore ſupplendum) arcetur a curia; ex hoc, inquam, aperte monemur, hunc non aliunde inhabilem fuiſſe ad curiam, quam quod poenae cauſa abeſſet a patria.

VER. 46. *Quemve Kalumniae praevaricationis*(ve) *cauſſa accuſaſſe feciſſeve* (ali)-*quod judicatum eſt erit*] Singularis littera K. quae ineunte hoc verſu viſitur, alibi quidem plura pro loco deſignat, at hîc nota vocis *Kalumniae* eſt: quae vox cum duabus aliis, nim. *Kalendae* & *Kaput* (ubi legis Kaput notatur, non ubi hominis) ad trigam illam dictionum pertinet, quae ſolae antiquitus Latiale *Ka* (ſic enim unâ ſyllabâ id elementum vocabatur) ab initio admittebant, ſicuti docent grammatici (101) veteres. Tametſi paullatim poſtea & aliae voces in id jus invaſerunt; nam & *Kaeſo* praenomen, & *Kandidatus*, & *Karthago*, & *Karus* & alia plurima in lapidibus eam ſibi litteram arrogarunt. Atque hîc quidem non aliud quam *Kalumniae* legendum eſſe, oſtendit Edicti pars illa de infamibus, quam ſupra pag. 424. adſcripſi, num. IV. ubi eadem plane verba, quae hîc uſurpantur. *Qui*, inquit, *in judicio publico KALVMNIAE PRAEVARICATIONISVE cauſa quid feciſſe judicatus erit*. At ſicuti ex his Edicti verbis in hoc ære poſt *Praevaricationis τὸ*

(99) Hic ſane locus ſuadere videtur, non niſi poſt legem Plotiam ſcalptum fuiſſe hoc legum Digeſtum. Nam legis Juliae beneficium ad paucos Italiae populos manaverat: Plotiâ vero lege tota propemodum Italia illa vetus, quae Rubicone amni ad mare ſuperum, Lucâ ad inferum terminabatur, jura civitatis Rom. conſecuta fuit.

(100) Macer l. 7. D. *de publ. jud.* ita ſcripſit. *Infamem non ex omni crimine ſententia facit, ſed ex eo quod publici judicii cauſam habuit. Itaque ex eo crimine, quod judicii publici non fuit, damnatum infamia non ſequetur: niſi id crimen ex ea actione fuit, quae etiam in privato judicio infamiam condemnato importat, veluti furti, vi bonorum raptorum, injuriarum*. Hactenus Macer. His ultimis adde, *pro ſocio, tutelae, mandati, depoſiti*, & ſiquos alios hujus generis Tabula ſupra complectitur, ſicuti & Titulus *de his qui not. inf.*

(101) Videantur eorum grammaticorum loca apud Voſſium in I. de Ar. gram. cap. 17. ubi etiam ex Ciceronis loco pro Roſc. Am. conjicit, calumniatorum fronti K inuri conſueviſſe. Id unum ex grammaticis adnotavero, antiquitus ſub unius litterae K figura latuiſſe integram ſyllabam KA. Tamen id tantum olim forſitan verum fuerit. At in marmoribus quae reſtant, ſolum in *Kalendis* ſignandis id verum reperio: quas & unicâ littera K. & KL. & KLD. & KLEND. ſignatas reperio. Adhaec K numquam niſi ante vocalem A locum habuit.

Digitized by Google

47 *cauſſa ordo ademptus eſt erit : quemve imperator ignominiae cauſſa ab exercitu decedere juſſit juſſerit ;*

VE addidimus ; ſic viciſſim puto in Edicto τὸ *Accuſaſſe* (102) quod exciderat , ex hac Tabula reſtituendum .

Ad rem ipſam quod attinet , *Calumniator* variis in jure noſtro modis definitur . Qui ſciens dolo malo alicui innoxio crimen intendit , l. 1. §. 1. *ad SC. Turpillian.* Item qui ut negotium alicui faciat , vel non faciat , pecuniam accipit , vel depeciſcitur , l. 1. D. *de calumn.* Itemque is qui per fraudem & fruſtrationem aliquid in judicio facit , l. 233. pr. D. *de V. S.* Atque ita *Calumnia* & *Praevaricatio* invicem proxime accedunt , ut interdum permiſceantur ac pro ſynonymis uſurpentur . Ceterum *Praevaricator* proprie is eſſe videtur , qui prodit cauſam acceptâ pecunia , & cum adverſario in perniciem cauſae a ſe ſuſceptae colludit . In vet. Gloſſario ita deſcribitur *Praevaricator* , ut ſit Συκοφάντης ὁ προδιδὰς τὴν ἰδίαν δίκην , καὶ τῷ ἀντιδίκῳ αὐτὸς βοηθῶν : *Sycophanta , propriam cauſam prodens , ut adverſario ſuffragetur* . Item hoc modo : ὁ συμπαίζων μετὰ ἑναγομένου , *Qui cum altera parte colludit.* Tam calumnia vero , quam praevaricatio praeter infamiam , poenis etiam pecuniariis multabantur . Exſtant de his varii in Jure tituli . Ab his vix aut ne vix quidem tergiverſatores diſcrepant . Adhaec in tit. *de poſtulando* hoc exſtare memini l. 1. §. 6. *Item SCto etiam apud judices pedaneos poſtulare prohibetur calumniae publici judicii damnatus.*

VER. 46. *Cuive apud exercitum ignominiae cauſſa . . .*] In ære pro *Ignominiae* legitur INONOMINIAE : at ver. ſeq. INGNOMINIAE : utrum horum , an neutrum rectum ſit , inferne (103) agimus .

VER. 47. *Ordo ademptus eſt erit*] Haec eadem locutio in Tacito occurrit I. Hiſt. 52. *Adimendis . . . militiae ordinibus :* de quo infra . Nunc videamus , quid in his *Ordo* ſit exponendum . In militia ORDO (ſicuti & apud Graecos rerum Romanar. ſcriptores vox Τάξις) *Manipulum* haud dubie deſignabat . Et quia manipulis praeerant centuriones (bini autem ſingulos ducebant manipulos) ab eo factum ut *Ordo* centurionatum notaret ; id quod mirum videri poſſet , niſi in hodierna militia vox *Compagnia* tum militum manum ſignaret , tum etiam ipſam prae-

(102) Videtur , inquam , Praetor ſcripſiſſe fere ut in ære noſtro , *Kalumn. praevar. ve cauſa accuſaſſe quidve feciſſe* . Nam *Accuſare* omitti non potuit , quia id uti primarium in calumniatoribus ſpectabatur : accuſationi autem etiam improbe & calumnioſe facta ſolebant accedere .

(103) *De vetere orthographia INGNOMINIAE .*

Iſtud INONOMINIAE , ſi non ab errante manu , ſed a ſcalpentis judicio profectum ſit ; cum haec Heracleae ſcalpta fuerint , videtur inciſor Graeculus (parum Latine doctus , hîc vero etiam praepoſtere ſciolus) ſuſpicatus , ab ὄνυμα [1] hanc vocem eſſe oriundam : eâq. gratia , IN στρπτικῷ praepoſito , formatum ab eo fuiſſe *Inonominiae* verbum . Sed mitto intempeſtivas ſubtilitates, maxime cum ver. ſeq. INCNOMINIAE legatur . Vbi ſicuti C loco G clam irrupit , ita priore loco manifeſtum eſt , O loco G irrepſiſſe .

At negari ſaltem non poteſt , ita tunc fuiſſe judicatum , ad hujus vocis ὀρθογραφίαν requiri integram ſyllabam IN , ut ſit ab IN στρπτικῷ & *Gnominia:* quae vox a *Gnoſco* oritur . Nec dubium eſt, quin antiquis *Gnoſco* uſurpatum fuerit . Diomedes ait: *GNOSCIT , ait Caecilius , quoniam & praepoſitione addita , Adgnoſco , & Cognoſco dicimus* . Eſt & ille Varronis verſus :

Adeſte , adeſte , quae feramque , gnoſcite.

Feſtus *GNOTV , cognitu* . In Philoxeni Gloſſis *Gnotu* (facile *Gnotum*) eſt γνῶσιν , διάγνωσιν . In eisdem GNOT exponitur οἶδεν , ἐπιγινώσκει : ſive quia *GNOviT* legendum ſit , ſive quod tertia perſona *Gnot* relicta una fuerit ex antiquo verbo *Gnoo* (γνόω) & contracte *Gno* , cujus ſecunda *Gnos* fuerit, tertia *Gnot* . Ex his vides , Priſcianum (lib. 2. cap. *de ſyllaba*) falſum , ubi putavit iſtud G , ut in *Gnatus* , ita etiam in *Gnotus* , fuiſſe aſſumptum extrinſecus . Fallitur ; quia origo τῦ GNOTVS eſt a γνόω ; ita ut G adeo non extrinſecus adſcitum , ut potius uſu pronuntiationis poſtea extritum fuerit . Id vero ita eſſe , fateri Tabula noſtra cogit , in qua τὸ *Ignominia* bis integre more antiquo INGNOMINIA (ὀρθογραφῆται) *perſcribitur* .

[1] *Idque eo magis , quod cum Latinis , qui* Ignominiae *vocabulum* ἀπὸ τῦ *NOMEN arceſſerent , videntur etiam Graeci Italici conſenſiſſe , edque gratia* Ignominiam *in hibridam vertiſſe INONOMINIAE vocem ex IN Latino Graecoque* ὄνομα *conflatam . Quod Latini veteres* Ignominiae *veriloquium a NOMEN adſciverint , oſtendit ex Cicerone Nonius : cujus grammatici verba haec ſunt* . IGNOMINIA eſt NOMINIS NOTA . M. Tullius de Rep. lib. IV. Cenſoris judicium nihil fere damnato adfert niſi ruborem . Itaque ut omnis ea judicatio verſatur tantummodo in NOMINE , animadverſio illa IGNOMINIA dicta eſt . *Haec ex Tullii Rep. Nonius attulit* .

Digitized by Google

praefecturam, ea vero & conferri alicui, & adimi, aut reſtitui, eademque omnia, ut de *Ordine* dicerentur. Quis vero dubitat, quin *Ordinem ducere* (1) millies de centurionibus uſurpetur; & iidem centuriones plerumque ταξίαρχοι Graecis, praeſertim Polybio, h. e. *Ordinum ductores*, dicantur? De quibus videatur Suidas (104) in Τάξις. Adde & illas locutiones *Ordines* (105) *aſſignare*, & *dare*, (106) ac *reddere*. Adhaec quia Centuriones majoris minoriſque dignationis erant, id quoque de Ordinibus (107) uſurpatum.

Poſtremo ſicuti in ære hoc *Ordo ademptus* dicitur, hoc idem in Tacito una cum aliis eodem pertinentibus locutionibus uſurpatur in I. Hiſt. 52. *Hiberna legionum cum cura* (Vitellius) *adierat: REDDITI pleriſque ORDINES, remiſſa IGNOMINIA* (iis ſcil. quibus *ignominiae cauſſa*, ut in ære noſtro, adempti fuerant) *allevatae notae . . . in quibus ſordem & avaritiam Fonteii Capitonis ADIMENDIS ASSIGNANDISVE militiae ORDINIBVS integre mutaverat*. Non ovum ovo ſimilius, quam Cornelianae iſtae locutiones ari noſtro. Sed & ſicuti *Adimere ordines*, ita & *Primos pilos* (h. e. ordines primos) *adimere* Tranquillus dixit Caligula cap. 44. *In exercitu recenſendo, pleriſque centurionum maturis jam, & nonnullis ante pauciſſimos, quam conſummaturi eſſent, dies, primos pilos ademit*.

His jam intellectis, venio ad verba ipſa legis. *Cuive*, inquit, *apud exercitum* (h. e. *in caſtris inve provincia*, uti v. 17. & 27. dicitur: de quo ibi diximus) *ignominiae cauſſa* (cui opponitur *Virtutis cauſſa*) *ordo* (i. e. centurionatus) *ademptus eſt erit*. Ergo ſicuti in aſſignando ordine addebatur elogium (108) *Virtutis cauſa*, ita & in adimendo, & in quavis miſſione ignomi-

(1) Cicero 1. Phil. 20. *Viri fortiſſimi atq. honeſtiſſimi qui ordines duxerant*. Paullo poſt: *Quicumque ordinem duxit*: centuriones intelligens. Vide Livium XLII. 34. ubi pluries *Ordo* pro centuriatu ponitur.

(104) Suidas. Τάξις i. e. *Ordo . . . viri* (ῥκή: ita in Meliorib. Mſs.) *CXXVIII. Eorum dux olim* (Ταξίαρχος) *Taxiarchus, nunc vero* (Ἑκατοντάρχης) *Hecatontarches* (h. e. Centurio) *vocatur*.

(105) Cicero in Piſon. *Quid centuriatus palam venditos? Quid per tuum ſervulum Ordines* (plane eoſdem, quos centuriatus dixerat) *aſſignatos?* Livius ab imperatore aſſignatos docuit XLII. 33. *Deprecatus eſt ne . . . prohiberent conſulem, quem cuique ordinem aſſignari e Rep. eſſet, eum aſſignare*. At ſequenti capite 34. (quo Sp. Liguſtini gravis modeſtaque concio exſtat) nihil eſt luculentius. Qua concione pluries *Ordines aſſignandi* locutio, & plura ſcitu digna de ordinibus continentur.

(106) Suetonius Julio cap. 75. *Quibus autem ex commendatione Pompeii ordines dederat, poteſtatem tranſeundi ad eum omnibus fecit*. Sed & *Reddere ordines* Tacitus I. Hiſt. 52. uſurpavit.

Et his quidem & ſimilibus locis τὸ *Ordines* recte ad plures centuriones refertur. At paullo rarius illud eſt Plinii, in quo τὸ *Ordines* de uno uſurpatur. Sic enim VI. ep. 25. ſcripſit: *Huic* (Metilio Criſpo) *ordines impetraveram, atq. etiam proficiſcenti XL. millia nummum ad inſtruendum ſe ornandumque donaveram*. Tracta autem plurativa locutio ab eo cui praeerat globo, qui plurali num. deſignari ſolebat, in ea praeſertim locutione, *Ordines ducere*.

(107) *Promotionum ſeries: Primipili dignitas magis tribunis, quam centurionibus aequiparati.*

Id luculenter conſtat ex promotionum Sp. Liguſtini ſerie, quam ipſe apud Livium XLII. 34. exponit. *Biennium*, inquit, *miles gregarius fui adverſus Philip. regem. Tertio anno virtutis cauſa mihi T. Quinctius Flamininus decumum ordinem haſtatum aſſignavit*. Is primus a gregaria militia gradus fuit, idemque inter ordinum ductores infimus. Mox addit: *Hic me imperator* (M. Porcius) *dignum judicavit, cui primum* (ordinem) *haſtatum prioris centuriae aſſignaret*. Poſt pauca: A Manio Acilio mihi *primus princeps* (ordo) *prioris centuriae* (h. e. primus in priore principum centuria) *eſt aſſignatus*. Mox: *A Ti. Graccho rogatus, in provinciam ii. Quater intra paucos annos primumpilum duxi*. Is primus in ordine triariorum, imo & omnium centurionum erat, paullo tribunis inferior.

Primipilos paullo infra tribunos fuiſſe, ex eo conſtat, quod una cum tribunis in conſilium adhibebantur. Caeſar in V. de B. Gal. *Labienus noctu tribunis militum, PRIMISQ. ORDINIBVS* (hos Graecus interpres πρώτους ταξιάρχους, *primos centuriones* apte reddidit, *convocatis*) *quid ſui conſilii ſit, proponit*. Frontinus I. cap. 11. *Imperavitque tribunis, & primis ordinibus, & centurionibus*. Locus pulcherrimus: in quo ita a centurionibus diſtinguuntur primipilares, ſicut hi a tribunis. Ac certe primi ordines minimo intervallo a tribunatu aberant, ad quem iis proximus gradus erat.

(108) τὸ *Virtutis causâ Beneficio oppoſitum.*

In Livio XLII. 34. Sp. Liguſtinus ita loquitur: *Biennium miles gregarius fui adverſus Philip. reg. Tertio anno VIRTVTIS CAVSA mihi T. Quinctius Flamininus decumum ordinem haſtatum aſſignavit*. Idem elogium bis rurſus in ead. Liguſtini concione legitur. *A Flacco*, ait, *inter ceteros, quos VIRTVTIS CAVSA ſecum ex provincia ad triumphum deducebat, deductus ſum*. Mox: *Quater & tricies VIRTVTIS CAVSA donatus ab imperatoribus ſum*. Sane Liguſtini moderatio in ea concione tanta eſt, ut niſi illud VIRTVTIS CAVSA ad τὸ τί ἄνευ delatorum ſibi praemiorum pertinuiſſet, numquam de ſeſe ipſe tam arroganter praedicaſſet. Ceterum ſicuti in militarib. animadverſionib. τὸ *Ignominiae cauſa* nominatim addi neceſſe erat

(de

Digitized by Google

minioſa contrarium praeconium diſertim proclamabatur, nim. *ignominiae cauſa*, ut ad ver. ſeq. oſtendam. Quod non addebatur tamen, ſi quis valetudinis cauſſa alteriuſve excuſationis dimitteretur.

At illud mirer, ſi in centurionibus ſolis faba cudenda foret, tribuni interim ceterique ab ignominia immunes eſſent. Quos tamen immunes ab ea non fuiſſe tum plura alia, tum prae ceteris Hirtius in bello Afric. docet. Itaque paullatim eo labi mihi videbar, ut eos etiam hac lege teneri ſuſpicarer. De quo in extrema pagella (109) ſeorſum agimus.

EOD. VER. 47. *Quemve imperator ignominiae cauſa ab exercitu decedere juſſit juſſerit*] Superior ignominia ductores dumtaxat notabat, haec vero gregarios milites. De hac altera tantum loquitur praetor in Edicto (ſup. p. 424. num. I.) his verbis. *Infamia*

(de quo ad ver. ſeq. dicam) ita & formula illa *Virtutis cauſa* pars potiſſima ornamenti militaris erat. Nam ubi non *virtutis* cauſa, ſed *beneficio* ducis conſequebantur honorem, id adeo non ad ornamentum, ut potius ad dedecus traheretur. In Hirtii loco, quem mox Adn. 109. producam, Caeſar Centurionibus exprobrat: *Ordines in meo exercitu beneficio, non virtute conſecuti . . . neque bello fortes, neque pace boni fuiſtis.*

(109) *Vtrum hac lege non centuriones tantum, ſed etiam ſuperiores duces teneri videantur. Vlpiani locus exponitur. Quid Caliga ſermone caſtrenſi notet.*

Teneri videbantur omnes quotquot ignominiae cauſa exauctorari poſſent. Atqui non tantum centuriones, ſed & tribuni, imo & legati interdum ignominia notabantur. Exſtat in Hirtii Bello Afric. cap. 54. inſignis formula, qua non tantum centuriones aliquot, verum & tribuni duo ignominiae cauſa dimittuntur. Id dimiſſionis ignominioſae exemplum hîc adſcripliſſe non poenitebit. *C. Aviene* (tribunus is erat militum X. legionis) *quod . . .* (hic cauſas plures ejus dimiſſionis enumerat) *. . . ob eas res IGNOMINIAE CAVSA ab exercitu meo te removeo: hodieque ex Africa abeſſe, & quantum poteſt, proficiſci jubeo. Itemque te A. Fontei, quod tribunus militum ſeditioſus maluſque civis fuiſti, ab exercitu dimitto. T. Saliene, M. Tiro, C. Cluſinas, cum ordines in meo exercitu beneficio non virtute conſecuti, ita vos geſſeritis, ut neque bello fortes, neque pace boni aut utiles fueritis, & magis in ſeditione concitandi milites adverſus veſtrum imperatorem, quam pudoris modeſtiaeque fueritis ſtudioſiores; indignos vos eſſe arbitror, qui in meo exercitu ordines ducatis, miſſoſque facio, & quantum poteſt, abeſſe ex Africa jubeo.*

Suetonius de Caligula cap. 44. *Poſtquam caſtra attigit, ut ſe acrem & ſeverum ducem oſtenderet, legatos, qui auxilia ſerius ex diverſis locis attulerant, cum ignominia dimiſit.* Mox eamdem ſeveritatem in centurionibus exercuit. Idem de Tiberio cap. 19. *Diſciplinam acerrime exegit, animadverſionum & ignominiarum generibus ex antiquitate repetitis: atque etiam legato legionis, quod paucos milites cum liberto ſuo trans ripam venatum miſiſſet,* Hirtius in bello Afric. docet. Itaque paullatim eo labi mihi videbar, ut eos etiam hac lege teneri ſuſpicarer. De quo in extrema pagella (109) ſeorſum agimus.

EOD. VER. 47. *Quemve imperator ignominiae cauſa ab exercitu decedere juſſit juſſerit*] Superior ignominia ductores dumtaxat notabat, haec vero gregarios milites. De hac altera tantum loquitur praetor in Edicto (ſup. p. 424. num. I.) his verbis. *Infamia ignominia notato.* Poſtremo quod l. 2. princ. D. *de his qui not. inf.* ignominioſa dimiſſio ad ſummos etiam duces protenditur, id ad Vlpiani aetatem pertinet. Quae tamen ipſa in fine hujus Adn. adſcribam.

Adde quod ubi in ære ver. ſeq. de gregariis militibus agitur, ii ab imperatore dimitti dicuntur: hîc autem ubi *Ordo* adimitur, nulla imperatoris mentio. Id quod eo referri poſſet, ut hîc *Ordinis* nomine etiam tribuni contineri videantur: quorum idcirco forſitan nominatim omiſſa ſit mentio, quod Tribuni non a duce exercitus creabantur, ſed plerumque populi ſuffragiis. Non raro & a conſulibus lecti.

Itaque ſi *Ordinis* nomine γενικωτέρως accepto etiam tribuni contineri poſſent, non dubitarem hos quoque hac lege fuiſſe comprehenſos. Nunc vero quod ſciam, exempla hujuſmodi deſunt, quibus *Ordo* de tribunis, ceteriſque ſuperioribus militiae praefecturis uſurpetur. Quocirca hoc verſu de ſolis centurionibus agitur, ſicuti ver. ſeq. de gregario milite: nulla interim de ducibus ſuperioribus mentio. Nec, quantum video, opus fuit de tribunis ignominioſe dimiſſis, ne in curiam aliquam municipalem irreperent, cavere; cum tribuni ad majora inhiaverint. Ipſi enim plerumque equites Romani erant, aut ſtatim fiebant; imo & ad ſenatum Rom. ſibi viam muniebant.

Quid porro ſub Caeſaribus obtinuerit, Vlpianus in principio l. 2. D. *de his qui not.* docuit. In verbis Praetoris *Dimiſſum accipere debemus militem caligatum* (I) *vel ſiquis alius uſque ad centurionem, vel praefectum cohortis vel alae vel legionis . . . dimiſſus eſt.* Haec vocabula militiae aetatis Vlpiani ſunt. At quae ſequuntur poſt τὸ *legionis*, pertinent ad antiquiora tempora: quae merito in Gothofredi editione parentheſi interponuntur ita: [*vel tribunum ſive cohortis ſive legionis*] Pergit Vlpianus: *Hoc amplius Pomponius ait, etiam eum qui exercitui praeeſt, licet conſularibus inſignibus utitur, ignominiae cauſa ab Imperatore miſſum, hac nota* (infamiae) *laborare. Ergo & ſi dux cum exercitui praeeſt, dimiſſus erit, notatur. Et, ſi Princeps dimiſerit & adjecerit, IGNOMINIAE CAVSA SE MITTERE, ut plerumq. facit, non dubitabis & ex Edicto praetoris eum infamia eſſe notatum. Non tamen ſi citra indignationem Principis ſucceſſor ei datus eſt.*

(I) Caligatus *idem qui* gregarius *ſive* manipularis: *quod vocabulum ob ea quae ſequuntur* (vel ſiquis alius uſque ad centurionem . . .) *ad vulgus omne militum infra centurionem pertinet. De Imperatoris Caligulae nomine pervulgata omnia. Auguſtus, teſte Suet. militaria dona* ſine ambitione, ac ſaepe etiam CALIGATIS tribuit. *L. 9. D.* de cuſt. reor. Qui exercitum accipit, jus animadvertendi in milites caligatos habet: *Lapis apud Lipſium ad J. Ann.* 41. C. Oppio. C. F. VEL. omnibus officiis. in. CALIGA. functo. *Vide plura apud eund. ad Tacitum. Etiam aevo Juſtiniani eadem erat* Caligae *notio, ut qui Nov.* 74. *c.* 4. §. 3. *eos quos Lex* Caligatos *appellat, interpretatur* τυτίσιν ἀτελεστέρους καὶ ἀφανεστέρους; Vilores obſcurioreſque *milites.*

Digitized by Google

48 *quive ob caput civis Romani referendum pecuniam praemium aliudve quid cepit ceperit: quive corpore quaestum*

famia notatur, qui ab exercitu ignominiae causa ab imperatore (110) *eove cui de ea re statuendi potestas fuerit, dimissus erit.*

Ait vero Tabula: *Quemve imperator ignominiae causa ab exercitu decedere jussit;* nam nisi dux nominatim *Ignominiae causa* se dimittere dixerit, non erit ignominiosa dimissio, teste (111) Vlpiano: a quo Macer videtur in (112) speciem, non re ipsa dissentire. Porro autem si de *Ignominia* per se sola censere volumus, eam infra infamiam fuisse reperiemus: secus si lex accesserit, quae ignominiam ab exercitus duce aspersam etiam infamiâ cumularit. Vt ecce haec ipsa ignominiosa dimissio, nisi haec æris nostri lex (quae postea etiam in Edictum perpetuum n. I. hinc traducta fuit) dimissos infamia notasset, formula illa (quam ex Hirtio recitavi Adn. 109.) ignominiâ tenus dumtaxat stetisset.

IBID. *Ab exercitu decedere jussit*] Supplere hîc queas illud QVANTVM POTEST (ut sit impersonale passivum, conveniens personis omnibus) quod in ignominiosae dimissionis formula addi solebat. In ea, quam Adn. 109. ex Hirtio retuli, habes: *Hodieq.* (te, C. Aviene) *ex Africa abesse, &, quantum potest, proficisci jubeo.* Ibid. in trium centurionum dimissione: *Missosque* (vos) *facio, &, quantum potest, abesse ex Africa jubeo.* Isto *Quantum potest* passiva notione utuntur non raro Plautus Terentiusque. Porro ex Hirtiana formula ignominiose missi jubebantur quam longissime ab exercitu abesse: ceterum de Roma nihil cavetur. At sub Caesaribus hoc quoque cautum, quod Vlpianus refert l. 2. §. 4. D. *de his qui not. inf. Ignominia missis neque in Vrbe neque alibi, ubi Imperator* (i. e. Princeps) *est, morari licet.*

VER. 48. *Quive ob caput civis Rom. referendum pecuniam . . . cepit*] Si *Referre caput civis Rom.* pro eo sumi posset, quod est civem Rom. capitis reum facere; id huic loco convenire dicerem; quia delationes *praemii consequendi* gratia famam accusantis (113) laedebant. Verum eam

(110) *Aeris hujus leges in Edicto ad principatum refinguntur.*

Edictum perpetuum ex antiquis legibus fuisse consarcinatum, ex his ipsis quae Titulus *de notatis infamia* ad nos usque ex eo Edicto transmisit, manifestum est; quippe quae totidem plerumque verbis in ære nostro tanto antea scalpta deprehendimus. Nisi quod interdum pauca adduntur, aut aliis verbis exponuntur in Edicto, ut Caesareis temporibus conveniret. Vt ecce in ærea hac lamina *Imperator* summum exercitûs ducem notabat. At quia sub Caesaribus non alius *Imperator* erat, quam Romani imperii monarcha; idcirco in Edicto, retento *Imperatoris* nomine (etsi novâ significatione accepto) additur: *Eove, cui de ea re statuendi potestas erit.* Qua circuitione dux exercitus designatur.

(111) Vlpianus l. 2. §. D. *de his qui not. inf.* ita scripsit: *Ignominiosa autem missio totiens est, quotiens is qui mittit, addit nominatim, IGNOMINIAE CAVSA SE MITTERE. Semper enim debet addere, cur miles mittatur.* Exstat apud Hirtium in de Bello Afr. c. 54. missionis formula talis, quam invectivam vocare possis. Eam vide supra Adn. 109.

Pergit ibid. Vlpianus. *Sed & si eum exauctoraverit* (interdum exauctorabantur, quos princeps non *Milites*, sed *Quirites* vocabat: Lamprid. in Alexandro, Tacitus, Suetonius) *ideſt, insignia militaria detraxerit* (veluti arma aut sagum, cinctumque militarem) *inter infames efficit, licet non addidisset, Ignominiae causa se eum exauctoraſſe.*

Ac ne illud quidem est omittendum, quod ibid. §. 3. Vlpianus addit: *Miles*, inquit, *qui lege Julia de adulteriis fuerit damnatus, ita infamis est, ut etiam ipsa sententia* (sola) *eum sacramento IGNOMINIAE CAVSA solvat.* Papinianus l. 11. D. *ad l. Jul. de adul.* princ. etiam deportationem adjecit. *Miles*, inquit, *qui cum adultero uxoris suae pactus est, solvi sacramento deportarique debet.*

(112) *Macer cum Vlpiano conciliatus.*

Macer quidem l. 13. D. *de re milit.* Vlpiano videtur contraria scripsisse his verbis: *Etsi sine ignominiae mentione missi sunt, nihilominus ignominia missi intelliguntur.* Vbi Ant. Augustinus mihi videtur nodum recidisse potius quam solvisse, dum pro *nihilominus* reponit *nihilo magis*, ne scil. Vlpiano adversetur. At mihi verisimilius est, Vlpiano Macrum non contra dicere: qui alter de ea *ignominiosa missione* se loqui praedixerat, *Cum quis propter delictum sacramento solvitur*, in qua nempe delictum ipsum ignominiam parit. At Vlpianus utpote universe locutus (etiam de iis scil. qui citra delictum dimitterentur) non immerito solos disertim *Ignominiae causa* dimissos ignominiâ notavit. Nec aliis quam his æs nostrum infamiam inurit.

(113) Lege 2. D. *de jure fisci* Callistratus ita incipit: Ex *quibusdam causis delationes suscipientium fama non laeditur, veluti eorum, qui non praemii consequendi . . . gratia adversarium suum deferunt.* Ex quo sequitur, eorum qui pecuniae praemiive causa civem Rom. deferrent, famam haberi laesam: proinde tales arcendos a Curia.

Digitized by Google

eam locutionem quae in ære eſt, hoc intellectu nuſquam alibi (114) reperio. Imo reperio quidem, ſed longe alia notione.

Nam *Referre caput* eſt locutio Tacito, Tranquilloque uſitata de ſicariis ubi caede patratâ, caput mandanti, aut ceteroqui gratificaturo reportant. Tacitus An. XIV. 57. *Sulla, ſexto die pervectis Maſſiliam percuſſoribus, ante metum & rumorem interficitur, cum epulandi cauſa diſcumberet. RELATVM CAPVT ejus illuſit Nero.* Ibid. cap. 59. *Talem eum* (Plautum) *centurio trucidavit . . . CAPVT interfecti RELATVM: cujus aſpectu . . .* Sequitur Neronis dictum, quo mortuo inſultavit. Alibi *Ferre* (115) *caput* idem auctor uſurpavit. Jam vero Suet. Tiberio c. 13. hunc adhuc juvenem uſq. adeo inviſum fuiſſe ſcribit, ut *exſtiterit, qui Caio polliceretur, Confeſtim ſe, ſi juberet, Rhodum navigaturum, CAPVTQ. exſulis* (*ſic enim appellabatur*) *RELATVRVM.* Idem in Julio c. XI. pecuniae ob relata civium Rom. capita acceptae, ut criminis uſitati, meminit. Is locus cum ſit Tabulae noſtrae gemellus, non poteſt ſine piaculo praeteriri. De Caeſare igitur facto judice quaeſtionum ita narrat: *In exercenda de ſicariis quaeſtione, eos quoque ſicariorum numero habuit, qui proſcriptione, OB RELATA CIVIVM ROM. CAPITA, PECVNIAS ex aerario acceperant, quamquam exceptos Corneliis legibus.*

At ſcire libet, quales hae leges Corneliae fuerint, per quas illi, quos quaeſitor Caeſar ſicariorum numero habuit, excipiebantur. Cumque ad *Cornelias leges* numero multitudinis Tranquillus rejecerit; duas ſaltem illas intellexiſſe videtur a Sylla dictatore latas, unam de proſcriptione anno ab V. C. DCLXXII. alteram de ſicariis anno ſequenti: de quibus aliquid inferne (116) allinimus.

A Gracchanis autem temporibus ad illa uſque, quibus noſtrum hoc Digeſtum fuiſſe conſarcinatum diximus (ea ſcil. quae leges Juliam Plotiamque proxime conſecuta fuerunt) cum ſanguine optimatium paſſim Italia redundaſſet, plurimique eſſent, qui ob relata civium capita, immodicis (117) praemiis uſque eo patrimonia ſibi opima feciſſent, ut aditum ſibi

(114) *Referre inter reos: Criminum relatio: Coelius explicatur.*

Reperitur quidem interdum *Referre* pro *Accuſare*, ſed nunquam *Referre caput*: imo nec unquam niſi cum diſerta adjectione, *Inter reos*. Aſconius II. in Ver. act. *Reum fieri* nihil aliud eſſe ait, quam *apud praetorem legib. interrogari . . . . Dicebat accuſator apud praetorem: Ajo te Siculos ſpoliaſſe. Si tacuiſſet; lis aeſtimabatur ut victo. Si negaſſet; petebatur a magiſtratu dies inquirendorum criminum; & ex eo tempore INTER REOS RELATVS & receptus dicebatur.* Adde l. 11. §. 2. l. 15. §. 7. l. 39. §. 2. D. *ad l. Jul. de adult.* Eſt & *Referre crimen* pro eo quod eſt accuſatori viciſſim crimen objicere: quod vulgo *Recriminari* appellamus. Vnde *Relatio criminum* in l. 4. D. *de publ. jud.* eſt accuſatio mutua. Nec aliter puto equidem accipiendum in Coelio (VIII. ep. fam. 8.) illud: *Poſtulante rurſus Appio, cum L. Lollio tranſegit, & ſe RELATVRVM* (ſupple *crimen* accuſatori) *dixit.*

(115) Tacitus An. XIV. 64. *Caput* (Octaviae) *amputatum, LATVMQ. in urbem Poppaea vidit: dona ob haec templis decreta.* Hiſt. II. 16. *Capita, ut hoſtium, ipſi interfectores ad Othonem TVLERE; neq. eos aut Otho praemio affecit, aut punivit Vitellius.* Vides uti rarum fuiſſe adnotatum, quod percuſſores ab Othone vacui abierint.

(116) *Leges Cornelias duas a Suetonio indicari.*

Quamvis Syllanae leges poſteriores ære noſtro fuerint; valebunt tamen ad Suetonii hunc de Caeſare quaeſtionum judice locum illuſtrandum. Earum duae tantum leges huc referri poſſunt. Prior anno 672. lata de proſcriptione fuit: quando is Marianis ſuperatis, victor Vrbem ingreſſus, ubi civium caedendorum finem nullum faceret, graviter de eo expoſtulante C. Metello, tabulam proſcriptionis primus excogitavit. Inter cetera vero tulit de praemiis, quae proſcriptorum capita referentibus repraeſentanda eſſent. Videantur Plutarchus & Appianus. Ergo haec maxime lex providiſſe videtur, nequando proſcriptionis ejusdem ſatellites quaeſtionibus vexarentur; ut merito Tranquillus dixerit, eos, quibus proſcriptione Syllana pecuniae numeratae fuiſſent, Corneliis legibus a quaeſtionibus immunes fuiſſe, & tamen a Caeſare reos fuiſſe peractos.

Altera lex anno 673. ab eodem dictatore lata de ſicariis & veneficiis fuit. Et exſtat quidem lib. 48. Pandectar. titulus VIII. inſcriptus *Ad legem Cornel. de ſicar. & veneſ.* verum nullum eo toto titulo, & in Tullii Cluentiana (in qua cap. 54. quaedam ex ead. aſperguntur) veſtigium exceptionis hujus, cujus meminit hîc Suetonius. Verum cum is diſerte *leges Cornelias* plurative laudaverit, per quas iis, qui proſcriptorum capita retuliſſent, ne iis hoc fraudi eſſet, caveretur; neceſſe eſt, aliquid huc pertinens in hac etiam lege exſtitiſſe.

Ac mihi ſane non alia de cauſa *Relationi capitum* nulla fuiſſe in Edicto inuſta infamia videtur, quam quia, teſte Suetonio, *Corneliis legibus excepta* fuiſſet.

(117) Ea praemia non poenitenda fuiſſe, ex eo conſtat, quod ei, qui proſcriptum occidiſſet, ſive ſervus dominum, ſive patrem filius interemiſſet, Syllanae proſcriptionis lex duo talenta mercedis nomine dari juſſiſſet. Plutarchus in Sylla: τῷ δὲ ἀποκτείναντι γέρας δύο τάλαντα τῆς εὐδοφορίας.

Digitized by Google

49 *fecit fecerit : quive laniſtaturam , artemve ludicram fecit fecerit : quive lenocinium faciet . Qui*
50 *adverſus ea in Municipio , Colonia , Praefectura ve , Foro , Conciliabulo* (in) *Decurionibus Conſcriptiſve fuerit ,*
51 *ſententiamve dixerit , is ſeſtertium quinquagena millia Populo dare damnas eſto , ejuſque pecuniae , qui volet , petitio eſto .*

ſibi ad curias municipales pararent ; nihil opportunius hac lege fuit , qua madentibus cruore civium ad ordinem ſplendidiſſimum promotio denegatur .

IBID. *Quive corpore quaeſtum fecit fecerit*] Is in Eclogis ὁ ἐν τῷ οἰκείῳ σώματι τὰ γυναικῶν ὑπομείνας dicitur . Muliebria paſſi numquam non infamia flagrarunt . Infames habentur l. 31. C. *ad l. Jul. de adult.* In Edicto , tamen quod in Tit. de notatis infamia refertur , horum nulla mentio . Quod mirum non eſt; nec enim uno eodemq. loco Edictum famoſos omnes inſeruit , ſed ut opportunitas tulit . At ibi certe ubi Praetor quosdam a poſtulando repulit , ibi & mares iſtos quaeſtuarios ut infames arcet , teſte Vlpiano l. 1. §. 6. D. *de poſtul.* his verbis : *Removet autem* (Praetor) *a poſtulando pro aliis & eum , qui corpore ſuo muliebria paſſus eſt . Siquis tamen vi praedonum vel hoſtium ſtupratus eſt , non debet notari* (infamia) *ut & Pomponius ait* . Adde & privati viri judicium , nempe illius *Baebii Gemelli* , qui (uti loquitur Reineſiana inſcriptio pag. 489. quam non ſolidiſſimis rationibus νοθείας arguit Fabrettus pag. 672.) cum *municipibus ſinguleis incoleiſque loca ſepulturae* daret , excepit iſtos τὰ γυναικεῖα παθόντας . *Extra* , inquit , *auctoritatos* (frequentativum pro *auctoratos*) *& quei ſibi laqueo manus attuliſſent , & quei quaeſtum ſpurcum profeſſi eſſent .*

VER. 49. *Quive laniſtaturam . . . fecit fecerit*] *Laniſtatura* vox lexicis ignota , nunc primum in Latium , unde aevo optimo prodierat , ope æris hujus revocatur . Eſt igitur ars *Laniſtitia* . Nam id unum a *Laniſta* derivativum nomen Petronii fragmento Traguriano debemus . *Laniſtae* igitur vox in Latio parentibus caret : caret & ſobole , excepta *Laniſtatura* hujus Tabulae , & *Laniſtitius* . Neque id mirum , ſi propagine careat : ſic enim in peregrinis vocabulis uſu venit . *Laniſtaturae* artem a Tuſcis ad Romanos manaſſe , & *Laniſtam* Tuſcum eſſe nomen (118) non eſt dubitandum . Hinc non mirum , laniſtaturam vili in Latio aeſtimatam fuiſſe ; ſicuti & ludi & ludiones , indidem in Latium advecti ,

(118) *Vox Laniſtae unde ? De Laniſtatura aliorſum translata .*

Nicol. Damaſcenus de gladiatoribus : οἱ Ῥωμαῖοι παρὰ Θυρρηνῶν παρέλαβον τὸ ἔθος . *Romani ab Etruſcis hunc morem acceperunt* . Vnde autem res arceſſebantur , inde & vocabula ejusdem rei profecta neceſſe eſt . Hinc merito Iſidorus *Laniſtae* vocem Tuſcam eſſe dixit . Hoc verius , quam quod Donatus ad Eunuchum a *laniandis* corporibus id verbum derivavit . Niſi forte malis , non ſono fuiſſe Tuſcum vocabulum , ſed ſolo ſignificatu , utpote ex Tyrrhenica lingua interpretando traductum ; ita ut tam nomen Etruſcum (forſan ignotum) quam hoc Latinum , *ilanienam* ſignificarint . Nam ſaepe ex peregrina linguâ nomina per interpretationem facta , ſatis ſcio . In Philoxeni Gloſſis *Laniſta* eſt λυδοτρόφος , μονομαχοτρόφος , ἐπισάτης μονομάχων .

Haec de *Laniſta* proprie accepto . At utebantur Laniſtis etiam ad tirones militari arte imbuendos . Hoc certe Suetonius ſuadet , ubi de Caeſare cap. 26. ita ſcribit : *Tirones* (cave tirones gladiatorum ob ea , quae proxime dixerat , intelligas ; cum hîc ſint militiae tirones) *Tirones* , inquit , *neque in ludo neque per laniſtas , ſed in domibus per equites Rom. ac etiam per ſenatores armorum peritos erudiebat* . Sane hoc ipſo quod Caeſarem uti noluiſſe laniſtis Tranquillus notat , id haud dubie deſignat , ita ſemper antea factitatum , ut tirones per laniſtas ad militiam informarentur ; at contra Caeſar non ſolum per equites & ſenatores , ſed & ipſemet *tirones* erudiebat , & *ut laniſta* (ait Hirtius in B. Afr. c. 71.) *condocefaciebat* .

De avium laniſtatura pulcher eſt Columellae VIII. 2. locus : *Omiſſo . . . ſtudio Graecorum (qui ferociſſimum quemque alitem certaminibus praeparabant* (cenſemus) *inſtituere vectigal induſtrii patris familias , non rixoſarum avium LANISTAE , cujus . . . patrimonium victor gallinaceus pyctes abſtulit* . Certaminis gallorum elegantiſſima deſcriptio apud Plin. X. 21. lectuque digniſſima exſtat , qui in fine addit : *Pergami omnibus annis ſpectaculum gallorum publice editur* . Id ab Athenienſibus ſumptum , quorum legem recitat Aelianus II. Var. 28. *Vt galli quotannis uno die in theatro certarent* . Vide ibi adnotatores . Plura de his & Euſtathius affert ad Iliad. pag. 740. qui & hoc addit : *Simile & Romanis factitatum per coturnicum commiſſiones , praecone indicente certamen* (ΠΟΤΑΛΟΙ ΠΟΤΤΝΑΝΤ) *PVLLI PVGNANT* .

Digitized by Google

vecti, vili habebantur. Ac ferme peregrinae artes a vilibus perſonis apud nos exercebantur. Tales ambubajae h. e. tibicinae, item pſaltriae & ſymphoniaci, & id genus alii erant: de quibus alibi.

IBID. *Artemve ludicram fecit fecerit*] In edicto quod l. 1. D. *de his qui not. inf.* proponitur, num. II. ita ſcribitur: *Qui artis ludicrae, pronuntiandive cauſa in ſcaenam prodierit*. Vbi duplex genus hominum infamiâ notat, tum artem ludicram exercentes, tum actores ſive interlocutores: *Pronuntiandive cauſâ*, inquit. Vtrique vero non aliter quam ſi in ſcaenam (119) prodierint (ſi verba Edicti recte capio) infamiam contrahunt. Adde & Macrum l. 24. princ. D. *ad l. Jul. de adult.* ex Lege ita citantem: *Quive artem ludicram ante fecerit, in ſcaenam ſaltandi cantandive cauſa prodierit*. Ergo ars ſcaenica genus eſt, partes duas habens, artem hiſtrionicam, quae in agendo pronuntiandoq. ſita eſt, artemque ludicram, quae ad ſaltatores, cantores, geſticulatores, mimos, pantomimos pertinet. Et ita quidem diſtingui neceſſe eſt, ſi modo ſermonis proprietatem Edicti ſpectamus. Tamen utrique ſaepiſſime invicem confundebantur. Vt ecce Val. Max. VIII. c. 10. Aeſopum Roſciumque *LVDICRAE artis peritiſſimos* vocat; & eod. lib. c. 7. *Non ludicra ars Roſcium, ſed Roſcius ludicram artem commendavit*. Qui tamen hiſtriones dicendi fuerant. Quae cum ita ſint; facile adducor ut credam in ære noſtro *Ludicrae artis* nomine etiam hiſtriones venire, imo & *ſcaenam totam*, uti loquitur Cicero apud Auguſtinum in II. de Civit. 13. *Cum artem ludicram*, inquit, *ſcaenamque totam in probro ducerent*. Cum igitur ſcaena tota probri damnetur; fatendum eſt ſcaenicos univerſos artis ludicrae profeſſione comprehendi, afflarique cunctos infamia.

At illud valde notandum eſt, athletas ab arte ludicra excludi. Vlpianus l. 4. D. *de his qui not. inf.* ſic orditur: *Athletas autem Sabinus & Caſſius reſponderunt, omnino artem ludicram non facere; virtutis enim gratia hoc facere. Et generaliter ita omnes opinantur, & utile videtur, ut neque thymelici, neque xyſtici, neque agitatores, nec qui aquam equis ſpargunt, ceteraque eorum miniſteria, qui certaminibus ſacris deſerviunt, ignominioſi habeantur.*

IBID. *Quive lenocinium faciet.*] In Edicto ſaepe laudato ſcriptum eſt num. III. *Qui lenocinium fecerit*. Lenones copioſe definit Vlpianus l. 4. §. 2. D. *de his qui not. inf.* his verbis. *Lenocinium facit, qui quaeſtuaria* (h. e. corpore quaeſtum facientia) *mancipia habuerit*. Cetera legis hujus paullo longioris in imam (120) oram con-

(119) Vlpianus extremâ *l. 2. D. de his qui not. inf.* ait: *Omnes propter praemium in ſcaenam prodeuntes, famoſos eſſe, Pegaſus & Nerva filius reſponderunt*. Ex quo ſequi videtur, qui non praemii, ſed oſtentandae induſtriae cauſa prodirent, haud fore infames. Sicuti & illud Caii l. 3. eod. veriſſimum eſt: „ Qui autem operas ſuas locavit, ut „ prodiret artis ludicrae cauſa, neque prodiit, „ non notatur; quia non eſt ea res adeo turpis, „ ut etiam conſilium puniri debeat. „

(120) *Obſcuro Vlpiani loco lux ſolâ interpunctione infertur: ex quo, ſicuti & ex Gloſſario Nomico, oſtenditur, in balneis fuiſſe proſtibula: quocum & locationis programma Pompeiis detectum mire concinit. Cur olim vita, quam hodie, brevior.*

Pergit de lenone Vlpianus. *Sed & qui in liberis hunc quaeſtum exercet, in ead. cauſa eſt. Sive autem principaliter hoc negotium gerat, ſive alterius negotiationis aceeſſione utatur, utputa ſi caupo fuit, vel ſtabularius, & mancipia talia habuit miniſtrantia, & occaſione miniſterii quaeſtum facientia: ſive balneator fuerit, velut in quibuſdam provinciis fit, in balneis ad cuſtodienda veſtimenta, conducta habens mancipia, hoc genus obſervantia in officina, lenocinii paena tenebitur.*

Ac ſane de *Balneatore* nimis implexa eſt Vlpiani ſententia. At vetus Gloſſarium ῥωμικὸν ita ex hac Vlpiani lege lenonis definitionem decerpſit, ut balneatorem prorſus in eâdem lenocinii cauſa, ac cauponem & ſtabularium fuiſſe dicat. Sic ergo habet: LENO προαγωγὸς λέγεται, ὁ πόρον ποιῶν ἀπὸ δούλων ἢ ἐλευθέρων ποιήσεως, ἴσως πρωτοτύπως τοῦτο πραγματεύεται, εἴτε προσχήματι πραγματείας ἑτέρας ἔχει τοιαῦτα πρόσωπα, ὡς κάπηλος, ἢ πανδοχεύς, ἢ βαλανεύς. *LENO Graece Proagogus dicitur, qui quaeſtum hujuſmodi ex ſervis liberiſve facit, ſive principaliter ita negotietur, ſive ſub obtentu commercii alterius, tamquam caupo, ſtabularius, aut balneator.* Quae cum citra dubitationem ex Vlpiano contracta fuerint; ex his oſtenditur, in Vlpiano ita olim lectum fuiſſe, ut balneator in eâdem ac ſtabularius caupoque cauſa fuerit. Sed recte eſt quod alibi (παρενθέσεως) *interpoſitionis*, alibi rectae interpunctionis ope Vlpianus commode refingi poteſt. *Sive*, inquit, *balneator fuerit (velut in quibuſdam provinciis fit) in balneis, ad cuſtodienda veſtimenta, conducta habens mancipia hoc genus obſervantia &c.* Sustuli poſt *Mancipia* levem interpunctionem, quam rejeci poſt *Genus: Mancipia* autem *hoc genus*, ſunt illa *quaeſtuaria mancipia*, de quibus initio dixerat. Pergit Vlpianus: *obſervantia* (i. e. quae cuſtodirent veſtes) *in officina* (officinam nequi-

conjeci. At nihil magis lenocinii dedecus declarat, quam Plautus Rudente: qui Ac. II. ſc. 2. v. 13. lenonem vocat *Deorum odium atque hominum, malum, mali vitii probrique plenum*. Quid vero elegantius elogio illo quo lenonem exornat Actu III. ſc. 2. v. 37. *Fraudis, ſceleris, parricidii, perjurii plenus, – Legirupa, impudens, impurus, inverecundiſſimus – Vno verbo abſolvam: LENO 'ST. Quid illum porro praedicem?*

Hactenus ille cenſus infamia aut ſaltem ignominia notatorum eſt, quibus aditus ad curiam praecludebatur. Atque ex æris hujus copiosâ famoſi generis recenſione catalogus etiam ille manavit praetorius, cujus in Titulo *de his qui notantur infamia*, & in Titulo *de poſtulando*, & alibi alia ἀποσπασμάτια referuntur. Nec enim integram Edicti de famoſis tractationem nunc exſtare puto. Sicuti & quae Interdicta Praetoris *Nequid in loco publico* &c. continent, ea quoque ex hoc ære petita fuiſſe, Conradus ſup. pag. 302. notaverat. Nec dubium eſſe poteſt, quin magna Edicto lux ex hoc ære affundatur, quod & experimento lectori adprobavimus; ſicuti & viciſſim non pauca Tabulae hujus loca ex Edicto illuſtriora effecimus.

quitiae meo judicio intelligit': quod inferne [I] oſtendo) *lenocinii poena tenebitur*.

Porro quod in quibusdam provinciis balneatores fuiſſe ſimul lenones conqueritur Vlpianus; id exemplo noſtrae Campaniae mirifice comprobatur: in qua eam rem fuiſſe uſitatiſſimam, ex programmate locationis praediorum Juliae Felicis, in ſuffoſſionibus Pompeianae urbis, juſſu REGIS noſtri peractis, reperto conſtat: quod memoravi ſup. pag. 309. Adn. 3. ſed non adſcripſi. Nunc partem ſaltem tam egregii monumenti, ad lucem Vlpiano aſpergendam, huc minime afferri piaculum fuerit.

Ergo in udo pariete ita illitum fuerat: *In. PRAEDIS. Juliae SP. F. Felicis locantur* (& quidem in quinque annos, ut in fine dicitur) *BALNEVM. VENERIVM* (quod Athenaei forſitan Αφροδίσιον fuerit) *&. nongentum. tabernae. pergulae. cenacula* . . . Ac ſane ex alio Vlpiani (II) loco mihi videntur ſingulae tabernae ſingulas adjunctas habuiſſe pergulas, & ſingula cenacula ſuperpoſita. Mitto cetera; nam integra epigraphe aliquando dabitur cum ceteris Regiis epigrammatibus. Ex hoc igitur programmate ſuperiori loco Vlpiani tenebricoſiſſimo lux mira affunditur.

Atque equidem mirabar antea, cur apud Phlegontem in περὶ μακροβίων tam paucos longaevos olim fuiſſe reperiam; multo etiam pauciores ſecundum rationes (III) a Fabretto initas exſtitiſſe ſub imperio Rom. conſtet. Equidem in balneorum calidorum uſum immoderatum cauſam olim conferebam. Verum accedit nunc (quod eſt multo maximum) quod eodem ſimul tempore antiqui venere corpora diſſolverent & enervarent. Contra vero temporum noſtrorum longaevitas tribuenda eſt temperantiae, quam nos medicus animarum & corporum Chriſtus edocuit.

(I) *OFFICINAE vocabulo tam Graece, quam Latine proſtibulum interdum notari.*

Mihi non eſt dubium, ab Vlpiano, Graeco homine, hîc Officinam *non niſi Graecâ notione fuiſſe uſurpatam: id vero non animadverſum loco tenebras offudiſſe. Nam ſicuti Judaei Helleniſtae Graeca vocabula eo ſignificatu donabant, quo Hebraica Graecis illis reſpondentia fuere praedita; idem & Graecis familiare fuit, ut Latina inſtar Graecanicorum iis aequivalentium adhiberent. Atqui* Officinae *nihil apud Graecos magis e regione reſpondet, quam* Ἐργαστήριον. *Iſtud autem ſine alio adjuncto poſitum elegantior Graecia pro ganeo uſurpavit. Demoſthenes in ea contra Neaeram:* Τὸν τρόπον ἐπὶ τούτοις παρεχόμενος, ὃς ἂν ἐξ ἐπὶ πέντε μοιχὸν λαβὼν, ὁπόσα ἂν ἐπ' ΕΡΓΑΣΤΗΡΙΟΥ κάθωνται. *Quod ita vertit Budaeus in Comment.* (*apud me col.* 339.) Legemque allegabat, quae vetat adulterum deprehendere eum, qui cum iis concubuerit, quae in fornice (*at ſi verbum verbo reddas, erit* In Officina) ſedent. *Ibidem Budaeus ex eod. Demoſthene affert etiam & verbi* Ἐργάζεσθαι *exemplum pro eo quod eſt* quaeſtum corpore facere.

Ac ne apud Latinos quidem id prorſus uſu caret. Cicero pro Roſc. Am. cap. 46. Si domus haec habenda eſt potius, quam OFFICINA NEQVITIAE. *At* Nequitiae *vocabulum de rebus venereis proprie uſurpari, tum Donatus ad Adel. III.* 3. 4. *monuit, tum ex perpetuo melioris aetatis uſu, veluti ex Terentio, Horatio, Ovidio, aliis oſtenditur. Sed ad* Officinam *redeo. Appulejus extremo lib. V. Met.* Cum . . . vitiorum muliebrium publicam praecludas OFFICINAM.

(II) *Lege* 19. §. 2. *in fine, D.* de judiciis & ubi quiſque agere vel conveniri debeat, *ſimiliter* Taberna *ab Vlpiano ita cum* pergula *jungitur, ut haec videatur tabernae adjacuiſſe.* At ſiquo, *inquit*, conſtitit, non dico jure domicilii, ſed TABERNVLAM, PERGVLAM, HORREVM . . . conduxit, ibiq. diſtraxit, egit; defendere ſe eo loci debebit.

(III) *Fabrettus pag.* 560. *ex plus octo millibus inſcriptionum ineditarum a ſe collectarum perpaucas reperit, quae annum vitae octogeſimum referant: ſeptem inter octogeſimum & nonageſimum: quatuor quae annum XC. attigerint, duas quae ann. XCI. tres quae XCIII. unam XCIV. item unam XCV. adhaec duas XCVI. unam vero XCVII. unam XCVIII. ſed & unam annorum* PLVS MINVS *C. alteram ann. CI. itemque alteram ann. CII. Ac nihil ultra. Idem antea Malvaſia ex marmoribus conatus fuerat.*

Digitized by Google

Kaput IX.

52 QVOI·H·L· INMVNICIPIO· COLONIA· PRAEFECTVRA· FORO· CONCILIABVLO· SENATOREM· DECVRIONEM· CONSCRIPTVM· ESSE
53 INQVE· EO ORDINE· SENTEMTIAM· DICERE· FERRE NONLICEBIT NEIQVIS QVEI·INEO· MVNICIPIO·COLONIA· PRAEEECTVRA
54 FORO· CONCILIABVLO· SENATVM· DECVRIONES· CONSCRIPTOS· HABEBIT· EVM· INSENATVM· DECVRIONES· CONSCRIPTOS·
55 IRE· IVBETO· SC·D·M· NEVE· EVM· IBEI· SENTEMTIAM ROGATO NEIVEDICERE NEIVE FERRE IVBETO S C D M NEVEQVISQVE
56 INEO· MVNICIPIO· COLONIA· PRAEFECTVRA· FORO CONCILIABVLO SVFRAGIO EORVM MAXVMAM POTESTATEM HABEBIT
57 EORVM QVEM IBEI INSENATVM DECVRIONES CONSCRIPTOS·IRE NEVE INEO NVMERO ESSE NIVE SENTEMTIAM IBEI· DICERE
58 FERREVE· SINITO· SC· D· M· NEVE· QVIS· EIVS· RATIONEM· COMITIEIS· CONCILIOVE· CREATVM· EST· RENVNTIATO· NEVE· QVIS
59 QVEI· IBEI· MAG· POTESTATEMVE· HABEBIT· EVM· CVM· SENATV· DECVRIONIBVS· CONSCRIPTOS· SPECTARE· NEIVE· IN· CONVIVIO
60 PVBLICO ESSE SINETO SC D M

CAPVT IX.

Qui maximam poteſtatem habet, nequem contra leges in ſenatum legi, ibive ſententiam dicere, neve magiſtratum creari, neve inter ſenatores ſpectare, neve in publico convivio eſſe ſinito: ſiquid horum faxit, pecunia multator.

52 *Cui hac Lege in Municipio, Colonia, Praefectura, Foro, Conciliabulo Senatorem, Decurionem, Conſcriptum eſſe,*
53 *inque eo Ordine ſententiam dicere ferre non licebit, ne quis* [*qui in eo Municipio, Colonia, Praefectura,*
54 *Foro, Conciliabulo Senatum, Decuriones, Conſcriptos habebit*] *eum in Senatum, Decuriones, Conſcriptos*
55 *ire jubeto ſciens dolo malo; neve eum ibi ſententiam rogato, neve dicere, neve ferre jubeto ſciens dolo malo: neve quiſque*
56 *in eo Municipio, Colonia, Praefectura, Foro, Conciliabulo, ſuffragio eorum maximam poteſtatem habebit,*
57 *eorum* (ali)*quem ibi in Senatum, Decuriones, Conſcriptos ire, neve in eo numero eſſe, neve ſententiam ibi dicere,*

VER. 54. 55. *Eum in ſenatum, decuriones, conſcriptos ire jubeto*] *Ire in ſenatum* trita eſt locutio. At *Ire in decuriones, conſcriptos* (idque tum hîc, tum v. 57.) minus tritum: niſi quod ſimilia occurrunt, ut *Gladiatoribus* pro *In munere gladiatorio*: alia plura taceo. Mox: *Dicere ferre* (ſententiam). Saepe haec duo verba in Tabula copulantur (ut ver. 33. 36. & alibi) uti ſupra obſervavimus.

VER.

Digitized by Google

58 *ferreve ſinito, ſciens dolo malo: neve quis ejus rationem comitiis con-*
ciliove [habeto, neve] *Creatus eſt, renuntiato: neve quiſ-*
59 *quis ibi magiſtratum, poteſtatemve habebit, eum cum Senatu Decu-*
rionibus Conſcriptis ſpectare, neve in convivio
60 *publico eſſe ſinito, ſciens dolo malo.*

VER. 58. *Neve quis ejus rationem* &c. Quam parum in perſanando hoc loco mutaverim, ex textu ſuperne refiſto vides. Nempe dumtaxat in CREATVM litteram ultimam in ſibilum verti. Nam illud *Habeto* (quod ἐκ περιστάσεως interpoſui) poterat impune omitti, ſicuti ex mille (121) ἰδιωτικῆ ſermonis exemplis oſtendi poteſt. Ergo lex ita jubet: NEVE. QVIS · EIVS · RATIONEM. Ex conſuetudine ſermonis ſupplebis τὸ *Habeto*, uti ante dictum. Sequitur, *Neve*. Hoc etiam de meo addidi, tametſi (ut in ſermone ἀστυδέτῳ, in hac Lege creberrimo, ut *Dicere ferre; Eſt erit, fuit fuerit;* & quot verſibus plurima) hoc quoque omiſſum impune fuit. Sequitur ergo: (*Neve τὸ*) CREATVS. EST. RENVNTIATO. Poſuit enim voces integras duas, quibus, qui comitiis praeerat, in renuntiando utebatur, nempe: Hic aut ille *creatus eſt*. Ad rem quod attinet, res duas ab eo, qui praeeſſet comitiis, caveri jubet. I. Ne cujus rationem haberet (122) contra leges: II. quod ſiquis contra leges creatus fuiſſet ſuffragiis, cavetur, ne hunc aut ipſe renuntiaret (nim. his ipſis Tabulae verbis: ὁ δεῖνα, ſeu *Ille CREATVS EST*) aut praeconis voce illa ingenti renuntiari de more ſineret. De renuntiatione aliquid in (123) imo illinimus.

VER. 58. 59. *Neve QVIS QVEI*. Scriptum errore videtur pro *Quiſque*. Hoc vero ſicuti modo in fine v. 55. pro *Quisquis* uſurpatum fuit (de qua locutione dixi ſupra ad v. 20. p. 416.) ita & hîc quoq. accipi videbatur. Verum in eo quod ſcalptum eſt, ſive γρὺ ſive hilum mutari veto. Legatur ergo *Quisquei* pro *Quisqui*. At iſtud ipſum *Quisqui* tantundem eſt quod *Quisquis*. Antiquis enim *Siqui*, *Aliqui*, pro *Siquis*, *Aliquis* & millia hujuſmodi in uſu fuiſſe, ſcitiſſimum eſt. Vel vide Voſs. Ar. Gram. IV. 8. ubi & ſimplex *Qui* pro *Quis* uſurpatum reperies, & compoſita *Ecqui*, *Nequi*, ac talia plura: quae etſi in editis in IS, at eadem in Mſs. optimis in I terminantur. Nihil ergo hîc mutandum. Nec aliter Kap. ſeq. ver. 65. legitur QVIS. QVEI, h. e. *Quisqui* pro *Quisquis*.

VER. 59. 60. *Eum cum ſenatu, decur. conſcr. ſpectare, neve in convivio publico eſſe ſinito.*] Hic locus explanabitur Kap. ſeq. ubi haec eadem pluribus verbis vetantur. Niſi quod illud tantum hîc ſcire intereſt, ſedentes ne municipes

(121) Saepe numero in omnibus linguis (maxime in ſermone familiari) nomina abſolute poſita congruum aliquod verbum intelligi jubent. Sic *Gratias* verbi cauſa, ſubaudiendo *ago* aut *habeo*. In acclamationibus apud Hiſt. Aug. ſcriptores nihil fere aliud quam nomina ſubſtantiva reperias, ſubauditis verbis. Item in licitationibus apud eosd. ſcriptores mera ſubſtantiva ſemper. In promercalibus clara voce enuntiandis non alio modo; ut ille apud Tullium in 1. de Div. non aliud quam *CAVNEAS clamitabat;* ubi *Vendo* ſupplendum erat. Adde initio epiſtolar. *Salutem*. Adde vota, imprecationes, ceteraſque formulas ea ſyntaxi conceptas. Apud comicos plurima de genere hoc ſunt, ſicuti & in paroemialib. locutionibus. Praeco apud Naevium, praecinente tibia, hoc tantum proclamabat: *Herculi decumas*. Naevii locus infra illuſtrabitur Adn. 128.

(122) In comitiis eorum *Ratio haberi* dicebatur, quorum *Nomina accipiebantur*. Accipiebantur autem non niſi eorum, quorum petitio juſta & ſecundum leges eſſet; ſicuti qui contra leges peterent, eorum nomina is, qui comitiis praeerat, non accipiebat, eoſque, vel ſi ſuffragiis creati eſſent, ſe renuntiaturum negabat. Vide Livium IV. 7. XXVII. 6. In primis abſentium haberi ratio vetabatur. Caeſar B. Civ. III. 82. Suet. Julio c. 18. & 28.

(123) Qui habebant comitia, ipſimet *renuntiabant creatum*. Cicero pro Murena c. 1. *Auſpicato comitiis centuriatis L. Muraenam conſulem renuntiavi*. Val. Max. III. cap. 8. n. 3. *Cum hinc atque illinc eum* (Piſonem) *ambiſſent, & an Palicanum, ſuffragiis populi creatum, conſulem renuntiaturus eſſet interrogaretur; primo reſpondit, non exiſtimare ſe tantis tenebris offuſam eſſe Remp. ut huc indignitatis veniretur: deinde cum perſeveranter inſtarent, ac dicerent, Age, ſi ventum* (huc indignitatis) *fuerit? Non renuntiabo, inquit*.

Nec niſi poſt hanc priorem, opinor, renuntiationem legitimam ſequebatur mox altera, per vocem praeconis illam Stentoream concelebrata. Gellius XII. 8. *Atque illi ubi voce praeconis renuntiati* (cenſores) *ſunt*. Cicero Agr. II. c. 2. *Neque* (me) *ſingulares voces praeconum, ſed una voce univerſus Pop. Rom. conſulem declaravit*.

Digitized by Google

isti, an accumbentes cenaverint. De quo verbum hîc nullum fieri sane miror; maxime cum Kap. seq. ver. 64. ad spectacula sedisse iidem aperte dicantur. Mensae autem, assederint an accubuerint, neque hîc nec ver. 64. nutu ullo aut mutitione significatur. Atque hoc praecipue loco cum scribatur, *Neve in convivio publico ESSE sinito*; quanti laboris erat pro γενικωτέρῳ isto *Esse*, scribere id quod erat, nim. sive *Assidere* sive *Accumbere*? Dico paucis, quid sentiam. Lacones & Cretenses ad mensam consedisse, dum interim ceteri Graecorum, maxime Asiatici, reclinati cenarent, res trita est. De Romanis autem Servius pluribus locis ad I. Aen. adnotat, antiquitus sedisse ad mensam; etsi Virgilius suae aetati obsecutus, *discumbendi* verbo saepe utatur. At idem Virg. lib. VII. ver. 176. *Perpetuis . . . CONSIDERE mensis* Latinos facit: ubi Servius: *Quem* (sedendi) *morem habuerunt* (Latini ac postea Romani) *a Laconibus & Cretensibus, ut Varro docet in libris de Gente populi Romani*. Verum ita quidem prisci illi Romani; ejusque moris etiam extremis Reip. temporibus quaedam (124) vestigia supererant. At iidem diu ante hujus Tabulae tempora discumbebant: dum interim Heracleenses nostri (quos supra in Prodromo, ubi de Heraclea, fuisse Laconici generis demonstravi) sedentes, opinor, vescebantur; neque id tantum antiquitus cum parum aut nihil cum Romano pop. commune habebant, factitarunt; verum etiam ubi post legem Juliam atque Plotiam perfectam civitatem Romanam assecuti fuere. Nec enim tunc mores omnes patrios abjecerunt; sed quos voluere tantum, cum Romanis permutarunt, ceteros retinuerunt. Cur ergo, inquis, hîc pro *Esse* non scripsere potius Assidere? Quia, inquam, in legum Romanarum Digesto diserte id scribi contra mores Romanos indecorum videbatur. Eâ de causa hîc, *Sessione* aut *Accubitu* supersessis, ἁπλῶς *In convivio esse* scriptum fuit. Habes verisimillimam, ni fallor, istius ESSE (quod ceteroqui videbatur inusitatum ac paullo frigidius) rationem.

(124) Apud antiquos non semper ad convivia fuisse accubitum, sed interdum & sessitatum, neque id tantum a servis (quos sedentes cenasse satis novimus) sed etiam a liberis, facile est monumentis antiquitatis ostendere. Apud Veterem Capuam (quae nunc *S. Maria* dicitur) in aedium Archiep. scalis saepe vidisse memini pervetustum anaglyptum, in quo sedentes vescuntur: nisi quod videri id mihi videbatur funebre epulum, cum & inscriptio sepulcralis sit. Adhaec inter picturas Regias Herculanenses exstat quaedam elegantissima: in qua vir in lecto discumbens perpotat largissime, & quidem *Thracia* utens *amyside*, uti loquitur Horatius. At ejus uxor eidem mensae eidemque lecto non accumbit, sed assidet. Atque apposite ad hanc ipsam picturam Val. Max. II. c. 1. nu n. 2. ita scripsit: *Feminae cum viris cubantibus sedentes cenitabant*. Ait *cenitabant*, h. e. olim, non aetate sua sub Tiberio, ut in fine declarat: nam sub Tiberio feminae juxta ac viri discumbebant. Ex quo vetustas ejus picturae ostenditur. Pergit Valerius: *Quae consuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit. Nam Jovis epulo ipse in lectulum, Juno & Minerva in sellas* (utpote feminae) *ad cenam invitantur. Quod genus severitatis AETAS NOSTRA diligentius in Capitolio quam in suis domibus servat.* Ergo sub Tiberio jam ab eo more recedi coeptum, ac etiam feminae ad cubandum admissae: nisi quod in Capitolino tantum epulo antiqui moris servandi gratia, & quod deorum reverentiâ tangerentur, adhuc sequior sexus cenabat sedens. Hoc ultima Valerii verba volunt. Ceterum Diale hoc epulum, quod idem perstrinxit pauciissimis, Livius pluries exponit, illud addens lib. 24. *Deinde multa nocte appositis epulis septem Epulones introducebantur, qui cibos sacratos comedebant.*

K a p u t X.

61 QVIBVS · H · L · INMVNICIPIO · COLONIA · PRAEFECTVRA FORO CONCILIABVLO INSINATVM DICVRIONIBVS CONSCRIPTEIS ESSE
62 NON · LICEBIT · NIQVIS · EORVM · INMVNICIPIO · COLONIA · PRAEFECTVRA · FORO · CONCILIABVLO · II · VIR · IIII · VIR · ALIAMVE
63 QVAM · POTESTATEM · EXQVO · HONORE · IN · EVM · ORDINEM · PERVENIAT · PETITO · NEVE · CAPITO · NEVE · QVIS · EORVM · LVDEIS
64 CVMVE · GLADIATORES · IBEI · PVCNABVNT · INLOCO · SENATORIO ·

Digitized by Google

RIO · DECVRIONVM · CONSCRIPTORVM · SEDITO · NEVE · SPECTATO
65 NEVE · CONVIVIVM · PVBLICVM · IS · INITO · NEIVE · QVIS · QVEI · ADVERSVS · EA · CREATVM · RENVNTIATVM · ERIT · IBEI · II · VIR · IIII · VIR
66 ESTO · NEVE · IBEI · MAG · POTESTATEMVE · HABETO · QVIF · ADVERSVS · EA · FECERIT · IS · HS · Iɔɔɔ. P · D · D · ESTO · EIVSQVE · PECVNIAE · QVEI
67 VOLET · PETITIO · ESTO ·

CAPVT X.

Nequis, qui legibus e curia excluditur, ibi ſupremum magiſtratum ordinis adipiſcendi cauſa capito: neve in ludis inve munere inter ſenatores ſedeto, ſpectato, aut convivium inito: qui ſecus faxit, pecunia multator.

61 *Quibus hac lege in Municipio, Colonia, Praefectura, Foro, Conciliabulo in Senatu, Decurionibus, Conſcriptis eſſe*
62 *non licebit, ne quis eorum in Municipio, Colonia, Praefectura, Foro, Conciliabulo Duum-viratum, Quatuor-viratum aliamve*
63 (ali)*quam poteſtatem* [*ex quo honore in eum ordinem perveniat*] *petito neve capito: neve quis eorum ludis,*

Capitis hujus argumentum quam minimum a ſuperiore diſſidere, palam eſt.

VER. 62. 63. *Ne quis eorum* (quibus ſcil. in curiam praecluditur aditus) . . . *duumviratum* . . . *aliamve quam poteſtatem, ex quo honore in eum ordinem perveniat, petito neve capito.*] Verba illa, *Ex quo in eum ord. perveniat*, ſuadent ab his uſque temporibus, h. e. diutule ante legem Pompeiam obtinuiſſe, ut capto magiſtratu, ſimul tribueretur ſenatoria dignitas. Itaque quod, teſte Plinio X. ep. 83. *Eádem lege* (Pompeia) *comprehenſum eſt, ut qui ceperint magiſtratum, ſint in ſenatu*, id Pompeius ex legibus antiquioribus tranſtulit; eâque gratiâ annum trigeſimum eadem lex in magiſtratibus requiſivit, quia non minor aetas ad ſenatum primos aditus patefaciebat. Ne quis igitur per magiſtratus in ſenatum irrepereret; ære noſtro cavetur, ne qui a ſenatu excluduntur, capere magiſtratum queant. Ex quo e contrario ſequitur eos, quos lex nulla vetaret in ſenatu eſſe, ne vetari quidem populi ſuffragio capere magiſtratum, & (quod conſequens erat) in ſenatum admitti. Ergo tunc temporis ad capiendos honores non requirebatur praevius decurionatus. At Jul. Paulli aetate (qui ad Alexandri ſaltem principatum pervenit) is praeire debuit: qui quidem l. 7. §. 2. D. *de decur.* ait: *Is qui non fit decurio, duumviratu, vel aliis honoribus fungi non poteſt; quia decurionum honoribus plebeii fungi prohibentur.* Nec diu ante Paulli tempora ita cautum crediderim: cautum autem ob eam fuiſſe cauſam, quod cum importabilia iis temporibus evaſiſſent onera curiae, eaque modis omnibus evitarentur; viſum fuit ſaltem honoribus allici ad Curiam. Quocirca duas curialium praerogativas hîc Paullus indicat: unam, quod extra curiam omnes *Plebeii* eſſent, eo quod nullum niſi Ordo ſplendidiſſimus nobilitaret: alteram,

Digitized by Google

64 *cumve gladiatores ibi pugnabunt, in loco Senatorio, Decurionum, Conſcriptorum ſedeto, neve ſpectato,*

teram, quod ſuo tempore non niſi e curia deligi magiſtratus neceſſe fuerit.

VER. 63. 64. *Neve quis eorum ludis, cumve gladiatores ibi pugnabunt, in loco ſenatorio, decurionum, conſcriptorum ſedeto, neve ſpectato.*] Multo brevius haec ſupra ver. 59. Et quidem ſicuti Romano ſenatui ſemper in ſpectaculis locus in orcheſtra ſeorſum a populo & equitibus (*) fuit; id etiam in municipali (125) ſenatu obtinebat. Hinc merito hoc loco qui arcentur a curia, ii cum ſenatoribus ſpectare vetantur. Jam vero duo ſpectaculorum genera hîc memorantur, *Ludi* & *Gladiatores*. Ac *Ludi* abſolute uſurpati non alios plerumque quam ſcaenicos notant, praeſertim hîc ubi a *Gladiatoribus* diſtinguuntur. Quo autem tempore haec lamina ſcalpta fuit, Romae nulla dum in theatris erant ſubſellia, uti pag. 385. ſuaſimus. Quocirca ex duobus verbis hîc uſurpatis, *Sedeto* & *Spectato*, poſterius ad ſcaenam pertinet, prius autem ad gladiatores. Nam munus quidem tum in Circo, tum aliis in locis dabatur, in quibus erat ſedendi locus. At vero a theatris ex Romana conſuetudine ſubſellia aberant; eoque ſtantes ſpectabant. Quod ſiquis Heracleenſes noſtros, utpote Graecos, etiam in theatro more Graecanico ſubſelliis praeter morem Romanum uſos velit; non vetabo.

Sicuti ergo non aliis Romae ſegregatus in ſpectaculis locus, quam ſenatoribus ſolis ante legem Roſciam fuit (nam equeſter ordo una cum populo ante ſpectaverat) idem, ut hinc vides, in municipiis coloniiſque tunc obtinebat; ita ut uni curiae prima loca vacarent. At poſtquam lege Roſcia (quae ad annum Vrb. 686. refertur) loca Rom. equitibus peculiaria tributa fuiſſent; id pro ſuo modulo & municipia imitari coeperunt. Non ſtatim id quidem: quî enim poſſent, cum in municipiis nullus inter ſenatores ac plebem ordo eſſet ordini equeſtri reſpondens? At ſtatim poſt Auguſti mortem, ubi Auguſtalitas (126) in coloniis & municipiis inſtar equeſtris ordinis locum inter patres ac plebem medium obtinuiſſet; tum coepit & Auguſtalibus locus in ſpectaculis ſeorſum a decurionibus & plebe tribui. Id colligo ex Fabrettiana (127) inſcriptione: quam huc

(*) Idque etiam ante legem Roſciam: quae lex, hoc ære poſterior, in favorem non tam ſenatorum quam equitum lata fuit, ut hi ſeorſum a populo ſederent in quatuordecim gradibus.

(125) Id quod etiam ex hoc ære percipitur. Ergo his temporibus loca prima ſubſelliorum curiae loci ejusdem vacabant. Idque adeo verum fuit, ut ne Romano quidem ſenatori interdum locus inter municipales ſenatores exſtiterit ante Auguſtum: qui ea injuria motus, ubique locorum prima ſubſellia Romanis Patribus, ſi adeſſent, aſſignavit, teſte Suetonio cap. 44. his verbis: *Spectandi conſuſiſſimum morem correxit ordinavitq., motus injuria ſenatoris, quem Puteolis per celeberrimos ludos conſeſſu frequenti nemo receperat. Facto igitur decreto patrum, ut quoties quid ſpectaculi VSQVAM publice ederetur, primus ſubſelliorum ordo vacaret ſenatoribus; Romae legatos liberarum ſociarumque gentium vetuit in orcheſtra conſidere, cum quosdam etiam libertini generis mitti deprehendiſſet.*

(126) De Auguſtalibus exſtat in ſchedis meis ſpiſſior, adhuc tamen affectus, commentarius: in quo praeter cetera plura, oſtenditur, Auguſtales hoc ferme in municipiis atque coloniis fuiſſe, quod Romae equites Rom. erant. Vtrique enim inter curiam ac plebem medio dignationis loco interjecti fuerunt.

(127) *Marmor Vejentanum explicatur.*

Exſtat apud Fabrettum pag. 170. num. 324. inſcriptio in Vejentanis ruderibus effoſſa hujuſmodi.

(1) *Centum. viri. municipii. Auguſti. Vejentis* (2) *Romae. in aedem. Veneris. Genetricis. cum. conveniſ-* (3) *ſent. placuit. univerſis. dum. decretum. conſcribe-retur.* (4) *interim. ex. auctoritate. omnium. permitti* (5) *C. Julio. Divi. Auguſti. L. Geloti. qui. omni. tempore* (6) *municip. Vejos. non. ſolum. conſilio. et. gratia. adjuverit* (7) *ſed. etiam. inpenſis. ſuis. et. per. filium. ſuum. celebrari* (8) *voluerit. honorem. ei. juſtiſſimum. decerni. ut* (9) *Auguſtalium. numero. habeatur. aeque. ac. ſi. eo* (10) *honore. uſus. ſit. liceatque. ei. omnibus. ſpectaculis* (11) *municipio. noſtro. biſellio. proprio. inter. Auguſ-* (12) *tales. conſidere. ceniſque. omnibus. publicis* (13) *inter. Centumviros. intereſſe. itemque. placere* (14) *ne. quod. ab. eo. liberiſque. ejus. vectigal. municipii* (15) *Auguſti. Vejentis. exigeretur*

ADFVERVNT

Subjiciuntur hîc tredecim Centumvirûm nomina.

ACTVM

GAETVLICO. ET. CALVISIO. SABINO. COS

Cur hanc totam inſcriptionem adſcripſerim, ea cauſa fuit, ut unuſquiſque ex v. 11. & 12. perſpiciat, ſicuti Romae ſeorſum a populo ordo equeſter in quatuordecim ſpectabat, ita & in hoc municipio locum fuiſſe Auguſtalibus peculiarem diſtinctum tum a Centumviris, tum etiam a populo: at in epulo publico eosdem Auguſtales una cum Centumviris diſcubuiſſe: de quo mox. Juvabit nunc enim totum luſtrare epigramma.

VER. 1. *Centumviros* quoſnam intelligat, id ex iis quae Cicero in Agrariis memorat de centum decurionibus ex lege Rulli in deducta Capuam colonia

Digitized by Google

65 *neve convivium publicum* (cum) *eis inito; neve quisquam adverſus ea*
- *creatum renuntiatum erit, ibi Duum-vir, Quatuor-vir*
66 *eſto, neve ibi magiſtratum, poteſtatemve habeto. Qui adverſus ea fecerit, is ſeſtertium quinquagena millia populo dare damnas eſto, ejuſque pecuniae, qui*
67 *volet, petitio eſto.*

huc afferre viſum fuit, non tantum huic loco de ſpectaculis, ſed & æris hujus verſui ſeq. (ubi de conviviis publicis) lucis plurimum allaturam. Ergo ſicuti Romae ſenatus in orcheſtra ſpectabat, equites in quatuordecim; par in municipiis inter ſenatores & Auguſtales diſtinctio locorum fuit. Plebi vero non niſi in popularibus locus ſpectandi aſſignabatur.

VER. 65. *Neve convivium publicum* (cum)

nia conſtitutis, oſtenditur. Imo & in albo Canuſini municipii (vide ſup. p.406. Adn. 38.) centum decuriones, ubi patronos & praetextatos ex toto eo numero dempſeris, reliqui fiunt. Quod quia, cum de eo Albo agerem, non animadverti; in fine voluminis hujus de eo pauca in Addendis admetiar. *Centumviri* igitur, non alii quam decuriones Vejentes ſunt. Locus ille in Ciceronis Agrar. II. ita habet: *Huc iſti Decemviri cum numerum colonorum ex lege Rulli deduxerint, CENTVM DECVRIONES, decem Augures, ſex Pontifices conſtituerint . . .*

VER. 2. Quod Romam uſque ab Veiis profecti, in Veneris convenerint, ea rara & inuſitata res eſt. Adſcribendum hoc videtur gratiae, qua Auguſti libertus iſte in Auguſta domo florebat, ut tantum apud Centumviros iſtos potuerit.

VER. 3. *Placuit univerſis.*] Cur *Vniverſis*, cum nomina haud plus tredecim ſubjiciantur? An hi tredecim ex compromiſſo in ſeſe a collegis facto ita decreverunt? Nam Romam evocati Centumviri, cum venire omnes nequiviſſent; in hos paucos, opinor, compromiſerunt. Ita prorſus cenſeo; praeſertim ob id quod ver. 4. ſequitur, *Ex auctoritate omnium.*

IBID. *Placuit univerſis, dum decretum conſcriberetur, interim.*] Quodnam decretum intelligit? Haud dubie de Gelote iſto in Auguſtalium collegium allegendo. Hoc nim. *Julius* iſte petierat. Id quidem ei favore Principis a compromiſſariis conceſſum ore tenus fuit; nec enim ejus rei decretum, niſi Veiis, conſcribi poterat. Sed cum Julius mitti ſe in poſſeſſionem honoris inſtaret; viſum compromiſſariis fuit, ut *interim dum decretum conſcriberetur*, inter Auguſtales, ut unus eorum, ſpectaret, & cum Centumviris epularetur.

VER. 9. *Vt Auguſtalium numero habeatur aeque ac . . .*] Hoc nempe illud eſt, quod modo dixi, compromiſſarios iſtos, quocumque modo potuere, miſiſſe Julium in honoris (etſi nondum rite aditi ex defectu decreti) poſſeſſionem.

VER. 11. *BISELLIO proprio inter Auguſtales conſidere.*] Vides hinc *Biſellii* antiquitatem parem anno Chriſti XXVI. uti Conſules infra produnt. Supra in fine p.397. Adn. 22. ad Muratorianam inſcriptionem pauca admodum de *Biſellio* illevi, nondum hoc marmore inſpecto. Fabrettus ad hunc titulum adnotat, Biſellii honorem fuiſſe quidem Auguſtalium peculiarem, verum non omnium (uti Chimentellius ſuadere voluerat) ſed tantum eorum qui id conſecuti fuiſſent. Ac ſane id Fabretto totum aſſentior. Hoc ſolum addo, de quo nemo ſe ſollicitum praebuit, quaenam *Biſellii* notio fuerit, & unde fuerit ea dictio orta. Atque ea mihi vox eâdem pollere vi, qua Δίφρος apud Graecos, videtur: de quo praeſtat in imo (I) decernere.

VER.

(I) *Biſellii notio ex Graeco repetita. Δίφρος ἡγεμονικὸς eſt formae Biſellio ſimillimae.*

De Biſellio poſt Chimentellium, meliora quaedam Freſnius in Gloſſario attulit, ac poſtea Fabrettus ad Sueſſanam (ex Grut. p. 475. n. 3.) inſcriptionem. Mihi, ubi in ambos proxime incidiſſem, breviſſimi qualiſcumque ſpicilegii cupido inceſſit. Ab eo ordiar. Varro in IV. de L. L. Ab ſedendo (*inquit*) appellantur Sedes, Sedile . . . Sellae . . . Vbi in huiuſmodi duo, Biſellium dictum. *Ergo ab eo* Biſellium *arceſſivit, quod duos caperet. Atqui fateor equidem* Biſellium *fuiſſe duorum capax (nam ſella curulis, cujus inſtar biſellium erat, uti dicam, paullo capacior erat) nego tamen inde fuiſſe dictum; ſed potius quod Graeco nomini* Δίφρος *reſponderet. In Philoxeni Gloſſis:* Biſellium, Δίφρος. *Atqui tum in* Δίφρῳ (*quidquid in contrarium dixerit Euſtathius, cui* Δίφρος *eſt ἀπὸ τῦ δύο φέρειν*) *tum & in* Διεδρίῳ *unus non duo conſidebant. Ergo potius haec ita dicebantur, quod plicabantur, & ubi opus, explicabantur, & bipatentes erant. Qui in nummis aut anaglyptis ſellas curules vidit, is ſe biſellia vidiſſe putet. Nam ebore excepto, aliiſque ſellae curulis ornamentis, & quod erat paullo capacior, ceterum formâ utrique communis erat. Quam ſellae formam,* δίφρον ἀγκυλόποδα *Graeci vocant: de quo vide Caſaubonum ad Suet. Auguſ. c. 43. Exſtant in Regio Herculanenſi Muſeo aeneae ἀγκυλόποδες atque plicatiles ſellae duae: quas vulgo* Sellas curules *putant, cum ſint potius biſellia, ſive bipatentes atque plicatiles ſellae: quae etiam Graecis ab eo* δίφροι & διέδρια *vocabantur; etſi poſtea ſimpliciter pro cathedris uſurpabantur. Heſychius:* Διέδρα, καθέδρα. *Suidas:* Διέδριον, καθέδριον. *Deinde ſynonymi locum affert:* ἁρπάσαντες αὐτὸν διεδρίῳ . . . In biſellio *ſive ſella plicatili* ſublatum . . . intulerunt . . . *Ceterum adeo Biſellium non a duorum capacitate dictum, ut in Vejentano elogio ſupra recitato v. 10. 11. diſertim legatur,* Liceatque . ei . . . BISELLIO . PROPRIO . inter . Auguſtales . conſidere. *Nam ſi* Proprio *in biſellio ſedebat, ex eo oſtenditur, unum in eo ſediſſe, non duos. Atqui* biſellio proprio *idcirco dicitur, quia cum Auguſtales ceteri permixte in ſubſelliis aſſiderent; biſelliariis tantum dabatur, uti liceret inferre biſellium, & uti ſeorſum in proprio quiſque biſellio ſpectaret.*

Digitized by Google

(cum) *eis inito*.] IS pro IIS in monumentis veteribus regulare est. At quod CVM (quod claritati serviens interposui) scalptor omiserit, eo refer quod composita regunt casum praepositionis. CONvivium EIS. Totum istud *Inire convivium* pro *Coire in convivium*, non alibi quam in Tacito & Suet. reperi. Tacitus Ann. XV. 58. *Si convivium, si spectaculum simul iissent, pro crimine accipi*. Vbi *Inire* ad prius refertur: ad spectaculum vero eatenus, quia hoc cum convivio plerumque jungebatur. Item de Augusto Suet. cap. 74. *Convivia non numquam, & serius inibat & maturius relinquebat; cum convivae & cenare inciperent priusquam ille discumberet, & permanerent digresso eo*. Jam vero *Cena publica* in Vejenti marmore (quod Adnot. 127. modo attuli) vocata fuit, quae hîc *convivium publicum* dicitur. Alibi *Epulum*, *Epulae*, *Dapes*, aliove vocabulo. Plurima erant ejusmodi convivia publica, praesertim in deorum aliquot (128) honorem, in festis quibusdam, statisque sacrificiis atque sollemnibus: ad quae & *Septemviri epulonum* instituti, qui tres initio fuerant. Adde & illa convivia, quae ludos comitabantur: quorum antiquitatem Tullii locus in III. de Orat. cap. 13. ostendit. *Pontifices*, inquit, *veteres propter sacrificiorum multitudinem tresviros epulones esse voluerunt, cum essent ipsi a Numa, ut etiam illud LVDORVM EPVLARE SACRIFICIVM facerent, instituti*. Adde Livium XXXI. 4. *Plebeii ludi ter toti instaurati . . . & Jovis epulum fuit LVDORVM CAVSA*. Et XXXIII. 42. *Ludi plebis per biduum instaurati, & epulum fuit ludorum causa*. Adde Dionem lib. 48. *Ludis Romanis nullum senatorum in Capitolio epulatum esse in prodigium tractum fuit*. Itaque facile crederem, cum hîc & cap. superiore uno eodemq. loco de ludis epulisque publicis lex loquatur, id argumento esse, ea convivia publica intelligi, quae *ludorum causa* fierent, uti Liv. loquitur; nisi scirem plurima olim fuisse epularum publicarum genera: quorum aliquot in superiore Adn. 128. enumeravi.

In municipiis autem non secus ac Romae, senatus seorsum a plebe accumbebat. Etsi post Augusti obitum Augustalitate instituta, concessum Augustalibus, saltem bisellii honore decoratis, ut cum senatu epularentur. Vide Vejens decretum in Adn. 127. ad v. 12. 13. Verum nihil magis totum hunc de publicis municipiorum, coloniarumve conviviis locum illustraverit, quam inscriptiones legesque ex quibus non nihil hîc in transcursu (129) adlinam.

IBID.

VER. 12. 13. *Cenisque omnibus publicis inter centumviros interesse*.] Spectaculis Augustales seorsum a decurionibus adfuisse dixi: at iidem convivium publicum una cum decurionibus inibant. Nec enim in mensa distinctio inter utrosque fuit. Vide quae mox ad sequentem Tabulae versum 65.

VER. 14. *Nequod ab eo . . . vectigal Municipii . . . exigeretur*] Hoc vectigal non ejus generis fuit, ut a Vejenti municipio in publicum Vrbis Romae aerarium inferendum esset, sed potius quod a singulis municipibus Vejentibus ipsi municipio ad publicos sumptus persolveretur.

Consules inferne scalpti pertinent ad ann. Vrbis 778. Christi XXVI. ut ante monui.

(128) *De quibusdam publicorum conviviorum generibus.*

Variant haec genera ratione deorum, in quorum honorem fiebant. Veluti Epulum Herculis, de quo Naevius in Colace apud Priscianum extremo lib. IX. ait: *Qui decumas partes, quantum alieni fuit, Polluxit, tribid publicando epulo, Herculis decumas*. Emendavit vir plane doctus, *Herculi decumat*. Sane *Herculis* cum editis, an *Herculi* legas, parum refert. At cave *decumat* pro *decumas* mutes. Fuit hoc purum putum praeconium; nempe quia praeco praecinente tibia ita *publicabat* (in Naevio pro *publicando* scribe *publicato*) HERCVLI DECVMAS. Vide sup. ad v. 58. Adn. 123. De decumis istis nota omnia. Plautus Sticho I. 3. v. 81. *Vti decumam partem Herculi polluceam*.

In Campano marmore: HERCVLI. DECVMAM. FECIT, aut DEDIT. Nec enim plane teneo.

Item *Epulum Jovi* datum in Capitolio: de quo supra dixi plusçula. Addam sapidum Arnobii locum lib. VII. *Jovis epulum cras est. Jupiter enim cenat, magnisque implendus est dapibus, jamdudum inedia gestiens, & anniversaria interjectione jejunus*. In Novembrem incidebat. In Kalendario rustico: *MENS. NOVEMB. JOVIS EPVLVM*.

— Sed multo plus genera variant ratione causarum, ex quibus epulae publicae indicebantur. Cujusmodi cena *triumphalis*, Cena illa lautissima *Pontificalis*, & *Saliaris* haud minus opipara. Adde his convivia publica in magistratibus & honoribus ineundis, in templorum, in operum publicorum, in statuarum dedicationibus. Ac ne singula persequar; quicunque sive populum suffragiorum causa devincire sibi, sive benignitatis famam ad quemcumque casum captare vellent, epulum publicum indicebant; aut loco *cenae rectae*, uti loquebantur, *sportulas* dabant.

(129) *De publicis epulis municipalibus: de cena recta & sportulis.*

Finis nullus sit, si inscriptiones huc pertinentes

Digitized by Google

IBID. *Neve quis QVEM* &c.] Nihil aliud hoc loco molitus fui, quam quod QVEI in QVEM verti. Nam quod mox poſt CREATVM interpoſui τὸ *eſſe*; claritatis cauſa id interjeci, quod uſitata ceteroqui ſyntaxis ſubaudiri juſſiſſet. Ergo ſic lege: *Neve quis, quem adverſus ea creatum* (eſſe) *renuntiatum erit, ibi* &c. De renuntiatione dixi ad Kap. ſuperius v. 58. *Renuntiatum erit*, tum ſcil. ab eo, qui comitiis praeeſt, tum etiam clara illa voce praeconis.

tes afferre promiſcue, aut earum delectum agere velim. Videatur Reineſii prolixus ad marmor Suelitanum (Cl. I. n. 99.) commentarius: in quo pag. 136. erudite de his diſſerit, & ad plurimas tum Gruterianas tum ſuas inſcriptiones lectorem remittit. Inter Reineſianas Surrentina Cl. VI. num. 32. elegans eſt: in qua L. Cornelius dat CRVSTVLVM ET MVLSVM (non rara haec διαρομὴ in marmoribus) ac praeterea OB. HONOR. DECVRIONIBVS. MAGNAM. CAENAM. At in Puteolana Cl. VI. n. 22. T. Catinius CENam POPulo DEDIT: certam vero pecuniae ſummam decurionibus, aliquanto minorem Auguſtalibus: poſtremo PER. GRAD. X. IIII. Vbi illud PER. GRAD. exponit Reineſius *PEREGRinis ADvenis*. Sed fallitur; nam diviſiones *Per gradus* (puta amphitheatri, aut alibi) ſaepe fiebant; unde *Panis gradilis* qui per gradus diſtribuebatur. Ergo PER GRADVS colonis ſingulis denarii quini dati fuerunt. Hoc etiam pulchrum eſt, quod hîc *cena recta* ſimul & *ſportulae* copulantur. Nam ſive extremis reip. temporibus, ſive ſub Caeſarib. loco cenae legitimae (quod erat, puto, plena moleſtiae) ſportulae primum dari coeptae, h. e. in ſportulis cibaria: ſub haec autem loco cibariorum pecunia, quae & ipſa *Sportula* dicta. Auguſtus apud Suet. cap. 74. *Convivabatur & aſſidue*, *NEC VNQVAM NISI RECTA*: credo quod ſportulas uti rem novam minus probaret; quas etiam Domitianus tanto poſtea ſuſtulit, teſte eod. cap. 7. *Sportulas publicas ſuſtulit* (publicas, inquit, non privatas) *revocata cenarum rectarum conſuetudine*. Quae confer cum Martiale III. 7. ubi Neronis ſordes ſugillat, nec non cum VIII. 50. ubi Domitiani benignitatem extollit, ita finiens:

Promiſſa eſt nobis ſportula, recta data eſt.

Praeter autem hujuſmodi largitates a viventibus profectas, fuere & illae quae teſtamento imperabantur. Cajus l. 17. §. ult. D. *de condit. & demon.* ſic poſuit: *Si cui in hoc legatum ſit, ut . . . epulum municipibus faceret . . .* L. 122. princ. D. *de leg. I.* Paullus ait: *Quod ad diviſionem ſingulor. civium, vel epulum, relictum fuerit: hoc amplius quod in alimenta infirmae aetatis, puta ſenioribus, vel pueris puelliſque . . .* Quo & Plinii (lib. VII. 18.) epiſtola pertinet, qua Caninio ſuadet, ut quam Comenſibus in epulum anniverſarium pecuniam promiſerat, ita diſponat, ut ipſe a ſe datam in alimenta ingenuorum diſpoſuit. Verum quid haec corrogo? cum nihil frequentius ſit in litteratis marmoribus, quam praedia aut grandes pecuniae relictae aut donatae municipiis, coloniis-, collegiis, ut ex earum uſuris epulum publicum inſtruatur, aut vero certis legibus diſtributiones ſportularum fiant, ita ut Decurionibus opimior ſumma, minor Auguſtalibus, minima plebi detur.

K a p u t XI.

68 QVAE · MVNICIPIA · COLONIAE · PRAEFECTVRAE · C · R · IN · ITALIA · SVNT · ERVNT · QVEI · INEIS · MVNICIPIEIS · COLONEIS
69 PRAEFECTVREIS · MAXIMVM · MAG · MAXIMVMVE POTESTATEM · IBEI · HABIBIT · TVM · CVM · CENSOR · ALIVSVE
70 QVIS · MAG · ROMAE · POPVLI · CENSVM · AGET · IS · DIEBVS · LX · PROXVMEIS · QVIBVS · SCIET · ROMAI · CINSVM POPVLI
71 AGI · OMNIVM · MVNICIPIVM · COLONORVM · SVORVM · QVEIQVE · EIVS · PRAEFECTVRAE ERVNT · Q · C · R · ERVNT · CENSVM
72 AGVNTO · EORVMQVE · NOMINA · PRAENOMINA · PATRES · AVT · PATRONOS · TRIBVS · COCNOMINA · ET · QVOT · ANNOS
73 QVISQVE · EORVM · HABET · ET · RATIONEM · PECVNIAE EX · FORMVLA · CENSVS · QVAE · ROMAE · ABEO · QVI · TVM · CENSVM
74 POPVLI · ACTVRVS · ERIT · PRO · POSITA · ERIT · ARIEIS · IVRATEIS · ACCIPITO · EAQVE · OMNIA · INTABVLAS · PVBLICAS · SVI
75 MVNICIPI · REFERVNDA · CVRATO · EOSQVE · LIBROS · PER LEGATOS · QVOS · MAIOR · PARS · DECVRIONVM · CONSCRIPTORVM
76 ADEAM · REM · LEGAREI · MITTEI · CINSVERINT · TVM · CVM · EAS PIS · CONSVLERETVR · ADEOS · QVEI · ROMAE · CINSVM · AGENT
77 MITTITO · CVRATO · QVE · VTEI · QVOM · AMPLIVS · DIES · LX · RELIQVEI · ERVNT · ANTEQVAM · DIEM · EI · QVEIQVOMQVE ROMAE

78 CEN-

Digitized by Google

78 CENSVM · AGEI · FINEM · POPVLI · CESENDI · FACIANT · EOS · ADEAM · LIBROSQVE · EIVS · MVNICIPI · COLONIAE · PRAEFECTVRAE
79 EDANT · ISQVE · CENSOR · SEIVE · QVIS · ALIVS · MAG · CENSVM · POPVLI · AGET · DIEBVS · V · PROXVMEIS · QVIBVS · LEGATEI · EIVS
80 MVNICIPI · COLONIAE · PRAEFECTVRAE · ADIERINT · EOS · LIBROS · CENSVS · QVEI · ABIEIS · LEGATEIS · DABVNTVR · ACCIPITO
81 S · D · M · EXQVE · IEIS · LIBREIS · QVAE · IBEI · SCRIPTA · ERVNT · INTABVLAS · PVBLICAS · REFERVNDA · CVRATO · EASQVE · TABVLAS
82 EODEM · LOCO · VBEI · CETERAE · TABVLAE · PVBLICAE · ERVNT · INQVIBVS · CENSVS · POPVLI · PERSCRIPTVS · ERIT · CONDENDA · CVRATO
83 QVI · PLVRIBVS · INMVNICIPIEIS · COLONEIS · PRAEFECTVREIS · DOMICILIVM · HABEBIT · ET · IS · ROMAE · CENSVS · ERIT · QVO · MAGIS
84 INMVNICIPIO · COLONIA · PRAEFECTVRA · H · L · CENSEATVR · E H · L · N · R ·

CAPVT XI.

Cenſus in municipiis a locorum magiſtratib. actus, in tabulas loci publicas, tum ex iis tabulis in libros tranſcribitor : libri Romam per legatos miſſi, in tabulas in tablino condendas deſcribuntor. Romae cenſi, quo magis etiam in domiciliorum locis cenſeantur, ne adigantur.

68 *Quae Municipia, Coloniae, Praefecturae Civium Romanorum in Italia ſunt erunt, qui in eis Municipiis, Coloniis,*
69 *Praefecturis maximum magiſtratum, maximamve poteſtatem ibi habebit, tum cum Cenſor aliuſve*

VER. 68. *Quae municipia, coloniae, praefecturae civium Rom. in Italia ſunt*] Hoc toto capite, quo de cenſu agitur, numquam *Fora*, numquam audiuntur *Conciliabula*. Quid ita? An incenſa manebant? cave putes. Nam hoc credo veriſimilius: cum Municipia, Colonias, Praefecturas ſcatuiſſe viris induſtriis atque ſolertibus ; tum etiam clararum urbium dignitati conceſſum eſſe, ut ipſae in munus hoc tantum vacarent: at contra quia in Foris & Conciliabulis virorum idoneorum ad rem tantam copia plerumque deerat; hoc placuiſſe, ut viris navis, qui ab Vrbe miſſi Fora & Conciliabula circumirent, res tanta committeretur.

VER. 69. *Qui in eis munic.... maximum magiſtratum, maximamve poteſtatem ibi habebit*] Τὸ *Ibi* aut ad *Italiam* paullo hinc longius v. 68. nominatam refertur, aut, ſi ad *Municipia Col. Praefect.* proxime memoratas pertinere velis, παρέλκειν dicetur Hebraicâ ſyntaxi, qua relativa ſupervacuo repetuntur : *In eis municipiis poteſtatem ibi habebit*. Et hoc quidem leviculum : illud gravius, quod quo tempore haec Tabula ſcalpta fuit, nulla dum erat in his municipiis coloniiſque quinquennalicia dignitas, quae Romanae cenſurae reſponderet: proinde quae ad cenſum pertinent, ea a IIviris, IVviris, ſummove alio magiſtratu omnia expediebantur. At non diu poſtea in omnibus civium Rom. locis IIviri ſive IVviri Quinquennales (quibus marmora & auctores ubique ſcatent) inſtituti, cenſoribus Romanis reſpondentes. Dixi in his

Digitized by Google

70 *quis magiſtratus Romae populi cenſum aget, is diebus ſexaginta proximis, quibus ſciet Romae cenſum populi*
71 *agi, omnium municipum, colonorum ſuorum, quique ejus praefecturae erunt, qui cives Romani erunt, cenſum*

his ſaltem municipiis coloniiſque olim defuiſſe peculiarem *cenſorium* magiſtratum: nam ceteroqui diu ante tempora æris hujus in coloniis illis Latinis duodecim, quas Livius XXIX. 15. ad ann. DXLIX. enumerat, videntur Cenſores minime defuiſſe, modo peculiaris (130) is magiſtratus fuerit eo nomine, & in id creatus.

VER. 69. 70. *Cum cenſor aliuſve quis magiſtratus Romae populi cenſum aget.*] Hinc oſtenditur, aut fuiſſe aut eſſe potuiſſe tempus, cum Romae cenſor nullus eſſet; & tamen, ſi quando id incideret, ad conſulum providentiam pertinuiſſe, viderent, ne populus incenſus maneret. Quid enim ſi cenſores ſive morte ſive abdicatione deeſſent? Certe anno Vrbis DCXXVII. cenſores Q. Fabium Servilianum, L. Caecilium Calvum creatos abdicaſſe, in Tab. Capit. adnotatur. Adhaec ſi Cenſor unus diem ſuum obiiſſet, collega ſe abdicare cogebatur; nec eo quinquennio alii ſubrogabantur. Cum igitur aut haec ipſa aut tale aliud evenire poſſet; merito adjicitur, *Aliuſve quis magiſtratus.*

IBID. *Dieb. ſexaginta proximis*] Hunc dierum numerum fuiſſe in re cenſuali uſitatum, apparet & ex v. 77. *Vti quum amplius dies ſexaginta* (ante finem cenſendi populi Romae) *reliqui erunt.*

IBID. *Quibus ſciet Romae Cenſum populi agi*] *Quibus ſciet*, inquit: ex fa-

(130) Livius loco cit. inter cetera imperatum legatis earum coloniarum ſcribit: *Cenſumque in iis coloniis agi ex formula à Romanis cenſoribus data: dari autem placere eamdem, quam populo Rom., deferriq. Romam a juratis CENSORIBVS coloniarum, priuſquam magiſtratu abirent.* Niſi vero *Cenſorum* nomine non alios intelligit, quam qui in iis Coloniis ſummum magiſtratum gererent: quos videlicet a munere tunc obito *Cenſores* vocarit. Nam Romae primitus conſules, h.e. magiſtratus ſummus cenſebat populum. At demum cum conſules diutinis bellis diſtinerentur, quominus in cenſum incumberent, qui proinde diu intermiſſus fuiſſet; viſum fuit creari Romae peculiarem cenſorium magiſtratum: id quod omnes norunt. At ea ratio quae Romae valuit, in Latinis illis coloniis non valebat, in quibus magiſtratui ſummo ſatis ad cenſum otii fuiſſet: qui tum ex eo obiter dici *Cenſores* potuere.

ma utique. Nec enim nuntiato opus fuit; quia res tanta (quae non poterat non commovere Italiam, dum plurimi, forte fortuna ad rem gerendam Roma digreſſi, cenſus gratia ad Vrbem confertim remearent) ignorari non poterat, maxime exacto quinquennio.

VER. 71. *Colonorum ſuor. quiq. ejus praefecturae erunt.*] Quia enim non, ſicuti a municipio *Municipes*, & a colonia *Coloni* vocabantur, ita a Praefectura nomen ullum ſimile derivabatur; idcirco ea circumſcriptione utitur.

EOD. VER. 71. 72. *Omnium municipum, colonorum ſuorum, quique ejus praefecturae erunt, qui cives Rom. erunt, cenſum agito*] In ære eſt CENSVM AGVNTO pro AGITO. Hujuſmodi mendis quis non largitur impunitatem? praeſertim cum hic ſit locus pretii quantilibet: ex quo ſcil. nunc primum diſcimus, cives Romanos, qui in municipiis, coloniis, praefecturis eſſent, in ſuis quemq. urbibus cenſitos fuiſſe, ejuſq. cenſûs apographa ſubhaec Romam fuiſſe tranſmiſſa: de quo antea diſceptatum ſcio, imo & viris doctiſſimis placuiſſe, totam, quae poſt legem Juliam civium Rom. in Italia multitudo incredibilis erat, Romam uti cenſeretur, confluere debuiſſe: rem ſane miram atque portentoſam. Et tamen ita Manutius ſuadere voluit minime (131) ſolidis rationibus..

(131) Niſi illa ſit ſolida ratio, quam Manutius (*de civit. Rom.*) ex Aſconio haurit, qui ad illud Tullii in Verr. *Cum haec frequentia totius Italiae Roma diſceſſerit . . .* ſic adnotat: *Frequentiam dicit plebis ruſticae, cui voluit judicii exitu notam eſſe integritatem ſuam.* Atqui hîc cum Aſconius eam frequentiam ad *plebem ruſticam* reſtringat, ſatis ſe de agri Romani, aut non longe ab Roma poſiti, municipiis coloniiſque loqui ſignificat: quod & ſequentia confirmant. Pergit enim: *Convenerat autem ex Municipiis cujuſcumquemodi multitudo, aut propter comitia ſuffragiorum cauſa, aut ludorum . . . aut ut cenſeretur apud cenſores Gellium & Lentulum, qui tunc erant.* Nam non niſi viciniora Romae municipia Romam ad ſuffragia aut ludorum cauſa conveniebant, vix pauci ex remotioribus: tum vero proximi quam remoti municipes, poterant quidem, ſi vellent, Romae cenſeri, ut infra ex ver. 83. intelligemus; at plerique tamen in ſuis urbi-

bus

Digitized by Google

EXCVRSIO.

Circa cenſendi locum quid ante legem Juliam Plotiamque obſervatum fuerit.

Quando igitur hunc tantum fructum ex hac Tabula capimus, ut poſt Juliam Plotiamque leges coepiſſe cives Rom. in municipiis & coloniis habitantes, qui magnam Italiae partem compleverant, in ſuis quoſque cenſeri urbibus, qui antea Romae cenſum edere debuiſſent; age videamus quibus ex priore πολιτείᾳ gradibus eo tandem ventum fuerit. Jam inde uſque ordiar, unde totius hujus diſputationis filum procedit.

Nulla ad civitatem Rom. conſequendam facilior via fuit, quam cenſus, quandoquidem etiam ſervi, ſi voluntate domini cenſi fuiſſent, luſtroque interfuiſſent, continuo cives Rom. fiebant, auctore Tullio in I. de Orat. 40. & Vlpiano in fragmentis. Quanto facilius ſociis & Latini nominis in cenſuales irrepere tabulas fuit? Itaque cum ſingulis quibuſque luſtris horum magna pars ſeſe per cenſum in Civitatem inſinuaſſent, Romaeque deſertis nativis oppidis conſtitiſſent; poſtremo anno Vrb. DLXVI. (apud Liv. XXXIV. 3.) *Legatis ſociorum Latini nominis . . . querentibus, magnam multitudinem civium ſuorum Romam commigraſſe, & ibi cenſos eſſe; Q. Terentio Culleoni praet. negotium datum eſt, ut eos conquireret; & quem M. Claud. M. Livio cenſoribus poſtve eos cenſores, ipſum parentemve ejus apud ſe cenſum eſſe probarent ſocii, ut redire eo cogeret . . . XII. millia Latinorum domos redierunt.* Deinde anno DLXXV. (apud Liv. XLI. 12. 13.) iterum Latini expoſtulant: *Cives ſuos Romae cenſos, pleroſque Romam commigraſſe . . . perpaucis luſtris futurum ut deſerta oppida, deſerti agri nullum militem dare poſſent.* Ibidem narratis quibusdam juris imaginibus, per quas illi ſuos oppidanos fallerent, poſtremo aperte *in civitatem Rom. per migrationem & cenſum* fieri tranſitum querebantur. Quorum petitionibus ſenatus ita annuit, ut etiam fraudibus in poſterum occurreret. Atque id SCtum quinquennio poſt ſancte adhuc ſervabatur. Nam anno DLXXX. (apud Liv. XLII. 10.) cur pauciora cenſa ſint capita, ea cauſa adducitur, *Quia L. Poſtumius coſ. pro concione edixerat: Qui ſocium Latini nominis ex edicto C. Claudii conſulis* (Edictum hoc, quod *Lex Claudia* conſularis vocatur, exſtat apud Liv. XLI. 13.) *redire in civitates ſuas debuiſſent, nequis eorum Romae, ſed omnes in ſuis civitatibus cenſerentur.*

Verum cum ne haec quidem remedia procederent; lex lata eſt quaedam Papia (cujus meminit Cic. pro Corn. Balbo cap. 23. Val. Max. III. c. 4. n. 5.) qua ſcitum videtur, ut ſocii & Latini nominis qui Romam migraverant, in ſua redirent. Ea nonnullis juſſa videtur haud diu ante annum DCXXIV. Ac ne ſic quidem ceſſantibus fraudibus, ad ultimum anno Vrb. DCLVIII. a L. Licinio Craſſo, Q. Mucio Scaevola coſ. lex *Licinia Mucia* prodiit de civibus regundis: de qua Ciceronem pro Corn. c. 21. & Off. III. c. 11. & Aſconium legiſſe (132) non poenitebit: ex quorum altero conſtat, eâ maxime lege

bus cenſebantur, quod & erat commodius, ac tantumdem valebat. Vides ex his diſſlari penitus rationem ex Aſconio petitam.

Ceterum non hîc referam, quemadmodum Siculorum ſocii a ſuae quique civitatis cenſoribus (forſitan ex lege Rupilia) adhuc aevo Tullii cenſi fuerint de quo lib. II. in Ver. cap. 53. Id mitto: at jam inde ab anno Vrbis DXLIX. (qui centeſimus eoque amplius ante hanc Tabulam exſtitit) duodecim coloniarum Latinarum (quarum quaedam proximae Romae erant, aliae non longius aberant) colonos, in ſuis quoſque coloniis, & ab ſuis quoſque cenſoribus cenſeri ab ſenatu juſſos fuiſſe Livius XXIX. 15. prodidit. Ejus locum vide in Adn. ſuperiore. Quod ſi tum, cum tam modica eſſet cenſendorum multitudo, tota cenſualis profeſſio apud locorum ſingulorum cenſores edi jubebatur; an credemus, poſt leges Juliam Plotiamque ubi maxima pars Italiae civilitatem Rom. aſſecuta fuiſſet, ad longa itinera ſuſcipienda municipes colonoſque Apuliae, Calabriae, Lucaniae, Bruttiorum, ceteroſque adactos fuiſſe, ut non niſi in Vrbe principe cenſerentur, hanc vero opprimerent intoleranda frequentia? Haec quidem ex ſuperiore Livii loco ſatis viri doctiſſimi intelligere potuiſſent. At recte eſt, quod ſero haec lamina prodiit, quae aberrantes ſententias in viam rectam reduceret.

(132) Aſconius vocat *Legem Liciniam & Muciam de civibus regundis:* quam legis inſcriptionem ſpectaſſe mihi videtur Cicero in III. Off. c. 11. *Eſſe*, inquit, *pro cive qui civis non ſit, RECTVM EST* (lege illa ſcil. *de civib. REGVNDIS*) *non licere: quam tulerunt legem ſapientiſſimi conſules, Craſſus & Scaevola.* Sed Aſconii locum recito: *Legem Liciniam & Muciam de civibus regundis, quam duo conſules omnium ſapientiſſimi tuliſſent, video conſtare inter omnes, non modo inutilem, ſed etiam perniciosam Reip. fuiſſe.* Cur *perniciosam* dixerit, idem Pedianus haud multo poſt declaravit. *L. Licinius Craſſu*

Digitized by Google

72 *agito ; eorumque nomina , praenomina , patres , patronos , tribus , cognomina & quot annos*

ge abalienatis animis ſociorum bellum Italicum conflagraſſe .

At armis depoſitis , ubi civitas maximae Italiae parti impertita fuiſſet , & quidem eadem prorſus civilitas data, qua qui Romae optimo jure fruebantur; nullus amplius legibus illis , nec Claudiae , nec Liciniae Muciae locus fuit , nec eſſe debuit, quippe quae ſocios nomenque Latinum tenerent; nec proinde mora eſſet, quin civibus pleno jure Romanis , per municipia , colonias , praefecturas longe lateque diffuſis , liceret Romam , ſi vellent , ad cenſum edendum ſingulis luſtris commeare . Verum quo tanti ex tota Italia Romam concurſus fierent ? qui quidem & Vrbi graves imo & intolerabiles futuri erant , & interea temporis urbes Italicas vacuefeciſſent . Itaque conſultius atque commodius viſum fuit , ſi utrumque liceret , utîque pro cujuſque maxima voluntate , tum Romae , tamquam in communi patria, edere cenſum (infra v. 83.) valerent , tum etiam ſine ullo cujuſquam incommodo hoc idem oppidatim liceret . Verum pleroſque omnes in ſuis oppidis id maluiſſe , tum ex hoc ære oſtenditur, tum ex eo quod id in commune commodiſſimum videbatur .

Ante vero quam a cenſu digredior ; exſtat apud Gellium V. 19. P. Scipionis fragmentum ex oratione , *quam cenſor* (ejus autem cenſura in ann. Vrb. DCXI. incidit) *habuit ad populum de moribus :* in qua inter cetera, tamquam *contra majorum inſtituta* , culpat etiam morem iſtum : *Abſentes cenſeri jubere, ut ad cenſum nemini neceſſe ſit venire* . Brevi dicam , hoc quo ſpectet . Non enim ad ſocios & Latini nominis illos , de quibus ante dixi , pertinet : quos adeo non decuit Romae cenſeri , ut ea de cauſa leges , quas modo laudavi , exſtiterint , quibus vetabantur Romae ad cenſum occurrere , ne ſcilicet cenſu quaſi rimâ abuterentur, per quam ad perfectam civilitatem irreperent . Neque vero ad æris hujus legem, ad quam commentamur, Scipionis querela refertur; cum hoc legum Digeſtum ſit annis plus quinquaginta Scipionis cenſura poſterius . Dicam equidem quo ea expoſtulatio pertineat . Jam olim anno Vrb. DXLIX. (apud Liv. XXIX. 15. quem locum ſup. Adn. 130. retuli) coloniis Latinis duodecim imperatum fuerat , uti cenſus in ſuis coloniis ageretur , iſque , ubi actus, Romam deferretur . Et credo, quod in coloniis illis Latinis fieri jubebatur , tantumdem & in paucis , quae tunc erant , civium Rom. coloniis fuiſſe in mores inductum. Verum id Scipio cenſor haudquaquam probavit . Quanti enim laboris erat , ſi , cum anno Vrb. DCLXIV. Campani , Romae (133) cenſeri juſſi fuiſſent, multo magis non plurimarum tunc temporis Romanarum coloniarum coloni ad Vrbem metropolim cenſendi ſui cauſa convenirent? Ita tunc temporis Scipio. At poſtquam Italia paene tota in unius Rom. civitatis jura coivit; alia omnia Scipio cenſuiſſet : nec urbium innumerarum incolas de ſuis ſedibus exciviſſet ad tot cenſus agendos , qui accuratius ſingulis in locis agi potuiſſent .

VER. 72. *Nomina , praenomina , patres , patronos , tribus , cognomina .*] Eodem plane ordine cives Romani in ſcripti lapidibus deſignantur : hoc uno excepto, quod in eisdem praenomina nominibus anteponuntur . Verum hîc nomina ceteris praeeunt eâ, credo , de cauſa, quod antiqui nomen , non item praenomen , a nativi-

Craſſus orator & Q. Mucius Scaevola Pont. Max. idemq. orator & ICtus, legem de regendis in ſua civitate ſociis in ſuo conſulatu tulerunt . Cum enim ſumma cupiditate civitatis Rom. Italici populi tenerentur , & ob il magna pars eorum pro civibus Rom. ſe gereret , neceſſaria lex viſa eſt, ut in ſuae quiſque civitatis jus redigeretur . Verum ea lege ita alienati animi ſunt principum Italicorum populorum , ut ea vel maxime cauſa belli Italici, quod poſt triennium exortum eſt, fuerit. Hac de cauſa Pedianus *perniciosam* dixerat.

(133) Ad an. DLXIV. Livius XXXVIII. 28. *Campani , ubi cenſerentur , ſenatum conſuluerunt . Decretum , uti Romae cenſerentur .* Rurſus mox anno ſeq. Liv. eod. lib. cap. 36. *Campani cum eos ex S. C. quod priore anno factum erat , Cenſores Romae cenſeri coegiſſent (nam antea incertum fuerat , ubi cenſerentur) petierunt , ut ſibi cives Romanas ducere uxores liceret ; & ſiqui prius duxiſſent , ut habere eas ; & ante eam diem nati , uti juſti ſibi liberi heredeſque eſſent . Vtraque res impetrata .*

Digitized by Google

73 quisque eorum habet, & rationem pecuniae ex formula census, quae Romae [ab eo, qui tum censum

tivitate sortiebantur. Verbi causa qui de gente Antonia erant, ab ortu ipso nascebantur Antonii: at *Marcus* aut *Lucius* non ante diem lustricum (qui maribus nonus, femellis octavus erat) singuli nuncupabantur.

VER. 72. 73. *Et quot annos quisque eorum habet.*] Nosse hoc intererat, utpote ad rationes militiae necessarium, uti sciretur quo ex tempore, & quousque essent obnoxii militiae. At sub principatu, ubi postea census nihil commune cum militari delectu habuit, propterea quia militiâ mercenariâ Romani utebantur, ratio alia; tunc enim scire singulorum aetates intererat ob eam causam, quam Vlpianus l. 3. D. *de censibus* docuit hisce verbis. *Aetatem*, inquit, *in censendo significare necesse est; quia quibusdam aetas tribuit, ne tributo onerentur: veluti in Syriis a quatuordecim annis masculi, a duodecim feminae usque ad sexagesimum quintum annum tributo capitis obligantur*. Itaque census secutis temporibus edebatur, non ut quanto numero militum (uti loquitur Livius XXIX. 37.) sed quantum pecunia valerent provinciae, in tabulis censûs exstaret.

VER. 73. *Et rationem pecuniae*] Hoc est, fortunarum omnium cujusq. capitis aestimationem. Nam ex l. 178. & l. 222. D. *de V. S. Pecuniae* nomine non solum numerata pecunia, sed omnes res tam soli quam mobiles, & tam corpora quam jura continentur. *Rationem* vero non aliud appellat quam *Computationem*. Itaq. quam hîc lex *rationem pecuniae* vocat, eam Paullus l. 5. *de V. S.* non aliud quam *computationem patrimonii* nuncupat; nempe quia patrimonium certa pecuniae quantitate computabatur. Quo illud Terentii facit Phormione Ac. II. sc. 3.

Ac si talentûm rem reliquisset decem; certe quia hereditatis aestimatio decem talentorum erat. Vide ibi Donatum. Porro non hîc necesse fuit omnia minutim notari, quae in censum deferenda essent; quod ea formulae, de qua mox, ambitu continebantur. Horum quaedam Florus I. 5. recensuit, ubi de Ser. Tullio scripsit: *Ab hoc populus Rom. relatus in censum, digestus in classes, curiis atque collegiis distributus, summaque regis solertia ita est ordinata Resp. ut omnia patrimonii, dignitatis, aetatis, artium, officiorumque discrimina in tabulas deferrentur, ac si maxima civitas minimae domus diligentia contineretur.*

IBID. *Ex formula census, quae Romae . . . proposita erit*] *Formula* in Philoxeni Glossis exponitur Τύπος; ut sit proprie, opinor, cava illa forma, ex qua opere plastico ectypa figmenta exprimuntur: quo alluserit Seneca pater lib. 2. Contr. 13. *Non ex formula natura respondet, neq. ad praescriptum casus obsequitur*. Seneca vero filius in II. *de clem.* 7. propius ad formulas in praetoris tribunali usitatas accedens, ita scripsit: *Clementia liberum arbitrium habet: non sub formula, sed ex aequo & bono judicat*. Nam judices a praetore dati *Formulae* cancellis coercebantur, eoque recte *sub formula judicare* Senecae dicuntur.

Ac praeter judiciales formulas sive actiones; nihil non Romani domi militiaeque nisi sub certis verborum sollemnium conceptionibus, i. e. formulis, sive effari sive facere consueverunt: quas recte vir. industrii collegerunt. Inter cetera *Formula*[1] vocabulum etiam in re censuali tritum fuit[e] ut & ex hoc Tabulae loco, & ex pluribu[s] Livianis ostenditur. Atque ille in primis[s] Patavini locus IV. 8. ubi censorio magistratui tum primum (anno Vrbis CCCXI.) instituto limites (non sane ampli, ut initio fit) praescribuntur in hunc modum: *Cui* (magistratui) *scribarum ministerium, custodiaeq. tabularum cura, cui arbitrium FORMVLAE CENSENDI subjiceretur*. Quia ergo *formulam censendi* unoquoque quinquennio praescribere ad Censoris recens creati *arbitrium* pertinebat; merito in ære scribitur, *Ex formula censûs*, (ab Romano Censore) *proposita*. Huc etiam facit, quod sup. Adnot. 130. de duodecim Latinis coloniis ex Livio XXIX. 15. recitavimus: *Censumque*, inquit, *in iis coloniis agi EX FORMVLA AB ROMANIS CENSORIBVS data* (quippe quibus *arbitrium formulae censendi subjiceretur*, uti lib. IV. 8. dixerat) *dari autem placere eamdem, quam populo Romano*. Postremo quia censores novos non eamdem per omnia formulam,

quasi

Digitized by Google

quasi tralatitiam, proponere consueviſſe, Catonis (133) aliorumque celebres censurae ostendunt (in quibus plura praeter solitum proposita) ea de causa merito hîc jubetur ita: *Ex formula, quae TVM* (a novo censore scil.) *proposita erit*. Jam vero *Formula* plerumque cum Edicto censorio (134) confunditur; certe quia partem ejus Edicti perpetui notabiliorem facit. Ac de edicto censorio plura apud antiquos memorantur, quae seorsum (135) cupidis damus.

VER.

(133) In Catoniana censendi formula *multas res novas* fuisse, Nepos (quem mox initio Adnot. 135. producam) testatur. Atque apud Livium XXXIX. 44. haec maxime Catonis nova reperio. *In censibus*, inquit, *accipiendis tristis & aspera in omnes ordines censura fuit. Ornamenta & vestem muliebrem, & vehicula, quae pluris quam quindecim millium aeris essent, in censum referre viatores jussit: item mancipia minora annis viginti, quae post proximum lustrum decem millibus aeris aut eo pluris venissent, uti ea quoque decies tanto pluris quam quanti essent, aestimarentur; & his rebus omnibus terni in millia aeris attribuerentur*. Mitto alia, quae ibi sequuntur. Item C. Claudii, Ti. Sempronii censura, anno Vrb. DLXXXIV. inita, formulas novas proposuit apud Livium XLIII. 16. Veluti illa est de militibus in Macedoniam scriptis, *Vt qui eorum in Italia essent, inter dies XXX. censi prius apud sese, in provinciam redirent . . . Missorum causas sese cognituros esse, & quorum ante emerita stipendia gratiosa missio sibi visa esset, eos milites fieri jussuros*. Alia huc pertinentia initio Adnot. 135. reperies.

(134) FORMVLA haud ferme aliud quam *Praescriptum* notat; tam vero hîc quam pluries alibi cum *Edicto* confunditur. Argumento est, quod sicuti *Edicta proponi* dicuntur (nec enim facilius cum alio verbo *Edicti* vox jungitur) ita hîc: *Ex formula census, quae Romae . . . proposita erit*. Deinde sicuti apud Graecos rei Romanae scriptores *Edicta* vix aliter quam Διατάγματα appellantur (de quo vide Budaei Comm. pag. 798. Plutarchum in Marcello laudantis) ita quoq. quae Latine *Formula*, ea Graece Διάταγμα vocatur in SCto Graece & Latine in gratiam Asclepiadis Clazomenii aliorumque duorum facto. Exstabat ea tabula aenea apud Fulv. Vrsinum, quae apud Grut. pag. DIII. exhibetur. In Latino (quod ab initio lacerum est) versu quinto ante finem scribitur. *In. ameicorum. FORMVLAM. referundos. curarent:* quod in Graeco ita redditur: Εις το των φιλων ΔΙΑΤΑΓΜΑ ανενεχθηναι φροντισωσιν. Deinde in Latino ver. seq. legitur: *Munusque. eis. ex. FORMVLA. locum. lautiaque. Q. urb. eis. locare*. Id vero in Graeco hunc in modum habet: Ξενια τε αυτοις κατα το ΔΙΑΤΑΓΜΑ τοπον παροχην τε του ταμιαν τον κατα πολιν τουτοις μισθωσαι.

(135) *De edicto censorio. Aliud perpetuum (in quo praeter tralatitia, etiam plura nove proposita) aliud repentinum & pro re nata. Exempla ex Nepote, Plinio, aliis. Edictum de Latinis rhetoribus a Crasso oratore compositum, eopte interprete apud Ciceronem exponitur.*

Censores statim ab adito magistratu Edictum suum perpetuum proponebant. Perpetuum voco, quia de ratione tota gerendae censurae suae docebant populum. Pleraque in eo tralatitia erant: quaedam tamen etiam nova continebantur. Corn. Nepos in Catone cap. 1. *Cato censor cum eod. Flacco factus, severe praefuit ei potestati. Nam & in complures nobiles animadvertit, & MVLTAS RES NOVAS IN* (consuetum) *EDICTVM ADDIDIT, quare luxuria reprimeretur, quae jam tum coeperat pullulare*. Quaedam ex his novis a Catone propositis ex Livio attuli supra Adn. 133. qua de *Formula* censoria agitur. Illa etiam nove addita in Edictum, quae Plin. XIII. 3. commemorat: *Certum est, Antiocho rege Asiaque devictis, Vrbis anno DLXV. P. Licin. Crassum, L. Jul. Caesarem censores edixisse, nequis venderet unguenta exotica*. Vt & illud eorumdem censorum apud eumd. Plin. XIV. 14. *P. Lic. Crassus, & L. Jul. Caesar censores an. Vrb. cond. DLXV.* (male in editis DCLXV.) *edixerunt nequis vinum Graecum Ammineumque octonis aeris singula quadrantalia venderet*. Idem XXXVI. 2. *Exstant censoriae leges, glandia in cenis gliresque & alia dictu minora apponi vetantes*. Et VIII. 57. *Sicuti glires, quos censoriae leges . . . cenis ademere*.

Celebre vero illud, quod de *Latinis rhetoribus* exstat, pars ne ejus Edicti, quod ab inito magistratu statim a censoribus proponebatur, an potius ex repentinis iis, quae pro re nata censores componebant, fuerit, parum interest. Id vero cum sit unum ex monumentis ad cognoscendum pulcherrimis, huc non invitus adscribam. Ac sane tum Suetonius initio libri *de clar. rhetor.* tum Gellius XV. 11. censorium, quod dico, edictum retulerunt: quod in Gellio tale est. *Cn. Domitius Aenobarbus, & L. Licinius Crassus censores* (anni DCLXI. ut ex Fastis Capit. colligit Pighius: at Plinius anno variat) *de coercendis rhetoribus Latinis ita edixerunt. RENVNTIATVM. est. nobis. esse. homines. qui. novum. genus. disciplinae. instituerunt. ad. quos. juventus. in. ludum. conveniat. Eos. sibi. nomen. imposuisse. LATINOS. RHETORAS. Ibi. homines. adulescentulos. dies. totos. desidere. Majores. nostri. quae. liberos. suos. discere. et. quos. in. ludos. itare. vellent. instituerunt. Haec. nova. quae. praeter consuetudinem. ac. morem. majorum. fiunt. neque. PLACENT. neque. recta. videntur. Quapropter. et. his*. (in Sueton. tum hîc, tum sexto hinc verbo est *iis*: in Edicto scriptum fuisse puto aut IEIS aut contracte IS: ex quibus scioli παρωρθώσαντο *HIS*) *qui. . eos. ludos. habent. et. his. qui. eo. venire. consuerunt. visum. est. faciundum. ut. ostenderemus. nostram. sententiam. NOBIS. NON PLACERE*. Sollemnia porro sunt sententiae Censorum verba *Placet*, *Non placet*, gravitatis plenissima: propterea quod a censoribus facti sui rationem afferri non decebat.

Jam vero *Rhetoras Latinos* quosnam Edictum appellet, paucis accipe. Tam Gellius hîc quam Suetonius loco cit. quoddam SCtum de philosophis & rhetoribus ab Vrbe exigendis (quod fuit LXX. paullo plus annis hoc edicto censorio antiquius) recitaverant: qui philosophi rhetoresque recte non alii Causabono videntur fuisse, quam ex illorum mille Achaeorum numero, quos post Persei bellum ex patria excitos, in Vrbe aut per Italiam per annos complures Resp. detinuit. Horum exultissimus quisque (nam & Polybius ille clari nominis auctor in eo numero fuit) cum sui admirationem concitassent; non est dubitandum quin ad ingenuos adolescentes Romanos ad paria studia provocandos,

Digitized by Google

74 *populi acturus erit*] *propoſita erit, ab iis juratis accipito; eaque omnia in tabulas publicas ſui*
75 *municipii referenda curato; eoſque libros per legatos* [*quos major pars* (ſenatorum) *Decurionum, Conſcriptorum*

VER. 74. *Ab iis juratis accipito*] Formula jurandi cenſoria haec erat: EX ANIMI TVI SENTENTIA: de qua ſup. p. 240. Adn. 46. quaedam animadvertiſſe memini. Atque hoc fuiſſe cenſorium jusjurandum, etiam Livii locus docet XLIII. 17. ubi de ſevera C. Claudii & Ti. Gracchi cenſura ſic narrat: *In cenſu accipiendo populi, milites . . .* (ab ſignis abſentes) *. . . in provinciam cogebant: cauſas ſtipendiis miſſorum cognoſcebant; & cujus nondum juſta miſſio viſa eſſet, ita jusjurandum adigebant: EX TVI ANIMI SENTENTIA, tu ex edicto C. Claudii, Ti. Sempronii cenſorum in provinciam Macedoniam redibis, quod ſine dolo malo facere poteris.*

VER. 74. 75. *Eaque omnia in tabulas publicas ſui municipii* (ſicubi unum loco trium nominum brevitatis cauſa adſcribitur, *municipii* vox deligitur, quia haec Tabula in municipio Heracl. ſcalpta fuit) *referenda curato*] Tabulas publicas non alias quam aeneas capere oportet; maxime cum hujuſmodi tabulae una cum ceteris condi in tabulario loci debuerint. Ac ſane Tabularum cenſoriar. Larinatium meminit in Cluentiana Cicero cap. 14. *Illum* (Oppianicum) *tabulas publicas Larini cenſorias corripuiſſe, decuriones univerſi judicaverunt.* Ead. orat. *Dum eum fuiſſe Oppianicum conſtabit, qui tabulas publicas municipii ſui corrupiſſe judicatus ſit.* Hae nim. illae ſunt, quas æs noſtrum totidem verbis *Tabulas publicas ſui municipii* vocat.

VER. 75. *Eoſque libros*] Eos intelligit, qui ex Tabulis publicis in tabulario loci condendis redacti fuerunt. Ad condendum enim tabulae aeneae diuturnitatis cauſa deligebantur: ad uſum vero quotidianum libris ex charta Aegyptiaca convolutis maxime utebantur, iiſque potiſſimum bibliothecarum plutei ſtipari ſolebant; quod nos non tantum ex antiquitatis memoria novimus, verum etiam ex bibliotheca in Regiis Herculanei effoſſionibus detecta, hiſce papyraceis voluminibus referta. Iidem libri chartacei, utpote leviſſimi, translatu facillimi erant. Itaque municipii unius recenſio, quae tabulas plurimas aeneas haud dubie implebat, in libros haud ita multos redigebatur, portatu facillimos. Tabulae igitur (de quibus verſu ſuperiore) in municipii tabulario condebantur; libri Romam convehebantur. At Romae cenſuales ii libri rurſus in tabulas publicas (uti ver. 81. diſerte notatur) haud dubie æreas, in tabulario populi Rom. condendas, referebantur.

IBID. *Per legatos*] Fortaſſis ne minus decem. Nam ſicuti cum ab Roma legatio mittebatur, denos (136) mitti ſollemne fuit; non decuit numero pauciores Romam adle-

dos, ac porro inſtituendos, maxime ut ἄλφιτα ſibi pararent, ſeſe dederint. Hi ergo ſunt philoſophi rhetoreſque illi qui tunc temporis, VTI ROMAE NE ESSENT, cautum illo SCto fuit. Atqui hi jam ex ſe ſtirpem Romae reliquerant; ac poſtea per Italiam vagantes, ab eâdem docendi profeſſione non deſtiterunt. Ergo exſtitere poſtea ex Latinis Achaeorum diſcipulis, qui ludos aperirent, ſeſeque uti a Graecis σοφισταῖς (ſic enim illos ab Vrbe pulſos uno verbo, quod & philoſophos & rhetoras ſignificaret, Athenaeus vocavit) diſtinguerent, *Latinos Rhetoras* vocari jufſerunt. Hoc ita eſſe, Craſſus ipſe, qui eos coercuit, ſubobſcure ſignificat, dum apud Tullium in III. de Orat. cap. 24. loquens inducitur. *Verborum*, inquit, *eligendorum . . . facilis eſt ratio . . . rerum eſt ſylva magna. Quam cum Graeci* (illi ante plus LXX. annos ab Vrbe pulſi) *jam non tenerent, ob eamque cauſam juventus noſtra dediſceret paene* (a Graecis illis) *diſcendo; etiam Latini* (Rhetores ii, contra quos Craſſus edictum propoſuit) *ſi diis placet, hoc biennio magiſtri dicendi exſtiterunt. Quos ego Cenſor edicto meo ſuſtuleram: non quo . . . acui ingenia adoleſcentium nollem; ſed contra ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam.* Haec apud M. Ciceronem interloquitur Craſſus. Tam ex his vero, quam & ex iis quae ſequuntur, apparet, ab oratore tanto in novis magiſtris illis non tam artem ipſam rhetoricam, quam fucatae nervoque carentis eloquentiae vitium, quod tum graſſabatur, ne ſerperet latius, fuiſſe coercitum.

(136) Livius XXXIII. 9. *Decem legati MORE MAIORVM, quorum ex conſilio T. Quinctius Imp. leges pacis Philippo daret, decreti.* Et XXXVII. 55. ait Aſiaticis legationibus reſpondiſſe ſenatum *Decem ſe legatos MORE MAIORVM miſſurum.* Simile illud eſt, quod in Tullio Phil. XII. c. 12. reperio: *Bellis*, inquit, *confectis, decem legatis permitti ſolet MORE MAIORVM*, nim. ordinare ac diſceptando componere controverſias. Quo etiam ſpectat illud apud Cic. lib. II. in Ver. c. 13. P. Rupilii decretum: *Quod*, inquit, *is de decem legatorum ſententia*

Digitized by Google

76 *ad eam rem legari mitti cenſuerint tum, cum ea res conſuleretur*]
ad eos qui Romae cenſum agent
77 *mittito; curatoque, uti quum amplius dies ſexaginta reliqui erunt,*
[*ante quam diem ii, quicumque Romae*

adlegari: nec re ipſa aliter plerumq. fieri conſuevit. Livius XXIX. 15. *Decreverunt, ut Conſules magiſtratus, denoſque principes Nepete, Sutrio, Ardea, Calibus, Alba, Carſeolis, Sora, Sueſſa, Setia, Circeis, Narnia, Interamna (eae namque coloniae in ea cauſa erant) Romam excirent: iis imperarent quantum quaeque earum coloniarum militum dediſſet populo Rom. ex quo hoſtes in Italia erant, duplicatum ejus ſummae numerum peditum daret.* Deinde quos *denos* principes (h. e. qui *Decem primi* vocabantur, Graecis δέκα πρῶτοι) appellaverat, *legatos* vocat his verbis: *Siqui ex iis recuſavent, retineri ejus coloniae magiſtratus, legatoſque placere.* Cicero pro Sex. Roſcio cap. 9. *Decurionum decretum fit, ut Decem-primi proficiſcantur ad L. Sullam.* Mox: *Legati in caſtra veniunt.* Mox rurſus: *Capito, qui in decem legatis erat.* Ac de eo rurſus ibid. c. 38. Ex his tamen duobus exemplis, quibus non alii legati quam decem-primi fuere, conjicere quis poſſit, in Tabula noſtra, qua non decem-primi allegabantur, ſed (uti ſequitur) *quos major pars decurionum cenſuerint*, non neceſſe fuiſſe decem numero mitti, maxime ne Vrbi Romae ex nimio legatorum concurſu, undiq. ab Italicis circa urbibus miſſo, moleſtia crearetur. Quis enim ſcit, an non id cauſam edicto Veſpaſiani poſtea praebuerit? de quo ita Marcianus teſtatur l. 4. §. ult. *Praecipitur autem edicto divi Veſpaſiani omnibus civitatibus, ne plures quam ternos legatos mittant.* Neque is numerus exemplis Reip. liberae temporum caret. In fine versûs hujus ſcalptor ex incogitantia omiſit τὸ *Senatorum*.

VER. 76. *Tum CVM*] *Cum* ubi praepoſitio eſt, non aliter quam per C ſcribitur: ubi vero conjunctio eſt, ut hoc loco, modo per C exaratur, ut hîc & non raro alibi: modo (ac paribus ferme in hoc ære vicibus) per Q: ſed ita ut non duplex V (quod antiqui vitabant, ſcribentes *Voltis* pro *Vultis*, & alia eodem modo) ſed VO ſequatur, nempe QVOM non QVVM: quod alterum in hoc ære nuſquam.

IBID. *Tum, cum eas RES* (in ære PIS: quippe cum ſomno ſcalptoris exciderint, ut ſaepe alias, tranſverſae lineolae) *conſuleretur.*] Inſolens planeque ſingularis conſtructio videbatur, niſi hanc ipſam αὐτοστάτην ſyntaxin in Plauti Menaechmis reperiſſem Ac. IV. ſc. 3. v. ult. *Ibo, & conſulam hanc rem amicos, quid faciundum cenſeant.* Vbi vides *Conſulo* cum duplici accuſativo conſtrui, perſonae uno, altero rei, aeque ac *Celo, Doceo* & ſimilia. In horum autem paſſivis perſona in caſum rectum tranſmeat, cum quo verbum conveniet: res vero quarto caſui ſtabiliter affixa permanet, ut *Conſulo ſenatum eas res*, paſſive vertemus, *Conſulitur ſenatus eas res.* Eaque videtur hujus loci conſtructio, ſubauditâ perſonâ, h. e. *Senatu. Cum* (Senanatus) *eas res conſuleretur.* Atq. haec dicta ſunto, ſi quo pacto mendae ſuſpicionem ab hoc tabulae loco amoliri ſatagimus. Atqui ſupervacuus labor; quia nihil facilius eſt, quam hoc loco EAS RES pro *Ea res* fuiſſe errore ſculptum. Nec enim aliter in SCto Bacchanalium (ſcalpto anno Vrb. DLXVII. quod praeter alios, etiam Fabrettus edidit pag. 427.) trib. locis (nim. ver. 5. 6. & 12.) eadem haec formula iteratur eisd. verbis: DVM · NE · MINVS · SENATORIBVS · C · ADESENT · QVOM · EA · (non *eas*) KES · CONSOLERETVR. Item in *Lege parieti faciundo*, quae in Tabula Puteolana anno Vrb. 648. inſcripta fuit, prope finem legitur (apud Grut. p. 207.) ... *Arbitratu. duovir. &. duoviratium. qui. in. conſilio. eſſe. ſolent. Puteolis. dum. ni. minus. viginti. adſient. CVM. EA. RES. CONSVLETVR.*

tia ſtatuit, quam LEGEM illi RVPILIAM vocant. Praeter haec vero, alia in Briſſonio reperies in II. de Form. c. 153. Etſi interdum pauciores fuiſſe miſſos ex eod. Livio conſtat. Non ſunt vero cum his confundendi legati illi qui rectoribus provinciarum decernebantur. De legatis hujuſmodi decem Caeſari dandis plurib. in locis Cicero, ut I. Fam. 7. Or. de prov. conſ. c. 11. alibi.

Digitized by Google

78 *censum agent, finem populi censendi faciant*] *eos adeant, librosque ejus municipii, coloniae, praefecturae*
79 *edant; isque Censor* [*sive quis alius magistratus censum populi aget*] *diebus quinque proximis* [*quibus legati ejus*
80 *municipii, coloniae, praefecturae adierint*] *eos libros census, qui ab iis legatis dabuntur, accipito*
81 *sine dolo malo: exque iis libris, quae ibi scripta erunt, in tabulas publicas referenda curato, easque tabulas*
82 *eodem loco* [*ubi ceterae tabulae publicae erunt, in quibus census populi perscriptus erit*] *condendas curato.*

VER. 78. *Librosque ejus municipii . . . edant.*] *Edere* est unum ex verbis Juris, ut vel ex Pandectar. lib. 2. titulo 13. (qui inscribitur, *De edendo*) constat. Proinde multae inde oriuntur juris locutiones, ut *Edere acta* & *actorum exempla*, *actionem*, *speciem litis*. Item *edere formulam*, *judicium*, *instrumenta*, & plurima de hoc genere. In re vero censuali usurpabatur *Edere censum*. Vtitur lex 4. §. 9. D. *de censibus*, ubi sic loquitur Vlpianus: *Quae post censum editum nata, aut postea quaesita sint, intra finem operis consummatis professionibus edi possunt.* Suetonius in Calig. cap. 38. *Arguebat & perperam editos* (137) *census, quibus postea quacumque de causa quidquam incrementi accessisset.* Ad has locutiones censuales & hic locus pertinet, *Edere libros* censûs. De *libris* dixi ad ver. 75.

VER. 79. 80. *Diebus quinque proximis . . . accipito*] Vbi terminus assignatur brevissimus, solebant quinque dies praestitui. Appianus in I. ἐμφυλ. fine pag. 368. *Adscriptum erat legi, ut si plebs eam scivisset* (τὴν βουλὴν πένθ' ἡμέραις ἐπομόσαι πεισθήσεσθαι τῷ νόμῳ) *senatus intra quintum diem se legi pariturum juraret: qui recusasset, senatu moveretur.*

VER. 81. *Accipito sine dolo malo*] Dolus committi poterat, si libros addendo aut demendo corrumperet, sineretve, aut quidvis aliud strueret fraudis. *Corruptarum* tabularum censualium meminit in Cluentiana Cic. cap. 14. *Illum publicas tabulas Larini censorias corrupisse* &c. Vide sup. ad ver. 74. 75.

IBID. *Exq. iis libris, quae ibi scripta erunt, in tabulas publicas referenda curato*] Vides hîc distinctionem librorum a tabulis publicis. Illi ad praesentem usum compositi erant: qui etsi in tablinis populi Rom. asservati, & ad omnem usum deprompti (138) haud tamen perennitatem pollicebantur. At *publicae Tabulae* & ab aenea duritie, & a loco in quo conditae, ad perpetuitatem transmittebantur. Jam de loco videamus.

VER. 82. *Easq. tabulas eodem loco, ubi ceterae tabulae publ. erunt, in quib. census populi perscriptus erit, condendas curato*] Si tantum scripsisset, *Eodem loco, ubi ceterae*

(137) Casaubonus mavult, *Perperam editi census.* Siqui enim in deferendo fallebant, ii aut aerarii fiebant, aut ipsi bonaque eorum venibant. Sed vulgata lectio tolerari potest, & quidem eod. sensu.

(138) *De libris censoriis duo Dionysii loca explicantur.*

De his libris intelligi par est τὰ τιμητικὰ γράμματα apud Dionysium lib. IV. p. 225. ubi censitorum a Servio rege numerum ita confirmat: ὡς ἐν τοῖς τιμητικοῖς φέρεται γράμμασιν. Ibi interpres: *Vt in censoriis tabulis legitur.* Maluissem *Libris.* Etsi Dionysii aevo difficile est, veteres Servii libros aetatem tulisse; ac propius fidem est, non nisi ubi Roma ex Gallica favillâ exsurrexit, tum libros censorios veteres fuisse, quocumque modo licuit, reparatos, & quidem non sine censorum admiranda illa diligentia, quam tantopere idem alibi praedicat.

Nam lib. 1. pag. 60. *Quod si retrorsum*, ait, *captae Vrbis tempora supputes usque ad L. Jun. Brutum, L. Tarquinium Collatinum, primos Romanorum post expulsum regium dominatum consules; exsistent anni CXX., sicut apparet tum ex aliis multis, tum ex* (τῶν καλουμένων τιμητικῶν ὑπομνημάτων) *iis, qui censorii commentarii dicuntur, quos a patribus filii per manus accipiunt, & ipsi posteris pari cura tradunt, haud secus quam sacra paterna. Hi per vices illustres servantur in familiis censoriis. In eis invenio, altero ante captam Vrbem anno censum populi Rom. habitum: cui, sicuti & aliis, tempus adscriptum est hoc modo: L. Val. Potito, T. Manlio Capitolino consulibus, post expulsos reges anno CXIX. Vt intelligatur, sequentem annum, quo Galli irruperunt, explesse numerum annorum CXX.*

Haec tamen, quae posterorum industriâ suppleta & concinnata fuisse dixi, vereor ut aetate illa, proborum & fortium quam acutorum hominum feraciore, satis tuta ab hallucinationibus fuerint.

Digitized by Google

terae tabulae publicae erunt; potuiſſet fortaſſe quiſpiam, minus gnarus antiquitatis, de publico aerario pópuli Rom. quod in aede Saturni erat, cogitare; quippe in quo non tantum publica pecunia, ſed & plebiſcita, SCta, leges omnes in aes inciſae aſſervabantur. Verum quid moramur, cum verbis ſequentibus, non quivis *tabularum publicarum* locus deſignetur, ſed earum nominatim, *in quibus cenſus populi perſcriptus erit?* Non alium vero hujuſmodi locum fuiſſe, quam qui in Aventino erat & *Libertatis Atrium* vocabatur, ex Livio & aliis exploratum habeo. Et antiquorum quidem loca de Libertatis tum aede tum Atrio (in quo tabularium cenſorium fuiſſe ajo) in cupidorum gratiam ſeorſum omnia in imam (139) chartam conjeci.

Ceterum in Atrio iſto cenſores conventus habuiſſe ſuos, ibique tabularium cenſuale exſtitiſſe, diſerte Livius ad ann. Vrb. DLXXXIV. lib. XLIII. 18. teſtatur his verbis: *Cenſores* (ii erant C. Claudius Pulcher, Ti. Sempronius Gracchus) *extemplo in Atrium Libertatis aſcenderunt*. Signate *Aſcendiſſe* dicuntur, quod id atrium in monte Aventino eſſet: illuc autem haud dubie ut in conſuetum conventus cenſorii locum aſcendunt. Pergit Livius: *Et ibi ſignatis tabellis publicis, clauſoque TABVLARIO, & dimiſſis ſervis publicis, negarunt ſe prius quidquam publici negotii geſturos, quam judicium populi de ſe factum eſſet*. Privatorum atria in porticibus habuiſſe tablina, ex Vitruvio cognoſcimus. At Libertatis Atrium cum praecipue cuſtodiendarum cenſualium tabularum aliorumque talium monumentorum cauſa exſiſteret; non potuit non ampliſſimo inſtrui tabulario. Ampliſſimum dico, veluti diviſum in conclavia plurima, ut recenſiones omnes, per tribus, loca & annos diſcretae, in ſuis pinacothecis compoſitae exſtarent.

At inquis, ſi de Atrio Libertatis hîc agitur, cur non parſum tantae hujus loci πολυλογία fuit? Quo enim tot verborum circuitus (*eod.* inquit, *loco, ubi ceterae tabulae publicae erunt, in quib. cenſus pop. perſcribendus erit, condendas curato*) cum ἁπλῶς ſcribere potuiſſet: *In atrio Libertatis condendas curato*? An, quia forte aliquâ id atrium vel poterat ardeſcere, vel aliud humanitus pati, eâ de cauſa, quo lex (quam perpetuo valituram neceſſe eſt)

(139) *Loca antiquorum de Aede, deque Atrio Libertatis ordinatim digeſta.*

Praeter *Atrium Libertatis*, templum etiam eidem deae ſacratum fuit: utrumque in Aventino, & ita veriſimiliter, ut unum alteri adhaereret. Verum utrum aedes atrio antiquior fuerit, an contra, an poſtremo verius ſub idem tempus exſtructum utrumq. fuerit, ignoratur, ac parum ſcire intereſt. Hoc unum ſcio, aedem Libertatis paullo poſt an. Vrbis quingenteſimum videri factam, quippe quam jam olim Gracchus (ejus Ti. Gracchi pater, qui anno Vrbis DXXXIX. erectis in ſpem libertatis volonibus, claram de Poenis victoriam ad Beneventum reportavit) in Aventino fundaverat, auctore Livio in modo dictae victoriae narratione, lib. XXIV. cap. 16. extremo. *Digna res viſa, ut ſimulacrum celebrati ejus diei Gracchus, poſtquam Romam rediit, pingi juberet in aede Libertatis, quam pater ejus in Aventino ex multaticia pecunia faciendam curavit dedicavitque.*

Sed omiſſa aede ad Atrium me refero. I. Livius ad ann. Vrb. DXLI. primam injicit *Atrii Libertatis* mentionem lib. XXV. 7. his verbis: *Cuſtodiebantur* (obſides Tarentini) *in Atrio Libertatis.*

II. Mox ad ann. DLIX. lib. XXXIV. 44. *Atrium Libertatis, & Villa publica ab iiſdem* (cenſoribus Sex. Aelio Paeto & C. Cornelio Cethego) *refecta amplificataque*. Non igitur ea ex incendii aut ruinae vi *refecta* intelligit, quia *amplificata* dicit. Amplificari vero neceſſe fuit, quia creſcente numero civium, prior ambitus non ſatis erat cenſoriarum Tabularum numero continendo. Porro etiam Villam publicam initio cenſoriis uſibus inſerviiſſe, declarat Publius Victor Reg. IX. ita deſcribens; *Villa publica, ubi primum populi cenſus eſt actus in Campo Martio*. Victor id ex Livio IV. 22. didicerat: *Eo*, inquit, *anno* (CCCXXI.) . . . *Cenſores Villam publicam in Campo Martio probaverunt: ibique primum cenſus populi eſt actus*. Etiam Varronis aevo in Villa publica cenſus habebatur, ut in Adnot. ſeq. notabitur. Nunc ad Livianum locum (XXXIV. 44.) a quo diverti, redeo. Quid ſi enim, cum utriuſque ſimul ſpatia laxata ab his cenſoribus fuerint; utrumque aedificium perſtitit in eadem cenſûs cauſa eſſe?

III. Anno Vrb. DLXXXIV. apud Liv. XLIII. 18. *Cenſores* (C. Claud. Ti. Sempron.) *extemplo in Atrium Libertatis aſcenderunt, & ibi ſignatis tabellis publicis, clauſoque tabulario* . . . Locum integrum ſuperne recitavi, & illuſtravi.

IV. Anno DLXXXV. apud Liv. lib. XLV. 15. *Poſtremo eo deſcenſum eſt, ut ex quatuor urbanis tribubus unam palam in Atrio Libertatis ſortirentur, in quam omnes qui ſervitutem ſerviſſent* (libertinos haec circuitio continet) *conjicerent. Exquilinae ſors exiit. In ea Ti. Gracchus pronuntiavit, libertinos omnes cenſeri placere.*

Nec aliam poſt id tempus Atrii Libertatis nec apud Livium (cujus ſequentes Decades deſiderantur) nec alibi mentionem, temporis notâ inſignitam, reperio: credo quod poſt id tempus Atrii hujus incendium illud acciderit, quod Feſtus in PROBRVM nutu tantum deſignat. Atque id ſero tandem ſub Auguſto refectum fuit: de quibus omnibus in ſeq. Adnot. dicetur.

Digitized by Google

adverſus caſus omnes munita eſſet ; conſulto verborum conceptionem ita hoc loco temperari placuit, ut in omnia loca, quae aliquando cenſorio tabulario deſtinanda eſſe contingeret, verba legis convenirent? Quid ſi vero re ipſa fere anno Vrbis DC. Atrium Libertatis arſerit , nec niſi ſub Auguſto reſtitutum fuerit ? An igitur intermedio tempore (quo ſcil. hoc Digeſtum prodiit) aliter poterat locus tabularum cenſualium deſignari, quam generalibus verbis, quae nempe locis omnibus temporibuſq. congruerent ? Quae hîc ταχύτερον deformavi, ea ſeorſum (140) elimata, ſi tanti erit, videbis.

VER.

(140) *De tempore Atrii Libertatis incenſi, deque ejusdem ſub Auguſto reſtitutione . Loca Feſti, Ovidii & Ciceronis de Atrio Libertatis explicantur .*

Duobus potiſſimum auctorum locis haec diſputatiuncula vertitur : prior Feſti eſt , ex quo inflammationis tempus praeter propter arguitur : alter ex Suetonio reſtitutionem ejus ſub Auguſto declarat . In Feſti Farneſianis (in *PROBR. Virg. Veſt.*) ita exſtat : *Probrum Virginis Veſtalis , ut capite puniretur , vir qui eam inceſtaviſſet , verberibus necaretur , Lex fixa in Atrio Libertatis cum multis aliis legibus incendio conſumpta eſt*. Superiora Feſti, ſublatâ prava interpunctione in editis obviâ , ita , uti vides , diſtinxi : ex qua vera diſtinctione vides , hunc eſſe verborum ordinem : *Lex* (nempe *ut probrum Virg. Veſt. cap. pun. vir q. e. inc. verb. nec .*) *fixa in Atr. Lib.* &c. Mox ita ibid. ſequitur : *Vt ait M. Cato in ea oratione , quae De Auguribus inſcribitur* . Locus quantilibet aeſtimabilis, quippe ex quo primum hoc diſcimus, leges , quae ad rem cenſoriam pertinerent , in Atrio Libertatis , uti par erat , fuiſſe fixas . Quare illud *Fixa in Atrio Libert. cum multis aliis legibus* , cave aliter interpreteris , quam de legibus cenſoriis aliis ; ſicuti & illa de probro Veſtalium non niſi ad cenſoriam animadverſionem pertinebat : ceterum leges alterius generis nihil minus quam in Atrio illo, ſed in Aerario publico populi Rom.condebantur.

Alterum , quod ex Feſto diſcimus , eſt Atrii Libertatis incendium : idq. diſcimus auctore Catone illo Cenſorio . Hunc ajunt , non ante annum Vrbis DCIV. obiſſe ; etſi ex Livii calculis videtur ſerius e vivis ſublatus. Quare cum Feſti locus videatur ex Catone totidem verbis deſcriptus ; ex eo oſtenditur , recens id incendium fuiſſe . *Incendio conſumpta eſt* , inquit . Non male ergo Atrii hujus conflagrationem circiter annum Vrbis ſexcenteſimum fiximus .

Ac mihi videtur , niſi me Tullius fallit , de eo atrio reparando ſub Caeſaris dictatura fuiſſe agitatum : ſed ei conſilio mors dictatoris interceſſit : de quo in fine dicam . Nunc vero id tantum exploratum habeo , ejus reſtitutionem non niſi imperio Auguſti deberi : de quo Suetonius cap. 29. ubi opera ab eo principe facta retuliſſet , addit : *Sed & ceteros principes viros ſaepe hortatus eſt , ut pro facultate quiſque monumentis vel novis vel refectis & excultis urbem adornarent . Multaque a multis exſtructa ſunt . . .* Inter cetera, *Ab Aſinio Pollione Atrium Libertatis* .

Porro in Idus Apriles hujus Atrii dedicatio incidebat, ſi recte Ovidii verba ad eum diem Faſt. IV. interpretor :

Occupat Apriles Idus cognomine Victor
Jupiter : hac illi ſunt data templa die .
Hac quoque , ni fallor , populo digniſſima noſtro
Atria Libertas coepit habere ſua .

Atque equidem non dubito quin feſtum illud in Idus incidens , non antiquioris illius atrii , quod arſerat , ſed refecti fuerit . Sic enim ſemper obtinuit , ut refecti aedificii dedicatio antiquioris ἐγκαίνια oblitteraret . At illud longe pulchrius , quod ex eodem Naſone diſcimus , hoc primum Atrium recitationibus poetarum , hiſtoricorumque patuiſſe : quod ſibi relegato negatum , ita queritur:

Nec me , quae doctis patuerunt prima libellis
Atria , Libertas tangere paſſa ſua eſt .

Ex his ergo vides, æris hujus, quod poſt Legis Juliae tempora ſcalptum fuit, leges non inepte a nobis medio intervallo inter antiquioris Atrii Libertatis incendium , interq. Auguſtei reparationem digeſtas adſtrui . Quo quidem medio tempore optimates ad reficiendum id Atrium ſpectaſſe ſemper crediderim : ſed cum id turbulentiſſimis Reipub. temporibus nondum licuiſſet ; neceſſe tunc temporis fuit , locum in quo Tabulae cenſuales condi oporteret , verborum circuitu deſignari : *Eaſque* , inquit , *Tabulas eodem loco ubi ceterae tabulae publicae erunt* (loco proprium non erat nomen , propterea quia temporarius locus erat , non ſedes perpetua) *in quibus cenſus populi perſcriptus erit , condendas curato* . Ea ratio circuitionis hujus .

Venio nunc ad Tullii de Libertatis Atrio locum . Is in IV. ad Att. 16. ubi Pomponium ſuum de Baſilicae Paulli magnificentia certiorem feciſſet, ita pergit , ut jocetur ſe cum amicis Caeſaris aedificationes immanes in animo habere , quarum & deformationem proponit . *Itaque Caeſaris amici (me dico & Oppium : dirumparis licet) in monumentum illud , quod tu tollere laudibus ſolebas (ut forum laxaremus , & uſque ad Atrium Libertatis explicaremus) contempſimus ſexcenties H. S. Cum privatis non poterat tranſigi minore pecunia...* Quo loco *Atrium Libertatis* (quouſque forum laxandum erat) aedificatione illa non excludebatur , ſed comprehendebatur , ita ut illud jamdiu incenſum reficeretur . Nam ibidem poſt *Septorum* magnificam conſtructionem, adumbratur a Cicerone & *Villae publicae* refectio . *Simul adjungetur huic operi Villa etiam publica :* in qua ſcil. Livius IV. 22. & Victor Reg. IX. ut ante dixi , initio cenſum actum fuiſſe ſcripſit : imo in qua Varronis aevo populus cenſebatur . Sic enim de ea loquitur in III. de R. R. cap. 2. *Vbi cenſores cenſu* (h. e. in cenſu agendo) *admittant populum* . Et joco quidem Tullius , ex perſona amicorum Caeſaris, horum operum adumbrationes nuntiat . Ex his tamen apparet , inter cetera ſub Caeſaris monarchia de Atrio Libertatis , deque Villa publica (quorum utrumque cenſorium aedificium erat) fuiſſe cogitatum . Quare non immerito tandem Pollio Atrium Libertatis , quod Caeſari non licuerat, Auguſti hortatu refecit.

Sed & Auguſtus ipſe aliquid ſymbolae contulit . Nam qui *Atrium Libertatis* reparari ab Aſinio ſivit , ipſe aedem ejusdem deae refecit . Niſi me marmor Ancyranum fallit, in cujus oppoſito latere, ſerie I.v.7. 8.9. eſt: AEDES... IVNONIS. ET. IOVIS. LIBERTATIS. IN. AVENTINO. AEDEM. LARVM . IN . SVMMA . SACRA . VIA . &c.

Digitized by Google

83 *Qui pluribus in Municipiis, Coloniis, Praefecturis domicilium habebit, & is Romae cenſus erit, quo magis*
84 *in Municipio, Colonia, Praefectura hac lege cenſeatur, ex hac lege nihil rogatur.*

VER. 83. *Qui plurib. in munic. . . domicilium habebit, & is Romae cenſus erit . . .*] Videtur hinc intelligi, eos qui plurib. in urbib. domicilium haberent, hoc in more habuiſſe, uti Romae, tamquam in communi patria cenſerentur; hoc enim multo plus dignitatis habebat.

VER. 84. *Quo magis in munic. cenſeatur, E. H. L. N. R.*] In hac ſollemni conceptione ex vi ſequentis formulae E·H·L·N·R·fit, ut τὸ QVO. MINVS vim (καταφατικὴν) affirmandi habeat; ſicuti QVO·MAGIS (quod mere τῷ *Quo minus* opponi, ad v. 43. dictum fuit) abnutivum eſt· His miſſis: licebat, cui pluribus in locis domicilia ſuppeterent, ſive in uno illorum locorum, prout commodum erat, ſive (quod uſitatius fuit) Romae cenſeri. Haec vero non anguſte, uti ſonant, accipienda puto (uti non niſi in iis hoc valeat, qui in pluribus locis habitacula habent) verum & ad eum extendi, cui in uno municipio domus fuerit, veriſimile fit; modo cenſitionis in Vrbe editae exemplum in ſuum municipium perfertur. Sed quae ſcripta non ſunt, praeſtare nolo. Porro in illa formula E·H·L·N·R. primam ſingularem expoſui *EX*, idq. ære hoc auctore v. 2. At aliis eſt *Ejus*, aut *Eorum*.

Kaput XII.

85 QVEI · LEGE · PL VE · SC · PERMISSVS EST · EVIT · VTEI · LEGES · INMVNICIPIO · FVNDANO · MVNICIPIBVSVE · EIVS · MVNICIPI · DARET
86 SEIQVIS · IS · POST · H · L · R · INEO · ANNO · PROXVMO · QVO · H · L · POPVLVS · IVSERIT · ADEAS · LEGES · MVNICIPIEIS · FVNDANOS
87 ITEM · TENETO VTEI · OPORTERET · SEI · EAIRES · AB EO TVM · QVOM · PRIMVM · LEGES · EIS · MVNICIPIBVS · LEGE · PL · VE · SC · DEDIT
88 ADEAS · LEGES · ADDITAE · COMMVTATAE · CONRECTAE · ESSENT · NEVE · QVIS · INTERCEDETO · NEVE · QVID · FACITO · QVOMINVS
89 EA RATA · SINT · QVOVEMINVS · MVNICIPIS · FVNDANOS · TENEAT · EISQVE · OPTEMPERETVR ·

COMMENTARII

CAPITIS SVPRASCRIPTI

ANTELOQVIVM

De Municipio FVNDANO, populis FVNDIS, Municipibuſque FVNDANIS.

KAput XII. ita incipit: QVEI · LEGE · PL · VE · SC · PERMISSVS · EST · FVIT · VTEI · LEGES · IN · MVNICIPIO . FVNDANO . . . DARET · Deinde ver. 86. & 89. ejus Municipii cives *Municipes Fundanos* vocat. Quis enim vero haec non ad Fundos Latii referat? At equidem prorſus aliud eſſe contendo. Ab hac confutatione ordior. Prius enim quid non ſit id, quo de quaeritur, diſcuti, deinde quid ſit, ordo jubet· Subhaec de *Populo fundo* dicam; ex *Fundi* enim voce

Digitized by Google

voce *Fundani municipii* interpretatio oritur. Ac ſane *Anteloquium* iſtud quorſum evaſurum ſit, vereor. Quantum certe providere valeo, dubito an non ipſum, cui praeit, Kapitis Commentarium longitudine ſuperaverit.

PARS PRIOR ΑΝΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ.

Fruſtra eos eſſe, qui FVNDANVM de Latii Fundis interpretentur, aut ſiquod forte aliud ignotum oppidum comminiſcantur.

Fundi in Latio Adjecto oppidum fuit, cujus cives, *Fundani*. De eo hîc loqui Tabulam numquam inducere animum potui. Etenim hoc legum Digeſtum commune fuit omnibus municipiis, coloniis, praefecturis, foris, conciliabulis poſt legem Juliam atque Plotiam Romana civitate donatis. Cur igitur ex ea univerſitate legum atque locutionum ad oppidum Fundos privatim deſcenderetur, eique uni nominatim hac lege conſuleretur? Quiane, inquis, etſi Digeſtum ipſum commune omnium fuit; tamen Digeſti exemplum iſtud, cum in uſum Fundanae urbis ſcalptum fuiſſet, Fundos in fine Tabulae nominari non inconveniens fuit? ſicuti & in fine ſingulorum exemplorum facile eſt, eas urbes fuiſſe nominatas, in quarum uſum ſcalpta illa ſingula fuerant. Nec enim aliud excepturos eſſe providere queo.

Atqui darem equidem ſane manus, niſi certiſſimum eſſet, hanc laminam non niſi Heracleae inciſam fuiſſe. Etenim Pſephiſma vetuſtiſſimum illud, quod Dorica dialecto in poſtico Digeſti hujus exaratum, interpretati initio fuimus, nomen urbis Heracleae & Heraclienſium gerit illorum, a quibus ſcriptum fuerat. Deinde eadem haec lamina (in cujus, ut ſaepe dixi, una parte Heraclienſe Pſephiſma, in altera hic legum pandectes exaratur) tamen ſi quidem Fundis eruta fuiſſet, dici poſſet, Fundanos olim eâ laminâ caſu aliquo illuc perlatâ abuſos fuiſſe, ut in ejus vacua parte exemplum legum a ſe obſervandarum deſcriberetur. Nunc vero haec ærea tabula Heracleae primos natales habuit, quo primum tempore Graece ſcripta fuit: Latina vero averſae paginae ibid. ſe ortam ex eo fidem facit, quod ibidem olim nacta fuerit ſepulturam. Nam (ut in Prologo, quem in fronte totius operis poſui, praedictum fuit) pauci admodum anni ſunt, ex quo bilinguis hujus laminae (junctim cum gemella ſorore ſua) ſepulcrum in eod. Heraclienſi agro detectum fuit, unde & ambae natales traxerant. Quid ergo nunc poſt annorum prope bis mille poſſeſſionem, quam Heraclea jactat, Fundano oppido in hoc legum municipalium exemplum juris eſſe poſſit, ut ſibi vindicet? Praeſertim cum & alia natalium Heraclienſium indicia in idem amice conſpirent.

Quorum vel maximum illud eſt, quod æris hujus verſus vix ullus ſit, qui non ſcripturae mendis plurimis graviſſimiſque foedetur. Cujus rei cauſam non alio conferre poſſumus, quam quod a Graecis, vix tunc Latine balbutientibus, in Graeco Heracleae Municipio ſcalptum fuerit: cum contra in Graecis duobus eorumdem Heraclienſium pſephiſmatibus vix uſquam litterulae unius lapſum deprehendere queas. Ac vide quam paria de Ancyrano Auguſti breviario ſenſerit (141) Caſaubonus. At vero ſi Fundis, h. e. in Latii meditullio, ſcalpta haec tabula fuiſſet; ſoloecon ibi nullum, nec quid niſi rite ὀρθογραφούμενον deprehenderetur: ſicuti nulla aut rariſſima in Legibus auctoritate publica in ſolo Latino ſcriptis σφάλματα reperiri ſolent. Itaque non dubito, veteres illos Fundorum incolas (ſi quando caput ab Inferis ſuſcitarent) numquam fore, ut adduci poſſint, ut æris hujus ſcripturam, puerilibus ubique mendis inquinatiſſimam, pro ſua agnoſcant. Cum ergo non Fundis ſed Heracleae haec lamina fuerit exarata, quid potuit Heraclienſibus venire in mentem, ut peculiariter

(141) Caſaubonus inter cetera, quae ſuis in Ancyranum marmor animadverſionibus praeloquitur, haec in fine habet: *Videntur Ancyrani & petiiſſe & impetraſſe a ſenatu facultatem transferendi in templum Auguſti, quod in ipſorum urbe erat, hunc rerum geſtarum ejus indicem: quem manu Graecorum linguae Latinae prorſus imperitorum fuiſſe vel Romae deſcriptum, vel poſtea ſculptum, res clamat ipſa: adeo multa ſunt perperam & contra omnem Latinitatem expreſſa.* Ita vir ſummus. Qui ſi hanc Heracleae tabulam inſpexiſſet; prae hac non dubitaſſet compellare marmor illud, *O fons Blanduſiae ſplendidior vitro!* Ita prae noſtro hoc Augiae ſtabulo naevi in illo tam lacero marmore pauciſſimi deprehenduntur. Equidem verrucis æris hujus non offendar, modo ex iis vultum dignoſcam.

Digitized by Google

riter de oppido Fundano nescio quid istud, quod hoc ultimo capite continetur, caverent?

Quid quod, quo tempore haec Tabula prodiit (nim. post legis Juliae tempora) Fundi non inter Municipia numerabantur, sed potius inter Praefecturas illas, quo Praetor Vrb. quotannis magistratum aliquem jure dicundo mittebat? Id si quis est, qui sibi ostendi ex historia cupiat; per summa capita seorsum (142) Fundonis) *restitutum*, quia simul reddita jurisdictio.

(142) *Fundorum in Latio vicissitudines. Frontinus explicatur: cujus aevo Fundi adhuc praefectura fuit. Quibusdam, quae fort. objici queant, obviam itur.*

Anno Vrb. CDXV. Fundanis civitas sine suffragio data. Verba Livii VIII. 14. haec sunt: *Campanis equitibus honoris causa, quia cum Latinis rebellare noluissent, FVNDANIS & Formianis, quod per fines eorum tuta pacataque semper fuisset via, civitas sine suffragio data.*

Mox anno 422. Fundani Privernatibus bellum Romanis inferentibus se sociarunt: quo tempore nihil amplius quam in capita conjurationis animadversum, ceteris Fundanis parcitum, scribit Livius VIII. 19.

Anno Vrbis DLXV. suffragii lationem obtinuerunt. Livius XXXVIII. 36. *De Formianis, Fundanisque municipibus, & Arpinatibus C. Val. Tappus trib. plebis promulgavit, uti iis suffragii latio (nam ante sine suffragio habuerant civitatem) esset . . . Rogatio perlata est, ut in Aemilia tribu Formiani & Fundani, in Cornelia Arpinates ferrent.*

Quid post id tempus Fundi deliquerint, quare in praefecturae formam redigerentur, & quidem inter praetorias inferioris ordinis, ex veterum auctorum naufragio ignoramus. Tantum ex Festo discimus, Fundos fuisse praefecturam. Qui quidem in verbo PRAEFECTVRAE ubi eas numerasset, in quas populi Rom. suffragio quotannis praefecti mittebantur, deinde eas recenset, in quas Praetor urbanus quotannis mittebat, ut, inquit, *Fundos, Formias*, ceteras. Atq. id Fundis ante Legis Juliae Plotiaeq. tempora (i. e. antequam haec Tabula scalperetur) accidisse, certum habeo; quia, uti mox dicam, post civitatem Latinis datam, non erat cur rebellarent, eâq. causâ punirentur. Itaq. aeris hujus aetate Fundi non inter Municipia, sed inter praefecturas numerabantur. Nec ea conditio desivit: nisi si Fundos colonia deducta fuerit. Exemplo id Capuae ostendi potest: quae non ante desiit praefectura esse, quam Caesar consulatu suo illuc coloniam deduxisset. Atque idem facile & Fundis accidit: de quibus Frontinus ita scribit, quasi sub Augusto demum ager ejus fuerit assignatus. Sic enim in lib. de Coloniis loquitur: *FVNDI oppidum muro ductum. Iter populo non debetur. Agri ejus cultura jussu Augusti veteranis est assignata. Ceterum in ejus jure & in publicum resedit.*

Verum haec ultima Frontini verba mihi salivam cient: *In ejus*, ait, *jure & in publicum resedit.* Dicam quod sentio. JVS ubi de urbium conditione statuque agitur, jurisdictionem notat. Velleius II. cap. 4. de colonia a Caesare Capuam deducta sic narrat: *XX. millia civium eo dedacta, & JVS ab his restitutum post ann. circ. CLII. quam . . . Capua in formam praefecturae redacta erat.* Quem locum, refingendo varie voculam JVS, vexarant interpretes. Ac ipse sup. pag. 393. Adn. 10. docui, *Jus* esse jurisdictionem. Eam Capua in praefecturam redacta, magistratibus concilioque ablatis, amiserat. Sed demum *JVS* (ait Velleius) *ab his* (coloniis) *restitutum*, quia simul reddita jurisdictio.

At contra quia Fundos nulla deducta est Colonia, sed tantum *Agri ejus cultura jussu Augusti veteranis est assignata*; ob hanc meram assignationem nihil de priore oppidi statu decessit. Eoque apte Frontinus notavit: *Ceterum in ejus* (Augusti) *JVRE & in publicum resedit.* Ergo etiam sub Caesaribus praefectura erat (sicuti & sub Gordiano adhuc Peltuinum praefectura fuit: de qua pag. 396.) eoque *in Augusti jure & in publicum residebat.* Hoc ultimum dicitur, quia adhuc praetor urb. nempe publicus magistratus, eo aliquem cujuscunq. nominis praefectum jure dicundo mittebat.

At nequid dissimulem eorum, quae opponi mihi posse providerim; duo adversari dictis video. I. Sueton. in Caligula c. 23. *Liviam Augustam proaviam . . . ignobilitatis quadam ad senatum epistola arguere ausus est, quasi materno avo DECVRIONE FVNDANO ortam.* Si Fundis decurionum ordo erat (& quidem sub ultima Reip. tempora, aut sub Julii dictatura) non videtur praefectura fuisse. II. Horatius in descriptione itineris sub IIIviris acti ita narrat:

Fundos Aufidio Lusco praetore libenter
Liquimus, insani ridentes praemia scribae,
Praetextam & latum clavum prunaeq. batillum.

Quis non videt haec supra praefecturae conditionem?

Respondeo, vel si hinc constaret Fundos ex infimo praefecturae statu enatasse; id sero accidisse oportere. Nam antea Festus (qui ex Verrio Flacco sua contraxerat) inter praefecturas numeraverat; talemq. fuisse jam ante Juliam legem necesse est. Nam deinde post civitatem datam nulla causa fuit, cur mos ille vetus reduceretur, ut ad castigandas infidas urbes, aliquae in formulam praefecturarum redigerentur: certe quia post civitatem communicatam, omnes in fide permanserunt.

Dein ex Frontino, Suet. & Horatio non constat, Fundos de praefecturae statu emersisse; quia Frontinus coloniam deductam non dicit, sed culturam tantum agri Fundani veteranis assignatam ab Augusto. Ceterum in Augusti & in publico IVRE resedisse ait, h. e. permansisse spoliatam.

Decurionis Fundani appellatio apud Suet. non probat fuisse coloniam aut Municipium. Capua dum adhuc praefectura esset, suum habebat conventum, in quo optimates (sive *decuriones* eos cum Suet. voces, sive *Conscriptos* cum Peltuinate tabula, quam dedi pag. 396.) in commune consulebant. Atque is Capuae praefecturae conventus ut ibi dixi, Ciceronem inter patronos cooptavit. Jam quod Aufidius Luscus *Praetor* Horatio dicatur, id Acro quemlibet *magistratum* interpretatur, sive *Duumvirum*: quas voces quia versus non capiebat; praetorem Horat. dixit: quod pro cujuslibet nominis magistratu, quem Praetor Vrb. in Fundanam praefecturam mittebat, accipi oportet; *Praetor* enim non aliud quam *eum qui praeest* designat. Ac merito Fundanus praetor Horatio de se risum praebuit. Ad summam numquam effugies, quin *Fundi* praefecturarum praetoriarum agmen duxerint, ac proinde ultimo aeris hujus Capite (ubi *Municipii Fundani* mentio est) designari nequiverint.

Digitized by Google

Fundorum viciſſitudines recenſebimus. Quocirca *Fundanum municipium* & *Fundani municipes* capitis hujus nihil prorſus commune cum *Fundis* Latii adjecti habent.

Hactenus dicta cuivis vel refractario aſſenſum extorſerint. Tamen reſtat adhuc argumentum ex æris hujus verbis petitum, multo maximum : quod quia neſcio quo pacto raptim haec ſcribenti exciderat; cogor nunc demum ſub prelo hîc paucis addere.

Nam Kaput XII. cui immoramur, ita incipit : *Qui . . . permiſſus eſt, uti leges in Municipio Fundano . . . daret, SEI QVIS . . . in eo anno proxumo . . . ad eas leges addiderit, commutaverit, conrexerit* &c. Quibus verbis docemur, fuiſſe alicui negotium datum ut in *Municipio Fundano* has leges promulgaret, itemque ſi videretur, adderet, mutaret, corrigeret. Atqui ſi de Fundis Latii tantum agebatur; is certe legum promulgator idemq. corrector, homo unus aliquis certus fuiſſet ac vulgo notiſſimus. Quis ergo locus fuiſſet duobus ſequentibus monoſyllabis SI QVIS ? Nunc vero quia FVNDANVS nomen univerſi generis eſt, plurima municipia continens (quae quidnam ſibi velint, pluribus Parte ſeq. exſequar) idcirco locus fuit τῷ *Si quis*; quia ſcil. inter tot *Fundana* municipia potuit aliquod eſse, in quo nihil in hoc legum pandecte mutari, legum dator ille, cui id municipium obtigiſſet, neceſſe putaret.

PARS ALTERA ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ.

CAPVT I.

Populi Fundi notio quaenam. Locutiones æris noſtri hujuſmodi, MVNICIPIVM FVNDANVM, MVNICIPES FVNDANOS non niſi ad qualitatem populi fundi pertinere, quam Gellius explicat. Cur FVNDANVS quatuor ſyllabis, & non FVNDVS duabus hîc uſurpetur.

Quaenam Populi *Fundi* notio fuerit, ex Gellio, Feſto, copioſius autem ex Ciceronis Corneliana conſtat. Sed Tulliana, quippe magnis difficultatibus impedita, poſtea ſuo loco viderimus : Gelliana tantum, utpote expeditiora, hîc afferam. Gellius ergo XVI. 13. ubi plura de Municipiis enotaſſet, ita colligit : *Municipes ergo ſunt cives Romani ex municipiis, legibus ſuis & ſuo jure utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes* (ut in legione ſcil. veluti cives militarent, non in auxiliis veluti ſocii) *a quo munere capeſſendo appellati videntur* (Municipes), *nullis aliis neceſſitatibus, neque VLLA Populi Rom. LEGE ADSTRICTI, ni in* (143) *quam populus eorum fundus factus eſt*. Porro vox *Fundus* tum Ciceroni, tum etiam Feſto, itemq. Gellio (quos ſuo loco teſtes producam) non aliud eſt quam *Auctor*, ſive ſponſor, quiq. in id, de quo agitur, adſentitur. Habes quid populus fundus ſit. Huc igitur *Municipium fundanum*, itemque *Municipes fundani* æris noſtri pertinent. Nam *fundum fieri* in leges Romanas, id municipiorum, non item coloniarum erat. Municipes enim extrinſecus in civitatem Romanam adſciſcebantur, legeſque quas volebant, admittebant : Coloni autem jam ab origine prima Romani cives, legibuſque Romanis adſtricti fuerant.

At inquis, ſi ita ſit, cur non vox ipſa

(143) *Gellii locus interpunctione reſtitutus.*

Locus hic has ſubiit vices. Ediderat olim Stephanus, veſtigiis MScriptor. ductus : *Ni, inquam, populus eorum* . . . Id poſteriores editi ita mutarunt : *Cum numquam pop. eor.* (in meo Gryphiano an. 1550. *Pop. Rom.*) *fundus fac. eſſet*. At in Thyſii & Oiſelii editione revocata eſt Stephaniana lectio : *Ni, inquam, pop. eor. fun. factus eſt*. Hanc retinuit accuratiſſima Gronov. editio anni 1706. niſi quod pro NI reponitur NISI (quod in Regio cod. & in Lugd. Maj. repertum fuit) proque ea tantula mutatione Gronovius filius paeana canit. Quaſi vero monoſyllabum *NI* non ſit Gelliano ſtylo, archaiſmis indulgentiori, longe convenientius, quam *NISI* diſyllabum. Hoc mitto. At illud *Inquam*, utpote frigidum atque otioſum, tu ne dubita in monoſyllaba duo diſpeſcere, ac legere, *Ni IN QVAM populus eorum fundus factus eſt*. *Fundus* aeque ac *Auctor* (quod idem ac *Fundus* eſt) & cum genitivo & cum dativo & cum praepoſitione caſum quartum regente conſtruitur. De patrio caſu non eſt dubium. Tertio jungitur apud Ter. Adel. IV. ſc. 5. v. 37. *Auctor his rebus quis eſt*. Apud Cic. VIII. At. 3. *Legibus . . . contra auſpicia ferendis auctor*. Imo in Plautini Trinummi Ac. V. ſc. I. v. 7. ipſa vox *Fundus* cum dat. nectitur : *Vt quae cum ejus filio-Egi, EI REI FVNDVS* (i. e. auctor) *pater ſit potior*. Feſtus videtur eid. caſui copulaſſe : *FVNDVS dicitur populus eſſe rei, quam alienat, hoc eſt Auctor*. Cum quarto vero caſu Cic. II. Phil. 26. *Auctores ad liberandam patriam*. IX. Att. 13. *Ceteris auctor ad te adjuvandum*. At ante τὸ *Quam* aptius IN quam AD uſurpatur. Hinc Gellius : *IN QVAM fundus*

Digitized by Google

ipſa *Fundus* uſurpata fuit? aut quid opus fuit id nomen producere, ita ut *Fundanus* exſiſteret? Quia, inquam, *Fundus* ſubſtantivi potius, quam adjectivi per tria genera variabilis, naturam gerit. Cum ergo *Municipium Fundus* non recte diceretur; adjectivum inde nomen *Fundanus* (quo nunc primum hujus æris ope lexica Latina ditantur) derivari neceſſe fuit, quod cum ſubſtantivis omnium generum necti poſſet. Accedit ea ratio verior, quod vox *Fundus* numquam niſi de populo tantum uſurpatur a Cicerone, Feſto, Gellio: qua ratione Municipium, ſi quidem populi fundi eſſet (nam ut poſtea ſuo loco dicam, poterat & populi eſſe non plane fundi) id non Municipium *fundus*, ſed *Fundanum* (i. e. *populi fundi*) dici oportuit. Ac pari ratione non *Municeps Fundus*, nec *Municipes Fundi* (quippe cum vox *Fundus* populi, non civium ſingulorum eſſet) dicebantur, ſed *Municipes Fundani*, ut in hac Tab. ver. 86. 89. *Fundanus* autem eâdem a *Fundus* productione fit, qua a *Pagus*, *Paganus*: a *Vicus*, *Vicanus*: tot alia.

CAP. II.

Municipii notionem olim fuiſſe tenebricoſam, & qua de cauſa. Tenebras ei notioni offuſas ære noſtro Heraclienſi diſpelli.

De ejus vocabuli obſcuritate graviter expoſtulat Gellius lib. XVI. cap. tertiodecimo ineunte his verbis: *MVNICIPES & MVNICIPIA verba ſunt dictu facilia, & uſu obvia: at neutiquam reperias qui hoc dicit, qui ſcire ſe plane putet quid dicat. Sed profecto aliud eſt, aliud dicitur*. Ab his exorſus lamentis, etiam extremo capite conqueritur, *Obſcura oblitterataq. eſſe municipiorum jura, quibus uti jam per ignotitiam non queunt*. Atque hoc ultimum verum fuiſſe aetate Gellii, ex dicendis conſtabit. Multo etiam plus caliginis quam lucis ex Feſto, quamvis multus in hoc vocabulo ſit, affunditur: quod eum legenti conſtabit.

Ejus vero obſcuritatis cauſa non una fuit. Praecipua orta eſt tum ab hominibus non exacte & accurate id verbum uſurpantibus, tum in primis ab aetatibus profecta videtur; quippe cum ſucceſſu temporum mirum quanta in acceptionibus nominum immutatio fiat. Nam ante legem Juliam plura municipiorum genera fuerunt; ea vero inter ſe parum accurate apud auctores diſtincta. At poſtea jura municipiorum per Juliam legem non parum mutata fuere. Adhaec ſub principatu quis ignorat *Municipii* vocabulum modo cum coloniis confuſum, modo univerſe pro quibuslibet locis acceptum? Sexcenta hujuſmodi loca ex auctoribus ejus temporis, & ex libris Juris produci poſſent. Quid quod etiam ab iis, qui municipia ſedulo a coloniis praefecturiſque diſtinguerent, tamen municipiorum genera (nec enim uniuſmodi erant) permiſcebantur? ex quo caligo ei rei offuſa fuit. Poſtremo ii ipſi, qui eorum genera inter ſe diſtinguere conati fuerunt, ſatis implexe id egerunt: cujuſmodi ſunt multa illa, quae Feſtus in *MVNICEPS EST*, & paullo nitidius in *Municipium* (144) congerit.

(144) *Feſti de Municipiorum generibus locus. VENIO proprium fuiſſe Municipiorum verbum, ſicuti PROPAGARI Coloniarum. Quo pacto Feſti genera tria Municipiorum diſtingui debeant.*

Feſtus in *Municipium* tria eorum genera diſtinguit, quorum primum hujuſmodi eſt. *Municipium*, inquit, *id genus hominum dicitur, qui, cum Romam VENISSENT, neque cives Rom. eſſent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum* (ſive *munus capiendum*; nam a munere capiendo dicti *Municipes*) *una cum Rom. civibus, praeterquam de ſuffragio ferendo aut magiſtratu capiendo; ſicut fuerunt Fundani*, & quos alios nominat. De ſecundo ſic ait: *Id genus hominum definitur, quorum civitas univerſa in civitatem Romanam VENIT, ut Aricini* &c. De tertio: *Id genus hominum definitur, qui ad civitatem Rom. ita VENERVNT, uti municipia eſſent SVA* (ſic Ms. de eo mox) *cujuſq. civitatis & coloniae* (*Coloniae* vox hoc loco cur addatur, mox ex Vlpiano declarabimus) *ut Tiburtes* &c. Porro haec ultima ſic in Vlpiano l. 1. D. *ad Municipalem* declarata reperio: *Sed nunc abuſive Municipes dicemus SVAE* (non *ſua*, uti modo male in Feſti ſcriptis & edit.) *cujuſque civitatis* (etiam ſi ſit colonia) *cives: utputa Campanos, Puteolanos*. Nam *Capua* & *Puteoli* tunc colonia erant; eoque Feſtus *SVAE Civitatis & coloniae* dixit.

In his omnibus definiendis verbum VENIO uſurpatur, tamquam Municipiorum peculiare. Nam etiam ſupra in MVNICEPS EST idem Feſtus definierat: *Municipes erant, qui ex aliis civitatibus Romam VENISSENT: quibus non licebat magiſtratum CAPERE, ſed tantum MVNERIS partem*. Ergo appoſite Gellius lib. XVI. cap. 13. extremo ita inter *Municipia*, & *Colonias* diſtinxit, ut illa in civitatem *VENIRENT*, hae ex civitate *PROPAGARENTVR*, addens: *Sed Coloniarum alia neceſſitudo eſt. Non enim VENIVNT extrinſecus in Civitatem, nec ſuis radicibus nituntur* (quae duo Municipiorum vult eſſe peculiaria) *ſed ex Civitate quaſi PROPAGATAE ſunt*.

Fal-

Atqui discrimina illa magnam partem ad aetatem lege Julia Plotiaque antiquiorem pertinent. Nam deinde post leges illas cum civitas pleno jure maximae parti Italiae donata fuisset, municipia omnia (ea dico, quae donatione illa continebantur) ad unam formulam redacta fuerunt, ita ut omnia civium Romanorum essent & quidem cum latione suffragii, assignatione tribûs, jure censûs, ceterisque Romanae civilitatis juribus atque ornamentis. Nisi quod etiam forsitan post legem Juliam & hanc Heracleensem tabulam, etsi Italiae municipia omnia civium Rom. essent, adhuc tamen inter ea distinguebatur. Nam si illud *Fundanum* quod *Municipio* adjicitur, non mere ἐπιθέτως, sed διακριτικῶς usurpatur, tum necesse erit post sociale bellum, Italica certe municipia, alia *fundana*, alia non *fundana* fuisse. Quae discuti ante non possunt, quam de *populo fundo* cap. seq. dicam. Atque equidem de municipiis memini quaedam dixisse sup. ad ver. 9. (ubi prima est municipii mentio) pag. 391.

CAP. III.

Populi fundi interpretationem nullo tempore non impeditam fuisse. De duorum superiorum saeculorum super eo concertationibus.

FVNDVS, quatenus juris vocabulum est, controversae notionis fuisse, declarat in primis Corneliana Ciceronis oratio, in qua super eo verbo Tullius cum Balbi accusatore litigat: declarat etiam veterum auctorum in ea voce exponenda dissensus. Siquidem Festus ita exposuit: *Fundus dicitur ager . . . FVNDVS quoque dicitur populus esse rei, quam alienat, hoc est Auctor.* Item in Orat. pro Balbo accusator quam saepissime eâdem notione usurpat, Tullio alia omnia sentiente: quod suo loco videbimus. Accedit Plautus Trinummo Actu V. sc. 1. *Nunc mihi is* (pater) *propere conveniendus est, ut quae cum ejus filio-Egi, ei rei FVNDVS* (i. e. auctor) *pater sit potior eo.* Sed & Gellius XIX. 8. ad hanc notionem accedit: de quo mox.

At notio altera de *populis fundis* in Balbiana Tullii totum caput VIII. implet, quod deinceps expendam; ac praeterea a Gellio XVI. 13. ita usurpatur, nihil ut nitidius esse queat. Haec ibi Gellii verba sunt: *Municipes ergo sunt cives Rom. ex municipiis, legibus suis & suo jure utentes . . . nullis aliis necessitatibus, neque ulla populi Rom. lege adstricti, ni in quam POPVLVS eorum FVNDVS FACTVS EST.* Nec idem ab hoc significatu discedit XIX. 8. *Non ut hujus sententiae* (de *Harenae* nomine, de quo disceptabatur) *LEGIS Q. FVNDVS subscriptorq. fierem. LEGIS* addidit, quia *Sententiae fundus* metaphoricum erat. Ex his vides, dupliciter *Fundi* vocem acceptam fuisse, sive ut *Auctorem* alienationis, contractusve notaret (ut in Plauti Trin.) sive ut populi alicujus (ubi *Fundus* dicitur) conditionem statumque designaret. Etsi eodem utraque acceptio redit, ut cap. V. ostendam.

Ac Tulliana in primis pro Corn. Balbo oratio Ciceronis cum Balbi accusatore concertationem ejusmodi continet, quae jam inde a saeculo XVI. viris eruditis negotium facessivit. Quo tempore Sigonius primum, mox Manutius, Ant. Augustinus, Hotomannus, parum honorifice de Cicerone decreverunt, dum veriorem esse accusatoris interpretationem pronuntiarunt quam Oratoris; hunc enim causae suae velificantem, pervertisse interpretationem *Populi fundi*. Ac tum quidem his IVviris Hadr. Turnebus IV. Adv. 12. restitit. At postea medio superiore saeculo ex levi nescio qua (145) scintilla, discidii gram-

Falluntur ergo qui primum Festi genus de hominibus singularibus Romam profectis, non de toto oppido capiunt. Imo toti urbi indultum, uti *munus fungerentur* cum Romanis civibus, testante Livio VIII. 14. *Fundanis & Formianis civitatem sine suffragio datam* (& quidem omnibus, ut causa datae ostendit) datam autem, sive in Vrbe Roma, cum ibi *munus fungerentur* sive in militia, in qua iis indultum uti militarent in legione tamquam cives, non in auxiliis uti socii.

Habes genus primum: quorum civilitas cum sit imperfecta; hinc sequitur genus alterum (quod Festus praeparce describit) civitatem pleno jure fuisse consecutum, quamvis hoc a Festo non exprimatur. Sed tamen hoc idem secundum genus praeterea hoc peculiare habuit (per quod tum a genere primo, tum etiam a tertio distinguebatur) nim. quod legibus populi Romani adscitis atque adoptatis, *Municipium fundanum* evasisset.

Postremo genus tertium ad Municipia non fundana pertinet: *Qui scil. ea conditione cives Rom. fuissent, ut semper Remp. separatim a Populo Rom. haberent:* uti ab eodem Festo in MVNICEPS dicitur. Nisi vero haec ultima, quae recitavi, ad primum genus referenda malis. Sed non puto.

(145) Exciderat P. Pithoeo in *De libertatibus Ecclesiae Gallicanae* cap. 8. nescio quid, quo significaret, Reges Christianissimos, utpote de sede Apostolica

grammaticalis flamma ingens exarſit. Nam eadem quaeſtio conatu majore revocata, IIIviros praeclariſſimos Nic. Rigaltium, Iſm. Bullialdum, Henr. Valeſium inter ſeſe commiſit. Cujus tunc pugnae victoria judicio meliorum ferme penes Valeſium ſtetit: quem negari non poteſt & perſpicaciorem & luculentiorem in ea locutione explicanda fuiſſe. Niſi quod in hoc litigio re comprobatum comperio, quam vera ſit illa P. Syri ſententia,

Nimium altercando veritas amittitur.

Ac tres illas doctiſſimorum hominum ſcriptiones Graevius in Antiquit. Rom. Theſauri tomum ſecundum intulit: ex quarum lectione lector deprehendet, quam non neceſſaria illa concertatio fuerit. Mihi certe lucubrationes illas expendenti, eaſque tum cum Balbiana Tullii, tum etiam cum æris hujus Kapite ultimo comparanti, non pauca videntur non modo a duobus prioribus, verum etiam ab ipſo Valeſio ſecus dicta. De Rigaltio & Bullialdo, quorum ſcripta Valeſius expendit, nihil dico. At Valeſius, qui rem attigit ultimus, haud tamen opus uſquequaque expolivit: haud dubie perpoliturus, ſi vidiſſet hanc, quam nos dedimus tabulam, atque hoc in primis ultimum Kaput, in quo de *Municipiis fundanis* agitur. Atq. illud prae ceteris, cui tamquam fundamento cetera inaedificavit (quod ſcil. toties inculcat, *Populi fundi* nomine non venire populi alicujus ſtatum atque conditionem: ſicuti *populus liber*, *ſocius*, *foederatus*, *dedititius*, conditionem notat) id viſo ſtatim ære noſtro, recantaſſet: in quo *Fundani* vocabulo conditio populi haud dubie deſignatur. In primis autem in legis Juliae capite interpretando male ſe geſſit Valeſius. Verum haec cap. ſeq. ad Tullii, loca ad quae pertinent, adnotabimus.

CAP. IV.

Ex Tullii Corneliana excerpta loca, quibus de populo fundo agitur, cum ſuis animadverſionibus.

§. 1. *Cornelianae Ciceronis caput VIII. percurritur, ac primum controverſiae cardo, deinde prima Oratoris velitatio expenditur.*

Non alibi (146) quam in hac una Oratione Cicero nomen *Fundi* quod controvertitur, uſurpat, praecipue toto cap. VIII. quod ita incipit. *Naſcitur, Judices, cauſa Cornelii ex ea lege, quam L. Gellius, Cn. Cornelius ex ſenatus ſententia* (conſulares enim leges non ſine praevia ſenatus ſententia, ſive auctoritate ad pop. ferebantur) *tulerunt: qua lege videmus, ſatis eſſe ſanctum, ut cives Rom. ſint ii, quos CN. Pompeius de conſilii* (militaris) *ſententia ſigillatim civitate donaverit. Donatum eſſe L. Cornelium praeſens Pompeius dicit, indicant publicae tabulae, accuſator fatetur: ſed negat, ex foederato populo quemquam potuiſſe, niſi is populus FVNDVS* (in eam civitatis mutationem) *factus eſſet, in hanc civitatem venire.*

Quod Cicero confutat. *Quid enim potuit dici imperitius, quam foederatos populos fieri fundos oportere? Nam id non magis eſt proprium foederatorum, quam omnium liberorum.* Vides, Populum *Liberum* latius quam *Foederatum* patere; nec enim Liber omnis, continuo Foederatus. Pergit: *Sed totum hoc, judices, in ea fuit poſitum ſemper ratione atque ſententia, ut cum juſſiſſet populus Rom. aliquid, ſi id adſciviſſent ſocii populi ac Latini; & ſi ea lex, quam nos haberemus, eadem in populo aliquo, tamquam in fundo* (147) *reſediſſet; ut tum lege eâdem*

ſtolica ſemper optime meritos, *Sanctitatem Apoſtolicae ſedis ſic comiter conſervaſſe, quemadmodum Principes liberos decet, ſi non aequo jure, certe non ut dediticios aut FVNDOS.* Atqui duo ultima verba non leves turbas exciverunt: quae a viris doctis ſedulam inquiſitionem in vim vocis FVNDVS expreſſerunt. Requiſitus Rigaltius ſuam ſententiam protulit: poſt Bullialdus ſuam: ad extremum Valeſius in arenam deſcendit.

(146) Haec eo monui, quod a nonnullis viris doctiſs. affertur & illud ex fine Orat. pro Caecina his verbis: *Multo etiam minus quaeri, A. Caecina fundus ſit, nec ne: me tamen id ipſum docuiſſe, fundum eſſe Caecinam.*' Ita quippe Buchananus legendum conjecerat (ita ut *Fundus* ſit *Auctor*) idque in contextum Lambinus receperat: ex quo hic locus ita prorſus a multis, in hac maxime re, productus fuit. At ea lectio, nullo ſcripto cod. fulta, ſed ex ingenio conficta, merito eſt rejicienda; ac legendum utroque loco *Caecinae* patrio caſu, uti & membranae oſtendunt.

(147) Habes hîc etymologiam ævo & ingenio Varroniano dignam. Atqui ad iſtas metaphoricas originationes ſi ſit recurrendum; potius erit, ut in hoc vocabulo *Fundus* pro fundamento accipiatur. Nam ſicuti fundus eſt vaſorum, conceptaculorum, fluminis, maris imum (Servio enim *Fundus faſtigio* opponitur) h. e. baſis ac fundamentum; ita nullum aliud juris actuum fundamentum eſt, quam is penes quem auctoritas reſidet, quem propterea *fundum* antiqui vocarunt. Tullianum iſtud *Reſidere in fundo* peculiariter de vaſor. fundo uſurpatur.

Digitized by Google

dem is populus teneretur. Omnem hanc periocham sic intelligo, ut mihi videatur Cicero more grammaticorum τὸ *Positum* pro *Vsurpatum*, & τὸ *Ratione atque sententia* pro *Significatu* & *notione* dixisse. *Totum hoc* (nempe *Fundum fieri*) eâ positum est *Ratione atque sententia*, i. e. ea significatione, sive (uti loqui solemus) in eam sententiam dictum, ut intelligatur de legibus adsciscendis nec ne, non vero ut populus mutanti civitatem *fundus* i. e. auctor esset necessario futurus. Non negat igitur, *Fundum* de auctore interdum accipi (quî negaret, cum Tullio Plauti Trinummus opponi potuisset?) sed ubi de populis foederatis agitur, numquam aliter *Fundi* verbum fuisse usurpatum, contendit, quam de legibus adsciscendis, vel non. Pergit.

Non ut de nostro jure aliquid minueretur (& certe de jure Romano minui oporteret, si, quem populus Rom. civitate donasset, eum populus foederatus prohiberet) *sed ut illi populi aut jure eo, quod a nobis esset constitutum, aut aliquo commodo aut beneficio uterentur*.

Atque hic locus a me flagitat ut Valesianam de populis fundis sententiam, qua veluti basi tota ejus scriptio nititur, depromam atque discutiam. Negat scil. *Fundos populos* ita dici, quemadmodum *liberos*, *socios*, *foederatos*. Hac enim appellatione statum & conditionem populi declarari: priore vero actum (uti sic loquar) populi transeuntem notari, quo unam plurefve leges adscisceret. Atque hîc quod vir summus ex verbo *Fieri* argumentum captat, id (148) nihil est. Id vero unum quod Valesii causam magis promoveret, ab eo tamen missum, adjungam. Nam quo pacto *Fundi* vox populorum statum designaverit, quae populorum genus nullum constituit? Quis auctor unquam inter populorum genera, sicuti *liberos*, *socios*, *foederatos*, numerari scimus, ita *populos fundos* recensuit? Id numquam fando auditum fuit. Imo ii ipsi *liberi*, *socii*, *foederati* etsi, ubi lege aliquam Rom. adsciscerent, continuo *fundi* fiebant; id tamen totum ad punctum temporis, quo lege sese adstringerent, non ad inhaerentem populo qualitatem sive ἕξιν (*aptitudinem*) pertinebat. Credo me hactenus Valesii sententiam adeo non obscurasse, ut potius illustriorem atque robustiorem effecerim.

Atqui totum hoc ante Juliam legem locum obtinere potuit: post Juliam Plotiamque, idque in maxima Italiae parte, non item. Post eam enim legem populi municipiorum (nam de coloniis, utpote ab Roma propagatis, non attinet dicere) qui ante sive liberi, sive socii, sive foederati fuissent, si quidem eorum municipia *fundana* essent, non aliter civitatem assequebantur, quam si in hunc legum pandecten fundi facti essent; in aliis vero rebus patrios mores, aut quidvis aliud tempori congruens sequi permitterentur. Itaque post id tempus istud *Fundi* aut *Fundani* vocabulum statum civitatium Italicarum constituebat. Verum de his plura fort. in Commentario ad æris hujus hoc Kaput ultimum. Imo & in illustrandis iis quae statim in Cicerone sequuntur, non poterimus non plura huc pertinentia adspergere.

§. 2. *Tulliana de lege Julia, deque Neapolitanorum & Heraclienſium certamine populari, periocha*.

Pergit vero fori Rom. princeps. *Tulit apud majores nostros legem C. Furius de testamentis: tulit Q. Voconius de mulierum hereditatibus: innumerabiles aliae leges de civili jure sunt latae. Quas Latini voluerunt, adsciverunt. Ipsa denique Julia: qua lege* (ita) *civitas est sociis & Latinis data*, (ut) *qui fundi populi facti non essent, civitatem non haberent. In quo magna contentio Heraclienſium & Neapolitanorum fuit*. Sequentia post recitabimus.

Huic ad legem Juliam pertinenti periochae illud ITA, & VT ita interposui, ut etiam si ex Ciceronis manu non fuerint, subaudiri conveniat. Ac legis Juliae verba ipsissima his contineri, etsi negat Valesius, prorsus non est dubitandum. Post Furiam, inquit, Voconiamq. innu-

(148) Doctiss. Valesius in suae opinionis argumentum (quod nim. *Populus fundus* non sit statûs aut conditionis populi nomen) utitur ea ratione, quod numqam Cicero dixit, *populum fundum esse* aut *fuisse*, sed *fieri* aut *esse factum*. Id quidem de Tullio verum est: nec enim aliter locutus reperitur. At Plautus cum verbo substantivo junxit Trin. Ac. V. sc. I. *Ei rei fundus SIT* (non *fiat*) *pater*: Junxit quoque Festus de *populo fundo* ita loquens, *Fundus quoque dicitur populus ESSE* (non *fieri*) *reiquam alienat, hoc est auctor*. Nec video quid emolumenti ex illo *FIERI* Valesius magnopere capiat.

Digitized by Google

innumerae leges aliae de jure civili latae ſunt : quarum nullam neceſſario ſocii adſciverunt , ſed eas quas maxime voluerunt. Atqui cum has leges ex remotiore antiquitate repetiviſſet ; ſtatim de recentis memoriae lege ſubjicit : *Ipſa denique Julia* (ſupple *lata fuit*) ipſa nempe illa quae civitatem ſociis & Latinis dabat . *Qua lege* (nihilominus, inquit, ita) *civitas eſt ſociis & Latinis data* (ut) *qui fundi populi facti non eſſent , civitatem non haberent*. Haec Ciceronis, non vero Juliae verba eſſe contendit Valeſius. Ego priora illa , *Civitas eſt ſociis & Latinis data* , Oratori tribuo: poſteriora, *Qui fundi pop. facti non eſſent , civitatem non haberent* , Juliae ipſius eſſe verba , a Cicerone forſan contracta, apertiſſimum judico. Aut, ſi nihil aliud , Juliae ſententiam haud dubie continent .

Hìc vero cuivis a Valeſio quaerenti (In quodnam ſcil. fundi fieri ſocii debuiſſent , ut civitatem haberent) In legem dumtaxat de civitate conſequenda , reſpondet Valeſius. Quia enim beneficium invito non datur; in eam donationem fundos fieri neceſſe erat. At equidem a Valeſio, & quotquot alii gregatim in eo Valeſium ſunt ſecuti, magnopere diſſentio. Ex mente enim Juliae, ipſiuſque Ciceronis debebant non tantum donationi civitatis ſocii conſentire (in hanc vero cur ii fundi non fierent, quam tantopere expetiviſſent , & propter quam conſequendam ſociale bellum incendiſſent?) verum etiam in cetera omnia quae lex Julia complectebatur , fundos eos fieri neceſſe erat . Quaenam vero ſunt illa kapita , quae lex Julia continebat ? Vno verbo dicam . Hunc legum pandecten , in novorum civium gratiam concinnatum , ea continebat . His legibus omnibus novos hoſce cives fundos fieri neceſſe erat , ſi quidem civitatem Romanam conſequi vellent . Nec tamen mores omnes patrios abjicere cogebantur. Nam in ceteris, quae Digeſtum iſtud , cujus partem dedimus , non continebat, permittebantur ſive vetera ſua inſtituta ſequi , ſive alia temporibus magis congrua ſciſcere, ut in Commentario ad hoc Kaput ultimum infra oſtendam .

Ceterum a vero aberraſſe Valeſium in reſtringendo Juliae legis adſciſcendae ambitu (quem nempe nimium (149) coartavit) luculenter oſtenditur verbis Tullii ſequentibus . *In quo* , inquit, *magna contentio Heraclienſium* (ſine ulla controverſia illorum, a quibus haec tabula ſcalpta fuit) *& Neapolitanorum fuit ; cum magna pars in iis civitatibus foederis ſui libertatem civitati anteferret* . Sciendum eſt , Italicas urbes omnes foedere aliquo antiquo vallatas fuiſſe . Heraclienſes foedere illo Fabriciano vetuſtiſſimo (cujus hac ipſa orat. cap. XXII. & in ea pro Archia cap. IV. initio mentio fit, ex quibus ſaepe alibi verba retuli) gloriabantur. Neapolitani haud dubie ſuum foedus jactabant: alii aliud. At rogo quid ea foedera impediebant , quo minus in legem Juliam (ſi haec ex Valeſii ſententia nihil aliud quam in civitatis donationem fundos fieri juberet) fundi fierent ? Quo ergo illa *Magna contentio* , quaſi *civitas* , quam Julia largiebatur , cum *foederis libertate* ſtare non poſſet ? Atqui hoc unum erat , quod multos urebat , quod cum veteri ſuae αὐτονομίᾳ addictiſſimi eſſent; plures civium illorum , etſi civilitatem Romanam ardentiſſime cuperent, nolebant tamen ſub ea conditione cives Romani fieri , modo in Romanas leges, abjectis magna ex parte veteribus ſuis, fundi fierent . Haec igitur fuit Heraclienſium in Magna Graecia, itemq. Neapolitanorum concertationis cauſa . Sed tandem Neapolitanos quidem in ſua αὐτονομίᾳ (*libertate*) perſtitiſſe , Strabo (150) teſtatur : at Heraclienſes fundos fuiſſe factos , praeterquamquod Strabo obli-

(149) Valeſius non ſemel hoc inculcavit , ea conditione Italicis per legem Juliam fuiſſe beneficium civitatis promiſſum , modo huic ipſi tantum beneficio civilitatis Romanae adſentirent , non vero ut in ceteras leges Romanas fundi fierent. Imo & media ferme epiſtolà ſua (ad illud Cic. *Qui pop. fundi facti non eſſent , civ. non haberent*) in hoc multus eſt , ac Bullialdum carpit, qui alia ſuaſiſſe videbatur . Atqui venia eſt Valeſio danda , qui ignoraſſet , Julia lege Digeſtum praecipuarum legum Rom. contineri . Quocirca Legi Juliae fundum fieri, tantumdem erat, quod Leges Rom. adoptare.

(150) Strabo lib. VI. in fine pag. 253. conqueritur , Graecanicas omnes earum regionum , quas nunc *Regnum Neapolitanum* complectitur , urbes ἐκβεβαρβαρῶσθαι (h. e. a Graecitate ad barbariem deſciviſſe) accepta ſcil. civitate Romana : ab his vero tres tantum excipit , *Tarentum* , *Rhegium & Neapolim* . Ex quo oſtenditur, in illo civili certamine (de quo Cic. in Balbiana cap. 8.) Neapolitanos tunc quidem antiquo foedere ſuaque αὐτονομίᾳ delectatos , in Graeco vivendi modo perſtitiſſe : iisdem-

Digitized by Google

oblique ſignificat, diſerte hoc ipſum æris hujus Kaput XII. in quod commentaturi ſumus, declarat.

Nam cum haec ipſa lamina (qua praecipua Romanae πολιτείας capita continentur,) in Heraclienſium uſum ſcalpta fuerit; ecquis dubitat, quin Heraclienſis populus in eas leges Romanas, quae in hoc ære ſcalptae ſunt, factus fuerit fundus? Deinde ultimo hoc Kapite eorum municipium diſerte *Fundanum*, ejuſque municipes item *Fundani* dicuntur: ut nullus plane ſit ambigendi locus. Signate autem *Fundanum* municipium dicitur, ut diſtingueretur a municipiis non Fundanis, h. e. illis, quae Feſtus in primo itemque tertio municipiorum genere poſuit (vide ſup. Adnot. 144.) quibus Rom. civilitas, ſed ita *ut ſuae cujuſq. civitatis* manerent, dabatur: cujuſmodi tunc fuere inter Graecos Tarentini, Rhegini, Neapolitani (uti Strabo modo Adn. 150. illuſtratus docuit) inter vero populos aliarum linguarum & inſtitutorum alia fortaſſe plura erant municipia non fundana: quae quidem ſine antiquo auctore quis enumerare auſit?

Quia vero id legum Digeſtum, cui Fundani municipes ſubſcripſerant, haud abſolutum legum corpus efficiebat; idcirco hoc ultimo Kapite permittitur aliquis leges iis alias ſive ex patriis ſive aliunde addere; alicubi has ipſas mutare, corrigere.

Antequam hinc digredior; ſi minus in ceterâ Tullii de *Fundis* controverſiâ, at ſaltem in Juliae verbis illis, *Qui fundi populi facti non eſſent*, vox *Fundus* populi ſtatum permanentem notat: quod quibus haec tanti videbuntur, malo ſeorſum (151) oſtendere, quam hîc demorari.

§. III. *Reliqua Ciceronis ex ead. orat. loca recenſentur, in quibus populi fundi mentio. In leges de publico Populi Rom. jure fundi populi non fiebant. Non tantum in Digeſtum æris hujus, ſed etiam in novas ſingulas leges populi, ſi expediret, fundi fiebant.*

Sequitur eod. VIII. Capite in fine: *Poſtremo haec vis eſt iſtius & juris & verbi, ut FVNDI POPVLI beneficio noſtro, non ſuo jure fiant. Cum aliquid populus Rom. juſſit, id ſi eſt* (152) *ejuſmodi, ut quibusdam populis ſive foederatis ſive liberis PERMITTENDVM eſſe videatur, ut ſtatuant ipſi non de noſtris, ſed de ſuis rebus, quo jure uti velint.* Hujus loci ſententiam non aſſequerer, abſque haec tabula Heraclienſis eſſet. Ex hac enim facto ipſo comprobavimus, verum eſſe quod Cicero ex Julia lege recitavit, ut *Qui fundi populi* (nempe in Romanarum aliquot eximiarum legum, municipiis fundanis communium, Digeſtum) *facti non eſſent, civitatem non haberent.* At aliquis a Tullio quaereret, ubi populus Rom. novam in poſterum legem juſſerit, tenerentur ne ea fundani municipes? Cicero huic tacitae quaeſtioni ita occurrit: cum novae leges (ad jus civile tantum pertinentes, uti poſtea idem declarat) juſſae fue-

iisdemque magiſtratibus legibuſque ut antea uſos, at Heraclienſes, utpote a Strabone minime exceptos, ἐκβεβαρβαρωμένους jam, h. e. *Fundanos municipes* evaſiſſe. Celebrem Strabonis locum tum in Prodromo pag. 115. tum alibi pluries illuſtravimus. Obiter moneo in Coeliana Ciceronem cap. X. de *ſeditionibus Neapolitanis* meminiſſe. Sed nihil his ſeditionibus cum ea contentione commune, de qua loquitur in Corneliana cap. 8. At Neapolis ipſa ſub Tito tandem colonia facta fuit, ut in Herculanenſibus dicam.

(151) Verba ſunt Ciceronis: *Qua lege* (Julia) *qui fundi populi facti non eſſent, civitatem non haberent.* Ajo primum in Juliae verbis τὸ *Fundus* in populis tam late patere, quam *Fundanus* (quae vox a *Fundus* inclinatur, ſicuti *Vicanus*, *Paganus* &c.) in Municipiis & Municipibus; ita ut utrumque vocabulum de univerſis Digeſti legibus adſciſcendis, vel non, intelligi debeat. Atqui τὸ *Fundanus* in hoc Kapite XII. ita prorſus accipitur. Ergo & lex Julia, ex qua noſter pandectes prodiit, non minus ample *Fundos* accepit; eaque de cauſa τὸ *Fundi* abſolute uſurpavit, non addito, ecui aut ecquibus legibus *fundi* fieri deberent.

Deinde ſicuti negari non poteſt, quin *Fundanus* in municipio qualitatem inhaerentem, non vero actum tranſeuntem notaret; ita & vox *Fundus* de populo legem Juliam cum ſuo Digeſto adſciſcente, non dubium, quin ſtatum & conditionem populi ſtabilem eique inhaerentem deſignet.

(152) Quod hîc dicitur (*Id ſi eſt ejuſmodi, ut . . . populis ſive foeder. ſive lib. permittendum eſſe videatur*) eo pertinet, quod plures leges Romae fiunt, quae ad deliberationem populi fundi (auctor fiat, nec ne) non attinent. Sicuti illud eſt, quod Orator initio cap. XVII. poſuit. *Illis* (Gaditanis) inquit, *repetentibus L. Cornelium, reſponderem, legem populum Rom. juſſiſſe de civitate tribuenda* (cui voluerit Cn. Pompeius) *huic generi legum fundos populos fieri non ſolere.* Non enim eſt ex eo genere legum, quae populi fundi arbitrio permittendae eſſe videantur; maxime cum legis hujus (de civitate, cui Pompeius voluerit, danda) finis pertineat ad jus publicum, de quo extremo hoc cap. diſſeritur, nim. *de bellis, victoria, ſalute* populi Romani. Pervelim hoc valde notari.

Digitized by Google

fuerint, *Id ſi eſt ejuſmodi ut quibusdam populis ſive liberis ſive foederatis permittendum eſſe* (ut iis utantur) *videatur, ut ſtatuant ipſi non* (ut) *de noſtris, ſed* (ut) *de ſuis rebus, quo jure* (in ea re) *uti velint*. Sententia eſt, novis in poſterum legibus tum demum adſtrictum iri fundanos municipes, ubi eas adſciverint. Ait vero: *Non* (ut) *de noſtris ſtatuant* (nempe per ſuffragii lationem: quod non niſi a praeſentibus Romae ferri poterat) *ſed* (ut) *de ſuis rebus*, utrum ipſi privatim teneri velint. Ac poſtea ſic addit: *Tum, utrum fundi facti ſint* (in eam legem ſingularem) *an non, quaerendum eſſe videatur*. Tunc ait quaerendum, an lex illa in municipio ad legum tabellariarum Gabiniae Papiriaeque normam perlata videatur. Atque hoc in municipiis (non item in coloniis, quarum colonos, utpote ἀνέκαθεν cives Romanos, fieri fundos non oportuit) fuiſſe aevo Tullii in novis de jure civili legibus factitatum, locus hic docet. Vltima haec capitis VIII. cum ſuperioribus nectenda illis ſunt: *De noſtra vera republica, de noſtro imperio, de noſtris bellis, de victoria, de ſalute, fundos populos fieri noluerunt*. Quo ſignificatur, leges tantum de jure civili novas (modo eſſent ejuſmodi, ut permitti municipiis viderentur) horum arbitrio fuiſſe permiſſas: non item leges de jure publico, Romanique imperii ſtatu. Ad hoc vero genus alterum legum attinentium ad imperium, bella, victorias, ſalutem populi Rom. refert pluries Cic. donationem civitatis Balbo factam; uti nos ſupra in Adn. 152. declaravimus. Pertinebat enim ad pop. Rom. ſalutem lex illa, qua juſſum fuit, ut quem fortem virum Pompeius civitate donaſſet, id ratum haberetur.

Deinde Orator initio XI. capitis hanc *fundorum populorum* denuo mentionem injicit: *Sed, cum eſt illud imperitiſſime dictum de populis FVNDIS, quod commune eſt liberorum populorum, non proprium foederatorum (ex quo intelligi neceſſe eſt, aut neminem ex ſociis civem fieri poſſe, aut etiam poſſe ex foederatis) tum vero jus omne noſter iſte magiſter mutandae civitatis ignorat . . .* In hoc loco illud noſtra intereſt, quod videtur hîc aperte Tullius *Populos fundos*, tamquam ſi ea vox ἔξιν (*habitum*) ſive ſtatum permanentem (non vero actum tranſeuntem illum, quo populi auctores fiunt) notet, uſurpaſſe, imo & populos fundos cum populis liberis, ſociis, foederatis (quae verba populi ſtatum notant) comparaſſe. Haec quomodo cum ſua ſententia ſtent, Valeſius viderit.

Adhaec cap. XVII. iterum *Fundi* mentio exſiſtit his verbis: *Illis enim* (Gaditanis) *repetentibus L. Cornelium, reſponderem, legem populum Rom. juſſiſſe de civitate tribuenda* (cuicumque Cn. Pompeius de conſilii ſententia judicaverit). *Huic generi legum fundos populos fieri non ſolere*. Qua de cauſa non ſolent? Quia non *eſt ejuſmodi, ut* populi fundi arbitrio id *permittendum eſſe videatur*, ut cap. 8. dixerat. At quare hoc non permittitur? quia finis legis hujus ad jus publicum, non vero civile pop. Romani pertinet, ut in fine cap. VIII. a Cic. innuitur. Confer de his tum alibi a me dicta, tum Adn. 152.

Atque hactenus credo, me Balbianae locis de vi & intellectu populorum fundorum agentibus, non dum ſatis intellectis, lucem non modicam infudiſſe. Cetera porro loca huc pertinentia plana ſunt, nec alia de cauſa inferne (153) produco, quam

(153) *Cetera Cornelianae orationis de populo Fundo loca.*

Cap. XVIII. ubi Gaditanorum SCta ad avertendum a Cornelio hujus judicii periculum commemoraſſet; ita ſubjicit: *Potuit magis FVNDVS populus Gaditanus fieri (quoniam hoc magnopere delectare verbo) ſi tum fit FVNDVS, cum ſcita ac juſſa noſtra ſuâ ſententiâ comprobat, quam cum hoſpitium* (cum Cornelio) *fecit, ut & civitate illum mutatum eſſe fateretur & ejus civitatis honore digniſſimum judicaret?*

Cap. XXI. *Quem* (L. Matrinium a C. Mario civitate donatum) *cum diſertus homo L. Antiſtius accuſaret; Spoletinus* (L. Matrinius) *dixit, FVNDVM populum Spoletinum non eſſe factum; videbat enim populos de ſuo jure, non de noſtro, FVNDOS fieri ſolere*. Obiter hîc adnoto, Balbi accuſatorem, contra quem Cicero invehitur, non fuiſſe primum, qui contenderet, neminem ex populo foederato poſſe civitatem mutare, niſi is populus in eam mutationem fundus fieret. Nam ecce praeceſſerat hujus L. Antiſtii exemplum, contendentis irritam fuiſſe civitatis donationem L. Matrinio a C. Mario factam, quippe cui pop. Spoletinus fundus non eſſet factus. Ac fortaſſis alia inſuper exempla praeiverant.

CAP. XXIII. *Multi in civitatem recepti ex liberis foederatiſque populis . . . nemo umquam eſt de civitate accuſatus, quod aut populus FVNDVS factus non*

Digitized by Google

quam ne prorsus unum omittam Tullianum de *populo fundo* locum.

CAPVT V.

In hoc ultimo æris Kapite explanando nec Festum, nec eam FVNDI interpretationem videri sequendam, quam Gellius docuit, sed illam tantum quam Tullius ex Julia lege ad nos transmisit.

In excerpenda Ciceronis Corneliana me longiorem justo fuisse, satis intelligo. At religio mihi fuit, ne, si quem locorum praeteriissem, non satis mihi, non ceteris facturus fuerim. Nunc ex densa tot testium Festi, Gellii, Ciceronis sylva quid negligendum, quidve potissimum tollendum atque arripiendum videatur, decernendi tempus est.

Festus universum genus spectavit, ubi sic definivit: *Fundus dicitur populus esse rei, quam alienat, h. e. auctor.* Nisi quod nollem ab eo τὸ *Populus* fuisse insertum: qui si loco τὸ *Populus* sive τὸ *Quispiam*, sive tale quid γενικώτερον suffecisset; verius definivisset, atque etiam Plautinus ille in Trinummo *Fundus* ea finitione comprehenderetur. Eadem autem definitio ideo & populum continet; quia in quamcumque rem populus fundus fieri intelligatur, eam alienare dicetur. Nam sive Balbo mutanti civitatem (quod ejus accusator pertendebat) fiet fundus; ecce alienabit civem: sive in unam pluresve leges Romanas fundus efficietur; ecce priores leges, cum municipio natas, alienabit, easque cum Romanis noviter adscitis permutabit. Mittamus ergo Festum, ut qui non multum municipes nostros fundanos juvat.

Venio ad Gellium: cujus definitio, quia cum municipii juribus apta atque devincta est; fortassis rem nostram acu tanget. *Municipes ergo*, inquit, *sunt cives Romani ex MVNICIPIIS, legibus suis & suo jure utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes: a quo munere capessendo appellati videntur.* Hoc ultimum de *Munere*, si de eo intelligitur, uti par est, ut in militia hoc detur eis, ut *honoris* causa in legione uti cives, non vero in auxiliis uti socii, *munus capiant*; tum hi Municipes non illi erunt, quos quaerimus (pleno nim. jure civitatis fruentes cum latione suffragii) sed municipes primi generis, cum quibus hi *fundani* nostri nihil commune habebant. Atq. hanc rem etiam illud quod in Gellio sequitur, satis declarat. *Nullis*, inquit, *aliis necessitatibus, neque ulla populi Romani lege adstricti, ni IN* (154) *QVAM populus eorum FVNDVS FACTVS EST.* Atqui istos municipes delicatulos, paene omni lege solutos, fundani nostri, tam spisso legum Digesto adstricti, suos congeneres non agnoscent: quos etiam νοθείας arguent, seque tantum legitimos municipes venditabunt, quippe non in unam alteramve pro sua libidine legem *fundos*, sed plane *Fundanos*. Ergo & Gellium cum evigilatis in Attica noctibus missum tantisper faciamus: cui tamen est venia danda, utpote ibidem expostulanti, suo tempore *Obscura oblitteratáque* fuisse *municipiorum jura: quibus uti jam per ignotitiam non queunt.*

Venio ergo ad M. Tullium, auctorem non poenitendum, maxime qui testem prae se agat locupletissimum, nempe Juliam ipsam legem: quo ex fonte hujusmodi

non esset, aut quod foedere civitatis mutandae jus impediretur.

Cap. XXIV. *Num FVNDOS igitur factos populos Latinos arbitramur aut Servilia lege* (corr. *Serviliae legi*) *aut ceteris, quibus Latinis hominibus erat propositum aliqua ex re praemium civitatis?*

Eod. extremo cap. *Num igitur aut FVNDOS factos Velienses, aut sacerdotem illam* (Cereris, nomine *Calliphanam*: cui deae sacrificaturae mulieres, aut Neapoli aut Veliâ Romam accitae, civitate donabantur; *ut scientia peregrina, mente domestica & civili precarentur*, ut ait ibid. Cic.) *civem Romanam factam non esse, aut foedus* (Velienſe) *& a senatu & a populo Rom. violatum arbitrabimur?*

(154) Supra Cap. I. p. 468. cum animadvertissem, in probatissimis editionibus Gellianis (etiam in ultima limatissima Jac. Gronovii anni 1706.) duo illa monosyllaba (IN QVAM) in unum coaluisse, atque evasisse verbum *Inquam*, quod ibi nullius usus esset; mirabar cur nulli in mentem veniisset rursus divellere, & edere, IN QVAM . . . Sed ubi Rigaltii *Observationem de populis fundis* legi; in ea primum reperi non longe ab initio Gelliana verba recte a viro perspicacissimo recitari in hunc modum: *NI IN QVAM populus eorum fundus factus est.* Qui statim Gellianis ita subjicit: *Sic habentur extrema ista Gellii verba in libro Carrionis, rectissime; cum eoque libro facit alter ille, quem vos* (Puteanos fratres alloquitur) *nuper in Biblioth. Regia, me rogante, inspexistis.* Multo plus miror ab anno 1651. quo Rigaltiana illa scriptiuncula prodiit, neminem fuisse repertum, qui illud *Inquam* (quod junctum nihili est) in duo, ut ante erat, divulsum, in secutis editionibus exhibuerit.

Digitized by Google

modi omnia fundanorum municipiorum jura manarunt. In Cornelianae igitur cap. VIII. ex Julia lege iſtud recitatur, ut *Qui fundi populi facti non eſſent, civitatem non haberent*. Verba haec initio primae laminae Digeſti legum (nam plures fuiſſe oſtendi ſaepiſſime) praeiviſſe neceſſe eſt; ut populi Italici ſub ea conditione donari ſe civitate intelligerent, modo, non unam alteramve, prout commodum erat, legem adſciſcerent (nam hoc ſemper licuiſſe foederatis, ex Balbiana novimus) ſed abſolute ac ſine reſtrictione *Fundi fierent* (155) quippe cum hoc ad univerſum legum pandecten, pluribus tabulis comprehenſum (ex quarum naufragio hanc, quae una enatavit, hoc in opere dedimus) referatur. Ab ea igitur generali legum Romanarum municipalium docili acceptione Municipes illi non mere *Fundi* (nam & foederati qui ſuapte ſponte unam alteramve ex Romanis adſciſcerent, *Fundi* in eas facti dicebantur) ſed plane *Fundani* ſtabili appellatione nominati fuerunt.

Nec illud intereſt, utrum Heraclea ex lege Juliâ, an ex Plotiâ, aliâve ſimili, conſecuta ſit civitatem. Etenim cum lex Plotia non aliud quam extenſio Juliae fuerit; omnia ad Juliae exemplum rogata, perlata, & in tabulis deſcripta fuiſſe neceſſe eſt. Atque hic Anteloquii *de Fundanis* finis eſto.

(155) Excepto quod ultimo Digeſti xapite Fundanis municipibus permittebatur quaedam Romanis legibus de ſua penu addere, itemque Romanas non nullas leviter ſive mutare ſive corrigere licitum fuit, ut ex hoc ære intelligitur.

CAPVT XII.

Cui legum datio in Municipio fundano permiſſa, intra annum ad eas leges addere, mutare, corrigere liceto: eaeque leges ita refictae, tamquam ſi ab initio ita ſcriptae ſint, ita municipes fundanos tenento.

85 *Qui lege plebiſve ſcito permiſſus eſt fuit, ut leges in municipio fundano, municipibuſve ejus municipii daret:*

Graviſſimam haud dubie difficultatem ex hoc ultimo æris Kapite amovimus, poſtquam notionem *Municipii Fundani* docuimus. Adhuc tamen ſcrupuli non leves reſtant evellendi; ut intelligas, plus hîc in receſſu latere, quam in fronte promittitur.

VER. 85. *Qui lege plebiſve ſcito permiſſus eſt fuit, ut leges in municipio fundano... daret*] Agitur hoc ultimo kapite de legum harum datore, eodemque amplificatore, mutatore, correctore, ſingulis municipiis aſſignando: quem, quando aptius deeſt vocabulum Legum-datorem poſthac vocabimus. Rem inde ordiar. I. Verba hujus ultimi kapitis haud dubie ejusdem legis ſive Juliae ſive Plotiae ſunt, cujus & ſuperiora omnia. II. Haec vero lex (ſive legum συναγωγὴ) Julia, non eo uſque ſe demittere debuit, ut a rebus juris ad ea quae facti ſunt, deſcenderet, ac ſuos ſingulis municipiis datores legum nominatim aſſignaret. III. Quaeritur ergo ubinam aſſignatio legum-datorum pro ſingulis municipiis facienda fuerit, Romae ne, an in ſingulis municipiis, & quidem per tramites legitimos in ἀρχαιρεσίαις uſitatos. IV. Ac nihil mallem, ſi liceret, quam Romae id factum: quod tum verba illa ſuadere videntur, *LEGE PLebisVE SCito*, quae ſunt Romanae πολιτείας vocabula; tum

Digitized by Google

quod ex lib. ſecundo (156) in Verrem (aliis abſtineo) ab Roma legum conditores petebantur. V. Sed tamen diſpar eſt ratio. Nam in exemplis modo allatis leges a Romanis, ultro miſſis legationibus, petebantur: hîc autem his municipiis omnibus Digeſtum legum, a Romanis ultro jam ſcriptum, obtrudebatur; nec aliud reſtabat, niſi ut illud in ſingulis municipiis promulgaretur, idemque legibus aliis patriis, ſane quam neceſſariis, ſuppleretur.

Verum quid conſiliis capiundis (de eo, ubi nam hos legum-datores deſignari conveniret) quaſi res adhuc infecta ſit, tempus teritur, cum jam pridem datores iſtos legum creatos eſſe intelligam, idque lex hujus kapitis clamet? *Qui*, inquit, *permiſſus EST FVIT, ut leges in municipio Fundano . . . daret*. Ergo quo tempore Digeſtum ſcribebatur, jam ſingulorum legum-datorum deſignatio facta fuerat. Vbinam facta? Romae ne? Non puto: quia ſi Romae facta fuiſſet, non ſcriptum eſſet *LEGE PLebisVE SCito*, quaſi dubium eſſet; ſed id quod erat, dixiſſet, puta *lege*, aut vero, *plebis ſcito*. Niſi vero illud VE διηγετικὸν eſt, ut & *ſive*. Atqui quid percontando me ultra excrucio? Qui, ſi recte rei actae veſtigia exploro, ſatis perſpicere hoc videor, nim. dum hic legum pandectes Romae componebatur, interim lege aliqua ſive plebiſcito permiſſum, ut ſingulis in municipiis novum id legum σύνταγμα ubi abſolutum fuiſſet, promulgaretur, itemque (quia tum patriarum legum additamento opus erat, tum etiam videndum ne Romanae leges cum patriis colliderentur) ea legum digeſtio pluribus in locis, in quibus opus, refingeretur. Totam vero hanc Digeſti Romani recognitionem non alibi quam in unoquoque municipio a legum-datore ibi creando, patriorum inſtitutorum gnaro, fieri oportuit.

Dixeris, inauditum eſſe, ut ſubjectis civitatibus tantum tribueretur, ut ipſae per ſuos populares ſibi leges darent. At omitto, quod tanti fuit reſtinxiſſe belli ſocialis incendium. Omitto quod non alii quam municipes poterant Romanas leges cum iis, quibus a nativitate aſſueviſſent, apte componere. His, inquam, miſſis; quidnam rogo dignitati Romanae indecorum fuit, ſi ſelectiſſimus quiſque ex unoquoque municipali ſenatu aſſumeretur, cui (jam ceteroqui civi Rom.) ea tanta poteſtas permitteretur? Nam quantumcumq. id fuit, totum permiſſu Romano fiebat: *Qui*, inquit, *lege plebiſve ſcito PERMISSVS EST FVIT, ut leges . . . daret*.

IBID. *Qui . . . PERMISSVS EST . . . ut leges . . . daret*] Nova ſyntaxis verbi *Permittor*. Nam trita uſurpatio haec fuerat: *Cui permiſſum eſt, ut leges daret*. Sed tamen (praeterquam quod Graeca (157) ſyntaxis eſt in aliis ejusdem notionis verbis a Latinis expreſſa) ipſum iſtud

Per-

(156) *Exempla populorum leges a Romanis poſtulantium.*

Exempla hujuſmodi liber II. in Verr. plura ſuppeditat cap. XLIX. *Non modo Siculorum nihil in hac re valuiſſe leges, ſed ne ab ſenatu quidem populoque Rom. datas. Quas enim leges ſociis amiciſque dat is, qui habet imperium a populo Romano, auctoritatem legum dandarum a ſenatu, hae debent & populi Rom. & ſenatus exiſtimari.* Hac ead. ratione quas leges Cn. Pompeius, cum imperio in Pontum & Bithyniam miſſus, Ponticis & Bithynis dedit, eae leges pro Romanis habebantur. Loquitur de his ſaepe Plinius in ſuis ad Trajanum epiſtolis: ex quo loca plura in hoc Commentario ſupra variis in locis adſperſimus.

Mox in ead. Verr. ita ſequitur. *Haleſini pro multis & magnis ſuis majorumque ſuorum in remp. noſtram meritis . . . cum haberent inter ſe controverſias de ſenatu cooptando, leges ab ſenatu noſtro petiverunt. Decrevit ſenatus honorifico SCto, ut his C. Claud. Ap. F. Pulcher praetor de ſenatu cooptando leges conſcriberet. C. Claudius adhibitis omnibus Marcellis qui tum erant, de eor. ſententia leges Haleſinis dedit: in quibus multa ſanxit de aetate . . . de quaeſtu quem qui feciſſet, negligeretur: de cenſu de ceteris rebus. Quae omnia ante iſtum praetorem . . . valuerunt.*

Cap. L. *Agrigentini de ſenatu cooptando Scipionis leges antiquas habent: in quibus & eadem illa ſancta ſunt, & hoc amplius . . . ne plures eſſent in ſenatu ex colonorum numero, quam ex veterum Agrigentinorum.*

Extremo eod. cap. L. *Idem fecit* (Verres) *Heracleae. Nam eo quoque colonos P. Rupilius deduxit; legeſque ſimiles de cooptando ſenatu, ac de numero veterum ac novorum dedit.* Hic eſt ille Rupilius, de quo eod. lib. cap. 13. dixerat: *Siculi hoc jure ſunt, ut . . . quod Siculus cum Siculo non ejuſdem civitatis* (agat) *ut de eo praetor judices ex P. Rupilii decreto* (*quod is de legatorum ſententia ſtatuit, quam legem illi Rupiliam vocant*) *ſortiatur.*

Haec ubi ſcripſeram, reperi a me prope eadem, etſi aliorſum, adnotata fuiſſe p. 410. Adn. 46.

(157) Graecam conſtructionem eam hîc intelligo, qua dativus perſonae, cui quid creditur permittiturve, in rectum tranſit, cum quo tamquam cum ſuppoſito, verbum paſſivum convenit. Itaque

86 *ſiquis is poſt hanc legem rogatam, in eo anno proximo* (ex) *quo hanc legem populus juſſerit, ad eas leges* (addiderit, commutaverit, correxerit); *municipes fundanos*

Permittor eâdem, quâ æs noſtrum, conſtructione uſurpavit Seneca in IV. de benef. 12. *Latronibus circumventum defendo, ut tuto tranſire permittatur*. Idem in I. de Jra 7. *Animus ſi in iram, amorem, alioſque ſe projecit affectus, non permittitur reprimere impetum*. Adhaec & Quintil. Decl. II. *Dum ad colligendum pondus dextra redire permittitur*. Etiam Plinius XVII. 21. quamvis in re diſſimili, ſcripſit: *Nec ſunt* (in vite palmites) *plures quaternis unquam permittendi.*

IBID. *In Municipio FVNDANO*] Quid vox *Fundanus* toto hoc kapite valeat (nec enim quidquam cum Latii Fundis commune habet) ſuperiore Anteloquio abunde dictum fuit. Ea niſi cognôris, fruſtra te ſperes kaput iſtud intellecturum.

VER. 86. *SI QVIS IS ad eas leges* (addiderit, commutaverit, conrexerit) *municipes Fundanos item teneto . . .*] In iis primis tribus monoſyllabis σολοικοφανὴς videtur conſtructio. Nam poſt *Si quis* inſolens eſt addi *IS* aut tale aliud. Atqui rectiſſima ſyntaxis haec eſt. Nam poſt *Si quis* liberum eſt aliud nomen ſive patrio caſu, ſive recto addere. Nec *SI QVIS IS* minus rectum, quam *Si quis civis*. Sicuti ergo τὸ *Si quis eorum* partitivâ (uti grammatici vocant) conſtructione nemo criminabitur, ita nec per ſyntaxin convenientiae accuſabis τὸ *Si quis is*. Eod. verſu quae tria uncis a me interpoſita vides, nempe (*Addiderit*, *commutaverit*, *conrexerit*) ne dubita, quin ſint ipſiſſima verba Legis, quae neſcio quo veterno captus, ſcalptor eſt praetervectus. Eſſe autem verba ipſa Legis, oſtendit mox ver. 88. ubi legitur, *Ad eas leges additae, commutatae, conrectae eſſent.*

Poſt H. L. R.] Singulariter ne *Poſt hanc legem rogatam*, an plurative, *poſt has leges rogatas* interpretari opus ſit (neque hîc ſolum, ſed & paullo poſt eod. ver. ubi ait: *Quo h. l. populus juſerit*) dubium eſt. Equidem adduci non poſſum, ut plurative *Has leges rogatas* interpreter, ita ut referatur ad omnes ac ſingulas, quae hoc ſyntagmate legum continentur. Etenim ſi ſingillatim ad omnes referretur; nefas eſſet eas poſtea a legum datore municipali *mutari* aut *conrigi* poſſe (poſtquam ſcil. *Rogatae* fuiſſent, h. e. *Juſſae*; ſic enim *Rogandi* verbum ſtatim hoc eod. ver. per *Jubeo* redditur his verbis, QVO · H · L · POPVLVS · IVSERIT) id vero, inquam, abſurdiſſimum & Populi majeſtati inconveniens eſſet. Ergo magis eſt, ut interpreter ſingulo numero, *Poſt hanc legem rogatam*, & mox, *Quo hanc legem Populus juſſerit*; ita ut Lex Julia, ſive Plautia de civitate populis Italicis danda intelligatur. Ac jam antea p. 409. ad v. 14. (ubi ſcribitur, *H · L · eſſe non licere*) oſtenſum fuit, non legendum eſſe *His legibus*, ſed *Hac lege*. Vide ibi notata. Nec refert, quod haec eadem lex contineat ſyntagma multiplex legum variarum. Nam tota iſta digeſtio unius *Legis* nomine veniebat, quae proprio nomine *Julia*, appellativo videtur *Lex municipalis* (ut in tit. *Ad Municipalem*) aut abſolute *Lex* (ut apud Cic. VI. fam. 18.) aut etiam *Lex Satura* dicta. Ac de *Satura* tanta eſt rerum pulcherrimarum copia a viris eruditis congeſta, ut ea ſi huc comportaverim, longum facturus ſim. Itaque praeſtabit ſi meliora, ac rectius decreta, ſeorſum in imam (158) pagellam conjiciam.

que ἐπιτρέπω, & ἐπιτρύω certe dativum perſonae poſt ſe gerunt. At ea verba poſtquam paſſiva fiunt, ita conſtruuntur: ἐγὼ ἐπιτρέπομαι, aut ἐπιτρύομαι τοῦτο. Saepius vero ſic, quam ἐπιτρέπεταί μοι τοῦτο, uſurpatur. Hinc illud eſt, *Permittitur ille* pro *permittitur illi*, in aere hoc & in Senecae exemplis.

Nec aliter in *Concedo* & *Sino*. Virgilius: *Fatis numquam CONCESSA moveri Apparet Camarina*. Manil. lib. IV. *Faſtidito CONCESSA eſt jure potiri*. *Sinitur* quis, aut *Situs eſt*, facere quidpiam, vulgarius eſt, quam ut exemplis allatis ſit opus.

(158) *DE LEGE SATVRA & PER SATVRAM.*

Inter Satyram atque Saturam Voſſii diſcrimen non probatur. De Satura Lege Feſti, Iſidori, Philoxeni loca: quae Schotto falſo ſuſpecta. Lex ſatura a Lege per ſaturam accurate diſtinguenda. Lex ſatura non vetita per legem Caeciliam Didiam, modo ſeorſum ſingula rogarentur: at eadem lex Caecilia legi per ſaturam ſeſe unice oppoſuit. Lex Caecilia Didia ex verbo ſenatorio DIVIDE illuſtratur.

Lex

Digitized by Google

Lex æris hujus cur Satura, non vero per Saturam dicenda sit, ex Tullio ostenditur.

Supra in fine Excurs. de Frumentat. p. 323. extremo capite IV. me de *Lege Satura* alicubi dicturum prae me tuli. Hoc vero loco non alius opportunior. Atque ut recta viâ procedam, a *Saturae*, sive *Satyrae* vocabulo ordiar. Vossius in Etym. ita distinguit, ut *Satyra* h. e. Satyrica poesis Lucilii, Horatii, Persii, a *Satyris* dicta sit; ut contra illa altera Ennii & Varronis vocanda sit *Satura*. Parum probo; magisque illud placet, satyricam Graecorum poesim, qua συγγράφοι h. e. *syllorum scriptores* utebantur, recte vocari *Satyram* & a Satyris videri nominatam: at quae Latinis in usu fuit, usque ab initio fuisse Miscellum carmen (& quidem in primordiis serium, postea eo traductum, ut ridendo verum diceretur) miscellas vero res omnes *Saturae* vocabulo comprehensas: sicuti miscella lanx, farcimen miscellum, lex varia continens, denique carmen miscellaneum, haec omnia & fortassis alia, *Saturae* nomine veniebant: etsi interdum in libris Y loco V irrepserit. Verum genus universum talium mitto, meque tantum ad legem miscellam h. e. ad *Saturam legem* refero. *Satura* (ait Festus) *lex est, multis aliis legibus conferta*. Quod vero statim addit (*Itaque in sanctione legum* &c.) hinc alienum est, uti post dicam ubi de *Lege per saturam*. Isidorus V. Orig. 16. *Satyra vero lex est, quae de pluribus rebus simul loquitur, dicta a copia rerum & quasi a satietate*. Ex etymo patet, *SatVra* ab Isid. scriptum. Sed nihil Philoxeni Glossis significantius, in quibus ita legitur: *SATVRA:* Νόμος πολλὰ περιέχων. Atq. haec grammaticorum loca in suspicionem Schottus in I. Observ. 2. vocat, tamquam ex mendoso jam olim Sallustii loco ab iis descripta. In Sallustii enim Jugurtha cap. 29. ita olim in editis legebatur: *Quasi per saturam (legem) sententiis exquisitis, in deditionem accipitur*. At ubi in melioribus scriptis abesse illud *Legem* animadversum fuit; pleno criticorum suffragio in secutis editionibus ea vocula solum vertere coacta fuit. Verum ut cum Schotto agam; estne credibile Festo Pompeio, (qui prior Sosipatro, a quo citatur, fuit) maculosiora Crispi exemplaria ad manus fuisse, quam quae ad hunc diem asservantur, in quorum pluribus illud *Legem* abest? At quid moror? Aliud, si me audis, *Lex satura*, aliud *lex per saturam*, de qua in fine dicam: quae duo tum olim grammatici, tum postea viri aetatis hujus doctissimi in unum commiscuerunt; quo facto huic rei spissam offudere caliginem.

Ergo uti dicebam, aliud *Lex satura*, cujus meminit Festus (nisi quod ea mox addidit, per quae hanc videatur cum *lege per saturam* permiscuisse) meminere Isidorus, & Philoxenus Glossographus: aliud vero *Lex per saturam* rogata. Errant quoque qui *Saturam* legem vetitam fuisse Caecilia Didia lege volunt; nam haec non *Saturae* legi, sed rogationibus per saturam dumtaxat obviam ivit. Leges ergo Saturae numquam non usitatae fuerunt, etiam post Caeciliam Didiam plurimae latae, quae plurima complectebantur: quod si exemplis monstrare pergam, ineptiverim. Nostra lex æris hujus nihilo minus, imo magis etiam aliis de genere legum saturarum fuit, quamvis post Caeciliam Didiam rogata. Eaedem vero Saturae leges vitio legis per saturam caruerunt.

Videamus jam quodnam id vitium; sic enim & naturam *legis per saturam* perspiciemus. *Satura*, ut initio vidimus, id omne fuit, quod miscellum ac temere ex rebus diversi generis permixtum. Talis *lanx satura*, & farcimen illud, cui *Saturae* nomen, item Carmen cognomine, ac demum (νόμος πολλὰ περιέχων) *lex plura complectens* haud invicem cohaerentia. Ab his vero miscellaneis rebus factum est, ut quidquid in eum modum componeretur, id *per Saturam fieri* diceretur. Lucilius apud Diomedem non de lege satura loquitur, sed, ut videtur, de suffragiis in creando aedile permixte & inordinate latis.

Per saturam aedilem factum, qui legibus solvat.

Eodem & illud refer, quod Festus in *Satura* ex T. Annii Lusci Orat. in Ti. Gracchum citat: *Imperium quod plebes per Saturam dederat*. Per saturam datum imperium criminatur, quia uno rogatu & de imperio dando, & de aliis rebus pluribus permiste, non seorsum, ut oportuit, populus rogatus fuerat. Mox idem Festus ex C. Laelii oratione ea ipsa laudat, quae hodie in Sallustio Jug. cap. 29. leguntur: *Dein postero die quasi per saturam sententiis exquisitis* (Jugurtha) *in deditionem accipitur*. Ait *per saturam* in consilio militari exquisitas fuisse sententias, h. e. perturbate, permiste, nulloque ordine servato. Ac ne hîc quidem lex ferebatur: verum ex Sallustio intelligis, quidquid permixte & inordinate fieret, id factum dici *Per saturam*: de quo nunc quaerimus. Neque porro Justinianus mihi indictus abibit. Qui in Prooem. de rat. disc. jur. *Et primi anni hoc opus legentibus tradebatur, non secundum Edicti perpetui ordinationem* (ut fieri oportuisset) *sed passim & quasi PER SATVRAM collectum, & utile cum inutilibus mixtum*.

Venio jam ad legem Caeciliam & Didiam, quae Saturas leges cassas reddidisse putatur. Non ita: verum quam Caecilia Didia vetuit, ea non lex *Satura* (rara enim lex non plura kapita complectebatur) sed *per Saturam* rogata intelligenda est. Non vetabantur plura rogari, modo seorsum, non conjunctim rogarentur. Ratio promptissima est illa, quam Cicero pro Domo cap. 20. affert. *Quae est alia vis* (inquit) *quae sententia Caeciliae legis & Didiae, nisi haec, ne populo necesse sit in CONIVNCTIS* (uno rogatu scil.) *REBVS COMPLVRIBVS, aut id quod nolit, accipere, aut id, quod velit, repudiare?* Ea quoque vis fuit senatorii verbi *Divide*; tum usurpati cum aliquis in dicenda sententia res plures dispares complexus fuisset. Asconius: *Cum aliquis in dicenda sent. duas plureve res complectitur, eae si non omnes probantur, postulatur ut dividat, i. e. ut de rebus singulis referatur . . . Sedentes* (qui volunt) *hoc unum verbum pronuntiant: DIVIDE*. Ab eadem est causa quod quas legislatores perpetuo valituras esse leges cuperent, in earum sanctione, qua poena in violatores sanciebatur, diserte adjicerent: NEVE PER SATVRAM ABROGATO AVT DEROGATO uti Festus testatur. Quo spectat & illud in aenea tabula scriptum, EXTRA QVAM SEI QVID IN SATVRAM FERETVR.

Ergo, uti ad Tabulam nostram deveniam, Lex æris hujus *Satura* quidem, sed non rogata *per saturam* habenda est, sive quia singula quaeque kapita seorsum rogata fuerunt; sive quod ad unum aliquod, quod distertim rogatum fuerit, cetera referebantur, eoque continebantur. Ac posterius hoc multo mihi verius videtur. Referebantur enim omnia kapita æris hujus ad illud unum, quod Tullius in Balbiana cap. VIII. contraxit. *Ipsa*, inquit, *denique Julia* (lex lata fuit): *qua lege* (ita) *civitas est sociis & Latinis data* (ut) *qui FVNDI POPVLI FACTI NON ESSENT* (in hoc scil. legum corpus) *civitatem non haberent*. Haec

summa

Digitized by Google

87 *item teneto, uti oporteret ſi eae res ab eo tum, quum primum leges eis municipibus lege plebiſve ſcito dedit,*
88 *ad eas leges additae, commutatae, correctae eſſent: neve quis intercedito, neve quid facito, quominus.*

Ergo quae hîc ſingulo num. *Lex rogata* & *Lex juſſa* dicitur, illa ipſa eſt Lex Julia, cujus ſententiam Tullius in ea pro Balbo cap. VIII. expreſſit, Vt *Qui FVNDI populi facti non eſſent* (in hoc ſcil. legum Digeſtum, ſive, uti tum aliqui loquebantur, in hanc *legem Saturam*) *civitatem non haberent*. Praeter cetera vero legis hujus kapita, hoc etiam ultimum a pop. Romano juſſum fuit, uti in ſingulis Fundanis municipiis permitteretur aliquis legum-dator, cui liceret ad eas leges, hoc Pandecte contentas, *Addere*, *Commutare*, *Conrigere*.

IBID. *Si. quis : . . in eo. anno. proxumo. quo. hanc. legem. populus. JVSERIT* (pro (*) *juſſerit:* nam antiquis ſollemne fuit ſingularem conſonam pro duplici ſcribere) *ad. eas. leges. municipes Fundanos. item. teneto.*] Nemo non videt totam hanc comprehenſionem ἀναχόλυθον eſſe, ac mendi manifeſtam: ut omittam quod hujuſmodi conſtructio, *AD EAS leges . . . teneto*, σόλοικος eſſet; quia ſcribendum fuiſſet, *Iis legibus teneto*. Mihi non eſt dubium, quin hîc voculae tres ſcalptori ſomniculoſo exciderint, ex verſu penult. (ubi legitur, *Ad eas leges additae, commutatae, correctae*) hîc ſupplendae, ſicuti jam ſup. monui, & in textu ſupra ſcripto ſupplevi. Non ineptum vero fuerit hîc animadverti, ſicuti praetoris jurisdictio tribus verbis ſollemnibus *Do*, *Dico*, *Addico* continebatur; ita & hujus municipalis legum-datoris totam jurisdictionem tribus verbis fuiſſe abſoluta, *Addo*, *Commuto*, *Conrigo*. Ad grammaticam ſyntaxin quod attinet, *Addere AD* non modo hîc, ſed & uſurpatum alibi (159) reperitur. At quod legum lator *tenere municipes* legibus dicitur (*Municipes*, inquit, *teneto*) id non memini alibi legiſſe. Sic etiam & verſu ultimo ſcribitur: *Quove minus municipes Fundanos teneat*. Poſtremo quod extremo hoc verſu *MunicipIeis* pro *Municipeis* ſeu pro *Municipes* ſcriptum deprehendatur, facile illud I ἐπενθετικὸν errori caelatoris tribuendum; nec enim ſicuti *PrincipIum* pro *Principum* reperitur (160) alicubi uſurpatum (imo & in hoc ære ipſo ver. 71. *MunicipIum* pro *Municipum:* quod me in loco notaturum cepit oblivio) ita & recto aut quarto caſu idem illud I inſertum alibi reperias. At contra v. 9. 68. 83. τὸ *Municipieis* pro *Municipiis* rectum eſſe, pueri norunt.

VER. 87. 88. *Item teneto, uti . . . ſi eae res . . .* (ab initio) *. . . additae, commutatae, conrectae eſſent.*] *Item* hîc non pro *Etiam*, ſed pro *Ita* ſumitur; ſicuti etiam ſup. in ære Brit. v. 3. & 4. eadem notione uſurpatur, & apud Tullium non ſemel, alioſque nonnullos.

EOD. VER. 87. *Quum primum leges eis municipibus lege plebiſve ſcito dedit.*] Haud dubie hoc loco illud, LEGE · PL · VE · SC · DEDIT, eodem prorſus intellectu accipiendum eſt, ac ſupra initio kapitis, *QVEI · LEGE . PL · VE · SC · permiſſus eſt* &c. niſi quod illic *lege plebiſve ſcito* (Romae utique facto) permit-

ſumma Juliae legis fuit; idque kaput unum, quo tota haec legum farrago, jam antea populi juſſu compoſita, continebatur, rite rogari ac perrogari oportuit. Lex quidem Satura fuit, quod plurima complecteretur: at ea tamen ad unum omnia kaput referebantur. Atque huc pertinere poteſt illa *Satura*, cujus meminit Diomedes. *Alii dictam putant a lege ſatura, quae uno rogatu multa comprehendat*. Vno rogatu, ait, quippe cum in eo, de quo loquitur, uno kapite omnia continerentur.

(*) In ære Neap. exempla plura ſuppetunt. Vt v. 7. *juſerit*, 47. *juſet*, *juſerit*. Ver. 10. 56. *ſufragio*.

(159) Tullius *Addere in*, & *Addere ad* ſaepe dixit. Ad Att. I. 13. *IN illam orationem Metellinam addidi quaedam*. Et cum IN quidem facilius reperitur: at cum AD uſurpavit I. Off. c. 37. *Quid AD hanc manſuetudinem addi poteſt?* Et ad App. Pulchrum ſcribens: *Additum potius AD meum erga te ſtudium*. In Ver. *Siquam partem tuae praedae ad ſummam decumarum addidiſſes*. Ex Ovid. IV. Faſt. laudatur haec locutio, *Annos duos ad duo luſtra addere*. Tabula noſtra non tantum hîc, ſed & ver. 88. ead. conſtructione utitur.

(160) Vide Voſſium in IV. de Ar. gram. 14. ubi Juſtinum lib. 1. ſcripſiſſe patrio caſu *PrincipIum* pro *Principum*, imo & Licinium ſimiliter locutum, auctore Cujacio, obſervat: quo modo ex noſtrum minime erraſſe dicemus, ubi v. 71. *MunicipIum* pro *Municipum* uſurpavit.

Digitized by Google

mittebatur, ut aliquis in unoquoque municipio sive ab loci senatu sive a populo crearetur legum (hujus Digesti) dator, amplificator, mutator, conrector : hîc autem ex vi ejusdem legis plebisve sciti is legislator jam leges illius Digesti suis municipibus dat: quibus mox legibus intra anni curriculum alias addit, alias sive commutat, sive emendat. Hic enim vero locus pulcherrimus est : qui me plane cogit, ut quo ordine haec omnia tunc in municipiis processisse oporteat, ex hujus ultimi kapitis quibusdam veluti nutibus atq. obscuris significationibus expiscari coner.

CONIECTIO

Quibus gradibus quove processu municipalis legum-dator legis Juliae scita auxerit mutarit, refinxerit: deque Digesto tum priore, tum altero repetitae praelectionis.

Postquam legum municipalium Digestum in unum aliquod ex municipiis fundanis perlatum fuit ; hac legitimorum actuum serie res ejus municipii publica fuisse ordinata videtur. I. Ante omnia Legum-dator creandus fuit. Non eum intelligo, per quem hujus æris pandectes concinnatus fuit (nam hic Romae compositus pro omnibus Municipiis, coloniis, praefecturis, foris, conciliab. jam ante fuerat) sed alter ille unicuique ex fundanis municipiis peculiaris, de quo loquitur v. 85. & seq. Ac vox PERMISSVS (161) suadet, hujus legum-datoris creationem senatui populoque municipali fuisse permissam, & quidem modis in ἀρχαιρεσίαις cujusque municipii usitatis.

II. Huic Legum-datori videtur consilium ex aliquot senatoribus compositum adsedisse. Exempla ex Verrinis (162) & aliunde suppetunt.

III. Porro idem hic dator legum videtur principio illud Juris Digestum ab Vrbe submissum ipse cum suo consilio excussisse, & forsan alicubi (163) jam tum initio leviter refinxisse, ac demum ita crasse informatum promulgasse ; ut iis legibus statim proximo primo anno municipes uti (nequo scil. tempore exleges essent, & ut nova jura experiundo probarent improbarentve) inciperent, ante scil. additiones ac mutationes illas, quas decurrente primo anno afferri per otium eidem Digesto licebat. Ac certe ver. 86. 87. ita legitur: *Municipes fundanos* (legum-dator legibus a se post annum additis) *item teneto, uti... cum primum leges eis . . . dedit*. Quo significatur, & leges statim, ac fuerant allatae, fuisse datas, & nihilominus proximo toto anno in iis legibus locupletandis elimandisque fuisse insudatum.

IV. Vbi toto anno in recognoscendo perficiendoque legum syntagmate laboratum fuit ; alter, legum *Codex* (164) *repetitae praelectionis* denuo promulgabatur : quibus legibus additis mutatisve ita tenebantur municipes, quasi si ab initio, cum prior pandectes ab Vrbe advectus fuit, is repetitae praelectionis pandectes rite promulgatus fuisset. Vide ver. 86. 87.

Atque

(161) Hoc equidem volo dicere. Si is legum-dator Romae creatus suffragio populi fuisset, ab Vrbe vero principe in quodlibet municipium submissus esset ; non uteretur Tabula voce *Permissus*, sed *Creatus*, *Designatus*, *Renuntiatus*, aliove verbo in hisce usitato. Nunc verbis illis [*Lege Plebisve scito permissus est*] prorsus notatur, non aliud pro imperio jussisse Populum Rom. quam ut aliquis in municipiis leges daret, adderet, corrigeret : ceterum hujus legum-datoris creationem comitiorum municipalium suffragiis fuisse permissam. Qui vim verbi *Permitto* intime persentiscit, mecum sentiet.

(162) Vide exempla ex lib. 2. in Ver. quae supra Adn. 156. produxi. C. *Claudius*, *adhibitis omnibus Marcellis*, *qui tum erant*, *de eorum sententia leges Halesinis dedit*. Adhaec lib. 2. cap. 13. *Quod* (decretum) *is* (Rupilius) *de decem legatorum sententia statuit : quam legem* (judicialem) *illi Rupiliam vocant*. Atque is mos omnium Romanorum in provinciis, quas pro imperio obtinebant, leges ferentium fuit. Quorum exempla imitari municipes hosce fundanos decuit.

(163) Ex iis quae superne num. III. attuli, non est dubium, simul ac syntagma legum ab Vrbe in aliquod municipium apportatum fuit, illud statim a legum-datore (antequam scil. illa scita discuterentur, amplificarentur, corrigerentur) fuisse promulgatum, ut esset jus aliquod, quo proximo primo anno municipes uterentur. At hoc non prohibet, quin, quae in Rom. Digesto prorsus absona moribus municipalibus primo intuitu viderentur, ea jam tum initio corrigerentur, & consentaneis permutarentur, idque ante curas posteriores proximi primi anni. Saltem si minus id verum, videtur certe verisimillimum.

(164) Justinianea locutio est, huic, quo de agitur, negotio congruens. Ita enim sui Codicis δευτέραν ἔκδοσιν (i. e. *editionem secundam*) Imperator vocavit non sine praevio veterum exemplo, ut ipse fatetur in *Const. CORDI NOBIS* §. 3. *De emend. Cod.* his verbis utens : *In antiquis libris non solum primas editiones, sed etiam secundas (quas REPETITAS PRAELECTIONES veteres nominabant) subsecutas esse invenimus : quod ex libris Vlpiani, viri prudentissimi, ad Sabinum scriptis, promptum erat quaerentibus reperire.*

Digitized by Google

Atque haec ad rei geſtae ordinem pertinent. Nunc duae ſuperſunt enodandae quaeſtiunculae. Prior illa eſt, utrum haec Heracleotica lamina (quae una ex pluribus ſupereſt) ad *codicem repetitae praelectionis* pertinuerit, an vero ad rudem illam priorem informationem, quam Heracleenſes municipes ab Vrbe acceperunt. Mihi non eſt dubium, fuiſſe prioris Digeſti, prorſus ut a Romanis miſſum fuerat, partem. Id ſuadetur hoc ultimo kapite, quo facultas legum-datori fit, ut addat, mutet, corrigat, ſicuti municipio expedire viſum fuerit. Quare non dum ad incudem revocatum ſyntagma fuerat, nec corpus illud legum limam municipalem ſenſerat. Ergo poſtquam leges Romae digeſtae fuerant, & uni aut pluribus in libris conſcriptae & Heracleam allatae fuiſſent; nihil Heracleae ſenatus ei curae praevertendum putavit, quam ut legum-dator crearetur, creatus autem, leges illas, etſi adhuc intactas, aut quam leviſſime refictas, promulgaret, ac poſtremo promulgatas in æs rudi, ut vides, ſcalptura (ut in brevi duraturis fit) incidi curaret, & quidem (ne gravi ſumptu remp. premeret) in aversâ inſcriptionis agri Dionyſiaci, quae jam nullius uſus eſſet, paginâ deſcribi quam negligentiſſime faceret. Adde & infinitam mendorum ſylvam: quae omnia oſtendunt, eam ſcalpturam ad breve anni tempus fuiſſe comparatam: quo praeterito, ſtatim ac nova æra *repetitae praelectionis* priori ſucceſſiſſent, illa vetera illatum iri in aerarium, una cum ceteris veteribus caſſarum virium monumentis aſſervanda. Poſtremo & illud accedit, quod in Graecis municipiis legum, quamvis Romanarum (ſive potius Romano-Graecarum) corpus, patrio h. e. Graeco (165) ſermone ſcribi moris fuit. Superſtes autem lamina cum Latine ſcripta ſit, apparet eam de volumine ab Vrbe allato fuiſſe ἀμέσως deſcriptam, & quidem mendoſiſſime, utpote per Graecos, Latine ignaros, exaratam. At interim ex iis tabulis, in quibus Pandectes Heracleoticus ab Heraclienſi legumdatore refictus Graeco ſermone exhibebatur, nullam ad nos uſque ſuperſtitem enataſſe, fruſtra ingemiſcimus.

Altera quaeſtio ex claſſibus legum duabus, quas haec lamina offert, naſcitur. In hac enim priora quatuor kapita leges in ipſa Vrbe ſervandas continent (veluti de frumentatione, de viis, de ploſtris, de locis publicis) kapita vero ſequentia leges & inſtituta in urbium Italicarum uſum comparata proponunt. Nec difficile eſt ſuſpicari, ceteras tabulas (nam plures numero (166) fuiſſe, certiſſimum eſt) ſimilem partitionem fuiſſe ſecutas. Verum quisquis ceterarum ordo fuerit; ajo, non inutiliter leges illas priores, in Vrbe cuſtodiendas, fuiſſe propoſitas. Nam his dupliciter tenebantur hi novi cives Romani, ſive uti ſcirent, quonam Romae, quoties eo (aut ad ferenda ſuffragia, aut animo ſtabili) commigrarent, jure uſuri eſſent; ſive ut in municipiis ad eas leges ſuos mores, quoad poſſent, attemperarent, eaſque additis ac mutatis mutandis imitarentur. Exemplo ſit kaput æris Britannici alterum bene longum *de tutela viarum*. Quis non videt, illud, uti ſonat, uni Romae convenire? Et tamen nonniſi ex kapite illo de viis lex aliqua municipalis viaria Graece ſcripta manaverat, ex qua Ἀγρονομικὸς (167) poſtea Papiniani excerptus fuit: quod conferenti patebit. Nec ſecus ad kapitis primi Britannici *de frumentatione* normam, διανομὰς ſuas, in municipiis coloniiſq. uſitatiſſimas, diri-

(165) Municipales leges patrio cujuſque municipii ſermone fuiſſe ſcriptas, oſtendit Scaevola l. ult. *De decr. ab ord. fac.* ubi ſcribitur: *Municipii ita lege cautum erat. Εἀν τις ἐξω τῶ συνεδρίω δικάσητα, ἢτοι συνεδρίω ἀργίσθω, καὶ προσαποτινύτω δράχμας χιλίας.* „ *Siquis extra ſynedrium judicaverit, ordine* „ *ſeu ſynedrio moveatur, & luat adhaec drachmas* „ *mille* „. Vbi *lex municipii* Graece concipitur, haud dubie quia municipium illud Graecum erat. Huc referri debet & Papiniani Ἀγρονομικὸς: ex quo illud Graecum fragmentum eſt, quod in l. un. D. *de via publ. & ſiquid in ea . . .* legitur. Verum de hoc in ſeq. Adn. 167.

(166) Haec lamina in ære Britannico (cui quidem a principio nihil deeſt) conſueto legibus ceteris exordio caret. Quocirca ſine controverſia alias ante ſe tabulas ſorores habere debuit. Habet autem haec noſtra clauſulam hujuſmodi, ex qua poſſis intelligere, aut hanc lamnam fuiſſe omnium ultimam, aut (ſi forte ſimili fine tabulae omnes concludebantur) poſt hanc praeterea & alias tabellas eſſe potuiſſe.

(167) *EXCVRSIO DE PAPINIANI* Ἀγρονομικῷ.

SECTIO I.

Cauſa Excurſionis hujus.

Conradianorum (quae ſup. p. 294. dedi) Caput VI. & inſuper Excerpta quaepiam ex ejusdem Con-

Digitized by Google

Conradi praef. (quae pag. 295. protuli) in eo versantur, ut Papiniani Ἀσυνομικὸν nihil cum Lege municipali habere commune, sed totum quantus est, ex Jure Romano, & ex æris Britannici Kapite II. (quod *De tutela viarum & semitarum* recte inscribi potest) manasse, & ad idem kaput prorsus referri, Conradus ostendat: in quo habuit suffragatores plures ante se, sed adversarium Ev. Ottonem, & quemdam GE. de ARNAVD. Ambobus enim in Papiniani Ἀσυνομικῷ lex aliqua municipalis suboluit. Omnes autem, praeter unum Conradum, æris Brittannici igneri fuerant.

Eâd. pag. 294. in fine *Moniti* me de ea re aliquid in loco interlocuturum promisi. Atqui hic promissi exsolvendi locus opportunus videtur. Verum antequam conferam cum Conrado manus (quod Sect. IV. fiet) Papiniani tum interpretatio Latina, tum & Graecus ipse textus, expurganda mihi necessario veniunt.

SECTIO II.

De suppresso in Gothofredi editione Graeco Papiniani textu, expostulatio; & quod Latina ejusdem Gothofr. interpretatio gravibus mendis minime careat.

Antequam vero ad Papiniani nobile fragmentum excutiendum venio; quae mens Gothofredo fuerit (nisi si in quem alium editionis ejus pulcherrimae curatorem conferenda sit culpa) quid inquam Gothofredum impulerit, ut Graecum ICti textum lectori invideret, ejusque loco interpretationem a se factam (quippe veterem illam Pisanam, quae in vulgatis Pandectis Graeco textui subjicitur, uti mendosam rejecit) substitueret, non intelligo. Quanti laboris erat Graece & Latine Papiniani ἀποσπασμάτιον, ut ante edebatur, recudere? Atqui etsi barbariem illam Pisanam detergere studuit, ne sic quidem bonus Dionysius Pisanae translationis menda sustulit. Exemplo sit illud in ipso principio legis hujus: in quo verba illa, καὶ ῥεύματα μὴ βλάπτῃ τὰς οἰκίας, Gothofredus juxta cum Pisano vertit: *Et effluxiones non noceant domibus*. Mitto quod *Effluxionis* (I) vocabulum veteri Latio ignotum fuit. At verti debuit, *Et uti fluenta* (imbrium) *ne domos corrumpant*. In Cyrilli Glossis Ῥεῦμα est *Aquae cursus*. Item in aliis Glossis Ῥεύματα sunt *Fluenta* aut *Plumenta*. Nec dubium est quin a torrentibus imbrium lex caveri jubeat.

Jam vero in §. 1. vertendo Gothofredus haud minus Pisano immane aberravit. Verum de hoc §. primo infra viderimus: quippe in quo Graeca verba haud dubie aliquid monstri alunt.

§. 2. Pisanus interpres habet: *Curent autem, ut nullus effodiat vias, neque SVBRVAT* &c. Gothofredus omnia totidem verbis. Saltem mutasset illud *Subruat*, cujus contrarium est, quod illic Graece legitur. Nam χωννὺς adeo non est *Subruat*, ut sit potius in via sive humum, sive rudera, sive aliud aggerere.

Adhaec eod. §. 2. tam Pisanus quam Gothofredus illud ἐνδεικνύσθω vertunt *Demonstretur*. *Si liber*, inquiunt, *demonstretur Aedilibus*. Atqui Ἐνδείκνυσθαι ibi non est *Demonstrari*, sed *Accusari*: quod ex plurimis optimorum scriptorum exemplis constat. At poterat Noster *Indicandi* verbo uti, quod aeque late patet atque ἐνδεικνυμι. Sumitur *Indico* pro *Defero* & *Accuso* tum a scriptoribus aliis, tum potissimum ab ICtis. Vel vide Ulpianum l. 197. *de verb. sign.* & confer cum l. 3. §. 13. 14. D. *de SC. Silan.* & *Claudian*. Verte igitur, *Indicetur Aedilibus*.

Postremo §. 3. illud . . . τὰς ὑδροῤῥοὰς ἐκκαθαίρειν τὰς ἐκ τῶν ὑπαίθρων verterat Pisanus: (*Vnusquisque secundum propriam domum*) *aquaeductus purget, qui sub divo sunt, i. e. caelo libero*. Gothofredus ne uno verbo minus. Atqui reddi oportuerat: *Emissaria purget, quae ex cavaedio* (suae cujusque domus) *fluunt*.

De verbo Ἐπισκευάζω (quod perverse uterque interpres ubique reddidit *Construo*) dicam infra tum alibi, tum Adn. V.

SECTIO III.

Errata alia utriusque interpretis. Ibidem loco corruptissimo medicae afferuntur manus.

Jam vero §. 1. Pisano interpreti in maculosissimo loco aquam haesisse non miror. *Studeant* (inquit Pisanus) *ut PROPRII parietes & aliorum aliquid quae circa domos, quae ad viam publicam ducunt, non labilia sint: quatenus ut oportet, emundent domini domorum & construant*. Ineptissime: quia textus corruptissimus erat Pisani tempore. At postea ita constitutus fuit: Ἐπιμελέσθωσαν δὲ καὶ (οἱ ἰδιοι) τοίχοι ἢ τῶν (ἄλλων) ἢ τῶν περὶ τὰς οἰκίας, οἱ εἰς τὴν ὁδὸν φερόμενοι, σφαλεροὶ ὦσιν, ἵνα ὡς δεῖ, καθάρωσιν οἱ δεσπόται τῶν οἰκων, καὶ ἐπισκευάζωσιν. Quae uncis interposui, in iis ulcus residet, quod medicam editoris manum poscebat. At noster Dionysius ita vertit: *Studeant etiam ne eorum aut aliorum parietes, etiam domorum, qui ad viam ducunt, sint caduci: sed ut oportet, emundent domini domorum, & construant*. Mitto quidem quod σφαλερὸς non *caducum* sed *lubricum*, aut potius (II) *Labidum* (uti Vitruvius loquitur) vertere debuit: mitto alia plurima. At illud ingentem sententiae totius confusionem parit, quod cum ante illud (ἵνα) sensus adhuc pendeat, qui ab ἵνα ὡς δεῖ &c. perficiendus est; tamen ibi a Gothofredo nova inchoatur sententia. Hoc idem & Pisanus peccarat: at huic venia danda, quem corruptissimo codice usum apparet. At Gothofredus Graeca, uti nunc in editis exstant, ita vertere debuisset, ut illud κἂν in καὶ ἄν h. e. *Insuper, si* . . . resolveret, atque in hunc modum totidem verbis redderet: *Curent insuper, si quidem proprii muri, aut aliorum, aut eorum, qui circa domos sunt, qui in viam feruntur, lubrici fuerint, ut eos domini domorum, ut oportet emundent, atque resarciant*. Ita verbum verbo reddere debuisset, si modo Graeca vitio careant.

Verum quid moror? Tota haec periocha ulcus alit,

(I) Effluxio *pro barbaro vocabulo habendum est, donec Auctoris idonei exemplum afferatur. Ea quidem vox in Thes. L. L. (edit. Basil. an. 1740. qua utor) itemque in Calepino Patavino (annis 1731.) sibi locum invenit: verum non alia auctoritate nituntur quam Papinianeae legis hujus: cujus Latina verba afferunt, sic quasi ea translatio Papinianum auctorem habuerit, ac non potius Matthaeum de Pisis, qui eam tunc temporis cudit, dum Pandectarum illud cimelium adhuc Pisis asservaretur h. e. ante ann.* 1406.

Dixi Effluxionem *afferri in Thes. Basileensi. At abest ab eo Thesauro, quem ex Stephaniano refinxit Marius Nizolius. Quare Rob. Stephanum vacare culpa existimo.*

(II) *Vitruvius in praefat. libri VI.* At qui non doctrinarum sed felicitatis praesidiis putaret se esse vallatum, LABIDIS ITINERIBVS vadentem, non STABILI sed infirma conflictari vita. *Vbi* labida itinera *non ea sunt, quae ipsa labuntur aut labi apta sunt, sed quorum lubricum aut instabilitas alios labi faciat. Atque haec eadem Graece* σφαλερὰ *dicuntur.*

Digitized by Google

alit, non niſi ferro ſanabile. Quid enim in viis *Muri* ſive parietes faciunt? deinde cur iidem σφαλεροὶ h. e. *lubrico ſuo* peccant? Poſtremo cur patietes *emundando* firmantur? Mitto alia plura: nam mederi praeſtat, quam ſuper carcinomatis gravitate declamare.

Equidem mirabar cur nulla eſſet in hoc fragmento ſemitarum mentio, de quibus in ære Britannico accurate cavetur. Ergo pro interpoſito (οἱ ἴδιοι) repone ἡμιόδιοι: quod ſi cum ſeq. τοῖχοι jungas, jam *Semitas* habebis. In Philoxeni Gloſſis ita legitur: *SEMITA*. Ἄτραπος, Ἡμιόδιον (III): Vbi Ἡμιόδιον eſſet *Semi-via*, ſi ſic loqui liceat. Quare non inepte etymologiarum ſcriptores *Semitam* dictam volunt, quaſi *ſemi-iter*. Vtut eſt; certe a ſemitis quae in angiportis ſunt, quaeque ipſae per ſe anguſtiora itinera conſtituunt, differunt illae *ſemitae*, quae tamquam crepidines ab utraque parte vias conſulares terminabant. Hae altius ſupra vias aſſurgebant, ita ut humiliori muro (ad avertenda a domibus ſcil. fluenta imbrium: de quo in fine hujus §.) inſiſterent. Hinc ergo apte hîc junctis vocabulis deſcribuntur: ἡμιόδιοι τοῖχοι, quaſi ſi dixeris, *Semitales muri*. Atqui de his ſummâ curâ cavendum erat, ne σφαλεροὶ h. e. *lubrici*, ſive *labidi* eſſent. Vertes igitur: *Studeant etiam, ſi quidem ſemitae ſive aliarum* (quarumvis viarum) *ſive earum, quae circa domos ſunt, quae nim. ſemitae in viam ferunt, labidae ſint* &c. Nihil facilius & periculoſius fuiſſe quam de ſemita in viam exturbari, oſtendit Plautus Curcul. Ac. II. ſc. 3. v. 8. & Merc. Ac. I. ſc. 2. v. 5.

Nec dum tamen percuravi Papinianum. Adhuc ſinus ulceris reſtat. Illud (ἄλλων) quod ſupra itidem uncis coercui, videtur quam minima mutatione in ἀλιῶν eſſe vertendum. Ἀλία (vox Suidae & Varino tantum nota) eſt πορεία h. e. *Iter*. Duo hîc Papinianus genera ſemitarum facit, quas ab aedilibus curari jubet. Erant quae ex utraque parte conſulares vias, ipſae paullo altiores, terminabant, ſimulque domorum parietes praeterradebant. Hae ſunt ἡμιόδιοι τοῖχοι τῶν ἀλιῶν, *ſemitales itinerum muri*. Erant & aliae τῶν περὶ τὰς αὐλίας, h. e. eorum *ductuum qui circa domos ſunt*, ſive qui inſulas interjacebant, quibus, ut equidem puto, nomen (IV) *angiportis* fuit, quique in viam conſularem ex utraque parte (φερόμενοι, ut hîc ſcribitur) *ferebantur*. Habes pulcherrimo Papiniani loco medicas adhibitas manus.

Tota vero periocha, ita ut emendata fuit (nim. Ἐπιμελήσωσαν δὲ κἂν ἡμιόδιοι τοῖχοι, ἢ τῶν ἀλιῶν, ἢ τῶν περὶ τὰς αὐλίας &c.) verti in hunc modum poteſt: *Curent etiam, ſi quidem ſemitales muri* (h. e. uno verbo *Semitae*) *ſive viarum* (conſularium) *ſive ductuum qui interjacent inſulas, & in viam* (conſularem) *ferunt, labidi fuerint; ut eos, ſicuti oportet, purgent domini domorum, & reconcinnent*. Vltimum iſtud Graece eſt ἐπισκευάζωσιν: quod perperam uterque interpretum (quibus animo obverſabantur *parietes* domorum, non ſemitae) verterat (V) *Conſtruant*. Atqui ἐπισκευάζω plerumque eſt *Reſarcio*. Hîc vero, quia cavetur ne ſemitae labidae ſint; dupliciter ei malo occurritur, nim. tum purgando, ſi lubrico laborent, tum & ſtrata ſemitarum reconcinnando, ſi ſilices loco moti aut inſtabiles fuerint.

(III) Ἡμιόδιον & Ἡμιόδιος. *Ariſtoteles illuſtratur.*

Praeter ſubſtantivum ἡμιόδιον, *eſt & adjectivum* ἡμιόδιος, *quo utitur Ariſtoteles in II. Oecon. his verbis*: Ἀντιμένης Ῥόδιος ἡμιόδιος γενόμενος Ἀλεξάνδρου περὶ Βαβυλῶνα. *Atque ad illud* ἡμιόδιος *in editis notatur in margine*: Vox ſuſpecta. *Is vero locus in edit. Du-Valliana ab Joach. Camerario interprete ita vertitur*: Antimenes Rhodius, curatione ei lata viarum circum Babylona, ab Alexandro. *At ab H. Steph. to. 2. p. 1173. redditur locus Ariſtotelis*: Qui dimidia ex parte praeeſt itineribus. *Sed equidem ita potius reddiderim*: Antimenes Rhodius SEMITARVM itineribus circum Babylona ab Alexandro praefectus. *Nam quia in Gloſſis* ἡμιόδιον *eſt* ſemita; *ſequitur τὸ* ἡμιόδιος *fore eum, qui ſemitarum h. e. anguſtiorum itinerum curam gerit. Cum enim in Alexandri aula plures eſſent viis* βασιλικαῖς (regiis) *praefecti; decuit & ſemitarum curam fuiſſe alicui delatam: quibus videtur Antimenes praefuiſſe.*

(IV) *Vera Angiporti notio docetur, quod ſit anguſta & tranſverſa via inſulas intercedens, utrinq. in vias latiores deſinens.*

De Angiporti *notione non convenit inter grammaticos. Vide Priſcianum & alios. Mihi non erat dubium, quin ab* Ango *h. e. ſtringo, &* Portus *h. e. via diceretur. Varro in IV. de L. L.* Angiportum & id anguſtum, ab Angendo & Portu. *Eſt igitur anguſta via: cujuſmodi ſunt illae tranſverſariae viae, quae inſulas domorum interjacent, atque ex utraque parte plerumque in vias amplas ſeu conſulares deſinunt. Ac ſane laetatus ſum, poſtquam illud Donati ad Ter. Adel. IV. ſc. 2. v. 39. huc facere animadverti.* Angiportum, *inquit*, ideſt Anguſta & curva via, quaſi Anguiportus. *Illud de* Anguſta via *probo: iſtud de* Curva *anguis inſtar, minus probo. Pergit:* Alii quod inter portus ſit locus anguſtus, h. e inter domos. Nam domos vel Portus vel Inſulas veteres dixerunt. *Plura hinc lucramur, & quod* αὐλαὶ (*h. e.* domus) *in Papiniano ſint idem quod* Inſulae, *& quod* Angiportus *ſit via illa tranſverſaria inſulas intercedens, & ex utraque parte in* viam (*conſularem*) ferens *ut ait hîc Papinianus. Niſi forte interdum caecum ſit aliquod angiportum, quale illud eſt, quod Ter. Adel. IV. 2. v. 39. deſcribit*: Id quidem, *inquit*, angiportum non eſt pervium. *Qui locus videtur lexicographos tranſverſos egiſſe: quorum pleriſq.* Angiportus *definitur* via exitum non habens. *Atqui numquam diſerte Comicus id pervium non eſſe notaſſet, ſi omnes vulgo angiportus caeci fuiſſent. Itaque illa Comici exceptio firmat regulam. Ac de Angiporti notione fides habenda optimis illis Philoxeni Gloſſis, in quibus* ANGIPORTVM *definitur* στενωτὸς *i. e.* Arta via. *Ergo non eſt dubitandum quin ex Donato, & maxime ex hoc Papiniani loco* Angiportus *ſit* Arta via *inſulas intercedens, & ab una via conſulari in alteram tranſverſim* (φερόμενος) *vadens.*

(V *Verbum* Ἐπισκευάζω *tertio quoque verſu in hoc Papiniani loco inculcatur, & quidem ſemper eadem notione, qua veteres uſurparant, nim. pro* Sarcio, Reconcinno. *Et tamen locis omnibus uterque interpres id reddiderunt verbo* Conſtruo. *Prorſus male.*

Notabis obiter, ubi a Papiniano de ſemitis id verbum uſurpatur, videri ſpectatum ad illud ver. 53. 54. aeris Britan. Semitam . . . lapidibus. Perpetueis. integreis. continentem. conſtratam. RECTE. habeto. *Vide quae nos ad eum locum.*

Digitized by Google

Habes longiorem veteris (VI) eoque deplorati ulceris tractationem. Et tamen adhuc illud reſtat, cur ſcil. *Semitas τοίχους (muros)* appellari placuerit. Ratio in promptu eſt. Hîc enim de earum viarum ſemitis agitur, quas imbrium torrentes incurſare ſolebant. Harum domos, niſi ſemitis altioribus tamquam loricis munitae eſſent, fluentorum impetu corrumpi neceſſe erat. Eapropter ſemitas illas non ſatis erat paullo altiores quam ſtrata viarum (ut in Appia) conſtrui, ſed opus erat muris pro ratione torrentium paullo altioribus inſiſtere. Haec quae dixi, aperte docentur ipſo Papiniani principio .... ὅπως ... τὰ ῥεύματα μὴ βλάπτῃ τὰς οἰκίας, καὶ γίφυραι ὦσιν, ἃ ἂν δέῃ. *Curent aediles ... uti ne fluenta torrentium domos corrumpant, & uti pontes locis neceſſariis ne deſint.* Atque ex pontibus maxime oſtenditur, vias pluviarum torrentibus fuiſſe infeſtatas. Habes cur ſemitas pulchre ἡμιοδίους τοίχους (*ſemitales muros*) nuncuparint.

SECTIO IV.

Papiniani Aſtynomicus informando municipali aedili inſerviebat: quod & ex Graeco ſermone, & ex ἀσυνόμου verbo oſtenditur. Proinde inepte cum ære noſtro a Conrado comparatur: ex quo praeparce, & ea tantum hauſit, quae municipia adſciverant. At contra plurima ex Municipali collectione admetitur, quae in ære noſtro deſunt. LEX, ab Aſtynomico citata, non alia, niſi illa communis omnibus Municipiis eſt, olim a Caeſare informata, at ſub principatu edita: ad quam rejicit nos titulus Ad municipalem. *Ex ea Papinianus privata diligentia decerpſit quidquid ad aediliciam curam pertineret.*

Hic Papiniani liber ſingularis, cui Ασυνομικῷ nomen, non ad urbem Romam, ſed ad municipia Romana Graeci oris pertinebat. Ex eo id oſtenditur, quod Graeco non Latino ſermone conceptus fuerit (vide Adn. ſuperiorem 165.) & quod ea Graeca nomina adhibeantur, quae Graecis municipiis in uſu erant. Vt ecce Graecis rei Romanae ſcriptoribus aediles Ἀγορανόμοι vocabantur (unde & ἀγορανομεῖν Dioni & aliis eſt aedilitatem gerere) numquam vero, quod ſciam, Ασυνόμοι: at ii in hoc fragmento ἀσυνόμοι dicuntur ex more oppidorum (VII) Graecanicorum. Deinde ſi ad Vrbem Romam pertinuiſſet; auctor exſcripſiſſet leges illas omnes, quae Kap. II. æris Britannici de viarum tutela proponuntur. Nunc quia in uſum municipiorum fundanorum auctor ſcripſit; leges viariae æris Britan. eatenus delibantur, quatenus a fundanis municipiis adſcitae & refictae fuerunt. Accedit quod plurimae in hoc ἀποσπασματίῳ leges viariae ſunt, quarum nec vola nec veſtigium in ære noſtro eſt (in quo ære nihil prorſus de fluentis, deque pontibus, nihil de ſemitarum lubrico vitando, nihil de ſervorum fuſtigatione obvio cuique permiſſa, nihil de in conducto habitantibus, ut hi ſumptu dominorum reficiant vias, nihil de cavaediorum emiſſariis, de ergaſteriis, de rixis, de ſterquilinio, de morticinis: de quibus tamen omnibus in Aſtynomico cavetur) quod totum eo pertinet, quod fundanis municipiis tum legum pandecten ab Roma miſſum aptare moribus ſuis, tum etiam plura ſibi peculiaria addere, ab hoc æris hujus Kap. XII. permiſſum fuit. Ergo hic Ασυνομικὸς non e Digeſtis Romanarum legum ἀμίσως manavit, verum ex legum municipalibus συναγωγῆς unius aut potius plerorumque Graecorum municipiorum.

Accedit, quod hujus fragmenti extremo §. 2. ita legitur: οἱ ἀσυνόμοι ζημιώτωσαν κατὰ ΤΟΝ ΝΟΜΟΝ. *Acdiles autem eum multanto ſecundum* LEGEM.

(VI) *In Florentinis Taurellii Pandectis Papinianeus* Ασυνομικὸς, *tum pluribus in locis aliis (in quibus in editis eſt emendatior) mendoſus eſt, tum in loco, de quo agimus, peraeque ut in vulgatis, &* ΟΙ ΙΔΙΟΙ, & ΑΛΛΩΝ *exhibetur; ut non ſit mirandum ſi Piſanus vetus interpres utrumque uti ſonat expreſſerit.* Vt, *inquit*, PROPRII parietes, & ALIORVM (aliquid) quae circa domos, quae ad viam publicam ducunt, non labilia ſint. *Illud* Aliquid *ex eo Piſanus infarſit, quod loco disjunctivi* ὑ (*quod aeque in editis ac in Taurellio legitur:* ὑ τῶν περὶ τὰς οἰκίας) *legiſſe ſibi viſus eſt τι.*

(VII) *Ασυνόμῳ ex Budaeo & ex Stephano veriloquium. Graeca municipia jam olim ab Athenis id nomen, Aedili reſpondens, adſciverant. Athenis Aſtynomi decem, viarum inter cetera curatores. Alicubi Patres Vrbis vocati.* Ασυνομία *eſt Aedilatus.*

Eidem Dioni (cui uti dixi Aediles non aliter quam Αγορανόμοι *vocantur) non raro & vox* Ασυνόμος *uſurpatur, ſed ita ut* praetorem urbanum *notet. Vide in Dione editionis Reimarianae accuratiſſ. Indicem vocum Graecarum. Atque ad hanc Dionis uſurpationem ſpectaſſe forſan videtur Budaeus in Adnot. poſt. ad Pand. ubi* Ασυνόμου *dictum putat, quaſi* Legem urbicam. *Quod ideo dixiſſe videtur, quod Praetor Vrb.* juri dicendo *praeſit: quod proinde immerito ab H. Steph. in* Ασυνόμος *carpitur. Sed tamen verius eſt Stephani etymon, ut tam* Ασυνόμος *quam* ἀκονόμος *proxime a verbo* Νέμω (*unde & νόμος ipſe*) *fiant; ita ut* Ἀσυνόμος *ſit* urbis adminiſtrator.

Verum quid in his moror? cum Graeca municipia ab Athenis potius aliiſque Graecanicis urbibus, quam ab Roma, jam olim antiquitus magiſtratuum ſuorum nomina mutuata videantur. Atqui apud Athenienſes decem Aſtynomi *erant, qui inter cetera vias curabant. De viarum cura* Aſtynomis *adtributa conſentiunt eruditi: in primis Budaeus ad Pand. Atque his video praeiviſſe Harpocrationis lexicon: in quo κατὰ πολλῶν καὶ τῶν τοιούτων curam inter cetera* Aſtynomis *tribuit, h. e. ut viae non tantum a ſtercoribus, morticinis, & ſimilibus (ut hîc Papinianus jubet) mundae ſint, ſed & a ceterarum rerum aggeſtu liberae. Videatur ad Harpocrationem in* Ασυνόμους *Phil. Mauſſacus, & Valeſius in Notis ad Mauſſaci notas, aliique, quibus abſtineo. Plura quoq. de his ex Ariſtotele, & ex Demoſthene diſcimus: ad cujus orat. contra Timocr. ita ſummi oratoris Scholiaſtes Vlpianus notavit:* Ασυνόμους, ὁ ἐπὶ τῷ εἶναι καθαρὰν τὴν πόλιν ἀσχολούμενος, ὁ παρ' ἡμῖν πατήρ. Aſtynomus ille eſt, qui ut viae urbis mundae ſint, curam gerit, qui apud nos PATER audit. *Quam nomenclationem PATRIS (in Graecis Novellis obviam) Aſtynomo alicubi in Cod. reſtituit Cujacius. Adhaec in Gloſſario Nomico Caroli Labbei ita ſcriptum reperio:* ΑΣΤΤΝΟΜΟΙΣ τοῖς πατράσι τῶν πόλεων.

Dixerit aliquis Ασυνόμους (*de quibus loquitur hic Papinianus*) *non tam* Aedilibus, *quam* Curatoribus *urbium reſpondiſſe. Verum (praeterquam quod, qui Romae* Aediles, *ii in civitatibus* Curatores *plerumque vocabantur: quod vel ex eo perſpicio, quod* Aediles *in urbicis marmoribus rari prae infinita in eisdem* Curatorum *multitudine) hanc difficultatem Gloſſae veteres diluunt: in quibus ita invenio:* Ασυνομία. Aedilatus.

Digitized by Google

89 *ea rata ſint , quove minus municipes fundanos teneat , eiſque obtemperetur .*

dirigere Italici potuerunt. De ploſtris, lociſque publicis ſimile eſto judicium. Ac ſane ſi hanc ipſam tabulam ab Heraclienſi legum-datore refictam , Graecoque ſermone ſcriptam haberemus ; ex Latinae Graecaeque comparatione facile eſſet animadvertere , quamnam νομοθέτης Heraclienſis methodum fuerit ſecutus : quod nunc vix & aegre ex illo *Aſtynomici* fragmento licebit aliquatenus dignoſcere.

Hactenus Conjectio propoſita pertinet : niſi potius rei certae, quamvis involutae , explanatio dicenda ſit. Ergo (Tabula v. 86. 87. ait) quidquid ab illo legumdatore additum, commutatum, conrectum huic tabulae fuerit , *Item teneto* (municipes fundanos) *uti . . . ſi eae res ab eo tum , quum primum leges eis municipibus LEGE PLEBISVE SCITO DEDIT* (prior enim promulgatio juſſu legis ſeu plebis ſciti facta fuit : at contra poſterior ex jure ordinario magiſtratus hujus fiebat) *ad eas leges* (ab Vrbe allatas) *additae , commutatae , conrectae eſſent* . Quibus verbis recte intellectis tota ſuperior Commentatio continetur.

VER. 88. Statim ſequitur : *Neve quis INTERCEDETO* . Graecâ Graecus homo utitur inclinandi ratione , ut ſicuti a τύπτε eſt τυπτέτω , ita ab *Intercede* fiat *IntercedEto* . Item ſup. v. 60. SINETO.

IBID. *Neve quis INTERCEDETO, neve quid facito , quominus ea rata ſint .*] *Intercedo* quatenus vocabulum veteris juris Romani eſt, tum uſurpatur, cum magiſtratum aliquid molientem alius magiſtratus major aut aequalis prohibet . Intercedentis verbum ſollemne fuit , VETO . In legibus ferendis praecipuus locus interceſſioni fuit. Singularis autem hic locus eſt, quo *LEGE Plebiſve ſcito* admodum ſalutari Romae facto quaevis interceſſio magiſtratuum municipalium praeciſa fuit . Niſi huic malo Vrbs princeps obviam proceſſiſſet ; vereor ut finis ullus dandarum in municipiis legum fuerit ; dum leviſſima Graeculorum ingenia tribunicias interceſſiones aemulari ſtuderent. Hîc ergo , ubi Vrbs princeps minoribus imperabat , licuit iſtud SINE INTERCESSIONE addere . At Romae cur id non liceret , ſine me nemo non videt . Sequitur , *Neve quid facito , quominus ea rata ſint* . Nequid facito , inquit , veluti *Obnuntiando* , aut *De caelo ſervando* , aut ſiquid forte aliud obſtaculi genus Graecis municipibus in ea re uſitatum fuit.

VER. 89. *Quove minus municipes fundanos teneat*] Praecedentia & ſequentia

GEM. Atqui obſervatum eſt, τὸ *Lex* , quoties abſolute in jure noſtro uſurpatur, legem municipalem intelligi. Imo plerumque non tam lex eſt ejus municipii , quo de agitur, peculiaris, quam lex aliqua municipiis omnibus communis , quae videtur a Caeſare Julio facta aut ſaltem adumbrata, ac poſtea ab Auguſto aliove principe fuiſſe perfecta . Quod de Caeſare dixi , conſtat id ex Cic. VI. ad fam. 18. *Quaeſivi* , inquit , *e Balbo per codicillos , quid eſſet in LEGE* (municipiis communi , ut ex ſequentibus liquet) . *Reſpondit, eos qui facerent praeconium , vetari eſſe in decurionibus : qui feciſſent non vetari* . Ergo hanc legem communem (diverſam a legibus cujuſque municipii peculiaribus) aut fecit, aut informavit Caeſar . Ac certe ſecutis temporibus hanc , quam dico communem , exſtitiſſe , arguit Pandectarum titulus , *Ad municipalem* , ubi doctiſſimus quiſque *legem Municipalem* omnibus municipiis communem intelligit. Videantur prae ceteris Fornerius I. Selec. 13. Raevardus III. Var. 15. Ev. Otto in praef. to. 2. Theſ. jur. civ. p. IX. ſeq.

Jam ſi quaeras , ecquis fons legis municipalis illius communis fuerit ; reſpondebitur , primam ſcaturiginem ex hoc ære noſtro manaſſe (quippe in uſum municipiorum fundanorum ſcripto) deinde ex iis collectionibus , quae in variis municipiis fundanis, æs noſtrum (additis tamen & mutatis mutandis) adſciſcentibus , factae fuerunt . Ex his omnibus conceptaculis poſtremo lex illa communis municipalis coaluit , quam indicat titulus *Ad municipalem* , & alicubi (VIII) Vlpianus : quae uti dixi , ſub Julio adumbrata , mox ſub principatu condita videtur .

At interim privato ſtudio Papinianus Ἀσυνόμου (*aedilem*) ſuum informare volens , eclogam concinnavit , in quam quidquid in Municipali communi lege ad aedilium officium pertinere animadvertiſſet , id omne in unum Ἀσυνομικὸν μονόβιβλον (*aedilicium librum ſingularem*) contulit. Hactenus de Aſtynomico Papinianeo contra Conradum.

(VIII) *Vlpianus l. 1. D.* de Albo ſcribendo *ait :* Decuriones in Albo ita ſcriptos eſſe oportet , ut LEGE MVNICIPALI praecipitur . *Vide quae nos ad ea verba notavimus pag. 406. initio Adnotationis 38. itemque pag. 409. Adn. 43. Nec raro alibi de eadem dixiſſe memini .*

Digitized by Google

mallent plurale TENEANT; tamen ſi de eo intelligatur, qui *Permiſſus eſt, ut leges daret*, recte ſcribitur *Teneat*; praeſertim cum ver. 87. illud *Teneto* ad eumdem referatur.

IBID. *Eiſque oPtemperetur.*] Praepoſitio OB in vet. monumentis haud raro in OP vertitur, ut in *OPtineo*, *OPſides*, *OPſtetrix*, & ſimilibus. Item in compoſitis AP pro AB, & SVP pro SVB. In ære hoc v. 26. *HaPeat*. Sed & alibi in ſaxis B in P vertitur. Exempla reperies in Indice grammatico Gruteriano in littera P, in Dauſquio, & aliis. Atque hîc ſimul cum Tabulâ deſinit regnum ταυτολογίας, legibus uſitatiſſimae. Certe eadem res ipſiſſima hoc & penultimo verſu trifariam inculcatur.

COMMENTATIO.

De aetate νομοθεσίας *æris hujus.*

SECTIO I.

Perſtandum videri in epocha alias adumbrata.

NOn uno Commentarii, tum ad æs Britannicum tum & ad Complem. Neapolitanum, loco de epocha hujus legum Digeſti jam ante equidem (168) interlocutus, eisdem tamen locis omnibus ſententiam ejus generis, quam Juſtiniani Codex *Definitivam* vocat, conſulto diſtuli. Nam pluriès in eamdem ſententiam actâ causâ, eademque pluries ampliatâ, non ante ipſum finem Commentarii hujus me de ea re plane pronuntiaturum edixi. Verebar enim, necunde in Commentarii hujus decurſu novi aliquid interim affulgeret, quod me de priore interlocutione dimoveret. Aut, ſi ſtandum eſſet eo quod jam toties de plano judicaſſem; ſaltem magnificum erat, ſi id novis ac validioribus rationum fulcimentis confirmari, non ante proviſis, animadverterem.

Ac jam illa dies toties conſtituta adeſt. Hic enim ille eſt Commentarii finis, in quem ſententia toties rejecta fuit. Et tamen res contra accidit, quam putaram. Nihil enim aut parum novi, extra quam quae in locis modo Adn. 168. indicatis dicta fuere, poſtea ſuccurrit. Nam ſiquid adhuc indictum reſtabat, id fere totum in ſuperius Anteloquium *de Populis* fundis effuſum fuit; maxime in iis Tullii verbis enarrandis ex ea pro Cornelio cap. VIII. *Ipſa denique Julia* (lex lata fuit) *qua lege* (ita) *civitas eſt ſociis & Latinis data* (ut) *qui fundi populi facti non eſſent, civitatem non haberent:* quibus ſane verbis medulla ipſa Juliae legis includitur. Quae ibi verba ita cum hujus æris kap. XII. conſpirare oſtendimus, nullus ut relinquatur dubitationi locus, quin legum Pandectes, qui lamina hac (praeter alias ſocias: quas fru-

(168) Vide pag. 290. num. V. item pag. 382. toto MONITO ALTERO. Adhaec ad æris Neap. ver. 14. ad illud [*Senatorem . . . hac lege eſſe non licere*] vide totam *Praeguſtationem de legis hujus auctore ac nomine* pag. 409. 410. Ac paſſim in toto duplici Commentario tum ad aes Britannicum tum ad Neap. idem argumentum levi brachio, uti ſe dedit occaſio, refricatum fuit.

Digitized by Google

fruſtra deſideramus) continetur , non aliud quam appendix Juliae illius legis fuerit ; & quin eo illae ipſae leges comprehendantur , in quas *fundanorum* municipiorum populos tunc temporis fieri *fundos* oportuit , ſi quidem civitatem Romanam adipiſci concupiviſsent. Nec enim novos hos cives (ſive νεοπολίτας : ut Appianus vocat , quos Epitomæ Livii aliiq. *Novos cives*) aliter quam Romanis moribus vivere decuit. Tametſi eisdem indultum fuit, uti legum συναγωγὴν ad eos ab Vrbe delatam , qua additionibus qua correctionibus , ubi opus , ejuſmodi refingerent , per quas a patriis veteribus inſtitutis haud penitus deſciſcere viderentur . Verum quid ago , quaſi qui eadem recoquere inſtituam ? Lege loca harum commentationum , quae inferne Adnot. 168. indicavi , ac praeterea proxime ſuperius Anteloquium de populis fundis , non ſine ſubjecto ad kap. XII. commentario : jam omnia fere , quae huc pertinere poſſint , habebis . Itaque paucis admodum nunc opus .

SECTIO II.

Ex hiſtoria belli Italici annus civitatis ſociis atque in primis Heraclienſibus datae accuratius colligitur .

Quod ſi quis eſt , qui nimio faſtidio rejici ſeſe alio nolit ; jam primum rerum ejus temporis telam verius aliis pertexam. Anno Vrbis DCLXIII. L. Julius Caeſar (169) conſul legem tulit, qua ſociis in fide manentibus civitatem tribuit : inter quos Appianus etſi Etruſcorum nominatim meminit , tamen ceteros in amicitia conſtantes non tantum non excludit, ſed aperte complectitur, quando omnes ἐν τῇ συμμαχίᾳ παραμένοντας civitate donat. Ea lex ab ſolo L. Julio nomen *Legis Juliae* apud veteres obtinet , quia conſul alter P. Rutilius Lupus ante legem latam eopte anno eodemque bello pugnans occubuerat , uti ex Velleio II. 16. colligitur . Nihil hac epocha tutius .

Anno Vrbis DCLXIV. Cn. Pomp. Strabone, L. Porcio Catone Coſ. lata eſt lex Plotia a M. Plautio Silvano , & C. Papirio Carbone tribunis pl. qua nihil aliud niſi civitas peregrinis in civitates foederatas adſcriptis datur ſub certis legibus : ſed eadem nihil prorſus de civitate cum ceteris Italicis communicanda agit: dequo in ima (170) ora videbis .

At

(169) Appianus in I. ἐμφυλ. p. 379. de hoc L. Jul. Caeſare (quem falſo Σίξτον *Sextum* praenominat) ita loquitur : Ἰταλιωτῶν δὲ τὰς ἔτι ἐν τῇ συμμαχίᾳ παραμένοντας ἐψηφίσατο ἄνευ πολίτας . . . Quo loco Appianus Ἰταλιώτας non antiqua notione uſurpavit , qua Graeci Italiae incolae intelligebantur (de qua nos p. 15. n. 16. p. 36. n. 58.) verum tum hîc tum alibi pluries populos Italicos cujuſcumque oris deſignat. Vertes igitur : *Italicorum vero populorum qui in ſociotate permanſerant , jus civitatis decrevit : (quod praecipue ab omnibus concupitum fuerat) & decretum id circa Etruriae populos, excipientes avidiſſime , miſit . Quo beneficio & populos amicos devinxit amplius , & dubios in fide retinuit , & hoſtem ſimilia ſperantem mitiorem effecit .*

(170) Hoc ideo moneo , nequem in errorem Heineccius agat , qui (in Antiq. Rom. juriſprudentiam illuſtrantium Syntagmate in Append. ad lib. I. num. XI.) I. legem Plotiam ſive ad ann. Vrb. 665. ſive 666. refert ; cum apertum ſit , anno DLXIV. latam fuiſſe , Cn. Pompeio Strab. L. Porcio Catone Coſ. quorum conſulatu, teſte Aſconio & Cicerone , M. Plautius Silvanus & C. Papirius Carbo collegae in tribunatu fuerunt : de quo vide Pighii Annales & quotquot alii de his rebus agunt . II. Deinde lege Plotiâ fuiſſe civitatem Romanam cum ceteris omnibus ſociis communicatam ait : quod falſum eſt , quia tantum peregrinos lex Plotia complectebatur , modo ea implerent , quae legis verba requirebant , a Tullio recitata in ea pro Archia cap. IV. *Data eſt* , inquit , *civitas Silvani lege & Carbonis : SI QVI FOEDERATIS CIVITATIBVS ADSCRIPTI FVISSENT : SI TVM CVM LEX FEREBATVR , IN ITA-*

Digitized by Google

At mox anno DCLXV. aut ſummum ſequente, lex aliqua conſularis (171) lata eſt, qua civitas cum ceteris ſociis Italicis communicata fuit, Appiano (172) auctore: qui ita Lucanos atque Samnites ab eo beneficio excipit, ut eosdem non diu poſt eamdem civilitatem conſecutos narret.

Quonam vero tempore Lucani ac Samnites cives Romani evaſerint, haud habeo dicere; nec enim ſcriptum exſtat. Sed tamen poſt Italicos ceteros an. 665. aut 666. a ſenatu donatos, haud multo poſt ad Lucanos etiam atque Samnites id beneficium fuiſſe transfuſum, perſuaſiſſimum habeo. Nam certe cum anno DCLXVI. omnes prorſus Italici belli ſavillae reſtinctae fuerint; numquam illae conſopiri penitus potuiſſent ſine civitate Lucanis etiam atque Samnitibus ad ultimum data. Is enim unus ab initio ad finem fomes belli cruentiſſimi fuerat.

Jam vero perſtrictâ breviter hiſtoriâ, ad quamnam ex his tribus Romanae civitatis donationibus ea, quam Tabula noſtra ſignificat (in qua ſcil. plurima ubique *Municipia*, *coloniae*, *praefecturae*, *fora*, *conciliabula civium Rom.* tertio quoque verſu notantur) ſit referenda, paucis commentemur. Ac primum ſi privatim de Heraclea noſtra, ad quam Tabula haec pertinebat, aliiſque ejusdem orae Magnis Graecis ſermo ſit; nego eos ad tertiam uſque civitatis largitionem fuiſſe dilatos: nego proinde non niſi cum Samnitibus & Lucanis (quaſi ſi ipſi pars Lucaniae eſſent) cives fuiſſe factos; quia ante Auguſtum (173) Graecia major ſemper a Lucania diſtinguebatur. Ergo non cum Lucanis anno Vrb. 666. ſed ſive anno 663. ex lege Julia, ſive ſaltem ex benignitate Senatûs anno 665. cives evaſerunt. Imo ſi peculiariter de Heraclea agitur, cujus haec Tabula fuit; Heraclienſes primi omnium lege Julia nacti omnino videntur beneficium civi-

ITALIA DOMICILIVM HABVISSENT: & SI SEXAGINTA DIEBVS APVD PRAETOREM ESSENT PROFESSI. Vide ibi ſequentia, ubi plura de noſtra Heraclea honorificentiſſime praedicat. Haec vero non eo monui, quo quidquam de viri bene de his litteris meriti exiſtimatione decerpam, ſed ut lectorem moneam, ut ſicubi eadem haec duo σφάλματα in toto ſuperiore commentario nactus fuerit, ſciat me tunc feſtinantem haec ad trutinam non revocaſſe.

(171) Initio Livianae epitomae LXXX. legitur: *Italicis populis* (qui indonati ſupererant) *a Senatu civitas data eſt*. Quia *A ſenatu* dixit, legem conſularem ſubindicat. Sequitur: *Samnites qui ſoli arma retinebant, Cinnae & Mario ſe conjunxerunt*. Quae ubi addit, aperte notat, donationem hanc a Senatu factam, fuiſſe ab illa Juliae legis alteram.

(172) Appianus eod. I. ἐμφυλ. p. 382. *Atque ita bellum ſociale maxima contentione geſtum eſt hactenus* (ὡς Ἰταλίαι πᾶσα προσχώρησιν ἐς τὴν Ῥωμαίων πολιτείαν, χωρὶς γε Λευκανῶν καὶ Σαμνιτῶν τότε· δοκῶ γάρ μοι καὶ οἷδ᾽ τυχὸν ὧν ἐχρῆζον, ὕστερον) *donec univerſa Italia* (illa ſcil. Rubicone tenus) *civitatem Rom. adepta fuit, exceptis tunc temporis Lucanis atque Samnitibus: qui mihi aliquanto poſt & ipſi voti compotes facti videntur*. Haec eſt illa altera civitatis communicatio, quae ex benignitate Senatûs (ut in ſuperiore Adn. dixi) manavit: qua adhuc tamen tunc Lucani & Samnites excludebantur.

(173) Graeciae Magnae oppida ante Auguſtum ipſa per ſe provinciam ſatis claram conſtituebant, a Meſſapiis, Lucanis, Bruttiiſque, quibus erant contermina, diſcretam: quae plerumque *Graecia* ſive *Magna* ſive *Major* vocabatur, interdum & abſolute *Graecia*. Hanc ultimam nomenclaturam Cicero uſurpavit in ea pro Archia cap. V. *Etenim cum mediocribus multis . . . gratuito civitatem in GRAECIA* (non tranſmarinâ, in qua vix aut aegre illo Ciceroniano ſaeculo civitas impetrabatur, ſed Italicâ) *impertiebantur; Rhegînos credo, aut Locrenſes, aut Neapolitanos, aut Tarentinos . . . id huic ſummae ingenii praedito gloriae noluiſſe*. Hunc locum in Prodromo pag. 22. illuſtravimus. Nec ergo Ciceronis ævo Neapolitani Campanis, nec Rhegini & Locrenſes Bruttiis, nec Tarentini Meſſapiis, nec Heraclienſes Lucanis accenſebantur, ſed omnes una ſimul Graeciam Italicam conſtituebant.

At demum Auguſtus cum Italiam in XI. regiones partitus eſſet; in tertiâ regione illa (qua Lucanus Bruttiuſque ager continebatur) major pars Graecorum oppidorum erat: imo & ipſum etiam Magnae Graeciae σύνημα in eadem Regione tertia h. e. in Lucania, a Plinio III. cap. 5. deſcribitur.

Digitized by Google

civitatis, certe ob eximia hujus municipii (174) merita, quae depraedicat Tullius.

SECTIO III.

Idem Heracleae civitatem adeptae annus ex Tulliano legis Juliae kapite elimatur ad unguem.

Verum quid me ultra excrucio? cui, si recte Juliae legis sententiam a Cicerone in Balbiana expressam capio, non erit prorsus dubitandum, quin lamina haec nostra consectaria lationis Juliae fuerit: usq. adeo, quod ab Julio latum, id arcte cum Kapite ultimo æris hujus conspirat. In ea Orat. Tullius cap. VIII. post alias leges commemoratas, pergit: *Ipsa denique Julia* (lex lata fuit) *qua lege* (ita) *civitas est sociis & Latinis data* (ut) *qui fundi populi facti non essent, civitatem non haberent*. Resistamus hîc. Ex ultimo æris nostri Kapite luculenter apparet, Heraclienſem populum, post optionem ei datam utrum fundus fieri vellet, re vera fundum fuisse factum, quia eorum municipium *fundanum* evaserat. Praeter Commentarium in id Tabulae kaput, consule prolixum Anteloquium quod ei praemittitur, in quo haec omnia ad vivum resecantur. Verum quid his opus est? cum ex iis ipsis quae statim Cicero ibidem subjicit, apertissime constet, illâ ipsâ donatione civitatis ex lege Julia Heraclienses juxta ac Neapolitanos fuisse comprehensos, modo fundi fieri vellent. Sic enim statim sequitur: *In quo magna contentio Heraclienſium & Neapolitanorum fuit; cum magna pars in iis civitatibus FOEDERIS SVI LIBER-*

(174) *Heraclienſis municipii ornamenta ex Ciceronis praeconio recitantur: in primis mira in foedere Fabriciano conſtantia, & clades Romanorum gratia bello ſociali toleratae. Obiter de Heraclienſis tabularii incendio, & inde ereptis his Tabulis.*

Plura de Heraclienſium fide afferre possim: sed praestat ex orat. pro Archia cap. IV. pauca depromere. *Venit* (Archias cum Lucullo) *Heracleam: quae cum esset civitas AEQVISSIMO IVRE AC FOEDERE, adscribi se* (Archias) *in eam civitatem voluit*. Ac profecto *Foedus Heraclienſe* laudatur ab eod. Tullio etiam in ea pro Balbo cap. VIII. Idque foedus antiquissimum erat, ut quod jam tum olim cum C. Fabricio percussum fuerat, teste Tullio in eadem Balbiana cap. 22. his verbis: *P. Crassus vir ampliſſ. ex ea civitate* (Heraclea) *quacum prope SINGVLARE FOEDVS Pyrrhi temporibus, C. Fabricio conſule, ictum putatur.* Idq. a C. Fabricii cum Pyrrho rebus gestis ad legem usq. Juliam (quod spatium ducentos prope annos complectitur) ac porro, semper servatum sanctissima fide ab Heraclienſibus fuit. Quocirca non immerito Cicero pro Archia extremo cap. 4. INTEGERRIMI MVNICIPII (Heracleae scil.) FIDEM praedicat. Quae cum ita sint, in illo ipso belli socialis furore Heraclienses constanter pro Romanis stetisse, non est dubitandum. Alioqui numquam Cicero eos tam prolixe a *fide*, & ab *aequissimo jure ac foedere* commendasset. Imo cum Heraclienses eod. Italico bello gravissimas hostium impressiones perpessi fuerint (teste ibid. Tullio, qui sociali bello Heraclienſe tabularium incensum conqueritur) ineptissimus fuerit, siquis id eos a Romanis hostibus passos contenderit. Imo quia eorum in Romanos fides a Fabricii usque temporibus semper constantissime emicuit, & quia bello sociali Romanausque partes tueri perstiterint; nihil non eos clas dium ab Italis efferatissimis sustinuisse certissimum est; in tantum ut hi urbi praeclarissimae faces admoverint, eâque flammâ arserit Tabularium. Cicero pro Archia cap. IV. *Hîc tu tabulas desideras Heraclienſium publicas, quas ITALICO BELLO, INCENSO TABVLARIO, interisse scimus omnes*. Deplorandum sane incendium: quo saeviente, non tantum membranas, & papyracea tot volumina absumpta certissimum est, sed & aereas tabulas innumerabiles vi flammae fusas contabuisse. Exstitere tum credo cives aliquot patriae pietate commoti, qui quas potuere laminas, incendio surripuerunt. Atque ex earum numero hae fuere duae, duabus longissimis Graecis inscriptionibus signatae (nam quae in unius earum aversâ paginâ Digestum hoc scalptum Latine continet, ea verisimilius videtur posterior incendio fuisse) quas Carolus Guevara, sibi forte fortuna comparatas, ab exitio vindicavit, & in REGIVM HERCVLANENSE MVSEVM perpetuo victuras intulit. Verum, ut eo revertar, unde diverteram: illud ipsum tabularii incendium, cujus Cicero meminit, satis ostendit, quae & quanta Heraclienſe municipium fidei in Romanos gratiâ bello sociali toleraverit: proinde ingratos se Romani praebuissent, nisi eos omnium primos inter legis Juliae πολίτας numerassent.

Digitized by Google

BERTATEM CIVITATI anteferret. Vtrobique decertatum Orator ait, ſed utriuſque certaminis exitu ſuperſedit, quia opus non erat; cum vulgo omnes ſcirent, quisnam eorum oppidorum tum temporis ſtatus & conditio eſſet. At nos ſeri nepotes in multa ignoratione verſamur: qui ex hiſtoria tenemus, Neapolim diu urbem liberam, Romanorum amicam, & foederatam fuiſſe, quando vero ad civitatem venerit, ignoramus. At pulchre eſt, quod ex duobus Tullii (175) locis id tandem ſim aſſecutus. De Heraclea etiam ſpiſſae nos tenebrae circumſtarent, niſi non tantum ex Juliae kapite apud Ciceronem in Balbiana ſciremus, Heracleae ſimul cum Neapoli datam fuiſſe tunc temporis optionem utrum Civitatem ſimul cum Romana νομοθεσία amplecti vellet: verum & ex hujus æris kap. ultimo perſpectum haberemus, Heraclienſes poſt illas inteſtinas municipum decertationes, tandem in leges Romanas (additis tamen aut correctis quibusdam) factos fuiſſe fundos, imo inter primos legis Juliae νεοπολίτας eſſe numerandos.

Quamquam ſi verum amamus, etiam quae ſecutae poſtmodum fuere civitatis donationes, ex legis Juliae fonte fluxerunt. Veluti

(175) *Ex duobus Tullii locis oſtenditur, poſt Juliam legem Neapolitanos perfectam civilitatem Rom. ſibi oblatam amplexos eſſe. Strabo (quem alia omnia docuiſſe pluries in hoc Commentario dictum fuerat) aliorſum accipiendus demonſtratur.*

In Prodromo pag. 62. col. 1. & pag. 115. num. II. III. & pluribus in aliis horum commentariorum locis, ex Strabonis loco, conquerentis, Graeciam univerſam Italicam ἐκβεβαρβαρῶσθαι (*ad barbariem deſciviſſe*) tribus exceptis urbibus, Neapoli, Rhegio, atque Tarento, id non de lingua eſſe capiendum contendebam, verum de legibus de πολιτείαι, inſtitutis: proinde poſt legem Juliam, cum ceteri Graecorum municipiorum populi in leges Romanas facti fundi fuiſſent, eâque ratione Rom. civitatem aſſecuti eſſent; ea tantum tria oppida, quae nominavi, *libertatem ſui foederis* (uti Cic. in Balbiana de Neapoli loquitur) ſuamque αὐτονομίαν civitati antetuliſſe.

Verum nunc *iterare curſus Cogor relictos* (ut ille ait) duobus Ciceronianis locis adactus. In Agraria II. cap. 31. *Dixi antea, lege* (Rulli) *permitti, ut quae velint municipia, quas velint veteres colonias, colonis ſuis occupent. Calenum municipium complebunt: Teanum oppriment: Atellam, Cumas, NEAPOLIN, Pompeios, Nuceriam ſuis praeſidiis devincient: Puteolos vero qui nunc in ſua poteſtate ſunt, ſuo jure libertateque utuntur, totos novo populo, atque adventitiis copiis occupabunt.* Vides ex hoc loco, quid ex Cicerone inter Puteolos, interque oppida cetera, quae nominat, interfuerit. Nimirum Puteoli adhuc *in ſua poteſtate* erant, *ſuoque jure libertateque utebantur*, certe quod civitati Romanae αὐτονομίαν praetulerunt: ex quo contra ſequitur, *Neapolim*, ceteraque oppida ab Oratore Puteolis oppoſita, fuiſſe municipia civium Romanorum perfectâ civilitate fruentium.

Adhaec idem Tullius XIII. fam. 30. ita incipit: L. *Manlius eſt Soſis. Is fuit Catinenſis: ſed quam eſt ſimul CVM RELIQVIS NEAPOLITANIS CIVIS ROMANVS factus* (*Reliquis Neapolitanis* ait, comparate ad Manlium Soſin, qui jam eo tempore unus civium Neapolitanorum erat, uti poſtea ſubjicit) *decurioque Neapoli. Erat enim adſcriptus in id municipium ante civitatem Sociis & Latinis datam*. Vltima iſta αἰτιολογία diſerte teſtatur, tum cum ex lege Julia ſociis & Latinis civitas data fuit, eamdem etiam Neapolitanis fuiſſe impertitam: quia vero jam antea Manl. Soſis in id municipium adſcriptus fuerat, jure ſuo *una cum reliquis Neapolitanis civis Rom. factus* eſt. Nihil hoc loco diſertius: ex quo ſimul oſtenditur, ſtatim poſt legem Juliam Neapolitanos ad civitatem vocatos, aliquamdiu quidem dubios, quid facto opus eſſet, ſciſſos in divortia ſententiarum (ex Balbiana cap. VIII.) fuiſſe; ſed ſtatim conſopito certamine, amplexos civilitatem. Locum hunc Tullianum jam tum videram pag. 115. num. III. ſed aegre eſt, quod tunc preli feſtinatione abſtractus, aliorſum acceperim.

Quae cum ita ſint; de Strabone quid ſtatuemus, cujus ſententiam alibi expoſitam ſup. retuli? Non eo uſque frontem perfricui, ut ignoratam a Geographo urbium, quas accurate deſcribit, πολιτείαν dicam, aut quamlibet modici παραγράμματος arguam. Illud potius fatendum erit, cum cetera Graeciae Italicae oppida ſimul cum civilitate Romana paullatim a patriis inſtitutis (quae potuiſſent ſimul cum Rom. civitate maxima ex parte retinere) deſciviſſent; ea tantum tria oppida, Rhegium, Tarentum atque Neapolim fuiſſe morum patriorum tenaciora. Ac de Neapoli id ſatis novimus: de qua praeter Strabonem (qui in Neapolitano Graeciſmo deſcribendo multus eſt) ex ceteris quoque Latinis ſcriptoribus eadem omnia diſcimus. Sed & de Tarento & Rhegio iniqui ſimus, niſi Geographo ſummo credamus.

Ac rogo lectorem, ut ubicumque Strabonis illum celebrem locum aliorſum acceptum repererit, ex hac Adnotatione Geographum interpretari malit.

Digitized by Google

quam Epitome Liviana LXXX. a Senatu civitatem ceteris Italicis datam biennio fere poſt Juliam teſtatur; & quod poſtremo civitas cum Lucanis inſuper atq. Samnitibus communicata fuit, eae quoque ambae legis Juliae appendices fuerunt, quia ejus inſtar factae, & quia illud σύγκριμα legum, in quas poſteriores hos νεοπολίτας fundos fieri oportuit, idem illud omnino fuiſſe neceſſe eſt, ac quod ex lege Julia compoſitum fuerat. Proinde ſi quando alias ab hoc aere tabulas alterius cujuslibet municipii (quod aliunde conſtet aliquandiu poſt Juliam legem civitate donatum) alicubi reperiri contigerit; eas quoque tabulas ajo conſectarias atque appendices legis Juliae habendas eſſe. Qua de cauſa? inquis. Quia quod lex Julia de ſuis νεοπολίτας (*novis civibus*) ſtatuit, id ipſum & in poſterioribus νεοπολίτας, & in Lucanis atque Samnitibus (& ſi qui alii poſt hos civitatem aſſecuti fingantur) valiturum erat. Nec enim dubium eſt, quin Digeſtum legum ex lege Julia pro novis civibus compoſitum, ita generale fuerit, ut etiam a ceteris municipiis poſtea idem beneficium conſecuturis adſciſcendum fuerit, mutatis tantum mutandis.

Poſtremo ubi a me huic æri idem, ac legi Juliae, annus tribuitur, non id contendo, prorſus eopte anno, quo Julia lata fuit, hoc Digeſtum conſarcinatum ſimulque in ære inciſum fuiſſe. Id tantum affirmo, Pandecten æris hujus fuiſſe Juliae legis (anno Vrbis DCLXIII. latae: qui annus nonageſimus, & quod excurrit, ante CHRISTVM fuit) conſectarium atque appendicem. Ceterum non eopte anno, ſed paullo mox ab Heraclienſibus acceptum & in hoc ære fuiſſe deſcriptum, facillime aſſentior.

SIcuti olim Graecis duabus Tabulis LEXICON vocum Graecarum adtexuimus, ita pariter hîc LEXICON vocum Latinae Laminae in fine Commentarii ſtatim ſubjicimus, non exſpectato fine voluminis; utrumque enim Lexicon pars Commentarii ſui eſt. Et quidem in priore illo Graeco non fuit otium voces conjunctas pertexere: at hîc copulatas, non neglectis grammaticis accidentibus, imo & cum ipſis tabulae mendis, damus.

LEXICON LATINITATIS

DIGESTI LEGVM MVNICIPALIVM

Numerus verſum notat æris ſive B *ideſt Britannici, ſive* N *h. e. Neapolitani.*

AB *praepos. cum voce ſequenti indivulſe juncta:* Abeo. N. 73. 87. Abieis. N. 80. *pro* Ab eo, Ab iis.
Ab *in compoſitione medio puncto divulſum a voce componente:* Ab. juraverit. N. 39.
Ab juratis accipere rationem pecuniae. N. 73. 74.
Ab Vrbe Roma paſſus mille. B. 67.
Abeſſe rei publicae cauſſa. N. 42.
Abjurare in jure. N. 39.
Accuſare kalumniae, praevaricationiſve cauſa. N. 46.
Ad *praepos. cum voce ſequenti coaleſcens:* Adeam N. 76. Adeos. N. 4. 76. *pro* Ad eam &c.
Ad *in compoſitione puncto ſejunctum a voce componente:* Ad. tribuendam. B. 49. Ad. tribuito. B. 41. Ad. tributa. N. 8. Ad. tributus. B. 41. 42. 43. Ad. verſus. N. 33. *pro* Adtribuendam &c.
Ad *pro* Apud. B. 1. 3. 4. 5. 8. 9. 10. 11. 17.
Addere ad leges. N. 88.
Adimere ordinem. N. 47.

Digitized by Google

Adire quocumque . B. 44.
Adtribuere *aliquem* pecuniae . B. 40.
Adtributionem facere . B. 42.
Adtributus pecuniae . B. 43.
Aedes ſacrae Deorum inmortalium . B. 57.
Aedificium publicum , privatum . B. 29.
Aedilis Pl. Aedilis Cur. B. 24.
Aedilis arbitratu viam tueri . B. 21. 22. 32. Semitam conſtratam recte habere . B. 54.
Aedis ſacra B. 30.
Aerario praeeſſe . B. 37. 39. 47. 48.
Agere plauſtra in urbe . B. 65. Cenſum N. 70. 79. Cenſum populi . N. 70. 79.
AI *pro* AE . Romai . N. 70.
Album . B. 15. 18.
Amplius dies LX. reliqui erunt , antequam diem . N. 77.
Apparebunt juſſerit . N. 6.
Apparendi cauſa . N. 39.
Apud forum ante tribunale . B. 34.
Aput *pro* Apud . B. 15. 34. N. 46.
Ars ludicra . N. 49.
Auctorari depugnandi cauſſa . N. 39.
B *Minuſculum inter litteras majuſculas* LEGIbVS . B. 69. OPORTEbIT . B. 28.
Bona ex edicto poſſeſſa proſcriptave . N. 41. 43.
Bubus juncta plauſtra . B. 67.
C *pro* G Acere . B. 60. Cocnomina . N. 72. Depucnandi . N. 38. difficnationem . N. 20. 30. Leces . N. 85. 87. 88. &c. Lecione . N. 17. 26. 27. Intecrum . N. 44. Maciſtratus . N. 31. Necotia . B. 2. Pucnabunt . N. 64. Rocato . N. 32. *& paſſim* .
C *cum* T *alternat in* Denuncietur . B. 36. Renuntiari , Renuntiare . N. 26. 31. 40. 58. 65.
Calumnia *vide litteram* K.
Caput civis Rom. referre . N. 48.
Cauſa *cum ſimplici ſibilo ſcalpitur* in B. 58. 60.
Cauſſa *cum* S *duplici in* B. 58. 60. 62. 63. 65. 66. N. 3. 7. 9. 39. 42. 46. 47.
Cenſendi populi finem facere . N. 78.
Cenſor aliuſve quis magiſtratus publicis vectigalibus ultrove tributis . B. 73.
Cenſor aliuſve quis mag. Romae populi cenſum aget . N. 69. 79.
Cenſum populi agere . N. 70. 79.
Cenſûs formula . N. 73. Libri . N. 80.
Certis hominibus certis de cauſis , B. 60.
Cetera *ſine bivocali* . N. 3. 82.
Circienſes (*cum I inſerto*) ludi . B. 64.
Coloni qui cives Romani erunt . N. 71.
Coloniae Civium Rom. quae in Italia ſunt . *Vide* Municipia .
Comitia magiſtratui rogando ſubrogandove habere . N. 24.
Comitiis conciliove . N. 58.
Conciliabula Civium Rom. *Vide* Municipium .
Condere tabulas , ubi ceterae tabulae publicae erunt . N. 82.
Conducta habere vectigalia ultrove tributa . B. 74.
Confiteri ſe ſenatorem eſſe non licere . N. 13.
Conrectus . N. 88.
Conſcriptus *Vide* Senator , Senatus .
Conſtrata ſemita . B. 54.
Conſuleretur eas res . N. 76.
Continente *vel* Continenti habitabitur . B. 20. 56.
Convivium publicum inire . N. 65.
Cooptare Decuriones , Conſcriptos . N. 12. In Senatum in Decurionum numero . N. 32.
Copiam bonam jurare . N. 39.
Cottidie *pro* Quotidie . B. 16.
Creatum eſt , renuntiato . N. 58.
Creditoribus renuntiare ſe ſoldum ſolvere non poſſe . N. 40.
Cum , *praepoſitio , non niſi per* C *ſcribitur* . N. 28. 40. 59. *At ubi conjunctio eſt , &* Cum , N. 64. 69. 79. *&* Quom *ſcalpitur* . *Vide* Quom .
D Amnas eſto dare . B. 19. N. 23. 33. 51. 66. Dare judices judiciumque . B. 44.
Datum depenſum eſt . N. 41.
Decurio , Conſcriptus . *Vide* Senator , Senatus .
Decurionem Conſcriptumve legere ſublegere , cooptare , recitandum curare in demortui damnative locum . N. 12. 13.
Decurionum Conſcriptorum major pars . N. 75.
De Dolo malo condemnari . N. 37.
Deicet *pro* dicit . B. 9. 12.
Diebus ne minus decem antequam locet . B. 34.
Diebus quinque proximis , quibus . B. 24. N. 79.
Diei major pars . B. 16.
Diſſignationem facere . N. 20. 30.
Dixet *pro* dixit . B. 74.
Domicilium pluribus in municipiis habere . N. 83.
Domum denuncietur facito . B. 36.
Dum eorum quid faciet . N. 20. 31.
Duum-viri viis extra propiuſve urbem Romam purgandis . B. 50.
E *Pro* I. Dicet *pro* Dicit . B. 8. 12. Dixet . B. 74. Fecet . N. 38. Habetabetur . B. 56. Intercedeto . N. 88. Juſet *pro* Juſſit . N. 47. Profitemeno . B. 5. Quoe , *pro* quoi *i. e.* cui . N. 35. Sineto . N. 60.
Edere libros (*cenſûs*) Municipii . N. 79.
E . H . L . N . R . h. e. *Ex* (ſive *Ejus* , aut *Eorum*) *hac lege nihil rogatur* . B. 65. 67. N. 2. 5. 7. 8. 84.
EI *pro* E . Municipeis . N. 86. Neiquis . B. 17. N. 12. *&c.* Neive . N. 55. Partei . B. 25. 27. Vrbei . B. 64.
EI *pro* I *ſimplici* . Agei . B. 64. Anneis . N. 18. 25. Annueis . N. 28. Caſtreis . N. 17. 27. Cauſeis certeis . B. 60. Comitieis . N. 58. Conſcripteis . N. 50. 61. Fejent . B. 64. Inveitum . N. 9. *&c.*
EI *pro* I *duplici* : Alei . N. 24. Coloneis . N. 9. 68. 83. *pro* Alii , Coloniis .
Ejus pecuniae , qui volet , petitio eſto . B. 19. N. 23. 33. 51. 67.
Equo ſtipendia in legione facere . N. 17. 26.
Eûm *pro* Eorum . B. 52.
Ex *praepoſ. cum voce ſeq. coaleſcit* . Elege . B. 49. Exeis . N. 22. Exiis . B. 10. Exquo . N. 63.
Ex *in compoſ. a voce componente puncto dirimitur* , Ex . portandi . B. 66. Ex . portari . B. 60.
Ex formula cenſûs . N. 73.
Ex lege locationis . B. 49. 73.
F Acta pecunia . B. 40. Fecet , *pro* fecit . N. 38.
Feient *pro* fient . B. 64.
Fiduciae judicio condemnari . N. 37.

Fla-

Digitized by Google

Flamines ploſtris in urbe vehi. B. 62.
Foidere *pro* foedere. N. 19.
Fora Civium Rom. *vide* Municipium.
Frui tueri vectigalia ultrove tributa. B. 73. 74.
Frumentum populo dare. B. 15. 17.
Fundani Municipes. N. 86. 89.
Fundanum Municipium. N. 85.

G *Pro* C. Genſor *i. e.* Cenſor. N. 69.
Gladiatores pugnabunt. N. 64.

HAbitandi cauſſa loca ab Cenſore ſervis adtributa. N. 8.
Hac lege. B. 1. 2. 4. 6. 7. 9. 10. 12. 13. 17. 21. 22. 27. 28. 32. 46. 54. 60. N. 14. 52. 61. 84.
Hora decima diei poſt Solem ortum. B. 57.
Horis decem diei poſt Solem ortum. B. 67.

HS. ℔. *h. e. ſeſtertios quingentos*. B. 19.

HS. IↃↃↃ. *h. e. ſeſtertium quinquagena millia*. N. 23. 33. 51. 66.

IPro E. Aedis. B. 30. Corpori. N. 48. Dibito. B. 43. Dicurionibus. N. 61. Habibit. N. 69. Habiat. B. 27. Municipis. N. 89. Portioni. B. 38. Rim. B. 44. Ris. N. 76. Sinatum. N. 81. *pro* Aedes, Corpore, Debeto *&c.*
Ignominia *vide* Ingnominia.
In *praepoſ. cum voce ſequenti ſaepiſſime connectitur*. Incaſtreis. N. 17. 27. Indiebus. B. 24. Inea. B. 27. 54. Inforo. B. 37. Initalia. N. 44. Inloco. B. 53. N. 4. 64. Inmunicipieis. N. 9. 83. Inpartei. B. 25. Inquibus. N. 82. Inſenatum. N. 31. 54. 57. Intabulas. B. 14. N. 74. 81. *&c.*
In *in compoſ. dirimitur medio puncto a voce componente*. In. aedificatum. B. 70. In. ducta. B. 66.
In caſtris inve provincia. N. 17. 27.
In demortui damnative locum. N. 13.
In integrum reſtitui. N. 44.
In Italia eſſe non licere. N. 44.
In jure abjurare. N. 39.
In legione ſtipendia facere. N. 17. 26. 27.
In loco. B. 53.
In loco publico ponere ſtatuere. N. 4.
In loco Senatorio Decurionum ſedere, ſpectare, convivium publicum inire. N. 64.
In ordine (*Decurionum*) ſententiam dicere ferre. N. 35. 53.
In pompam ludis Circienſibus. B. 64.
In tabula in albo. *Et* In tabulam in album. B. 15. 18.
In tabulas publicas referenda curato. B. 14. N. 74. 81.
In urbem *pro* in urbe, B. 20. 50.
Inaedificatum inmolitumve in locis publicis habere. B. 70.
Ingnominia *ſic ſcribitur pro* Ignominia, N. 46. 47.
Ingnominiae cauſſa ab exercitu decedere. N. 47. ordinem adimi. N. 46.
Inire magiſtratum. B. 24. 25. convivium publicum. N. 65.
Injuriarum judicio condemnari. N. 37.
Inmolitum. *Vide* Inaedificatum.
Imperator ab exercitu decedere juſſit. N. 47.
Inter ſe parare aut ſortire. B. 25.
Interdiu poſt ſolem ortum. B. 57.
Intra ea loca ubi continenti habitabitur, B. 56.
Intra menſem unum. B. 19.
Invitum merere. N. 19. 30.
Ire in ſenatum, Decuriones, N. 55. 57.
Ita uti. B. 5. 8. 44.
Item *pro* itidem. B. 3. 4. N. 87.
Judicem judiciumque dare uti de pecunia credita. B. 44.
Judicio publico Romae *vel* in Municipio condemnari. N. 43. 45.
Jumentis juncta plauſtra. B. 67.
Jurare bonam copiam. N. 39.
Juſerit. N. 7. 47. 86. *cum ſimplici ſibilo, ut &* Juſet *pro* juſſit. N. 47.

K (*i. &* Kalendae) Januariae primae. B. 56. Januariae ſecundae. N. 15. Quinctiles primae. N. 24.
K. (*i. e.* Kalumniae) praevaricationiſve cauſſa accuſare vel facere. N. 46.

LAniſtaturam facere. N. 49.
Lapides perpetui integri. B. 53.
Legari mitti. N. 76.
Legati municipii, coloniae, praefecturae. N. 79.
Legere ſublegere Senatum, Decuriones, Conſcriptoſve. N. 12.
Legere ſublegere in Senatum, inve Decurionum numero. N. 32.
Lege Plebiſve ſcito. N. 85. 87.
Leges municipibus dare. N. 85. 87.
Legibus Plebiſve ſcitis. N. 29.
Legibus Plebiſve ſcitis exve foedere. N. 19. 29.
Legibus Plebiſve ſcitis Senatuſve Conſultis. B. 52. 72.
Lenocinium facere. N. 49.
Libitinam facere. N. 20. 30.
Librarii ſcribae. N. 6.
Libri cenſûs. N. 80. municipii, coloniae, praefecturae. N. 78.
Loca porticumve poſſidere. B. 71.
Loca publica porticuſve publicae. B. 68.
Loca quae publice demolienda erunt. B. 59.
Loca ſervis publicis ab Cenſore habitandi utendi cauſa adtributa. N. 8.
Locare viam. B. 38. 46. 47.
Locata erit via pecuniam. B. 48.
Locationem (*viae*) palam in foro facere. B. 37.
Locationis lex. B. 49. 73.
Locus ſenatorius Decurion. Conſcriptor. N. 64.
Locus ubi tabulae publicae erunt. N. 82.
Ludi Circienſes. B. 64.
Ludicram artem facere. N. 49.
Ludos facere. N. 3.

M *loco* N. Damdus. B. 17. 49. Quamtus. B. 37. 38. 43. 48. Sentemtia. N. 51. 53. 55. 57. Tamtus. B. 38. 40. 43. Tuemdus. B. 28. 31. 33. 40. 46. 47.
Magiſtratu deſignari. B. 25.
Magiſtratui rogando ſubrogandove comitia habere. N. 24.
Magiſtratum maximum habere. N. 69. petere capere gerere habere. N. 16. 21. 63. ſuffragio municipum habere. N. 10.
Major pars Decurionum. N. 75. Diei. B. 16. Sui cujuſque anni. N. 17. 27.
Mandati judicio condemnari. N. 37.
Militaris rei vacatio. N. 19. 29.

Digitized by Google

Minor annos XXX. natus. N. 15.
Municipes, Coloni, qui cives Rom. erunt. N. 71.
Municipes fundani. N. 86. 89.
Municipia, Coloniae, Praefecturae, Fora Conciliabula, quae civium Rom. ſunt. N. 9. 34.
Municipia, Coloniae, Praefecturae quae civium Rom. in Italia ſunt. N. 68.
Municipium, Colonia, Praefectura, Forum, Conciliabulum. N. 10. 11. 45. 50. 52. 53. 56. 61. 62.
Municipium, Colonia, Praefectura, Conciliabulum. N. 34.
Municipium, Colonia, Praefectura. N. 15. 20. 24. 84.
Municipium fundanum. N. 85.
Municipium *genit. plur. pro* Municipum. N. 71.
NE *particula junctа cum voce ſequenti*. Neminus. B. 34. Nequis. B. 56. N. 25. *quod ultimum ſcribitur quoque* Neiquis. B. 17. 70. N. 11. 15. 34. 53. *&* Niquis. N. 62.
Ne quem recitandos curato, N. 12.
Negotia curare. B. 2.
Neive N. 55. 59. 65. *&* Nive N. 57. *pro* Neve.
Noctu in urbem plauſtra inducere. B. 66.
Nomen profiteri. B. 13.
Nomina, praenomina, cognomina (*hac ſerie*) ex formula cenſus accipere. N. 72.
Nomina in tabula in albo propoſita. B. 17.
Non *junctum cum voce ſequenti*. Nonlicere. N. 14 Nonpoſſe. N. 40.
OB *in compoſitione ſejunctum puncto medio a voce ſequenti*. Ob. venerit. B. 21. 30.
Ob eam rem, quod. N. 38.
Obvenire partem urbis. B. 21. 27. 30.
OI *pro* OE. Foidere. N. 19.
Operis publice faciendi cauſſa. B. 58.
Optemperetur *pro* obtemp. N. 89.
Ordinem adimi apud exercitum. N. 47.
Ordo Decurionum, Conſcriptorum. N. 35. 53. 63.
Oſque *pro* Eoſque. B. 38.
P *Pro* B. Hapeat *pro* Habeat. N. 26. Optemperetur *pro* Obtemp. N. 89. *Item* P *pro* R. CVPATO. B. 40. DAPE. B. 43. FOPO. B. 37. MAIOPEM. B. 16. OPOPTET. B. 52. PIS. (*pro* Ris) N. 76. *pro* Curato, Dare *&c.*
Paciſci furti. N. 36.
Paciſci ſe ſoldum ſolvere non poſſe. N. 41.
Palam in foro facere. B. 37.
Paranto inter ſe aut ſortiunto. B. 25.
Partei *pro* Parte. B. 25. 27.
Patres aut Patronos *&c.* ex formula cenſus accipere. N. 72.
Pecuniae adtribuere *aliquem*. B. 40. Adtributus. B. 43. Factae Tabulae. B. 40. Qui volet petitio eſto. B. 19. N. 23. 53. 61. Rationem accipere. N. 73.
Pecuniam diebus XXX. proximis ſolvere. B. 41.
Pecuniam, praemium ob referendum caput civis Rom. accipere. N. 48.
Pedeſtria ſtipendia in legione facere. N. 17. 2.
Permiſſus eſt quis, *pro* permiſſum eſt alicui. N. 85.
Perpetui lapides. B. 53.
Perſcribere cenſum in tabulis publicis. N. 82.
Pervenire in ordinem Decurionum. N. 63.
Paetoria lege condemnari. N. 38.
Ploſtra certis hominibus certis de cauſis (*in urbe*) agere ducere licere. B. 60.
Ploſtra in pompam ludis Circienſibus in urbe agi duci. B. 64.
Ploſtra inania aut ſtercoris exportandi cauſſa. B. 66.
Ploſtra triumphi cauſſa in urbe duci. B. 63.
Ploſtris Virgines Veſtales, Regem Sacrorum, Flamines in urbe vehi. B. 62.
Ploſtrum poſt ſolem ortum in urbe ne ducito agito. B. 57.
Populi cenſus. N. 70. 74. 79. 82.
Populo dare damnas eſto. B. 19. N. 23. 33. 51. 56.
Populo frumentum dare. B. 15. 17.
Porticibus inaedificatum immolitumve quid habere. B. 70.
Porticum poſſidere. B. 71.
Portioni *pro* Portione. B. 38.
Poſſeſſa proſcriptave bona ex edicto. N. 43.
Poteſtatem maximam ſuffragio municipum habere. N. 10. 56.
Praeconium facere. N. 20. 30.
Praefectura. *Vide* Municipium.
Praemium capere. *Vide* Pecuniam, praemium.
Praerit *pro* Praeerit. B. 37. 39. 47. 48. 69.
Praeterquam ſi. N. 42.
Praetor Vrb. quive inter peregrinos jus dicit. B. 8.
Praevaricationis cauſſa *Vide* K. *i. e.* Kalumniae.
Pro *praepoſ. junctа cum voce ſequenti*. Proportioni. B. 38. *ſejunctа a voce componente* Propoſita. N. 74.
Pro ſingulis annis. N. 18. 28.
Pro ſocio (*judicio*) condemnari. N. 37.
Procedere ſtipendia. N. 18. 28.
Procuratio locor. publicor. B. 70. viarum. B. 28.
Profeſſiones fieri. B. 7. 10. 13.
Profitemeno. B. 5. *pro ſequenti* Profitemino.
Profitemino. B. 3. 5. 8. 11. *antique pro* Profitetor.
Profiteri ad Conſulem. B. 1. 4. 5. Ad Praetorem Vrb. quive inter peregrinos jus dicit. B. 8. Ad Tribunum Plebis B. 11.
Profiteri nomen. B. 13.
Propius Vrbem Romam paſſus mille. B. 20. 26. 50.
Proponi formulam cenſus. N. 73. 74.
Propoſitum habere apud forum. B. 16. 34.
Proſcripta bona. N. 43.
Publice exportari. B. 59.
Pulpitum in loco publico ponere. N. 3.
Pupilli pupillaeve tutor. B. 4.
Purgare vias publicas. B. 50. 51. 69.
Q *Pro* C. Quoqirca. N. 19. *i. e.* Quocirca.
Quaeſtor Vrb. quive aerario praeerit. B. 37. 39. 47. 48.
Quaeſtum corpore facere. N. 48.
Quamtus *pro* Quantus. B. 38. 43. 48. 60.
Quatuor-viri viis in urbe purgandis. B. 50.
Que *particula copulativa ſemper in aere Britan. & Neap. connectitur cum voce praeced. praeterquam in* Curato. que. N. 77.
Quiſque *pro* Quiſquis. N. 20. 55. *& contra*
Quiſquis *pro* Quiſque. B. 13.
Quocirca. N. 30. 44.
Quod earum rerum *pro* Quas res. B. 50.

Quoi,

Digitized by Google

Quoi, Quoius. B. 21. 33. N. 41. 46. *& saepissime.*
Quom *Conjunctio* B. 1. 16. N. 42. 77. 87. *V.* Cum.
Quomagis abesse. N. 43.
Quo magis *&c.* ex hac lege nihil rogatur. N. 83.
Quominus *&c.* ex hac lege nihil rogatur. B. 50. 65. 76. N. 1. 3. 6. 8.
Quominus commode. B. 23.
Quoquomque *pro* Ad quemcumque. B. 44.

RAta esse. N. 89.
Rationem alicujus comitiis conciliove habere. N. 58. Rationem pecuniae accipere. N. 73.
Recitare Decuriones, Conscriptos. N. 12.
Recte habere. B. 54.
Redemptor viae. B. 49.
Redimere viam tuendam. B. 40.
Referre caput civis Rom. N. 48. in tabulam in album. B. 15. in tabulas publicas. B. 14. in tabulas publicas pecuniae factae. B. 40. in tabulas publicas sui cujusque municipii. N. 75.
Reficere vias publicas. B. 26. 27.
Reipublicae caussa abesse. N. 42. 43.
Renuntiare Duum-virum *&c.* N. 26. 31.
Renuntiare sponsoribus creditoribusve. N. 40.
Restitui in integrum. N. 44.
Rettulerit *cum duplici* T. B. 15.
Rex sacror. plostris in urbe vehi oportebit. B. 62.
Rim. B. 44. Ris. N. 76. *pro* Rem, Res.
Rogare Magistratum. N. 25. sententiam. N. 32. 55.
Roma. B. 1. 2. 7. 8. 9. 10. 12. 64. N. 3. 43. 70. 73. 76. 77. 83. *Vide etiam* Vrbs Roma.

SAcra publica Populi Rom. B. 62.
Saeptum clausumve quid habere. B. 71.
Scaenam in loco publico ponere. N. 3.
Sciens dolo malo. N. 33. 55. 58. 60.
Scribae librarii Magistratibus apparebunt. N. 6.
Sedere in loco senatorio. N. 64.
Semestria bina, quae pro singulis annuis procedere oporteat. N. 18. 28.
Semitam lapidibus perpetuis integris, continentem, constratam recte habere. B. 53.
Senator Decurio Conscriptusve. N. 13. 22. 52.
Senatorius locus. N. 64.
Senatus Decuriones Conscripti. N. 12. 31. 35. 54. 57. 59. 61.
Sententia *pro* Sententia. N. 36. 51. 53. 55. 57.
Sententiam dicere. N. 22. 51. rogare dicere ferre. N. 32. 55. dicere ferre. N. 53. 57.
Servis publicis loca ab Censore adtributa. N. 8.
Si quis is. N. 86.
Sine dolo malo. B. 41. N. 81.
Sol ortus. B. 56. 67.
Soldum solvere. N. 40. 41.
Solvere, satis facere. B. 42.
Sortio *pro* Sortior. B. 25.
Sortiri partes urbis tuendas. B. 25.
Spectare cum Decurionibus. N. 59.
in loco Senatorio. N. 64.
Sponsores creditoresve. N. 40.
Stercoris exportandi causa. B. 66.
Sternere vias. B. 26.
Stipendia in castris inve provincia facere. N. 17. 27. Equo vel pedestria in legione facere. N. 16. 26. procedere. N. 18. 28. procedere Legibus Plebisve scitis. N. 29.
Sub *a voce componente diremptum medio puncto.* Sub. legito. N. 32. Sub. rogando. N. 25.
Sublegere Decuriones. *Vide* Legere.
Subrogare Magistratum. N. 25.
Sufragio (*cum simplici* F.) municipium Magistratum habere. N. 10. 56.
Sui cujusque anni. N. 18. 27.
S. S. S. *i. e.* Supra Scripti Sunt. N. 22.

TAbula album. B. 15. 18.
Tabulae publicae. B. 14. N. 81. 82. municipii. N. 74. pecuniae factae. B. 40.
Tamtus *pro* Tantus. B. 38. 40. 43.
Tenere municipes fundanos. N. 87. 89.
Tribunale. B. 34.
Tribunus Plebis. B. 11. 17.
Tribus ex formula Census accipere. N. 72.
Triumphavit *pro* Triumphabit. B. 63.
Triumphi caussa plostra (*in urbe*) duci. B. 63.
Tuemdus *pro* Tuendus. B. 28. 31. 33. 40. 46. 47.
Tueri viam publicam. B. 22. 32. 33.
ultro tributa. B. 74.
Tum cum primum. N. 87.
Tutelae judicio condemnari. N. 37.
Tutor pupilli pupillaeve. B. 4.

V *Pro* B. Triumphavit. B. 63.
Vacatio rei militaris Legibus, Plebisve scitis, exve Foedere. N. 19. 29.
Vectigalia Vltro-ve tributa frui tueri. B. 73.
Vectigalia Vltro-ve tributa fruenda tuendave conducta habere. B. 74.
Viae locationem per Quaestorem Vrb. palam in foro facere. B. 37.
Viae partem dimidiam tuendam locare. B. 31.
Viam arbitratu Aedilis tueri. B. 21. 32. 33. Viam locare. B. 46. Viam per Quaestorem Vrb. tuendam locare. B. 47.
Viam tuendam locare. B. 33. redimere. B. 40.
Viarum reficiendarum tuendar. procuratio. B. 27.
Virgines Vestales plostris in urbe vehi. B. 62.
Vltro tributa. *Vide* Vectigalia.
Vnde de plano recte legi possit. B. 16.
Vq. *i. e.* pupilla. B. 4. 5.
Vrbei *pro* Vrbe. B. 64.
Vrbis partes Aedilibus obvenire. B. 21. 27. 30.
Vrbs Roma. B. 20. 26. 56. 67. 68. 69. N. 3. *Sed* ἁπλῶς Roma, *Vide* Roma.
Vtendi causa loca adtributa. N. 8.
Vti frui. B. 74.

COMMENTARIORVM
IN TABVLAS HERACLEAE
FINIS.

COL.

Digitized by Google

COLLECTANEA

EX INDVSTRIA IN HVNC LOCVM REMISSA.

IN Prodromi Diatriba I. in feſtinanda Majoris Graeciae deſcriptione inciderunt mihi aliquammulta, quae longiore, quam pro brevitate propoſita, tractatione indigerent. Hinc tum in pluribus hujus generis nata mihi neceſſitas fuit rejiciendi lectorem in finem operis: quo in loco longiuſculas illas ſcriptiones (tunc quidem ſive mente, ſive paucis in pittacio verbis leviter adumbratas, in fine vero per otium amplificandas) lectori repraeſentarem. Ac pluribus id quidem (*) in locis improvide mihi factum doleo. At ubi jam ad extrema operis ventum fuit; fateor me fidei temere obſtrictae poenituiſſe. Nam & volumen jam plus opinione creverat, &, in quo caput eſt, in tanta virium & capitis laſſitudine ingens me viae taedium cepit. Accedit, quod promiſſarum ſcriptiuncularum non paucas titulo tenus tunc deſignaſſe contentus, ceterum iis vel leviter informandis, maxime urgentibus operis typographicis, abſtinueram. His de cauſis non pauci amicorum mihi auctores fuere, quandoquidem volumen jam ſpiſſius evaſiſſet, eam videri fore juſtiſſimam cauſam impetrandae a lectoribus veniae. Tamen, etſi impune mihi futurum confiderem, ſtatui mediam quamdam ſequi viam. Etenim non uſque adeo frontem obdureſcere mihi patiar, nihil ut prorſus promiſſorum exſolvam. Verum ea tantum dare eſt animus, quae in pluteis utcumque adumbrata habeo. Ceteris non modo nunc in tanta valetudinis adverſitate, ſed, ut id jam aetatis, aeternum opinor ſuperſedebitur. Atque haec pauca e multis non eo ordine dabimus, quo promiſſa fuerunt; ſed Infernatis orae loca aliquot initio exponam, Paeſtum *in primis (cujus origines juſto opuſculo jam ante plures annos pertexueram) mox* Veliam, *atque* Vibonem Valentiam. *Adlinemus porro aliquid de* Sybari & Thurio, *de* Caelinis, *de* Lycianis *ſive* Lupia, *deque* Hatriae *originibus, & ſiquid aliud ſub manu venerit. Cujuslibet Collectanei initio, quonam Prodromi loco promiſſum id fuerit, indicabitur.*

(*) Praeſertim Diatr. I. cap. 5. pag. 24. & 25. ac tota paſſim Adnot. 30. Mox pag. 26. ver. 6. Deinde ibid. ſect. I. ver. 5. Ac pluries ſparſim in deſcriptione Graeciae Magnae, nec non & Graeciae illius, quam per oram Superi Inferique maris disjectam dixi.

COLLECTANEVM I.

DIATRIBA DE PAESTI ORIGINIBVS *ejuſque varia fortuna.*

EXſiſtunt adhuc luculenta veteris PAESTI veſtigia, trans Silarim amnem (a cujus ſiniſtra ripa Lucania incipiebat) quingentis fere paſſibus a mari reducta. Murus adhuc ferme integer formam urbis quadratam exhibet, Exſtant publica complura aedificia columnis ingentibus nixa, ſed ejuſmodi, ut tum earum ſcapi, tum cetera ornamenta ad nullum ex architectonicis ordinibus Vitruvianis commode reduci queant, Tametſi Tyrrhenicum ingenium quodammodo referunt: adeo maſcula ac robuſta ſunt omnia. Verum ab ordinis Tuſci modulis, quos Vitruvius deſcribit, haud paullo diſſident. Ac nihil magis optandum erat, quam ut (quoniam a nullo dum Paeſtana veſtigia adumbrata atque in aes inciſa fuere) exſiſteret aliquis doctus ac diligens architectus, cujus operâ quam accuratiſſime deſcriberetur tum univerſae urbis ἰχνογραφία, tum etiam ſingulae partes, & quidem ſcite

Digitized by Google

ſcite, atque ex artis praeceptis. Sed pulchre eſt quod id quod magnopere cupiebam, jam magna ex parte praeſtitit vir in mathematicis diſciplinis exercitatiſſimus, architecturae vero longe cupidiſſimus, Comes Felix Gazola patricius Placentinus, ad Regiarum copiarum primarias dignitates provectus: a quo laceras Paeſti reliquias ab interitu vindicatas exſpectamus.

Interim urbis me antiquiſſimae fama commovit, ut ejus ſparſas ac diſſipatas apud veteres auctores memorias in unum cogerem: ex quibus ſcriptoribus quaecumque ad ejus vices diverſamque fortunam ſpectantia ipſe didiciſſem, ea volui cum noſtris hominibus communia facere.

CAPVT I.

Fundamenti loco Strabonis involuta narratiuncula praemittitur, & ita explicatur, ut omnes inde evolvantur Paeſtanae converſiones, ordinatim ſecundum temporum ſeriem diſpoſitae.

Strabo extremo lib. V. a Campania digreſſus, ita pergit: *Poſt Campanos & Samnites . . .* (ἐπὶ μὲν τῇ Τυῤῥηνικῇ θαλάττῃ τὸ τῶν Πικεντίνων ἔθνος οἰκεῖ, μικρὸν ἀπόσπασμα τῶν ἐν τῷ Ἀδρίᾳ Πικεντίνων, ὑπὸ Ῥωμαίων μετῳκισμένον εἰς τὸν Ποσειδωνιάτην κόλπον, ὃς νῦν Παιστάνος καλεῖται· καὶ ἡ πόλις ἡ Ποσειδωνία, Παῖστος, ἐν μέσῳ τῷ κόλπῳ κειμένη) *ad mare Tyrrhenum Picentinorum gens habitat, ex Picentinis* (imo potius *Picenis*; ſic enim inter Hadriatici interque Tyrrheni maris accolas Plinius & Ptolemaeus diſtinguunt, ut illi primitivi, vocentur *Piceni*: hi vero ab illis avulſi, veluti derivativo nomine dicantur *Picentini*) *qui mare Hadriaticum accolunt, abſciſſa portio atque transducta a Romanis in ſinum Poſidoniaten, cui nunc Paeſtano nomen; ſicuti & ipſa urbs Poſidonia in medio ſinu jacens, nunc Paeſtum vocatur.*

Haec pauca Geographus de ſtatu ſui temporis (quo quae olim urbs *Poſidonia* a Graecis tenta fuerat, poſtea abolito magna ex parte Graecismo, *Paeſtum* tranſnominata fuit) praelocutus, alia deinde quaedam de antiquioribus rebus aſpergit, ſed tam parca manu, ut acuat magis, quam ſedet famem. Sic enim ſtatim apud eum ſequitur: Συβαρῖται μὲν οὖν ἐπὶ θαλάττῃ τείχος ἔθεντο, οἱ δ' οἰκισθέντες ἀνωτέρω μετέστησαν. Quae interpres ita optime reddidit: *Murum* (h. e. urbis *Poſidoniae* moenia) *Sybaritae ad mare condiderant: habitatores autem* (priores utique, illinc a Sybaritis ejecti) *ſurſum commigraverunt*. Si quaeras, quoſnam hos incolas priores illinc exturbatos intelligat; non aliud licebit reponere, quam fuiſſe primitivos illos *Paeſti* conditores Phoenices (quos indicat Solinus cap. ſeq. producendus) h. e. Tyrrhenos, quippe maris Tyrrheni accolas: quod certe non alia de cauſa *Tyrrhenum* vocabatur, quam quia ante Graecorum eo allatas colonias, a Tuſcis ſive Tyrrhenis totum accolebatur.

Vltima Strabonis ſtatim iſta ſequuntur. Ὕστερον δὲ Λευκανοὶ μὲν ἐκείνους (Συβαρίτας), Ῥωμαῖοι δὲ Λευκανοὺς ἀφείλοντο τὴν πόλιν. *His* (Sybaritis) *poſtea Lucani, ac Lucanis rurſus Romani urbem ademerunt*. Quam demum urbem Romani, ita Lucanis ademerunt, ut eam Tyrrhenis prioribus incolis, prope tunc poſitis, una eum *Paeſti* antiquo nomine reſtituerent: de quo in loco.

Praeſtabit jam disjectas haſce Strabonianas notitias in chronologiae ordinem reducere. I. Temporibus remotiſſimis planeque heroicis Phoenices ex Dora Phoenicià profecti, *Paeſtum* urbem τῷ *Peſitan* ſive *Peſtan* (uti dicemus) h. e. Neptuno cognominem, in ſinu ejusdem nominis condiderunt. II. Sybaritae quingenteſimo ferme ante Chriſtum anno eamdem urbem, remotis Paeſtanis, cinxere moenibus, & Ποσειδωνίαν ejusdem ſignificationis nomine nuncuparunt. Paeſtani vero videntur proxime Graecos colonos novum ſibi oppidum muro cinxiſſe. III. Poſthaec Lucani circumjecta regione armis devicta, Poſidoniam in ſuam poteſtatem redegerunt. IV. Deinde Romani ea urbe potiti, anno Vrb. C. 480. illam coloniae jure donarunt, reducto *Paeſti* nomine. V. Poſtremo anno V. C. 627. nova illuc colonia civium Romanor. deducta fuit, & quidem cum Latino *Neptuniae* vocabulo, quod tum Tyrrhenico *Paeſti*, tum Graecanico *Poſidoniae* nomini e regione reſponderet. Niſi quod vetus *Paeſti* nomen vulgo retentum. Nam nove impoſita nomina perraro in coloniis invaluerunt, quia priora, alte animis inſidentia plurimum praevalebant. Singulas hujuſmodi converſiones ſequentibus capitibus excutiemus.

CAPVT II. *AETAS I.*

Origo prima a Phoenicibus conditoribus: quae origo & auctoritate Solini, & ex Phoenicio urbis nomine oſtenditur. Coloni, qui initio Phoenices fuerunt, ſecutis temporibus Tyrrheni vocabantur: quibus Tyrrhenis indidem origo fuerat.

De primo conditu nihil reperio antiquius teſtimonio Solini: auctoris quidem vel minimi pretii, ſed quem tamen ſua ab antiquis excerpſiſſe manifeſtum eſt: quos utinam opportune laudaſſet. Is igitur capite altero, haud longe ab initio, *Paeſtum a Dorenſibus* (ſupple ἀπὸ κοινῆ) *conſtitutum*, refert. Vide ibi (1) Salmaſium. Atqui cum *Dorenſes* audis, cave ne cum iis confundas qui exiguam Aetoliae partem, nempe Doridem illam τετράπολιν incolebant, quique potius *Dorienſes* (Δωριεῖς) dicebantur: verum Phoenicas *Dorenſes*, qui ſcil. ex Dorâ, oppido in ora maritima Phoenices celebratiſſimo, profecti fuerant, intellige. Quamquam ſi tum Dorienſes ipſos, quos modo nominavi, tum quoſcumque alios ejus nominis ubique terrarum ſparſos ex eâdem illa Phoeniciâ Dora ἀνέκαθεν arceſſas; equidem non repugnabo.

Nec dicas, Solinum ad Graecam coloniam eo

(1) Verum ne viro eruditiſſ. credas, ita ad Solinum notanti: *Nec tamen diverſa ſunt nomina* Ποσειδωνία *&* Paeſtum: *ſed Latinum nomen ex Graeco corruptum.* Ποσείδεον *&* Ποσειδώνιον *idem: ex* Ποσείδεον *per contractionem factum* Paeſtum. Ita vir ſummus ὁμοιομέρειαν illam Anaxagorae in etymologicam diſciplinam inducit, qua ex diſperiis cujuslibet rei ſeminib. ex quovis quodlibet gignat.

Digitized by Google

eo deductam (quam Dorica dialecto usam, nummi probant: de qua cap. seq. dicam) spectasse. Nam si ea Solini animo obversata fuisset, Ποσειδωνίαν, non *Paestum* appellasset: deinde non *Dorenses* sed *Sybaritas* conditores dixisset: qui insuper Sybaritae ne origine quidem Dorienses, sed Achaei fuerant, Strabo lib. VI. in Sybari: Ἀχαιῶν κτίσμα ἡ Σύβαρις, *Sybaris, ab Achaeis fundata.* Atqui *Achaia* proprie dicta temporis illius angustior erat, nihilque cum Dorienſibus commune habuit; ita ut non possint apud Solinum *Dorenſium* nomine Sybaritae venire.

Sed ad Paesti colonos Dorenses quod attinet, hos certe ex Phoenice huc navigando advectos, vel tacente Solino, ipsum *Paesti* nomen haud dubie Phoenicium, proinde a Phoenicibus conditoribus impositum, profecto declarat. Nam cum *Paesti* nomen nec Latine nec Graece ullam animo significantiam offerat; barbarum sit oportet, ac proinde in Orientis linguis fixas radices habeat. Nec mea me opinio, quam de hoc nomine praeconceperam, fefellit. Quod nomen si ab Hebraica simulq. Chaldaica radice פשת adscisc amus ab ea fit Heb. פשתה *pistah* & Chald. פשתן *pistan:* quorum utrumque *Linum* designat, cujus sationem in paluſtribus Paesti vallibus copiosam antiquitus provenisse & opificium viguisse, non aegre suaserim. Verum hoc non moror.

Nam magis est ut ab altera radice id arcessamus, quae Hebraeis, Chaldaeis, Syrisque magno in usu est, nim. a פשט *peshat* cum *Teth* finali: quod verbum *dilatandi* & *extendendi* notione pollet, ac plurima Chaldaeis Syrisque usitata vocabula gignit, pari significatu praedita. Quid ergo dubitamus quin פשטא *Pesta* aut *Pista* (unde addito Latiali fine, fit *Paestum*) campestrem latitudinem illam quae circa Paestum est, notaverit? Ac ne ab eodem Solini cap. 2. discedam; is ante medium sic sparsim laudatissima quaeque Italiae memorat, ut inter illa *Paestanas valles* (h. e. immensam circa Paestum campestrem planiciem, quam montes ab orta & borea excipiunt) praecipue numeret. *Ibi* (in Italia scil.) . . . *Rhegini saltus, PAESTANAE VALLES:* ubi *saltus* a *vallibus* ita distinguuntur, ut illi de locis montanis (sicuti Caesar *saltus Pyrenaeos* memorat) hae de planis latifundiis intelligantur. Recte ergo ait: *Rhegini, saltus, Paestanae valles, amoeniſſimus Campaniae tractus* &c.

Verum age meliora demus. Ab ead. radice פשט fit etiam פשיטן, *Pesitan* vox Phoenicia: quae suis Phoenicib. *Neptunum* notabat (a *latitudine* sortis, quae ei obtigit, sic vocatum) unde Graecorum est Ποσειδῶν: quam nos etymologiam in sequentibus confirmabimus. Huic nos potissimum Phoenicio Neptuni vocabulo ita adhaerebimus, ut ipsi de se Paestani confessi videantur, non alia de causa se *Paestanos* (Graecis Ποσειδωνιάτας) fuisse appellatos, quam quia τῷ *Pesitanis* (h. e. Neptuni) cultui addicti fuissent; sicuti & (2) Athenienses ab Ἀθηνᾷ (*Minerva*) sic dicebatur. Verum de hoc exploratissimo Paestanorum veriloquio infra, ubi de Graecorum colonia Paestum deducta, ita ubertim loquemur, nullus ut superſit haesitandi locus.

CAPVT III. *AETAS II.*

§. I. *Colonia in vetus Paestum a Sybaritis deducta, eaq. Posidonia κατ' ἑρμηνείαν vocata. Nominum per interpretationem impositorum exempla. Paestum a Neptuno sibi nomen quaesiverat, qui* Pesitan, *sive* Paistan *Phoenicibus vocabatur. Tam Punicum, (ex quo & Graecum fluxit) quam Latinum Neptuni nomen a* dilatando *fit.*

Aliquando Sybaritas κατοικίσει (*exscensione*) ad Paestum facta, Graecam ibi coloniam constituisse, περιήγησις iambica illa testatur, quae diu Marciano Heracleotae tributa, ac sub ejus nomine laudata fuit: quam tamen Scymno Chio (quem nonaginta ferme ante natum Christum annis floruisse volunt) postea viri doctissimi argumentis indubiis asseruerunt. Ibi sic legitur.

Προσεχεῖς δὲ τούτοις εἰσὶ πάλιν, Οινώτριοι,
Μέχρι τῆς Ποσειδωνιάδος ὠνομασμένης.
Ἣν φασι Συβαρίτας ἀποικίσαι ποτέ.
Contermini ſunt rursus his Oenotrii,
Quousque Posſidoniada (3) vulgo vocant.
Sybaris alumnos condidisse hanc praedicant.

Ex ultimo versu vides, regionem Posidoniada (quae postea *Paestana*) totam in horum recentium colonorum potestate fuisse: ex quo de eorum potentia constat. Haec eadem Strabo extremo

(2) Athenas in exemplum attuli, Strabonem secutus: qui cum plurima urbium exempla producere potuisset, a deorum aliquo nomen consecutarum; duas hasce, utpote eâ maxime causâ celebratas tantum junctim produxit. Locus Geographi extat lib. IX. pag. 397. ubi cum memorasset Atticam ab Atthide Cranai filia, Mopsopiam a Mopsopo, Ioniam ab Ione, heroibus dictas; postea subjicit, Ποσειδωνίαν δὲ καὶ Ἀθήνας ἀπὸ τῶν ἐπωνύμων θεῶν, (sicuti) *Posidoniam & Athenas a cognominibus diis*, Neptuno scil. & Minerva tutelaribus earum urbium & nominis auctoribus.

(3) Cluverius in Italia pag. 1255. sic ad hunc locum notat: *Appellatur Marciano* (cui tunc tribuebatur hoc opusculum) Ποσειδωνιὰς, Ποσειδωνιάδος, *metri causa pro* Ποσειδωνία, Ποσειδωνίας. Falso. Nam Poeta ἀκτῆς, aut χώρας subaudit quod & in similib. supplendum est. Eo in nostris senariolis *Posſidoniada* quarto casu posuimus. Etsi in eo nomine sibilū duplicavi, tum metri necessitate coactus, tum non sine exemplo marmorum. In Tiburtino lapide apud Muratorium p. 1579. 8. POSSIDONIO scalpitur, pro *Posidonio*. Quamvis autem *Possidonius* in eo marmore sit viri nomen; at etiam eadem vox totidem syllabis nomen gentile erat. Stephanus: ΠΟΣΕΙΔΩΝΙΑ, πόλις Ἰταλίας· τὸ ἐθνικὸν ποσειδωνιάτης (corr. ποσειδωνιάτης) καὶ ποσειδώνιος. *POSIDONIA, urbs Italiae. Gentile, Posidoniates & Posidonius*. Dixi superius in ποσειδωνιάδος subaudiri sive ἀκτῆς sive χώρας. At equidem hoc alterum magis sequor. Quare Scymnus *Posidoniadem regionem* ita vocatam intellexit. Ejusdem modi sunt *Atthis, Atthidos, Attica:* in quibus sive χώρα, sive γῆ subauditur; & alia, ὅσα κύρις.

Digitized by Google

tremo lib. V. luculentius declarat, & ita ut aperte significet *Posidoniae* nomen a Sybaritis conditoribus oppido impositum. Geographi locum cap. I. exposui, & ad χρονόταξιν redegi.

Nunc scire interest, qua de causa, quam Dorenses conditores primi, natu Phoenices, olim *Paestum* nuncuparant, hanc postea Sybaritae coloni sibi Ποσειδωνίαν vocandam duxerint. Atqui eadem prorsus causa Sybaritis *Posidoniae* vocandae erat, quae postea Romanis fuit nuncupandae *Neptuniae*, teste Velleio lib. I. cap. 15. Nam Graeci in suis coloniis deducendis aut antiqua nomina ita emolliebant, ut in suam linguam paucis immutatis (4) detorquerent; aut, si minus id fieri posset, quam saepissime nova imponebant vocabula, eaque plurimum per veterum peregrinorum interpretationem facta. Hujusmodi exempla sparsim nonnulla Bochartus ediderat. Ego quoque in meis Tyrrhenicis specimina ejus consuetudinis ad triginta exhibui, sive Graecorum, qui pro Phoeniciis antiquis locorum nominibus ἑλληνικὰ idem significantia substituerunt, sive Latinorum, qui idem prorsus fecere, in Etruscis maxime nominibus. Quinimo & nonnulla exempla protuli locorum trionymorum, sed ita ut ex iis trinis nominibus unum Tyrrhenicum sive Phoenicium esset, Graecum alterum, tertium Latiale, omnia vero idem in suo quaeq. idiomate notarent. Ad hoc vero triplicis nomenclaturae genus referenda sunt urbis, qua de agimus, vocabula. Ea a Dorensibus ex Phoenice profectis, conditoribus primis, ΠΑΙStan, uti in nummis (5) legitur, vocata fuerat. Id autem vocabuli cur certo *Neptunum* notet, ne quemquam morer, videbis in ora (*6*) pagellae liquido expositum. Eam vocabuli notionem cum

(4) Ex trib. *Hipponibus* (de quib. mox Collect. II.) exemplum petatur. Ea primitus oppida a Phoenicibus *Vbbonis* sive *Vibonis* nomen singula obtinuerant. At Graeci postea, quo magis ea loca Hellenicae originis viderentur, barbaricum nomen (quo sinus maris intimus significatur) in Ἱππῶνα i.e. *equile* transmutarunt. Sed exemplis supersedeo, qui millena id genus nomina, sive a Graecis sive etiam a Latinis sic interpolata, proferre possim. Vide nostra Tyrrhenica, & passim alibi.

(5) *De Paestanorum nummorum effigie, & litteratura. Hanc Latinam potius, quam Tyrrhenicam, putandam esse.*

Nummos plures habeo cum inscriptione ΠΑΙS, quos vulgo ignoratos unde sint, equidem ad Paestanos jam olim referebam. Sed postremo, ne quis dubitandi locus relinquatur, ante sex annos unum comparavi mihi cum integra epigraphe ΠΑΙSTAN: nim. deleto O; nam in binis (apud Franc. Henr. de Crassis Planurae Comitem, ditissima nummor. rarissimor. gazâ & eruditione celebrem) est ΠΑΙSTANO. Id quod ad vetus pertinet Phoenicium sive Thyrrenicum urbis & incolarum nomen. Nam ea vox, uti dicam, a Paistan Neptuno ejus urbis tutela haud dubie fluit. In ejusdem nummi adversa parte Neptuni barbatum caput sine dubio exhiberi puto: in aversa sive Neptunus idem nudus, sive filius ejus Taras est. Quicumque sit, is delphino insidens, coronam dextrâ elevat, sinistra tridentem gerit. Etsi satis detritus is nummus est, in quo ΠΑΙSTANO legitur.

Ceterum si a me quaeras, istud ΠΑΙSTANO cujam litteraturam exhibeat; dicam posse Graecam dici; quippe cum eo tempore Paestani junctim cum Graecis Sybaritanis habitarent & littera S non tantum in antiquissimis Graecis epigrammatibus appareat, sed & interdum in minus antiquis. Sed verisimilius fit, videri Latinam. Nam post deductam Rom. coloniam triplex jam populus esse coepit, Tuscus, Grajus, Latinus. Ceterum & Π (maxime si sit dextro crure breviore, ut hîc) in antiquioribus lapidib. interdum pro P, & AI pro AE crebro occurrit. Possis & fortassis Tyrrhenicam dicere; nam nulla est illarum litterarum, quam non in Etruscis, praesertim posterioris aevi, monumentis reperias. Sed & iidem Tyrrheni temporibus ultimis ab laevo latere in dextrum juxta cum Latinis procedebant. At quid tricamur? Nihil verius est, quam τὸ ΠΑΙSTANO Latinum esse; sicuti Latinae sunt inscriptiones nummorum illorum, SVESANO, CALENO, AESERNINO, pro *Suesanorum*, *Calenorum* &c. quorum instar etiam ille nummus aereus, qui apud me est, Romae cusus fuit cum epigraphe, ROMANO.

Ex quo intelligitur, nummos inscriptos ΠΑΙSTANO aut ΠΑΙS Latinos esse; imo & ad ea tempora pertinere, cum Paestum inter Romana municipia forsan numerari coepit, circiter ann. Romae CDLX. ac perdiu deinceps, quam diu sc. postea colonia Latina fuit. Desit autem nummos cudere ubi perfectam civilitatem Rom. acquisivit anno Vrbis DCXXVII. de qua cap. 6. Verum de Latinis Paestanorum & quidem variae scalpturae nummis dicam infra cap. V. §. 3. sicuti de *Graecis* Posidoniae argenteis nummis infra differemus. Adn. 15.

(6) *Quod ex Japeti Patriarchae nomine orta sit* NEPTVNI (*h.e.* Dilatati) *vox: Phoenicium vero ejusd. dei nomen fuisse* Pesitan *aut* Pestan: *quod eod.* Dilatati *significatu pollet; idque nomen a Tyrrhenis usurpatum tum de deo Neptuno fuisse, tum de Paestana urbe, Neptuno sacra.*

Jam dudum me hoc labore doctiss. Bochartus levavit: qui lib. I. Geogr. Sac. cap. 1. cum totus in eo esset, uti tres Noae filios in totidem illos Saturni liberos a gentilibus transformatos doceret; luculenter ostendit, ethnicorum Neptunum haud alium quam Japhetum Noae filium exstitisse. Inter cetera, nomen ipsum *Neptuni* ex eadem radice est, unde *Japheth* oritur. Vtrumque enim a פתה, quod *dilatare* est, formatur: cujus passivum נפתח *Nipthah* (aut Chaldaice *Neptah*) est *dilatari*, ex quo *Neptuni* nomen arcessitum fuit; sicuti & indidem *Japheti* vocabulum exstitisse declarat illud celebre vaticinium cap. IX. Geneseos ver. 27. *Dilatet Deus Japheth* . . . . ubi in Hebraeo inest manifesta nominis Japheti ab Hebraico illo *dilatandi* verbo derivatio.

Mitto cetera quae Bochartus affert. Nam is Graecum quoque Ποσειδῶνος nomen ex Chaldaico ejusdem prorsus significantiae verbo פשט *Pesat* adsciscit, unde ait factum fuisse פשיטן *Pesitan* (quod *Extensum* sive dilatatum notet) quod vetus Punicum, seu Phoenix Neptuni nomen fuisse docet.

Rrr Eum

Sybaritae coloni animadvertiſſent; eam interpretati, Ποσειδωνίαν i. e. *Neptuniam* nuncuparunt. Poſtremo Romani, cum utrumque id nomen, eâdem prorſus notione a bilingui populo uſurpatum reperiſſent; haud committendum putarunt, ut coloni illuc ab Roma tranſcripti ſuo ſignificationis ejusdem Latiali vocabulo carerent, Itaque *Neptuniam*, teſte Paterculo, cognominarunt: de quo infra.

Poſtremo tribus hiſce nominibus, ex aequo Neptunum ſuâ linguâ ſignantibus, nummi conſonant: a quibus nim. Neptunus ipſe, aut ſaltem Neptuni ſymbola confeſſa non abſunt.

§. II.

Tempus deductae a Sybaritis coloniae, & quidem cum Poſidoniae cognamento.

Ad tempus deductae a Sybaritis coloniae quod attinet, id nobis ignorabile monumentorum inopia reddidit. Hoc tantum praeſtare poſſum, maturius anno ante Chriſti natalem 443. id contingere debuiſſe: quo circiter anno quae Sybaris antea fuerat, ea ab Athenienſibus novis colonis in vicino condita fuit, ac *Thurii* ſive *Thurium* appellata. Thuriae vero coloniae natales ad annum 1. Olympiadis LXXIV. refertur. Herodotus hiſtoriae parens unus ex colonis fuiſſe dicitur, qui ob eam cauſam *Thurii* ſibi cognomen quaeſivit: de quo vide dicta in Prodromo, ubi de Sybari ac Thuriis egimus. Plinius XII. cap. 4. ad annum Vrbis CCCX. (hoc eſt ante Chriſtum CCCCXLIII.) ſcriptas ab Herodoto Thurio hiſtorias refert.

Etſi quia jam ante id tempus Sybaris a Crotoniatis everſa fuerat; eo fit, ad anteriora tempora aetatem hujus coloniae a Sybaritis conditae videri retrahendam. Diodorus lib. XII. Sybaritani excidii cauſam eam fuiſſe refert, quod Crotoniatae, auctore Pythagora philoſopho, quoſdam e Sybaritis, qui ad ſe ſupplices confugiſſent, dedere Sybaritanis legatis renuiſſent: atque ea de cauſa bellum inter utrumque populum exarſiſſe, in quo Crotoniatae ſuperiores Sybarim deleverunt. Qua narratione ſatis oſtendit, Pythagora philoſophante in Italia Sybarim extinctam fuiſſe. Aetas autem agentis in Magna Graecia Pythagorae etſi non conſtat ad quotum Romae annum ſit referenda; haud paullo plus certe quingentis annis Chriſti ortum anteceſſit. Ex quo licebit de aetate deductae a Sybaritis in ſinum Paeſtanum coloniae craſſiorem conjecturam facere.

Poſtremo & illud, ſciendum eſt, Sybaritas excidio ſuperſtites iterum ac tertio in Sybaritanis ruderibus coaluiſſe (ut idem narrat Diodorus) antequam Athenienſes coloni Thurios in vicinia exilae Sybaris excitarent. Quocirca fieri potuit, ut (dum Sybaritae, quoties ad ſedes redirent priſtinas, toties hoſtili Crotoniatarum impreſſione dejicerentur) pars ſuperſtitum Sybaritarum conſcenſis navibus ad ſinum Paeſtanum appulerit, ibique coloniam Poſidoniam fundaverit. Nam & eodem temporis intervallo eaedem illae Sybaritarum reliquiae Laum & Scidrum condiderunt. Auctor Herodotus Musâ VI. 21. *Haec Mileſiis mala cum a Perſis accidiſſent; par pari non retulerunt Sybaritae* (οἱ Λαὸν τε καὶ Σκίδρον οἴκεον, τῆς πόλιος ἀπεστερημένοι) *qui urbe* (a Crotoniatis) *exuti, Laum &* (7) *Scidrum incolebant. Nam* (olim) *Sybari a Crotoniatis capta, puberes omnes Mileſiorum capita detonderant, & luctum ingentem prae ſe tulerant.* Ergo facile ad has Sybaritarum, urbis excidio ſuperſtitum,

Laum-

Eum vide pag. 9. v. 26. & 60. Poſtremo idem ex Punico *Peſitan* Graecos (verſo T in ejusdem organi litteram D) effeciſſe Dorice Ποσειδὰν, at communi Graecorum terminatione Ποσειδῶν. Haec ibi vir eruditiſſimus. Quamquam quod ibi contendit, Punicum Neptuni nomen fuiſſe *Peſitan*, etſi ſuaſit, at (quia nullum exemplum τῷ *Peſitan* pro Neptuno attulit) non plane perſuaſit, nec fidem extorſerat omnibus.

Itaque quod hîc de *Paeſto* docemus, deque ejus genuino nomine ΠΑΙΣΤΑΝ, id vero tandem Bocharti repertis mirifice velificatur, eique ingentem eruditionis & acuminis laudem conciliat: dum quod ille ex nummorum imperitia (quibus utinam ſtuduiſſet; quid enim non pro ſua ſagacitate expiſcatus eſſet?) minus certum reliquit, id nos nunc extra dubitationis aleam ponimus. Quid enim? Sybaritae dum ad Paeſtum deduxere coloniam, Orientale *Pæſti* nomen Graeca interpretatione pro more donarunt, ac pro *Paiſtan*, Ποσειδωνίαν tranſnominarunt. Idem poſtea & Latini fecerunt, qui deductam illuc coloniam nuncuparunt NEPTVNIAM, teſte Velleio · de quo infra. Quis ergo dubitaverit, quin *Paiſtan*, vetus Phoenicium ſive Tyrrhenicum Neptuni nomen fuerit? Nec illud minus eſt exploratum, ex *Pæſtan* Graecos nomen ſuum Ποσειδὰν derivaſſe; ſicuti & Latini ſuam *Neptuni* vocem ex Hebraica radice illa, unde *Japeti* Patriarchae nomen cum *Dilatati* ſignificatu oritur, inclinaverant. Quae ſunt plane certiſſima.

(7) *Laum & Scidrum obſcuras Sybaritarum colonias in ortiore veterrima Italia eſſe quaerendas.*

Laum ad mare Tyrrhenum prope cognominem fluvium, cujus Strabo meminit, noveramus (quod tamen a Sybaritis conditum, nunc primum didici) at de *Scidro*, ubinam fuerit, nihil dum certi putabam. Nam meminit quidem Stephanus: ſed in Italia id oppidum ſtatuiſſe contentus, haud multo nos doctiores facit. Sic ille: ΣΚΙΔΡΟΣ, πόλις Ἰταλίας. Τὸ ἐθνικὸν Σκιδρανὸς, ὡς Λύκος ἐν τῷ περὶ Ἀλεξάνδρου, *SCIDRVS, urbs Italiae. Gentile eſt Scidranus, ut Lycus in opere de Alexandro.* Atqui nihil Stephani poſitione praeciſius eſt atque diſtinctius, modo Italiam antiquiſſimâ notione accipiamus, qua non multum extra Bruttiorum peninſulam procedebat. Etſi enim aevo Stephani Italia a Freto ad Alpes pertinebat; tamen is in locorum ſitibus eas Italiae notiones, ſive latiores ſive reſtrictiores, ſequitur, quas apud antiquos auctores, ex quibus notitias locorum hauſit, uſurpatas invenit. Lycus autem (quem Stephanus auctorem laudat) non alius quam Rheginus ille Lycus fuit, Lycophronis poetae pater, Ptolemaei Lagidae aequalis, plurium operum auctor: cujus aevo *Italia* non multum extra Bruttios progrediebatur. Sed ad *Scidrum* redeo. Ergo Herodotêus quidem *Laus* ad amnem cognominem fuerit neceſſe eſt: *Scidrum* autem in proximo *Lai* fuiſſe, ex eo ſuadetur.

Digitized by Google

Laumque & Scidrum condentium, migrationes & haec referri poteſt, per quam in ſinu Paeſtano Poſidoniam coeperunt incolere. Hoc ſi ſequimur; circiter ea tempora Sybaritae Paeſtum appulerint neceſſe eſt, quae Mileſiorum cladi aequalia prope fuerunt. Interim illud teneamus, nim. Sybaritas, urbi a Crotoniatis exciſae ſuperſtites, circiter ultima tempora philoſophantis in Italia Pythagorae Poſidoniam condidiſſe, paullo forſan maturius quingenteſimo ante aeram Chriſtianam anno. Meminit cujusdam Poſidoniatae civis Herodotus, unde intelligere queas Poſidoniam diu ante Veliae fundationem fuiſſe. Locus exſtat lib. I. cap. 167. Sed nos locum ſic *Collect. III.* excutiemus, ut appareat hanc Sybaritarum coloniam Herodoto quidem antiquiorem fuiſſe, Velia tamen haud paullo recentiorem.

§. III.

Poſidoniam in hodierno Paeſto, ſive potius juxta, eſſe quaerendam. Paeſtanos, hoc eſt primos orae hujus incolas, dum Sybaritae advenae locum coloniae ſuae moenibus occuparent, ulterius coactos recedere. Strabo iterum expenſus. Poſidoniatarum & Paeſtanor. urbes ubinam ſeorſum, ſed adſitae fuerint.

Principio regionis, quae Silarum amnem ad occaſum, Lucanos montes ad ortum, oram Paeſtani ſive Poſidoniatis ſinûs ad meridiem habet, craſſior eſt ingerenda menti notitia. Poſt aliquot a Silaro milliaria occurrit ad maris oram vacuum habitatoribus oppidum, cui nomen *Pieſti*. Huic ab ortivo latere praeterfluit amniculus hodie vulgo dictus *Capo di fiume*, quem deſignaſſe Plutarchus in pugna M. Craſſi cum fugitivis videtur: de quo vide Italiam Cluverii pag. 1246. Ab hoc fluviolo ſtatim ſequitur ſpatioſa planities, veterum fabricarum veſtigiis longe lateque diffeminata, cui hodie nomen *Spinazzi*. Demum modico poſt intervallo ad ortum montes Lucani aſſurgunt: ſub quibus verſo ad meridiem itinere occurrit ad ferme ſextum a *Pieſti* milliarium urbs olim epiſcopalis, nunc oppidulum, cui Graecum nomen *Acropolis* (nunc *Agropoli*) quo *Arx* Latinis notatur.

Nunc ad Sybaritas venio. Hos olim crediderat permixte cum veteribus illis Tyrrhenis habitatoribus, nomine *Paeſtanis*, habitaviſſe. Ac res ſane expedita erat. Nam quia vetus Paeſtum etiam nunc in loco dicto *Pieſti* (cujus ſatis exſtant magnificae fabricae) ſeſe prodit; idem plane ſitus etiam Poſidoniae fuiſſet. Sed tamen Strabo me de ea, nunc pervulgata, ſententia deduxit: cujus locum, quo alia omnia docemur, cap. I. enucleavimus. Nunc rurſus de eo pauca: *Sybaritae*, inquit, *moenia ad mare* (ſinûs illius, qui poſtea *Poſidoniates* a novis colonis dictus) *poſuerant: at* (οἰκισθέντες ἀνωτέρω μετέστησαν) *priores incolae ſurſus* (h. e. (8) ulterius) *commigraverunt*. Sane priores illos incolas de Solinianis Dorenſibus, ſive primis Paeſti conditoribus, eſſe capiendos, res ipſa monet. Ac niſi ita ſit; cur Sybaritae ſuo oppido Ποσειδονίας i. e. *Neptuniae* nomen indiderunt, niſi quia vetus Phoenicium ſive Tyrrhenicum prioris oppiduli (nim. *Paeſti* veteris, ex quo priores incolae amandati fuerant) nomen prorſus idem ſignificabat? De quo vide quae copioſe Adnot. 6. diſſerui. Deinde cum diu poſtea vetus reſtituere nomen ſive Lucani ſive potius Romani penſi habuiſſent; cur quaeſo pro *Poſidonia*, *Paeſtum*, niſi quia id vetus nomen fuerat, vocaverunt? nec id vero ſine Latino *Neptuniae* interpretamento, ut apud Velleium legi notabimus infra cap. VI. Vtinam vero locum, quo Paeſtani a Sybaritis deturbati, ſuam transduxere coloniam, teneremus. Verum quid fruſtra de Paeſtanis, quo migraverint, angor? (quos nim. in hodierno *Pieſti* conſediſſe, τωυτότης nominis arguit) cum illud magis obſcurum ſit, unde iidem Paeſtani digreſſi fuerint, h. e. ubinam Sybaritae in loco a Paeſtanis relicto muniverint Poſidoniam ſuam. Sed age rem ordine doceamus.

Ante omnia pro certo ponendum eſt, Poſidoniam urbem fuiſſe unam ex maximis ac potentiſſimis (de quo deinceps Adn. 12. dicetur) contra vero Paeſtum priſco tempore quam humile fuerit, ex eo patet quod ejus cives Sybaritis (qui ſtatim Poſidoniatae dici coeperunt) in hanc oram appellentibus cedere loco debuerint, & (quod veriſimillimum arbitror) in Poſidoniatarum colonorum poteſtatem redacti fuerint. Nunc vero hodiernus muri Paeſtani ambitus anguſtior eſt, quam pro tanta Poſidoniae magnitudine ac dignitate. Non ergo ſub muro tam anguſto, qualis hodie cernitur, Poſidonia fuit; ſed ibi nova Paeſtanorum a Sybaritis extruſorum ſurrexit urbecula, quae & hodie num *Pieſti* dicitur. Nam illi Paeſtani veteres, iſtius littoris accolae, ubi a Sybaritis ſive Poſidoniatis pulſi fuerant, *ulterius* quidem ex Strabone receſſerunt, ſed quam minimo a novis colonis intervallo: idque ut opinor, volentibus Sybaritis, qui facile in novam regionem appulſi, Paeſtanorum ad plurimos uſus miniſterio ſibi opus eſſe providerint. Illud quoque quod Sybaritae idem, ac Paeſtani,

tur, quod utrumque oppidum Sybaritarum profugos conditores habuit, quos veriſimile eſt in proximo habitare voluiſſe.

Dixi ſupra, Italiam primitus non multum citra Bruttios (qui quidem a Lucanis Lao amne dirimebantur) procurriſſe. At mox Antiochus Syracuſanus (qui circa annum Romae CCCXXX. ſcripſiſſe dicitur) Poſidoniam occaſum verſus terminum Italiae fecit. Auctor Dionyſius lib. I. pag. 59. ἦν δὲ τότε Ἰταλία ἡ ἀπὸ Τάραντος ἄχρι Ποσειδωνίας παραλίου. *Tunc temporis* (ſcribente ſcil. Antiocho; non enim ad regnum Morgetis refero, ſub quo Italia multo contractior) *Italia erat ora maritima, quae a Tarento Poſidoniam uſque pertinet.*

(8) Ἄνω de loco ulteriore uſurpari ſolet. Lucae XIV. 10. *Amice aſcende* (ἀνώτερον) *ſuperius*. Vbi *Superius* idem eſt ac *ulterius*. In conviviis enim locus ulterior erat dignior. Ita & hîc: ἀνωτέρω i. e. *ſuperius commigrarunt* h. e. in ulteriorem locum comparate ad eum, quem Sybaritae occuparunt, quique antea proxime ab his tranſmigrantibus tentus fuerat.

Digitized by Google

ſtani, nomen ſibi adſciverint (nam *Paeſtum* & *Poſidonia* non re, ſed tantum dialecto diſtant, ut Adn. 6. & alibi pluries inculcavimus) id permagno argumento eſt, quod ita poteſtate ſuperior Paeſto Poſidonia fuerit, ut tamen haec altera communione potius quam famulatu Paeſti uſa fuerit. Omnino, ut uno verbo dicam, duae illae contiguae urbes in ora poſitae (nim. Poſidonia in ortivo, & Paeſtum in occiduo latere) videntur linguâ & moeniorum ambitu potius, quam communi adminiſtratione diremptae fuiſſe, ferme uti de Palaepoli ac Neapoli memorat (9) Livius. Nec magnarum urbium, quae ex duabus pluribuſve muro ſejunctis componebantur urbeculis, exempla (10) deſunt.

Itaque quod nunc oppidulum paullum a mari diſtans viſitur, id ſicuti nunc vulgo *Pieſti* dicitur, ita & olim *Paeſtum* vocabatur: idque plane a Paeſtanis illis maris accolis (quos Sybaritae ex priſtino loco ſuo, qui inter *Spinazzum* & *Acropolin* erat, ut infra conjiciam, exturbarunt) paullo ulterius in occidentem aedificatum. At in ſpatio a Paeſtanis relicto (11) quod ab iſto recentiore Paeſtanorum oppido in ortum patebat, Sybaritae ſuam coloniam communiverunt. Hi cum urbem a ſe occupatam didiciſſent, *Paeſtum* vocari, ac *Paeſtanos* dialecto Tyrrhenica tantumdem quod *Neptunios* eſſe; ſe quoque in amicitiae, imo & communionis indicium idem vocari voluerunt. Itaque & urbem Ποσειδωνίαν h. e. *Neptuniam*, & colonos Ποσειδωνεάτας (uti in nummis inſcribuntur) nuncupaverunt. Hinc urbis ex duabus proximis, ſed muro diviſis, conflatae exſtitit magnitudo ac potentia tanta, quantam ex antiquorum (12) monumentis perſpicimus. Hinc quoque Ariſtoxeni de Poſidoniatarum ſui temporis barbarie (ut infra dicam) conqueſtio, quo ſpecter, explicabitur.

Ac diu quidem res eo loci fuerunt. At poſtea Lucanis illuc inundantibus, ubi diu Poſidoniatae (ſub quorum nomine etiam Paeſtani adſiti continebantur) reſtitiſſent; poſtremo eos victos Lucanis obedire coactos ſcimus. Sub quorum imperio, poſtquam *Poſidonia*, ſi minus exciſa, at certe acciſa manſit; *Paeſti* nomen paullatim revixiſſe reperio. Sub Romanis certe, ubi primum eam urbem ſui juris fecerunt, non aliter quam *Paeſtum* fuiſſe vocatam, ex antiquis auctoribus didici, quos in ſequentibus in medium proferam. Ex quo oſtenditur, ſicuti olim Paeſtani Poſidoniatarum, quippe dominorum, nomine continebantur; ita poſtea qui ex Poſidoniatis ſuperfuerunt, Paeſtanorum appellatione comprehenſos fuiſſe. Verum haec ad ſequentes aetates, de quibus deinceps dicam, pertinent.

§. IV.

Rurſus de eo quod Poſidonia inter Spinazzum & Acropolim ſteterit. Adhaec quod Acropolis non aliud quam arx Poſidoniae primitus fuerit.

Dixi I. auctore Strabone, Poſidoniam in loco a primitivis Paeſtanis (h. e. illis Dorenſibus

(9) Livius VIII. 22. *Palaepolis fuit haud procul inde, ubi nunc Neapolis ſita eſt. Duabus urbibus populus idem habitabat.* Hîc *populus idem* ita intelligitur, ut quamvis diverſo ambitu moenium, tamen eâdem communi adminiſtratione regeretur, etiam ſi origine aut lingua diſſiderent; ſicuti Paeſtani & Poſidoniatae utroque diſtinguebantur.

(10) Athenae ex tribus oppidis muro cinctis conſtabant: ex urbe vetere, quae poſtea ἀκρόπολις (*Arx*) dicta fuit: ex *Piraeeo* portu oppidoque celebri: & ex *Munichia* minoris aliquanto dignitatis portu & oppidulo. Syracuſae olim quatuor aut etiam quinque *Vrbibus Maximis*, uti Cicero ait, muro ſeptis continebantur. Eae ſunt *Naſus*, *Achradina*, *Tycha*, *Neapolis*, *Epipolae*. *Naſum*, quae *Inſulam* ſignificat, muro fuiſſe circumdatam non eſt dubium. Ceteras quoque partes murorum ambitu munitas fuiſſe, ex antiquis didici. Carthago CCCLX. ſtadiorum muro ſepta, praeterea ex nobiliſſimis duabus & maximis partibus, *Byrſa*, quae arx erat, & *Cothone* portu conſtabat: quorum utrumque peculiaribus moenibus diſtinguebatur. Pluribus exemplis abſtineo.

(11) Ad ortum hodierni *Pieſti* locus ruderibus fabricarum plenus eſt, cui *Spinazzo* nomen. Deinde a Spinazzo *Acropolim* uſque planities ampla eſt, hinc montibus illinc cincta mari. In hoc tractu videntur primitivi Paeſtani olim fuiſſe (ex quo a Sybaritis Poſidoniae conditoribus loco moti, ulteriorem occupavere locum, qui etiam nunc *Pieſti* vocatur) mox Poſidonia ſtetiſſe.

(12) *De Poſidoniae claritudine potentiaque.* Vrbis potentia dignitaſque ex eo conjicitur, quod ſinui Poſidoniati nomen a ſe dederit, haud dubie quia toti ſinui dominabatur, ſimulq. mediterraneae regioni, ante Lucanorum irruptionem. Quo ſpectat illud Scymni Chii (vide initio cap. 3.) nim. *Sybaritas* totam *Poſidoniadem* regionem (ἀποικίσαι) *coloniis frequentaſſe* ac poſſediſſe. Cum Lucanis vero diu conflictata, horum tandem Poſidonia jugum accepit. Atqui ubi Strabo lib. VI. pag. 254. de Lucanis differit, ſimul potentiam Poſidoniatarum aperte ſignificat. Ποσειδωνιατῶν δὲ καὶ τῶν συμμάχων κρατήσαντες πολέμῳ, κατέσχον τὰς πόλεις αὐτῶν. Lucani, inquit, *ubi primum Poſidoniatas eorumque ſocios bello ſuperaſſent, facile deinde eorum civitates obtinuerunt.* Ex quo perſpicitur, univerſae prope regionis illius, quae poſtea Lucania dicta fuit, caput Poſidoniam exſtitiſſe. Itaque huic urbs Elea, quamvis interdum Poſidoniae victrix, potentiâ ac dignitate cedebat. Idem Strabo proxime initium lib. VI. de Eleatis haec habet: *Itaque & Lucanis reſtitere & Poſidoniatis, belloque ſuperiores diſceſſerunt* (καίπερ ἐνδεέστεροι καὶ χώρᾳ καὶ πλήθει σωμάτων ὄντες) *quamvis & regionis latitudine & hominum multitudine indigentiores Poſidoniatis eſſent.*

Poſtremo illud vel maxime Poſidoniae magnitudinem arguit, quod Strabo lib. IX. cum exempla afferre vellet urbium a diis nomen conſecutarum, non alias quam *Poſidoniam* & *Athenas* protulit, quarum illa a Neptuno, haec a Minerva nomen adepta fuerit. Quare cum millenae urbes eſſent a numinibus cognominatae; Poſidoniam tantum dignam exiſtimavit, quam cum Athenis in exemplum adduceret. Strabonis locum vide ſupra pag. 500. Adnot. 2.

Digitized by Google

bus a Phoenice profectis, Solinianis) relicto ad mare a Sybaritis aedificatam fuisse. Is nunc locus quaerendus. II. Deinde Adnot. 12. ostensum fuit, Posidoniam inter urbes ἀξιολόγους atque primarias fuisse numeratam. III. Postremo inter vestigia in orâ sinus Posidoniatis restantia non aliud judicio meo conspicitur *Acropoli* hodierna exstantius. Atqui cum Acropolis urbs episcopalis ante non plura saecula adhuc esset; mirabar cur veteribus Geographis prorsus innominata fuerit. Verum mirari desii, postquam ea cogitatio verissima subiit, Ακροπόλεως (quae *Arcem* notat) vocabulum, non de integris urbibus usurpari, sed potius de ea urbium maximarum parte (I) quae loco *Arcis* erat.

His positis, cum in sinu Paestano nulla urbs alia supra Posidoniam eminuerit; necesse est, *Acropolim* (ea hodieque *Agropoli* vulgo vocatur) non fuisse per se urbem, sed alterius primariae partem, nec alterius quam *Posidoniae*, quippe qua nulla clarior in hoc sinu fuit. Ergo ex vetere Posidoniâ pars haec sola restat, eaque νοτιωτέρα, h. e. partium ceterarum maxime meridionalis. Ab hodierna vero Acropoli Spinazzum ferme usque (cui hodiernum *Piesti* cohaeret) Posidoniam pertinuisse.

§. V.

Dictorum in §. superioribus collectio.

Ex dictis intelligitur, Dorenses Solinianos, ex Dora Phoenicia profectos, primos Paesti conditores, habitasse primitus in ortivo hodierni *Piesti* latere inter *Spinazzum* & *Acropolim*: quae loca plurimis veterum fabricarum vestigiis disseminantur. Ex hisce sedibus ubi Sybaritae primitivos illos Paestanos removerunt (II) ibi ipsi *Posidoniam* communiverunt, Paesto cognominem. At Paestani, quos paullulum in occidentem dixi transductos, ibi Paestum alterum condiderunt, ubi adhuc *Piesti* dicitur. Duae vero hujusmodi paene adjacentes urbes, ex Aristoxeni narratione, quam cap. V. producam, videntur communione administrationis (quae tamen penes Posidoniatas potentiores primo fuit) ita inter se junctae fuisse, sicuti Palaepolis & Neapolis. At Posidoniatis postea Lucanico bello afflictis ac prope deletis, Paesto (III) parcitum: quod & refloruit, suoque nomine etiam Posidoniatarum reliquias comprehendit. Ad hanc hypothesim verisimillimam me loca antiquorum ducunt, vix aliter explicabilia. Vt cetera taceam; quî aliter Strabonianum illud (οἱ δ' οἰκισθέντες μετέσησαν) stabit? Deinde quo pacto apud eumdem (13) Geographum ex *Posidoniae* favillis *Paestum* revixisset, nisi quia jam ante cum Posidonia coaluerat *Paestum*? & quia hoc Tyrrhenis idem, quod Graecis *Posidonia*, Latinis vero *Neptunia* (sic enim Graeci Latinique transnominarunt) sonabat? Postremo quis intra hodierni Paestani muri angustias Posidoniae amplitudinem, quam Adn. 12. adstruximus, continuerit? Cetera sparsim dicta non recoquo, nec occupo dicenda.

§. VI.

De nummis hac secunda aetate cusis: qui non nisi Graeci oris, & argentei fere omnes: nisi quod etiam ex auro pauci.

Ad hanc alteram Paesti aetatem, qua a Graecis colonis *Posidonia* transnominata fuit, Graeci omnes ejus urbis nummi pertinent, quos non ex alio metallo quam ex argento auroque conflatos equidem noram; sicuti & aereos reperiri negant qui haec magno studio conquisiverunt. Tamen in locellis meis aereum (14) unum reperi.

(I) Sicuti Athenarum Arx vocabatur Ἀκρόπολις, eaque una erat praecipua ex urbis partibus; haud secus in ceteris factum, ut ostenditur ex pulchro Damascii apud Suidam in Ακροπ. loco, ubi ex Polybio ait, τὰς ἀκροπόλεις urbium etsi ad securitatem excitatas, interdum tamen exitio fuisse. Sed & ex Isocrate & aliis omnibus palam est ἀκρόπολιν commune fuisse arcibus urbium conspicuarum nomen. Quocirca sicubi accidit Ἀκρόπολιν pro nomine proprio unius alicujus oppidi usurpari, id argumento est, ex urbe solo aequatâ tantum eam partem superfuisse, quae ἀκρόπολις sive *Arx* dicebatur.

(II) Strabo ita factum refert: cur ita fecerint, non mea interest. Nisi quod Sybaritis jamdiu profugis ac palantibus nihil commodius visum fuit, quam ut ipsi Paestanorum sedibus jam paratis primo appulsu pro tempore uterentur, easdem paullatim laxaturi; Paestanos vero pauciores & imbecilliores in vicinum (ubi hodie *Piesti*) rejicerent.

(III) Paesto parcitum, Posidoniam autem Lucanico bello prope deletam, hodiernus utriusque urbis status docet. Cur vero in tanta utriusque adhaesione ita factum, facile est animadvertere. Nam quia Posidonia, penes quam tunc erat imperium, Lucanis quoad poterat, restitit; irâ victorum attrita fuit. Paestum interim, a quo nihil in Lucanos hostiliter gestum, non modo mansit incolume, sed & reflorescere coepit.

(13) Strabo extremo lib. V. καὶ ἡ πόλις ἡ Ποσειδονία, Παῖστος, ἐν μέσῳ τῷ κόλπῳ κειμένη. Quasi diceret, *Posidoniae* nomini celebritatique *Paestum* successisse: quod alterum oppidum & antea fuerat (alioqui quid venisset in mentem nomen *Posidoniae* Graecum cum *Paesti* Tyrrhenico commutare?) sed postea ex Posidoniae ruinis, crevit, & ex oppido secundario primarium evasit.

Ac sane sicuti a Strabone pro Posidonia Paestum reponitur, tamquam sua aetate usurpatum; ita postea contrarium evenit. Philargyrius ad Virg. Geor. IV. 119. Paestum aevo suo *Posidoniam* dictam ait: de quo cap. IV. Adn. 24. In aliquot Graec. notitiis *Posidoniae* (i.e. Paesti) *Episcopus* memoratur. Nam Graeci posteriores *Posidoniam* praetulerunt.

(14) *De Posidoniae nummo aereo rariore.*

Quicumque nostrorum hominum veteres nummos contrectant, negant Posidoniatarum se alios possidere aut vidisse, nisi tantum argenteos, aereum vero nullum. Ac sane commune id arbitror omnibus remotissimae vetustatis Graeciae Italicae urbibus, ut argenteos ponderosos magna copia ferirent, aereos aut nullos, aut pauciissimos: credo quod id aetatis Graeci Italiotae argenti copia affluerent, aeris penuria laborarent.

At equidem dum meos casu loculos excutio, reperi aereum parvulum unum, auro contra non carum. In ejus una parte taurus de more exhibetur cum epigraphe ΠΟΣΕΙ. In altera non tam Neptu-

Digitized by Google

peri. Argenteis ergo una ferme effigies communis est, pauciſſimis alia ſingularis. Quorum explicationem inferne (15) ſeorſum a cupidis cognoſci praeſtabit. Hoc ſolum moneo, cunctos vetuſtiſſimos eſſe, nec tantum Romanis omnibus (Romae enim multo ſerius argentum ſignari coepit) antiquiores, ſed & non multos (16) inter Magnae Graeciae nummos his aetate provectiores reperiri.

CAPVT IV. *AETAS III.*

Lucani rerum potiti, Poſidoniam imperio tenuerunt: ſub quo acciſis Poſidoniatis, Paeſtani refloruere: quorum & primitivum Paeſti nomen reductum.

Quandonam Lucani (quos ex Samnitibus pro-

Neptunus videtur, quam ſive Minerva, ſive fortaſſis Mars (nam pugnantis in ſpeciem ſcuto aliiſque armis indutus cernitur) aliquid magno niſu intorquens. Hujus partis alterius ſcalptura ſatis obſcura, ſed inſcriptio obſcurior: in qua ſecunda littera eſt O, ut poſſit eſſe ΠΟΣΕΙ. Nam ſolet in his idem utrinque inſcribi.

(15) *De Poſidoniae numiſmatis. Cur Taurus ſemper in Poſidoniae nummis ſit, ratio ex Heſiodo (ut & ex Tzetzae ad eum multiplici ratione) item ex Euripide, Homero, aliiſque petitur. Neptunus* Ταῦρος *vocabatur: ſicuti & viciſſim in ſingulari Poſidoniae numma ſupra Tauri effigiem* ΠοσειδAN *inſcribitur: quaſi ambo ea nomina (Neptunus & Taurus) invicem permutabilia fuerint, uti ſynonyma.*

De Latialibus Paeſti nummis, in quibus ΠAIS, aut ΠAISTANO inſcribitur, dixi Adn. 5. Ad Graeca vero Poſidoniae quod attinet, ea deſcripta habes in Goltzii Tab. XXI. Nam M. Majeri Regnum Neapol. numiſmaticum non moror, utpote mendoſiſſimum. Adde quod nec Par. I. tab. V. nec Par. 2. tab. 1. aliud affert ſupra Goltziana numiſmata.

Jam vero in Poſidoniae nummis ferme omnibus Neptunus (a quo urbs nomen invenit) ſtans nudus tridente aliquid impetiturus viſitur: in averſa parte aut taurus, aut anterior equi (quem Neptuno ſacrum nemo ignorat) medietas. Inſcriptio ſive ΠΟΣΕΙΔΩΝΕΑ eſt (pro quo in libris legitur Ποσειδωνία) aut ΠΟΣΕΙΔΩΝΕΑΤΑΝ (A ſcil. in fine pro Ω, Dorice poſito) aut ΠΟΣΕΙΔΩ, ſive ΠΟΣΕΙ. aut ΠΟΣ. Alicubi media hinc inſcriptio eſt ΠΟΣΕΙΔ, media illinc in poſtico, ΩΝΕΗΣ; quae forma genitivi ad Ioniſmum deflectit.

Ad Taurum (qui raro a Poſidoneatarum nummis abeſt) quod attinet; is culturam Paeſtani agri longe lateque latiſſimi deſignat. Theſeus, auctore Plutarcho, taurum in denariis notari juſſit ad ſuadendam agriculturam. Verum hoc mitto.

Nam illa ratio potior eſt, quod Neptunum Heſiodus in Scuto Ταύρειον vocat ver. 104.

. . . . . Καὶ Ταύρεος Ἐννοσίγαιος,
Ὃς Θυβῶν κρήδεμνον ἔχει, ῥύεταί τε πόλιας,
Neptuni & taurea virtus,
Moenia Thebarum qui continet atque tuetur.

Cur porro Neptunus ταύρειος (*taurinus*) Poetae dicatur, plures non inſulſas rationes Jo: Tzetzes in ſcholiis affert. ἤγουν διὰ τὸν τῶν κυμάτων ἦχον· ὡς ταῦροι γὰρ μυκῶνται. *Sive*, inquit, *propter undarum* (quibus Neptunus praeeſt) *ſonitum; nam taurorum inſtar mugitum edunt.* Eamdem & Strabo cauſam protulit, cur Achelous *tauriformis* fingatur: ἀπὸ τῶν ἠχῶν (*ob ſtrepitus*) inquit. Sed & veteres ſcholiaſtae ad Euripidem (Oreſt. v. 1380. ubi fluvios *tauriformes* facit) notant id eo factum, quod eorum murmur τῷ μυκήματι τῶν ταύρων (*mugitui taurorum*) ſimillimum ſit. Poſtremo & Homero Xanthus amnis dicitur, μεμυκὼς ἤύτε ταῦρος . . . *Tauri qui mugit ad inſtar*. Ex quo ibi Euſtathius illud fluxiſſe ait, ut Mari & Fluviis tauros immolarent: de quo mox. Nunc enim ad Tzetzen Heſiodi ſcholiaſten redeo, ita pergentem: ἢ ὅτι ταυρόχρανός ἐστιν. *Sive quod taurino capite fingeretur*. Ex Euripide (Oreſte v. 1380.) id epitheton auctoritatem arceſſit, ubi legitur Ὠκεανὸς ὡς Ταυρόκρανος (*ut Oceanus gerens Taurinum caput*): ab Oceano autem ad Neptunum, qui ei praeeſt de more translatum fuit. Exſtat apud eruditiſſimum Spanhemium (in de Praeſt. to. 1. p. 396. ubi multus in his eſt) Neptuni, ut interpretatur, caput cornibus taurinis. Apud Tzetzen (ad quem redire juvat) & hoc adhuc ſequitur: διὰ τὸ ταύρους θύεσθαι αὐτῷ &c. *Sive quod tauri Neptuno immolarentur . . . idcirco Neptunus Taurinus Boeotice eſt appellatus.* Hactenus Tzetzes. Ac ſane de taurinis hoſtiis tum amnibus tum Neptuno immolatis teſtis eſt etiam Homerus:

Ταῦροι δ' Ἀλφειῷ, ταῦροι δὲ Ποσειδάωνι.
Alpheo taurus, Neptunoque hoſtia taurus.

Lucullus apud Plutarchum Euphrati taurum ad felicem trajectum immolavit. Poſtremo huc & illud pertinet, quod Ταύρια apud Heſychium ſit (ἑορτή τις ἀγομένη Ποσειδῶνος) quoddam Neptuni feſtum. Quo feſto non miror, ſi *pincernae*, Euſtathio teſte, ταῦροι vocarentur; quandoquidem id nomen ab ipſo deo mutuabantur, qui non tantum *Taurinus*, ſed & *Taurus* vocabatur. Teſtatur hoc idem Heſychius his verbis: ΤΑΥΡΟΣ, ταύρειος. ὁ ποσειδῶν. Plura jam quam opus fuiſſet (quorum magnam partem jam ante Spanhemius produxerat) non invitus contraxi, ut ratio afferatur, cur in Graecis omnibus Poſidoniatarum nummis *Taurus* (h. e. Neptunus ipſe, ſi Heſychio fides) viſatur.

At illud quo piaculo omiſerim? quod ſicut Neptunus *Tauri* ſibi nomen (teſte Heſychio mox laudato) vindicabat; ſic in raro apud me nummo argenteo Poſidoneatarum viciſſim ita Taurus de more exhibetur, ut tamen ei tauro ſuperne inſcribatur ΠΟΣΕΙΔAN, h. e. Neptunus: quaſi revera Taurus atque Neptunus pro ſynonymis haberentur, amboque inter ſe nomina viciſſim permutarent.

Nec ei conjecturae aſſentior, nim. in eo nummo ΠΟΣΕΙΔAN pro integro ποσειδAιατAν poſitum, quaſi utrumque Ω in A Dorice mutatum fuerit. Nec enim ſemper Dores Ω in A mutabant, ſed quoties per dialecti ſuae leges licitum fuit, ſicuti in ultima ſyllaba certe licuit. Vel oſtendatur nummus unus in quo integrum ποσειδAνιατAν legatur: tum dabo conjecturae manus.

(16) Vidi plures argenteos Magnae Graeciae nummos ſane quam vetuſtiſſimos, quantum quidem & ex inſolita quarumdem litterarum forma, & ex eo quod a dextro latere ſiniſtrorſum vadunt, argui poteſt: quorum & aliquot poſſideo. At his multi Poſidoneatarum nummi parum aut nihil ſenio cedunt. In his enim inter litterarum formas non raro littera labialis pro ſibili elemento Σ ſcalpitur, nimirum ΠΟΜΕΙΔ pro ΠΟΣΕΙΔ. Non raro etiam a dextro latere in laevum procedunt. Scalptura demum antiqui artificii eſt. Aureum unum Goltzius profert, aereos nullos. Vide Adn. 14. Et credo equidem facile in tota Graecia Magna aera ſerius fuiſſe ſignata.

Digitized by Google

proſeminatos antiqui produnt) Poſidoniatarum regionem occuparint , non mihi liquet. Verum eorum in haec loca imperium multo recentius Poſidoniae a Sybaritis deductae natalibus fuiſſe neceſſe eſt ; quia Sybaritis in hanc oram appellentibus nulli dum Lucani erant , ſed regio quidem *Oenotria* vocabatur , at omnes orae hujus Tyrrhenicae accolae maximam partem oris Tyrrheni erant . Itaque diutiſſime poſt Poſidoniam a Sybaritis conditam , proprieque ſub Alexandri Epirotae exſcenſionis tempus Lucani in haec loca incurrerunt .

Ac Poſidoniam quidem, ſimul atque ipſa cum ſociis civitatibus reſtitiſſet Lucanis, mox eorum jugum accepiſſe , tum ex Strabone lib. VI. (locum Adn. 12. protuli) intelligitur , tum etiam quod ab eo tempore vix unquam *Poſidonia* , magis autem *Paeſtum* (maxime apud Livium , Latinoſque ceteros) vocari coepit . Ex quo ſuſpicari licet , bello Lucanico , non tantum attritam , ſed prope exciſam fuiſſe Poſidoniam : contra vero Paeſtum (quod fuiſſe Poſidoniae contiguum ſupra dixi) ex adverſis Poſidoniae rebus extuliſſe caput . Id vero potiſſimum ex illis uſque Romanorum temporibus , ubi hanc urbem ſibi adquiſitam ſuam fecere coloniam , conſtat . Vide cap. ſeq. Niſi quod Graeci ſcriptores in eo aliquamdiu perſtitere, ut non modo Poſidoniae reliquias , ſed & Paeſtum ipſum (quod in *Poſidoniae* jura claritatemq. ſucceſſit) *Poſidoniam* dicerent , ut in his fit.

Porro Aetatis III. ſive Lucanorum in Poſidoniatas imperii , facilius eſt finem quam initium ſtatuere. Deſierat enim anno Vrbis 480. quo colonia eo ſcripta fuit , ac paullo ante . Inceperat autem poſt Alexandri Epirotae a Paeſto excenſionem (17) . Itaque παχυμερῶς poſſumus Poſidoniae αὐτεξκπότητα ducentis paullo minus annis , Lucanorum vero in eam imperium annis plus minus triginta definire .

CAPVT V. *AETAS IV. ET V.*

§. I. *Paeſtum Romanorum municipium , ſive amicum foederatumque : non multo poſt colonia .*

Bello Tarentino Lucanis a Pop.Rom. pluries triumphatis, ſero tandem abeunte ex Italia Pyrrho, ſimul bellum cum Lucanis aliiſque finitimis populis quievit. *Poſidonia* vero, ſive verius *Paeſtum*, videtur, in Pop. Rom. amicitiam (ac , ſi lubet, jure municipii) aliquantulo ante veniſſe , quam jura coloniae conſequeretur . Colonia autem facta anno Vrbis 480. ſimul cum *Coſſa* fuit . Teſtis eſt epitoma Liviana XIV. in qua reperio: *Coloniae deductae ſunt Poſidonia & Coſſa* . Tempus deductionis, ſimulque duplex ejus civitatis nomen (nim. ut modo *Poſidonia*, modo *Paeſtum*, uti fit in juxta ſitis civitatibus) ex Velleio in conſilium adhibito diſcimus: cujus lib. I. cap. 14. ſic legitur : *At Coſſam & Paeſtum* (epitoma *Poſidoniam* vocarat) *abhinc annos ferme trecentos* (*ferme* dixit, quia triennium deerat ad juſtum numerum) *Fabio Dorſone & Claudio Canina Coſs. . . Coloni miſſi* . Is eſt annus V. C. 480. ante Chriſtum 273. A quo tempore Epitome XIV. Liviana paullulum diſſidet.

Ergo hinc pulchre vides , in hoc oppido, ſive ſub Lucanorum ſive Romanorum dominio , neutrum ex veteribus nominibus fuiſſe intermiſſum : certe quod Tyrrhenico natu Paeſtani, Graecique Poſidoniatae , junctis urbibus habitarent. Nam ecce *Poſidoniam* Ariſtoxenus , Strabo , ſimulque epitoma Liviana vocavit : at *Paeſtum* Velleius nuncupat ; itemque Livius lib. XXII. 36. & XXVII. cap. 10. Quae utrobique a Patavino narrantur , temporibus hujus deductae coloniae poſteriora fuerunt , cum in annos Vrbis DXXXVII. & DXLIV. incidant. Priore loco *Legati a Paeſto pateras aureas Romam attulerunt :* poſteriore inter eas colonias , quae a mari infero opportune Romanos juvant , memorantur *Pontiani* , *& Paeſtani & Coſani* .

§. II. *De Poſidonia in barbariem lapſâ opportuna ejus temporis Ariſtoxeni expoſtulatio : cui & lumen infunditur* .

Atque ad haec potiſſimum tempora referendus eſt pulcherrimus Ariſtoxeni muſici ac philoſophi Tarentini locus de corrupta muſica graviter expoſtulantis: quem locum apud Athenaeum lib. XIV. cap. VII. extremo reperio his verbis . *Διόπερ Αριστόξενος ἐν τοῖς Συμμίκτοις συμποτικοῖς, Ὅμοιον, φησὶ, ποιῶμεν Ποσειδωνιάτας τοῖς ἐν τῷ Τυρρηνικῷ . . . κόλπῳ κατοικοῦσιν, οἷς συνέβη, τὰ μὲν ἐξ ἀρχῆς Ἕλλησιν ὄσιν, ἐκβεβαρβαρῶσθαι, Τυρρηνοῖς ἢ Ρωμαίοις γεγονόσι , καὶ τὴν τε φωνὴν μεταβεβληκέναι , τάτε λοιπὰ τῶν ἐπιτηδευμάτων· ἄγειν τε μίκν τινὰ αὐτὰς τῶν ἑορτῶν τῶν Ἑλληνικῶν ἔτι καὶ νῦν , ἐν ᾗ συνιόντες ἀναμιμνήσκονται τῶν ἀρχαίων ἐκείνων ὀνομάτων τε καὶ νομίμων· ἀπολοφυράμενοι δὲ πρὸς ἀλλήλας , καὶ ἀποδακρύσαντες ἀπέρχονται. Οὕτω δὲ ἄν, φησὶ, καὶ ἡμεῖς, ἐπειδὴ καὶ τὰ θέατρα ἐκβεβαρβάρωται , καὶ ἐς μεγάλην διαφθορὰν προελήλυθεν ἡ πάνδημος αὕτη μουσική , καθ' αὑτὰς γενόμενοι ὀλίγοι ἀναμιμνησκόμεθα , οἷα ἦν ἡ μουσική . Ταῦτα μὲν ὁ Αριστόξενος . Quapropter Ariſtoxenus in quaeſtionibus Miſcellaneis* (18) *convivalibus : Nos idem facimus , inquit , quod Poſidoniatae in Tyrrhenico* (19) *ſinu poſiti faciunt : quibus* ,

(17) Livius VIII. 17. ad ann. (uti volunt) 421. *Ceterum Samnites bellum Alexandri Epirenſis in Lucanos traxit : qui duo populi adverſus regem* (Alexandrum) *excenſionem a Paeſto* (h. e. e regione Paeſti) *facientem ſignis collatis pugnaverunt* .

(18) Hujus libri nemo alius praeter Athenaeum, quod ſciam , meminit : quo libro is magnam partem in Muſicis fuiſſe verſatus videtur , ut merito *Muſici* cognomen ſibi quaeſiverit.

(19) Notabilis locus eſt , quo *ſinus Poſidoniates* ſive *Paeſtanus* vocatur antiquo nomine Τυρσηνικὸς κόλπος , *ſinus Tyrrhenicus :* neque id ex alia cauſa , quam quia ab antiquis uſque temporibus a Tuſcis habitatoribus tentus fuerit . Tametſi enim totum hoc Italiae littus *Tyrrhenum* vocabatur ; tamen ubi poſtea partim a Graecis coloniis , partim & aliis habitatoribus frequentari coepit ; adhuc nihilominus hic ſinus ab Etruſcis illis primitivis magna ex parte inſidebatur . Haec vero *Tyrrhenici ſinus* nomenclatura , adhuc Ariſtoxeni aetate ſuperſtes , cum

bus, cum antea Graeci fuiſſent, Tyrrhenos (an [20] *potius Romanos?) evadere, & barbariem induere contigit, ac ſermonem ſimul atque inſtituta mutare. Qui tamen feſto uno die Graecanico etiam nunc in unum convenientes, antiqua illa nomina, legitimaſque conſuetudines memorant; invicemque conqueſti & collacrymati, ita demum diſcedunt. Sic & nos, inquit, poſteaquam theatra in barbariem inciderunt, atque in tantum corruptelae muſica vulgaris* (21) *horum temporum progreſſa fuit; pauci qui ſuperamus, privatim coëuntes, qualis olim muſica fuerit, reminiſcimur. Haec Ariſtoxenus.*

Hic porro ille eſt Ariſtoxenus Tarentinus, Spinthari muſici filius, cujus Harmonicorum libri tres adhuc circumferuntur. Qui Pythagoricis diſciplinis in patria ſub Xenophilo imbutus, mox in Ariſtotelis ſchola tales progreſſus fecit, ut Magiſtro ſuo ſucceſſurus crederetur. At ubi Theophraſtum ſibi praelatum intellexit, ad libros varii argumenti ſcribendos ſe tranſtulit. Quadringentos & quinquaginta duos ab eo elucubratos, Suidas narrat. Haec memorare non piguit, ut ex Theophraſti condiſcipuli aetate Ariſtoxenica tempora metiamur. Theophraſtus dicitur anno tertio Olymp. CXIV. (h. e. ab V. C. 428. ante Chriſtum 325.) Ariſtoteli in ſchola ſucceſſiſſe, atque annos natus XCIX. defunctus. Ex quibus conjicere πχχυμερῶς poſſumus, ejus condiſcipulum Ariſtoxenum anno ante aeram Chriſtianam circ. trecenteſimo ſua illa *σύμμικτα συμποτικὰ*, ex quibus locum ſuperiorem Athenaeus protulit, perſcripſiſſe, h. e. decem aut viginti circiter annis ante coloniam Paeſtum a Romanis deductam: de qua cap. ſeq. loquemur.

Ac notandum eſt, verba illa, quibus Poſidoniatas Tyrrhenos aut potius Romanos evaſiſſe conqueritur, optime tempori illi congruere, quo Paeſtani ex Lucanorum imperio in Romanorum poteſtatem redacti, nondum tamen jura coloniae Romanae adepti fuerant. Nam Romani ſolebant talibus jura civitatis pro meritis, ſed ſine ſuffragio, concedere. Ea de cauſa ſcripſit Muſicus, Poſidoniatas evaſiſſe Tyrrhenos (cum quibus permixti vivebant) *aut potius*, inquit, *Romanos*, quippe veriſimiliter jus municipii conſecutos, Romaniſque moribus imbutos, ac paulo poſt jus Coloniae (Latinae, opinor, h. e. ſine ſuffragio) anno Vrbis 480. adeptos.

§. III. *Quod ab anno Vrbis* 480. *ad* 627. *Paeſtum colonia tantum Latina fuerit. De Paeſtanorum æreis tantum nummis per hoc tempus cuſis, eiſque varie effigiatis.*

Quod modo dixi, Paeſtanos anno CDLXXX. non perfectam civilitatem Rom. adeptos ſed tantum Latinitatem, id pluribus indiciis ſuaderi poteſt. Nam primum anno Vrbis DXXXVII. apud Livium XXII. 36. *Legati a Paeſto pateras aureas Romam attulerunt. Iis ſicut Neapolitanis gratiae actae, aurum non acceptum.* Deinde anno DXLIV. apud Liv. XXVII. 10. inter colonias plures, paratas milites ex formula Romanis dare, laudantur etiam *Pontiani*, *& PAESTANI*, *& Coſani*, aliis coloniis interim detrectantibus. Ex quibus efficitur, non tantum Paeſtanos habuiſſe commune gentis ſuae conſilium, ſed & res ſuas a Romanis habuiſſe ſejunctas, ac potuiſſe dare aut denegare auxilia, idque juxta cum Latinis coloniis, quae ſuo quaeque foedere tenebantur. Ad ſummam Paeſtanos ex iis fuiſſe coloniis, quae magis rogabantur, quam pro imperio jubebantur. Poſtremo a Coloniis civium Romanorum in Italia nulla ſcimus ſignata fuiſſe numiſmata: quae tantum a civitatatibus liberis, a municipiis, nec non & a coloniis Latinis feriebantur. Sicuti a Paeſtanis, quamdiu ſive municipium Romanum, ſive etiam poſtquam colonia Latina fuit (ab anno 480. ſcil. uſque ad annum DCXXVII. quo colonia civium Rom.

cum eo conſentit, quod infra dicitur, Poſidoniatas ex Tyrrhenorum uſu & conſuetudine ad barbariem deſciviſſe.

(20) *Locus Ariſtoxeni obſcurus exponitur & cum Straboniano confertur.*

Interpres pro verbis illis ἐκβεβαρβαρῶσθαι Τυρρηνοῖς ἢ Ρωμαίοις γεγονόσι, poſuerat, *In Tyrrhenorum aut Romanorum barbariem lapſi:* quaſi vero neſciſſet Ariſtoxenus, Tyrrheni ne illi, an Romani evaſiſſent. Atqui hic particula ἤ non disjunctiva eſt, ſed potius διορθωτική, & ad corrigenda jam dicta valet. Nam Graecus homo conqueritur, Poſidoniatas ex Graecis *Tyrrhenos AVT POTIVS* (quaſi ſi pro ἤ ſcripſiſſet μᾶλλον δὲ) *Romanos evaſiſſe*. Ejuſmodi ἤ διορθωτικὸν hoc in loco vim habet hujuſmodi: Poſidoniatas, qui antea Graeci fuiſſent, verbo quidem Tyrrhenos evaſiſſe, re autem vera Romanos, quia in horum poteſtatem tractus illi omnes veniſſent. Strabo non longe ab initio lib. VI. ubi expoſtulaſſet, totum id quod Graeci nominis in ora Tyrrheni maris fuerat (ἐκβεβαρβαρῶσθαι) *barbarum evaſiſſe*, & alia Lucanos & Bruttios, alia Campanos tenuiſſe; ſic ſtatim ipſe ſe recipit, corrigitque: καὶ τούτῳ λόγῳ, τὸ δ' ἀληθὲς Ρωμαίους· καὶ γὰρ αὐτοὶ Ρωμαῖοι γεγόνασιν. *Et verbo tenus tales* (quos ſcil. Lucanos, Bruttios, Campanos dixerat) *re autem vera Romanos; ſunt enim & illi ipſi* (Lucani, Bruttii, Campani, quos modo nominarat) *Romani*. Hoc quidem aetate Strabonis veriſſimum erat ob civitatem cum omnibus illis communicatam. At ſcribente Ariſtoxeno, ſaltem Paeſtanis (qui hic genere Tyrrheni dicuntur) ac ſimul etiam Poſidoniatarum reliquiis inter Paeſtanos habitantibus, videtur jam tum civitas cum jure municipii data; quibus haud diu poſt etiam jus coloniae impartitum fuit.

Dubitet aliquis an μᾶλλον iſtud ἤ reperiatur ſignificatu διορθωτικῷ. At ſi interrogativum dixeris (quod frequens eſt) eodem ſententia redibit. Qua de cauſa in ejus loci interpretatione poſui: *Tyrrhenos (an potius Romanos?) fieri*. Latini ſua ante dicta, interpoſito *An*, ſaepe corrigunt. Cujuſmodi eſt Tullianum illud, *tacitus metu, an contumacia?* h. e. *An potius contumacia?* Mitto loca alia. Huic vero *An* apud Graecos τὸ ἤ reſpondet.

(21) Cur πάνδημος reddiderim *vulgaris*, rationem a Caſaubono petes ad hunc Ariſtoxeni locum in XIV. 8. initio. Vbi notat *Volgivagam Venerem* Graecis πάνδημον dictam. Pauſ. IX. 16. Venerem cognomento πάνδημον memorat, i. e. *Vulgarem*.

Digitized by Google

Rom. evaſit) nummos aereos plures fuiſſe ſignatos ſcimus, de quibus cap. 3. pag. 501. Adn. 5. dixi. Horum ego non paucos varie effigiatos habeo. Quorum qui ΠΑΙSTANO inſcribitur, is hinc caput redimitum offert, illinc ſive Tarantem Neptuni filium, ſive ipſum Neptunum aut poſtremo *Dorum* Neptuni filium (a quo *Dorenſes* Paeſti auctores orti, ut cap. X. dicam) delphino inequitantem, qui dextra coronam, ſiniſtra tridentem rectum gerit, cum dicta epigraphe, ΠΑΙSTANO, pro *Paeſtanorum*, ut alibi expoſui. Alii vero plurimi ΠΑΙS tantum ſcriptum praeferunt. Horum unus hinc Neptuni aut *Dori* caput redimitum, illinc globulos duos, caduceum, delphinum, & ΠΑΙS habet. In duobus aliis hinc Dianae caput, illinc ſive dimidiatum aprum cum globulis, ſive cornu copiae cum globulis, dictâque inſcriptione. Adhaec unus mihi parvulus eſt cum globulo uno, qui praeter idem Dianae caput, in averſa parte offert ſpicam & ΠΑΙS. Hie nummulus eſt rarior aliis.

Sunt mihi praeterea parvuli ac detriti nummuli duo treſve cum ignoto capite inſcripti litteris plane Latinis omnibus PAES. Ex his unus certe Paeſtanus eſt, cujus in antica parte caput ſive Neptuni ſive Dori filii eſt cum globulis tribus, in altera duo piſces, & inferne PAES. Adde quod dum in his ſum multiplici eruditione miraque ingenii celeritate praeditus, Angelus Granitus, Pariſii Marchionis Caſtri Abbatis filius, patricius Salernitanus, mihi comitate ſumma praeſto fuit. Qui ob domeſticorum feudorum veteri Paeſto vicinatem non modo mihi plures circa hodiernum Paeſtanae regionis habitum notitias ſuppeditavit, verum etiam nummos aliquot in agro Paeſtano erutos, quibus ſcil. mei confirmarentur, dono dedit. Horum nummorum ille agmen agat, qui cum effigiem eamdem gerat, ac obvius ille, quem ſupra deſcripſi (hinc ſcil. cum Dianae capite, illinc cum Cornu copiae, & inſcripto ΠΑΙS) tamen litteratura poſterioris Latii eſt, nempe PAES. Atque id genus numiſmatum, hac orthographia inſcriptum, debet ad ultima tempora Paeſtanae coloniae Latinae referri. Sunt porro & alii in quibus pariter *τὸ* PAES ſcribitur: quorum unus inſignis eſt, ſeorſum (22) mihi pro dignitate explicandus.

CAPVT VI. *AETAS VI.*

Nempe alterius deductae ab Romanis coloniae tempus.

Colonia a Romanis prior anno V. C. 480. deducta fuerat: at evolutis annis 147. Paeſtana colonia ſive altero ſupplemento aucta, ſive quae ante Latina fuerat, jam tum Romana fuit. Auctor ejus rei Velleius lib. I. cap. 15. *Caſſio*, inquit, *Longino & Sextio Calvino . . . Coſſ. Fabrateria deducta eſt: & poſt annum, Scylacium, Minervium, Taventum, NEPTVNIA, Carthagoque in Africa*. Dixerit aliquis: quodnam hic ſive *Paeſti*, ſive *Poſidoniae* veſtigium? Verum ſit ſtipes oportet, qui dubitaverit, quin ſicuti quod Graecis Italienſibus Αθήναιον vocabatur, id Romani deductores *Minervium* (23) nuncupaverunt (nempe idem iſtud quod memorat hîc Paterculus) ſic & quae Ποσειδωνία Graece dicta fuerat, hanc iidem *Neptuniam* tranſnominarint. Haec altera deductio in annum V. C. 627. ante Chriſtum 126. incurrit, conſulibus Lepido & Oreſte. Atque haec colonia civium Rom. fuit; in talibus enim deductionibus facilius nova nomina imponi conſueviſſe obſervavi, eaque ſive per interpretationem, ſi peregrina eſſent (ut in hac *Neptunia* factum) ſive nomina utcumque nova.

Ad *Neptuniae* porro nomen quod attinet, hoc, ubi a Velleio diſceſſeris, neque a ſcriptoribus aliis, nec in marmoribus, quod ſciam, uſurpatum viſitur: quod & in aliis coloniarum deductionibus uſu venit, nempe ut nomina recens impoſita, ſtatim neglecta fuerint, quippe quod incolae veteribus appellationibus aſſueti, a novis abſtinuerunt. Sexcenta paria exempla afferre poſſim.

CAPVT VII. *AETAS VII.*

A Romanorum Caeſarum principatu ad poſteriora tempora.

Sub Romanis principibus creberrima eſt Paeſti mentio, praecipue apud poetas Paeſti (24)

Vtinam inter ea aedificia aliquod adhuc ſuperſit, quod ad hunc nummum referri poſſit. Verum de numiſmate hoc plura, uti ſpero, extremo cap. ſeq. dabo: quae interea concoquo.

(22) *Egregii Paeſtani nummi expoſitio remiſſa.*

Eſt jam diu apud me inſignis minimae formae nummus, in cujus adverſa parte aedificium hexaſtylon viſitur, ſub quo notatur, QVI: in ejus laevo latere PAE, in dextro S; ita ut ex utroque PAES conflari oporteat. In poſtico intra lauream tribus verſibus, ita ſcribitur: ver. primo CN. COR: altero M. TVC: tertii litterae detritae ſunt. Huic parem obſervandum mihi tradidit is, quem paullo ante laudavi, Marchio Angelus Granitus. Idem aedificii conſpectus: ſed alterius partis litterae ſunt paene deperditae. Quis vero dubitat quin nummus Paeſtanus ſit, ab aliquo credo magiſtratu (cujus nomen intra lauream ſcalpitur) tunc temporis cuſus, cum aedificium illud dedicaretur? Plura in hodierno Paeſto columnata aedificia admirationem contemplantibus cient, quae a Comite Gazola noſtro formis aeneis exactiſſime expreſſa exſpectamus: quibus in anteceſſum illuſtrandis noſtrum hoc *Collectaneum* obviam miſimus.

(23) *Minervium* iſtud Paterculi referendum eſt ad *Minervae arcem* Virgilio Aen. III. ver. 531. memoratam, Dionyſio vero Halic. Ἀθήναιον dictam: quod Latine eſt *Minervium*. Nec id aliud videtur quam quod in Tabula Peutingeriana *Caſtrum Minervae* dicitur, ac ſex millibus ab Hydrunte removetur. Ex qua diſtantia, ſimulque ex *Caſtri* nomenclatura, viri docti rectiſſime conjiciunt, *Minervium* ſive *Caſtrum Minervae* ibi fuiſſe, ubi nunc oppidum epiſcopale eſt, cui *Caſtro* nomen.

(24) Prae ceteris notandum Virgilianum illud Georg. IV. ver. 119. *Biferique roſaria Paeſti*. Quod Servius ita interpretatur: *Paeſtum oppidum eſt Calabriae* (imo *Lucaniae:* nam de Calabria vetere ſtultum eſt cogitare, ac multo minus de ea quae hodie *Calabria* vocatur) *in quo uno anno bis naſcitur roſa*. Rectius ad eumdem verſum Philargyrius: *PAESTVM civitas LVCANIAE*. Addit: *Haec civitas*

Digitized by Google

roſaria celebrantes. Nec de tanto roſae proventu miror. Nam ager Paeſtanus, Strabone teſte (25) paluſtris erat, eoque ferendae roſae aptiſſimus. Sicuti & prope Capuam Stellatinus ager auctore Cam. Peregrinio in eo paluſtri tractu fuit, ubi nunc dicitur *Il mazzon delle roſe*: quaſi ſi meo judicio, Manſum (26) roſae appellaveris.

Quae ad Paeſtanas memorias temporum ſequiorum pertinent, ea aliis colligenda relinquo.

CAPVT VIII.

De νομιζομένοις duobus Paeſti numiſmatis vetuſtiſſimis, Tyrrhenica litteratura ſignatis.

I. Argenteus nummulus in viri amiciſſ. inque re antiquaria verſatiſſimi, Planuraę Comitis, a me ſupra Adn. 5. laudati, ditiſſimo nummor. &. gemmarum gazophylacio adſervatur: in cujus antica parte caput (27) incognitum viſitur, in averſa delphinus, hordei granum, & apluſtre navis: inſcriptio vero Etruſcis litteris conſtans, Latine ſic exprimenda eſt, ut illud 8(quæ eſt prima littera) τῷ Φ reſpondeat: in penultima vero ſyllabâ ſive duplex V credamus eſſe, ſive potius L & V (Tuſcis enim figura τῦ L parum ab V diſſidet) ita ut ſive (28) *Phiſtuvis*, ſive *Phiſtluis* aut *Phiſtulis* legatur. Delphinus & apluſtre ſunt urbis maritimae ſymbola; ſicuti granum illud bonitatem agri deſignat. Ergo tota interpretatio in eo vertitur, ut urbs maritima aliqua, & quidem ex Tyrrhenicarum (29) antiquiorum (nam & nummi ſcalptura vetuſtiſſima eſt) numero prodatur, cujus nomen τῷ PISTVLIS aut *Piſtluis* reſpondeat. Ac tribui poterat nummus *Puteolis*, urbi haud dubie Tyrrhenicae ante deductam coloniam Dicaearchiam, ut in meis ſchedis copioſe oſtenditur. Poterat & *Philiſtinis* Venetiae vindicari: quorum apud Plinium (30) *Foſſae* celebrantur. Tamen nihil profecto verius, quam ut *Paeſto*, urbi Tyrrhenicarum vetuſtiſſimae, convenire videatur, cui & ipſe Clariſſ. Planurae Comes in ſcheda nummi loculo appoſita tribuit, addens exſtare pereruditi viri, antiquitatum Tuſcarum ſtudioſiſſimi, Jo. Baptiſtae Paſſerii de hoc nummo Diſſertationem, qua illum Paeſto adjudicat. Eam Diſſertationem, poſt ſuperiora jam excuſa, ſero admodum nactus, cum voluptate legi. Tametſi vero inter me interque Paſſerium ſatis in nonnullis (31) diſconvenit (de quibus nolo funem con-

civitas Poſidonia dicitur. Vnde vides aevo ſuo *Poſidoniae* nomen fuiſſe uſitatius; nec ſecus in notitiis epiſcopatuum. Quae ad ultimum Philargyrius addit, mendoſa ſunt: *Et eſt*, inquit, *in agro Salentino* (ſi in Lucania; quomodo in Salentinis?) *colonia Tarentinorum*. Imo potius Sybaritarum colonia antiquitus Poſidonia fuerat.

Quod Paeſtanas roſas Claudianus *Geminas* dixerit, earumne biferum proventum an potius ſupra ceteras magnitudinem admiratur? Ita certe canit in *De nupt. Honor. & Mariae*:

. . . . . *Vel flore ſub uno*
Ceu geminae Paeſtana roſae per jugera regnant.

Sed & odore & diuturnitate ceteris praeſtabant. Ad odorem pertinet, quod Ovidius inter ἀδύνατα & hoc poſuit,

Calthaque Paeſtanas vincet odore roſas.

Ad diuturnitatem vero facit, quod *Victura roſaria Paeſti* Propertius dixit; etſi eadem, uti ſubjicit, *matutino noto* corrumperentur. At miror interim quod apud antiquiores Virgilio ſcriptores de Paeſtanis roſariis mentio, quod ſciam, nulla exſtet.

(25) Strabo extremo lib. V. poſt locum, quem cap. I. deſcripſimus, ſic notat: ποιεῖ δὲ αὐτὴν ἐπίνοσον ποταμὸς πλησίον εἰς ἕλη ἀναχεόμενος. *Morboſam* (Poſidoniam) *facit fluvius in proximo in paludes diffuſus.* Paullo ante Geographus Poſidoniam ſuo tempore *Paeſtum* vocatam dixerat: καὶ ἡ πόλις ἡ Ποσειδονία, Παῖστος. Tam enim Poſidoniae circa Acropolim reliquiae, quam Paeſtum ipſum tunc temporis unico coloniae Paeſtanae nomine continebantur. Ceterum aquae in paludes diffuſae utrobique ſunt, tam in proximo *Acropolis*, quam hodierni *Pieſti*. Amniculus, qui hodiernum *Pieſti* alluit, *Capo di fiume* vocatur.

(26) *Manſus* aevo ſequiore certum agri modum notabat. Ab eo factum videtur *Manſonis* vocabulum (quaſi dicas *Manſorum* congeriem) quod poſtea in Italicum *Mazzone* abiit. Duplex non longe a Neapoli immenſa planities *Mazzonis* (olim fort. *Manſonis*) nomen gerit, nim. *Li Mazzoni di Capua*: *Li Mazzoni di Eboli*. In his alteris eſt, Paeſtanus ager, Cam. Peregrinius aliam nominis originationem ſecutus fuit, cui parum adquieſco.

(27) Incognitum quidem caput: verum ſi hic nummus Paeſtanorum ſit (id quod inſcriptio ſuadet) non alterius quam Neptuni ſive *Peſitanis* erit, a quo *Paeſtum* ſui nominis originationem arceſſit, ſi litterarum radicalium ratio habeatur. Nec impexus capillus (qui etiam in altero numiſmate mox explicando occurrit) Neptuno diſconvenit. Apluſtre averſae partis Neptuni ſymbolum eſt; nam in poſtica nummi Veſpaſiani parte (credo & in aliis) Neptunus apluſtre manu gerit.

Poteſt & probabilius ad *Dorum* Neptuni filium, *Dorae* in Phoenice conditorem referri: de quo capite X. dicam. Nam *Dorenſes* Phoenices Paeſti auctores fuerunt.

(28) Syri, ex quibus origo Tyrrhenis eſt, non aliud *Pe* quam aſpiratum norunt. Etiam Hebraeis aetate Hieronymi *Pe* cum aſpiratione efferebatur.

(29) Nec enim ad Φωκίους pertinere poteſt, ſive Cretenſes illos celebriores (ad quos referri ſolet Goltzianus nummus inſcriptus ΦΑΙΣ, aut integre ΦΑΙΣΤΙΩΝ) ſive Locrenſium Ozolarum, ſive Macedoniae. Prompta ratio eſt, quia tria haec oppida non Tyrrhenica, ſed Graeca prorſus fuerunt.

(30) De *Foſſis Philiſtinis*, quarum luculenta eſt apud Plinium mentio, egi in Tyrrhenicis originibus tomo 3. Diſſert. Corton. pag. 23. §. 3.

(31) *Quid inter meque & Cl. Paſſerium diſconveniat, quam amiciſſime exponitur.*

Pauca tantum eorum afferam, in quibus mihi cum Cl. viro non convenit. I. Illud, quod in averſa parte hordei granum vocavi, Paſſerius noſter roſae calicem (al. calycem) eſſe contendit, & ad Paeſtanas roſas alluſum fuiſſe docet. At profecto de roſariis agri hujus nemo ante Virgilium meminit. Verum quid pluribus opus? Nummi Comitis Planurae, ſicuti & Paſſeriani ectypi ἀυτοψία hordei granum vel luſcitioſis oſtentat. Adhaec quod noſtrae agrariae Hera-

Digitized by Google

contentioſum ducere) gaviſus ſum tamen viri in Tyrrhenicis verſatiſſimi judicio numiſma iſtud Paeſto noſtro vindicari. Et quidem craſſiſſima nummi ſcalptura exhibet vetuſtatem tantam, ut non modo æreis omnibus Paeſti numiſmatis longiſſimo intervallo antecedat, verum etiam antiquioribus argenteis Poſidoniae nummis; ita ut ad primam illam Paeſti aetatem referri poſſit, qua nondum Sybaritae condiderant Poſidoniam. Antiquitas vero tanta ne cui nimia videatur; in aenea Tabula, quae inter finem Operis & Indices inſeretur, tum hunc Comitis Planurae nummum in primis reperies, tum Auguſtinianum (de quo jam num. II. dictum imus) cum aliis aliquot.

II. Et hoc quidem, ut jam dixi, νομισμάτιον reconditae vetuſtatis eſt. At ille alter nummus, quem mox Paſſerius ex Ant. Auguſtini Dial. V. affert, is tum ob eamdem litteraturam, eamdemque (32) epigraphen, tum & ob idem metallum vetuſq. ſcalpturae genus, facile ſuam ἀδελφότητα (*germanitatem*) cum ſuperiore tuebitur. Tametſi cum litterae contrario verſu ab laevo latere in dextrum procedant; poſterior natu videtur, nec paullo junior ſuperiore. Nec enim mihi dubium eſt quin ſimile Graecis Poſidoniae nummis ingenium & aetatem prodat. Itaque qua aetate Poſidoniatae Graeca cudebant numiſmata, eâdem Paeſtani & ſua eodem ferme exemplo cudebant, ad patefaciendam ſcil. ſuam cum Poſidoniatis germanitatem. Quid enim? Caput illud adverſae partis impexum & incomptum quemnam magis quam ſive marinorum numinum principem Neptunum decet, ſive *Dorum* Neptuni filium, Paeſtani generis ſtipitem? de quo dicam cap. ultimo. Averſae vero partis Taurus humano vultu, quis alius quam idem Neptunus eſt? qui & Ταῦρος olim vocabatur, & ſub tauri effigie monſtrabatur, ut Adn. 15. oſtendi: ubi & ex loculis meis nummum Poſidoniatarum protuli, in cujus poſtico Taurus exſtat, ac ſuperne ΠΟΣΕΙΔΑΝ

Heracleenſes tabulae non aliud frumenti genus quam τὰς κρίθας (*hordeum*) memorent, numquam vero πυρὸν, *triticum*, id etiam argumento eſt, trecenteſimo ante Chriſtum anno haud fere alio mortales, quam hordeaceo pane uſos, cum nondum triticum feri paſſim conſueviſſet. *Farra* Romani γενικῶς, puto, vocabant. Verum hoc levius.

II. At illud gravius, quod Paeſti originem a *Phaeſto* Ropali filio, Herculis nepote, auctore Stephano, arceſſit. Erraverat hunc eumdem errorem Salmaſius ad Solinum. Verum ſinamus Phaeſtum tot urbibus cognominibus, quas Stephanus & alii ab eo fundatas aiunt, gloriari: quid quaeſo ejus dominatum etiam in Tyrrheniam ipſam mediam producimus? Adde quod cum Stephanus in Φαιστὸς tot oppida ab hoc *Phaeſto* Heraclide condita accurate recenſeat; de Paeſto Italico prorſus tacet. Nullum in confeſſis Paeſti nummis, aut in auctoribus, Cretenſe veſtigium: nam Auguſtiniani nummi putativus *Minotaurus*, (uti dicam Adnot. 33.) aliud a Minotauro eſt. Verum quid ultra tricamur? cum aperta ſint veterum teſtimonia, quibus urbs *Phaeſtus* Phaeſto Heraclidae auctori tribuitur: contra vero Paeſtum Tuſcanicum a Phoenicibus ex Dora profectis (quae antea a Doro Neptuni filio condita fuerat) fundatum Solinusdiſerte teſtatur.

III. Illud, quia multiplex eſt, pluribus de cauſis improbo: I. quod pag. 26. poſt medium, Graecos omnium primos in ſinum Paeſtanum veniſſe ait: II. eis ſucceſſiſſe Italos, quos interpretatur Etruſcos: III. adhaec quod Dorenſes (quos oſtendi Phoenices eſſe) pro Graecis habet: quae ἀσύστατα omnia, & jam in ſuperioribus refutata. Vel legatur Ariſtoxeni ſingularis locus, quem pag. 508. produxi, conquerentis, Graecos Poſidoniatas ex Tyrrhenorum (quos utique hîc Graeci ante repererant) uſu & conſuetudine barbariem induiſſe. Adhaec Tyrrhenos Paeſtanos hîc jam ante ἰκισθέντας, appulſu poſtea Sybaritarum coactos ulterius recedere, Strabo aperte ſignificat acumine vel mediocri praeditis. Mitto ſexcenta ſuperius tradita: quid enim lector commeruit, ut crambe repetita occidatur?

IV. Tametſi vero Paſſerius Diſſertatione hac tota paſſim aliquid Tuſcarum originum aſpergit, aut ad alia opuſcula ſua (Neapoli nuſquam obvia) lectorem rejicit; contra equidem nolo lectorem ad genuina Tyrrhenae gentis initia (longae enim ambages eſſent) pertrahere. Verbis duobus rem abſolvam. Primum unde domo Tyrrheni ſint, Tyrrhenica mea dicent: imo ipſimet Tuſci de ſe prodent: qui ubicumque conſtiterunt, non alia quam Hebraicâ, Chaldaea, Syra dialecto locuti fuerunt; nec prorſus aliud quam inde ſapiebant. Praeter autem illa noſtra Tyrrhenica, plura ſemper eo pertinentia ſcripſi, quae in forulis latent. Etiam in ſequentibus Collectaneis nova plura ſpecimina dabimus.

V. Deinde origo Paeſti certo certius ex Phaenicio *Peſitane* h. e. Neptuno venit. Ab eo quaeſitum *Paeſto* nomen. Sybaritae qui Paeſtum poſtea occuparunt, tamen retinuere nomen, Ποσειδωνίαν tranſnominantes. Haud paullo poſt Romani, quam *Paeſtum* coloniam deduxerunt, hanc eodem plane nomine *Neptuniam* appellarunt. At Noſter pag. 26. poſt medium (ubi Paeſtanos a Graecis derivatos minime dubitat) & alibi pluries, alia omnia docet. Fruantur opinione ſua, qui haec eadem ſentiunt, nec aliud Graecis antiquius complecti cogitatione queunt. Ceteris, in quibus mihi cum Clariſs. Paſſerio (quem ſemper colui, maximique feci ac facio) parum convenit, abſtineo.

(32) Niſi quod hoc primum intereſt, quod in Auguſtini nummo littera prima S (hoc eſt ſibili ſignum) notare videtur, ut ſit *Sistlus* ſive *Sistvus*: cum contra in priore altero littera prima ſive P ſit, ſive Ph. Sed tamen non dubito, in hac etiam Auguſtini moneta primum elementum fuiſſe idem quod in priore. Nam ſi paullum modo τὰ S cornua extrema circumducantur (ſicuti in αὐτογράφῳ circumducta fuiſſe certum habeo) eadem littera 8, ac quae in priore eſt, evadet.

Deinde & hoc diſpar, quod in priore numiſmate gentile id nomen eſt (veluti ſi *PAESTANORUM*, ut in Latinis nummis legitur, interpretere) eoque ſignatur unâ ſyllabâ longius, quam in Auguſtini nummo; & quod id nomen illic in IS terminetur, cum contra in hoc altero Auguſtiniano id quod inſcribitur, in VS finiatur, ac brevius unâ ſyllaba ſit; quia in Auguſt. primitivum ipſum nomen eſt, Neptuno cum oppido Paeſtano commune.

Ceterum quod prioris inſcriptio ſiniſtrorſum procedat, Auguſtiniani vero dextrorſum more Latino; id nihil eſt; quia Tyrrheni poſteriores interdum a laeva in dextram juxta cum Latinis progrediebantur.

Digitized by Google

(h. e. *Neptunus*) inſcribitur. Nec ſecus hîc inferne Delphinus viſitur: in medio humano vultu Taurus (nec enim hîc Minotaurus (33) eſt) ſuperne vero PISTLVS h. e. *Neptunus*. Hic enim Punice *Peſitan*, Graecis (T in Δ mutato) *Poſidan*, Tyrrhenis vero Paeſtanis (eisdem litteris radicalibus ſed variata vocali prima) *Piſtvus*, aut (quia Lamdaciſmo Tyrrheni gaudent) *Piſtlus* vocabatur. Poſtremo ſicuti in Graeco nummo Ποσειδὰν ſimul deum ac ſimul etiam Poſidoniatas notat; ſic etiam in hoc Auguſtini numiſmate PISTLVS tum Neptunum tutelarem, tum etiam Paeſtum urbem ab eo nomen adeptam deſignat.

In duos hoſce nummos ſi in tempore incidiſſem, ad ſua loca retuliſſem. Verum huic malo Nummorum recenſione, quam cap. ſeq. ſubjicio, conſulam.

CAPVT IX.

Nummorum Paeſti Poſidoniaeque recenſio. Eximii Paeſtani numiſmatis explicatio.

Nummos a me plurimos hoc toto Collectaneo deſcriptos fuiſſe video, verum ſparſim ac perturbate, uti ſe dedit occaſio. Quos jam proderit per certas temporum periodos atque claſſes digerere. A Tyrrhenicis, uti par eſt, ordior.

I. Ad aetatem primam, qua Paeſtum illud primitivum ſtabat, antequam Paeſtani priores a Sybaritis excedere loco coacti eſſent, nummus ille argenteus pertinet, quem ex Comitis Planurae toties celebrato gazophylacio cap. ſuperiore num. I. protuli: cujus tres ſimiles ante paucos annos dederat Jo: Bapt. Paſſerius, Etruſcae litteraturae deditiſſimus, unum pag. 15. ex Jano Planco, duos alios pag. 17. nempe ex Gorio unum, alterum ex Muſeo Acad. Cortonenſis. De his vide dicta ſuperiore cap. num. I. Niſi quod Gorianus poſſet etiam ad aetatem ſecundam trahi, uti mox dicam.

II. Ad aetatem alteram (qua Paeſtani a Sybaritis ejecti, in locum ubi nunc oppidum *Pieſti* viſitur, demigrarunt: Sybaritae vero in loco a Paeſtanis relicto, h. e. inter *Acropolim* & *Spinazzum*, Poſidoniam Paeſto cognominem condiderunt) ad aetatem, inquam, ſecundam haud dubie Auguſtinianus argenteus pertinet, quem cap. praeced. num. II. deſcripſi. Cur ad hanc aetatem refero? quia ſymbola eadem, quae in Graecis Poſidoniae nummis; & quod proceſſus litterarum more Latino a laeva dextrorſum vadit.

Vide

(33) *Taurum virili capite in Regni Neapol. nummis non videri eſſe Minotaurum (quem hominem capite taurino fuiſſe, non contra, ſcriptores & Herculanenſis pictura docet) ſed ipſum Neptunum, quippe cum Neptunus (h. e. Mare) extremam Italiam in duo cornua ſuo interpoſitu findat, frontemque cornutam illam exhibeat, cujus ſpeciem veteres extremae Italiae tribuunt.*

Minotaurus ab antiquis ſcriptoribus effigiatur, ut homo ſit taurino capite. Nec audiendus Spanhemius (in *De praeſt.* tom. 1. pag. 284. poſt medium) putans, erraſſe ſcriptores in Minotauri fabula: qui ſi nummos Italicos Siculoſque conſuluiſſent, horum fidem ſecuti eſſent. Indigna viro ſummo reſponſio. Nam auctorum veterum deſcriptioni concinit celeberrima Theſei pictura Regii Herculanenſis Muſei: in qua Minotaurus taurino capite, humano corpore pingitur.

At contra in urbium Italicarum nummis conſtanter contrarium in modum non homo, ſed taurus exhibetur, niſi quod humano capite, ut etiam in hoc Auguſtini nummo. Quid hoc monſtri, quod tam ſaepe nummorum poſticum occupat, vocabimus? Minotaurum an aliud? Vt Minotaurum dicamus, Ovidianus ille pentameter ſuadere videbatur,

Semibovemq. virum, ſemivirumq. bovem,

quaſi utroque modo effigiari conſueverit. At re vera hîc nihil de capite ſive bovino ſive virili, ſicuti nec de reliquo corpore Naſo adſtruit: qui potius innuit, quovis modo naturas partiare, ſemper fore *ſemibovem*, *ſemivirumque*. Quid ſi potius hanc nummorum effigiem pro Neptuno habeam? maxime ſi urbes, in quarum averſis partibus bos cum virili capite ſcalpitur, maritimae fuerint (maritimae autem plerumque hoc ſymbolum gerunt) ac ſi de more tridentem, aliudve Neptuni ſymbolum exhibeat. Certe nummus is, quem Adn. 15. produxi (in quo ſupra Taurum inſcribitur ΠΟΣΕΙΔΑΝ) fateri cogit, ſi bos capite virili carens ibi pro Neptuno ſtet, multo id fore magis, ſi caput humanum gerat. Verum alia omnia nobiles ἀρχαιολόγοι, ſat ſcio, ſtatuunt, ad Cretenſem urbium originem provocantes; cum tamen earum urbium plurimis, in quarum nummis ejus monſtri effigies eſt, Cretenſis origo non conſtet.

Atque cum modo dictis, nempe quod in Italiae nummis Taurus humano capite non tam pro Minotauro (qui potius homo erat cervice taurina) quam pro Neptuno ipſo haberi deceat: cum his, inquam, non ea pugnant, quae in Prodromo pag. 27. Adn. 31. aliorſum diſputavi, nempe Minotaurum putativum iſtum non alia de cauſa in Italiae nummis effigiari, niſi ut eſſet illius cornutae *Frontis Italiae* ſymbolum, quam Mela Pliniuſque deſcribunt. Vide omnino dictam Adn. 31. qua perlectâ, optio tibi erit, ſive ibi dicta ſequendi, ſive quae hîc propugnavimus. At poſtremo quid impedimento eſt, quin utraque ſententia in illius putativi Minotauri ſignificationem conſpiret ſimul? Nihil ſane vetat.

Jam illud primum certum eſt, Neptunum vocari Ταῦρον, & in nummo meo Tauri ſcalpturae ſuperne inſcribi Ποσειδαν h. e. *Neptunus*: ex quibus intelligis, Neptunum non modo *Tauri* nomen ſibi quaeſiſſe, ſed & ſub Tauri ſpecie in meo nummo (quem pag. 506. Adnot. 15. deſcripſi) figuratum. Illud quoq. certiſſimum eſt, nim. hoc quod illa antiquiſſima Italia, quae duabus extremis peninſulis continebatur, *in DVO SE CORNVA SCINDEret* (uti Mela loquitur) hoc inquam Neptuno i. e. Mari deberi, utpote duo illa cornua ſuo interpoſitu diffindenti, eoque modo *Italiae frontem* effigianti. Merito igitur ille *νομιζόμενος Minotaurus* ſimul Neptunum notat (propter ſpeciem cornutam quam Mare vetere in Italia figuravit) ac ſimul etiam eam ipſam cornutam *Italiae* priſcae ſpeciem deſignat. Mitto (τὰ μυκήματα) *mugitus*, tauris cum Oceano communes, quaeque alia Adn. 15. dixi; nam longior jam, quam praevideram, fui.

Digitized by Google

Vide quae modo ibi dixi. Quod si quis etiam Gorianum nummum (quem Passerius in tabella pag. 17. utrinque scriptum exhibuit) ad hanc aetatem alteram referre satagat, uti modo innuebam; per me licebit. Nisi quod Gorianus, quia Tusca terminatione Paestanum Neptuni vocabulum PHISTELIL effert, antiquior: contra Augustinianus, quia ad Latinam terminationem in VS accessit, & Taurum Neptuni symbolum juxta cum Graecis in postico affert, recentior. Vno verbo: Goriani (sive ad primam sive ad secundam epocham referatur) aetas media est inter illum Comitis Planurae (sicuti & alios similes nummos) interque Augustinianum numisma, quod haud dubie ad epocham II. pertinet.

Ad hanc vero eamdem epocham *Posidoniatarum* Graeca numismata sunt referenda, quae extremo cap. 3. p. 506. Adn. 15. explicavimus. Horum aureum unum Goltzius affert: ceteri omnes argentei sunt; nam æreos reperiri negant. Vnus tamen æreus apud me est, quem pag. 505. Adnot. 14. descripsi.

III. Tertia classis dumtaxat æreorum est numismatum, quibus inscriptio talis inest, ut prima littera Graecum Π, sed claudum exhibeat, utpote dextro crure breviore, quo modo antiquiores Latini vetus P effigiabant. Tota vero Latina est inscriptio, nim. sive ΠAISTANO (h. e. *Paistanorum*) sive ΠAIS (34) pro PAES. Vnus est apud me nummus in quo primum elementum Π usque eo *ἰσοσκελὲς* est, ut potius videatur leviter peccare in partem alteram, cum laevum crus breviusculum altero videatur. Haec classis ad IV. & V. aetatem pertinet, quibus Paestum prius foederatum aut municipium, deinde colonia Latina Romanorum fuit, nummosque feriebat. Hoc genus nummorum pag. 501. Adn. 5. sicuti & pag. 509. descriptos habes.

IV. Quarta classis etiam Paestanorum nummorum est, sed ejusmodi ut videantur ad extrema Latinitatis Paestanae tempora pertinere, antequam scil. anno 627. Paestum colonia civium Rom. deducta fuit. Ante, inquam, civitatem perfectam datam cusos oportet, quia in Italia nummos in coloniis civium Rom. cudi, insolitum fuit. At extremis Latinitatis temporibus hos, quos dico, fuisse conflatos, indicat orthographia adamussim Latina ultimorum Reip. temporum. Nec enim in his ΠAIS ut olim, sed PAES scalpitur. Hosce propositos habes p. 509. & Adnot. 22.

Nisi quod in eâd. Adnot. eximium *Paesti* minimae formae nummum descripsisse contentus, ceterum ejus explanationem, quia tunc excogitatae nondum adquieveram, alio rejeci. Ac ne nunc quidem spondere ausim, me interpretem minime vanum fore (quis enim nisi Augur Apollo hoc spondeat?) at verisimillima tamen me responsurum, praestare ausim. Nummus, de quo agitur, in antica parte *templum* (hoc enim quam aliud aedificium malo) *templum* inquam *hexastylon* est, cui subscribitur QVI, hoc est QVIrino. In laevo templi latere PAE, in dextro S, ut, utroque coalescente, *Paestum* intelligatur. In postica vero parte intra coronam tres versus sunt, quorum tertius ferme deperiit. Primus est: CN. CORnelius: alter sic habet: M. TVC, facile *Tuccius*; nec alia gens a TVC. incipit, quam *Tuccia* (non semel mihi lecta in lapidibus) aut *Tuceia*. Hi ergo videntur cum alio tertio (cujus in imo versu duae tantum litterae TO dimidiatae supersunt) triumviri Paestanae coloniae deducendae anno Romae DCXXVII. fuisse: qui post coloniae fines aratro signatos, nihil ei curae praeverterunt, ut deo Quirino Romae fundatori templum excitarent. Nam quia quaevis colonia Romae imago erat, ac veluti Roma altera; profecto par fuit, ut in singulis fere coloniis templum Quirino excitaretur; sicuti & Romae templum Quirini augustum in Quirinali monte erat cum suo Flamine Quirinali. Haec si vera sint; tum hic nummus sive Paesti sive Romae signatus videbitur, & quidem ipso deductae coloniae anno, quem supra adscripsimus. Interim Comes Gazola clarissimus viderit, utrum inter tot hodierni *Pesti* aedificia columnata porticus hexastylos alicujus templi compareat.

CAPVT X. AVCTARIVM,

Sive de Paesti primitivi origine CVRAE POSTERIORES.

Jam Collectanei hujus totus quaternio R (h. e. ad paginam usque 508.) prela impressus evaserat, cum forte in Stephani fragmentum Seguierianum incidens, praeclaras inde de Dorensibus Phoenicibus (quos Paesti conditores primos cap. 2. dixi) notitias comparavi: quas cum cupidis rerum Italicarum non feciisse communes piaculum erat. Ad initia igitur Collectanei hujus ita mihi retrahendus est lector, ut non diu tamen detineatur.

§. I. *Solinianos Dorenses Paesti conditores revera ex Dora regionis Phoenices fuisse profectos, solidioribus rationibus ostenditur.*

Supra (pag. 499. cap. 2. ineunte) ubi *Paestum a Dorensibus constitutum* Solinus dixit, id ille non suopte ingenio excudit, sed alicubi haud dubie proditum reperit. Atque equidem illorum *Dorensium* Solinianorum originem a Dorensibus Graeciae incolis haud esse repetendam, ibidem iis suasi rationibus, quae tunc temporis ad manus fuere. At sero nunc tandem in illo Stephani non decurtati sed integri pretioso (35) fragmento,

(34) Vnus ex his nummis, in quibus Latine ΠAIS (pro *Παιστανορum*) inscribitur, nactus Harduinus, ultimam litteram forte detritam pro Graeco sibilo lunato C, totamque adeo epigraphen pro Graeca incautus habuit: unde *τὸ* ΠAIC interpretatur ΠAICH*τῶν*, a *Παιστὸς* urbe Hellespontiaca inter Lampsacum Pariumque. Eum vide in Num. Pop. in ΠAIΣHNΩN; ac *παροράματι* parce.

(35) Stephani fragmentum Seguierianum Berkelius Stephano suo intexuit a pag. 313. in voce *Δύμη* ad finem usque litterae Δ. Idem in adnotatis suis Hermolai breviatoris inseruit epitomen, in quam ille contraxerat integra Stephani. Ex utriusq. vero comparatione facile animadvertitur, quantum in geo-

Digitized by Google

to, in (36) Δῶρος, verba hujuſmodi reperi: Καί τινες ἱστορῆσι Δῶρον τὸν Ποσιδῶνος οἰκιστὴν αὐτῆς γεγονέναι. *Quidam narrant*. Vtinam hîc auctores, uti ſolet, nominatim laudaſſet: equidem interim non alium, quam Servium (qui Stephani aequalis fuit; uterque enim exeunte IV. ſaeculo floruit) haec eadem narrantem reperi: de quo mox Adn. 38. dicam. Redeo ad Stephanum: *Quidam narrant Dorum Neptuni filium illius* (Dorae) *conditorem fuiſſe*. Ad horum vero verborum illuſtrationem illud pertinet, quod Graeci antiquiſſimis quibuſque oppidis heroas conditores, eoſque haud raro (37) cognomines, aſſignarunt. Adde quod ſi oppidi maritimi fundator prodendus erat (modo non alius alicunde affulgeret) non tantum ὁμώνυμον urbi conditorem procudebant, ſed eundem Neptuno ſatum confidentiſſime comminiſcebantur. *Tarantis* ne urbis (Latini hanc *Tarentum* vocant) inveſtigandus auctor? quae mora? *Tarantem* quemdam Neptuni filium auctorem illi proprium dicaverunt. Nec aliter in *Doro* urbe Phoenices factum: cui *Dorum* Neptuni filium conditorem audacter vindicarunt. Atque eâdem porro facilitate, quidquid poſtea Dorici (38) uſquam terrarum fuit, eidem illi Doro Neptuni filio (ceu primo ſcil. auctori Dorici nominis) attribuerunt.

Atque haec, quae de Doro Neptuni filio, Dorae Phoeniſſae conditore, dixi, ſi cum iis, quae ſupra cap. 2. de *Neptuni* notione (quae quidem *Paeſti* vocabulo ſubeſt dialecto Punicâ, ſicuti eadem vis Graece *Poſidoniae* verbo ſubjicitur) quaeq. de Neptuni cultu apud Paeſtanos & Poſidoniatas, deque utrorumque nummis copioſe diſſeruimus, comparentur; quivis quamlibet refractarius fatebitur, Dorenſes illos, quos *Paeſti conſtitutores* Solinus (ex antiquorum utique auctoritate) prodidit, nihil cum Graeciae Dorico nomine habere commune (quamquam & in Graecia quidquid Dorici fuit, id totum ἀνέκαθεν ex Dora Phoeniſſa fuit) verum non aliunde, quam ἀμέτρως ex Phoenice veniſſe: qui tum, cum maris imperium penes Phoenices erat, ex Dorâ ſua profecti, in ſinum, qui poſtea *Paeſtanus* aut *Poſidoniates* audivit, appulerunt. Eadem omnia, uti modo dixi, Punicum Neptuni nomen in *Paeſti* vocabulo, Graecumq. in Ποσειδωνίκ emicans, adhaec Neptuni cultus, ac nummi Neptuni & (39) Dori effigie ac ſymbolis inſignes invicte confirmant. Quae ſunt clariora meridie.

§. II.

geographicis jacturae fecerimus. Vix enim, ut Iſ. Voſſius computavit, vigeſimam Stephani partem breviator ille nobis reliquit. Nolo hîc naeniis indulgere, quas vix continere queant, qui fragmenti illius pretium reputaverint.

(36) Forma nominis antiqua fuit ἡ Δῶρος, & plur. αἱ Δῶροι. At poſterioribus ſingulare ἡ Δώρα ſe magis probavit. In Joſepho & Sacra Pagina legitur interdum hujus urbis nomen cum voce *Naphet* aut *Nephta* notionis obſcurae copulatum.

(37) Non inepte illi quidem; ſiquidem ea conſuetudo ex ſacra Vet. Foederis geographia manavit. Nam Gen. cap. X. quae nomina illic Noachidarum recenſentur, eorum pleraque ſimul hominum ac ſimul populorum a Noachidis conditorum ſunt.

(38) *Servius corrigitur, cumque Stephano confertur. Ex Servio & ex Platone elicitur, Graeciae Doridem a Dorae Phoeniſſae popularibus conditam.*

Servius ad Aen. II. ver. 27. ad illud, *Dorica caſtra*, ſic notat: *Sane Dorus Neptuni filius fuit: unde Duri originem ducunt*. Atqui pro *Duri* haud dubie in Servio legendum eſt *Dori*, urbs illa in Phoenice ſc. de qua dixi ſupra: quae Stephano teſte, tum ſingulariter ἡ Δῶρος, tum etiam plurative αἱ Δῶροι (*Dori*) ſcribebatur, uti ſupra adnotatum fuit. Vides interim duos aequales ſcriptores (tam Stephanus enim, quam Honoratus exeunte IV. ſaec. floruerunt) eadem de Doro Neptuni filio, Dorae in Phoenice auctore ſcripſiſſe.

In Car. Stephani lexico (quod Lloydius a ſe refictum Londini an. 1686. edidit) ita reperio: *Doris, Graeciae regio . . . a Doro Neptuni & Alopes filio dicta*. Sed ex quo veterum iſta contraxerit, non dicitur. Id tamen eatenus verum arbitror, quatenus prima Dorici nominis origo *Dorae* illi in Phoenice debeatur; ab ea vero quidquid uſquam poſtea Doricae propaginis exſtitit, proſeminatum fuerit. Quo illud pertinet, quod Plato in III. de leg. ſcripſit, Achivos e Troja domum redeuntes, a popularibus male exceptos fuiſſe: *Qui profugi, mutato Achivorum nomine, Dores dicti fuere* (διὰ τὸ τὰν συλλέξαντα τὰς τότε φυγάδας ἐναι Δωριέα) *quod qui fugitivos collegerat, Dorienſis eſſet*. Ac puto Platonicum iſtum Δωριέα extra Achaicum nomen, extraque Graeciam omnino eſſe quaerendum (nam ſi domo Achivus fuiſſet; nae ille *colligi* non *colligere*, uti Plato loquitur, debuiſſet) nec prorſus aliunde domo fuiſſe quam ex terrae Phoenices *Doro*, ſive *Dora*: cujus (ἐθνικὸν) *gentile nomen* non tantum Δωρίτης a Stephano memoratur, ſed & Δωριεύς, cujus vocis laudat auctorem Pauſaniam. Accedit Pauſaniae huic etiam Epiſtola P. Petronii apud Joſephum ſcripta Δωριέων τοῖς πρώτοις, *Dorienſium primis*, utique noſtris hiſce Phoenicibus Dorae civibus.

Ergo ut eodem redeam, Platonicus Δωριεὺς non proprium, ſed gentile nomen fuit illius, qui ex Dora Phoeniſſa profectus, Achaeos collegit, eiſque in Doride a ſe condita ſedes tribuit. Ita locum Platonis acceperim; huicque magis quam ceteris Graecor. crediderim. Meminit *Dorici* (ejuſdem puto: nam ex gentili nomine poſtea proprium evaſit) *Doriei*, inquam, cum Achaeis belligerantis Pauſanias in Meſſen. cap. 30. meminit. In Graecia teſte eodem, ante Heraclidarum adventum Dorici nihil fuit. Ac prorſus, quam recens in Graecia Doricum nomen fuerit, habes in Pauſaniae Corinthiacis cap. 37. & apud alios ſparſim.

(39) Nam ubicumque nummographi in Paeſti & Poſidoniae nummis Tarantem, aut alium ſive Delphino inequitantem, ſive ſtantem, ac niſu magno intorquentem tridentem agnoſcunt, ibi Taranti Dorum ſubſtitui neceſſe eſt. Adhaec in Tuſcanicis Paeſti nummis, quos cap. VIII Paeſto adjudicavimus, ignotum illud & impexum caput cur non jure optimo adtribuatur Doro, non video. Et quoties in Paeſtanis & Poſidoniae numiſmatis incognitum caput occurret, non veto quin Doro, tamquam auctori gentis, jure ſuo vindicetur.

Digitized by Google

§. II. *Ex dictis facile evinci, Phoenices, poſtquam Italiam inſederunt, mutato nomine, Tyrrhenos itemque Tuſcos aut Etruſcos appellari coepiſſe.*

Eâdem vero ſimul operâ ingens robur Tyrrhenicis illis originibus noſtris, quae in ſpecimen Romae tomo III. Cortonenſium anno 1741. prodierunt, accedit. Eo in opuſculo id laboravi, uti Tuſcos fuiſſe domo Orientales oſtenderem, idque tum pro tempore variis ineluctabilibus rationibus communivi. Quibus & hoc argumentum nunc accedet, quod ex dictis conficitur.

Etenim Primitivos Paeſti conditores fuiſſe Dorenſes, h. e. Phoenices ex urbe Doro profectos, eoſq. Paeſtanis a ſe conditis Phoenicium nomen (a *Peſitane* h. e. Neptuno deo patrio deductum) indidiſſe, ejusdemque cultum illos edocuiſſe, ex toties citato cap. 2. & hîc ex §. ſuperiore clariſſimum eſt. At iidem, qui in Oriente *Phoenices* vocabantur, in Italia poſtmodum audiere *Tyrrheni*, ac tum infero mari univerſo, tum Paeſtano ſinui nomen a ſe impoſuerunt, ut illud *mare Tyrrhenum*, hic *ſinus Tyrrhenicus* (ut ex Ariſtoxeno didicimus) peculiariter vocaretur; ſicuti & hi ipſi Paeſtani quamvis a Phoenicibus proſeminati, tamen tum ab eodem Ariſtoxeno tum aliis omnibus *Tyrrheni* vocantur. An non ergo ex hoc uno exemplo liquet (miſſis ſexcentis aliis, quae in Tyrrhenicis & alibi ſparſim attuli) Tuſcorum originem fruſtra aliunde quam ſive ex Phoenice, ſive ex finitimis Orientis partibus peti, nec voces Tyrrhenicas aliunde luculentius quam ex dialectis Orientis enucleari? At heu nos perdite credulos, ſi quidem circa remotiſſimas per heroica tempora gentium origines ab vaniſſimis mortalium Graeculis adhuc nobis illudi ſinamus: nec dum nos eorum tot manifeſta mendacia, mutuaque & perpetua ἀντιλογήματα cautiores effecerint. Atqui ſi ſapimus, in eo quidem toto temporis intervallo, quod Varro vocavit *Hiſtoricum*, Graecos (ſed cum judicio tamen) ſequamur duces: at in heroicae aetatis illa tam fuſca caligine, luminibus longe divinioribus opus eſt, per quae ſive veritas ipſa dilucide ſive veriſimilitudo quanta maxima detegatur.

COLLECTANEVM II.

DE VIBONE VALENTIA.

IN Prodromo pag. 42. num. 3. dixi de Vibone Valentia me plura in Collectaneis adjecturum. Ac ſane de Vibone Valentia (hodie *Monte Leone*) videantur, quae in Comment. ad Kalendar. marmor. ad XVI. Maii pag. 314. Adnot. 38. commentabar. Quorum ſumma huc redit. Poſt Phalegica tempora Phoenices quaſcumque colonias in ſinuum receſſibus condiderunt, eas *Vbbones* aut *Vibbones* (ab עוּבָא *Vbbo* ſcil. quod Syris *ſinum* ſignificat) appellarunt: quas Graeci poſtea Ἱππωνακς (detorta paullum dictione, quo nomen id Graecum videretur) tranſnominarunt. Ex eo genere fuit in Africa *Hippo Diarrhytus*: cujus conditores quia Phoenices fuerunt (ſcribente Salluſtio: *Phoenices Hipponem, Adrumetum, Leptim aliaſque urbes in ora maritima condiderunt*) non illi Graecum Ἵππωνος nomen, ſed *Vbbonis* Phoenicium eos impoſuiſſe neceſſe eſt: quod poſtea Graeci detorſerunt, addito *equitum* conditorum commento, quod legitur apud Solinum. Nec ſecus in vicina Numidia *Hippo Regius* eisdem Phoenicibus adſcribi debuit, & *Vbbo* dici. Vterque horum in ſui ſinûs receſſu ſtabat; ſicuti & Italicus *Hippon* in ſinûs Hipponiatis imo fundo viſebatur.

Et quidem tres iſtos Hipponas, initio *Vbbonas* aut *Vibbonas* fuiſſe vocatos, priuſquam ea Graeci vocabula ad Graecanicam analogiam detorquerent, ex hoc ipſo Italico Hippone luculenter intelligitur: quem Graeci quidem Ἱππῶνα (40) vocitabant, at Italos ſemper antiquo vocabulo *Vbbonem* aut *Vibbonem* appellitaſſe, ex eo conſtat, quod Romani deductâ in eum colonia anno ab V. C. DLXI. non aliter quam *Vibonem* (41) *Valentiam* (conjuncto ſcil. pro Romana conſuetudine antiquo *Vibbonis* vocabulo cum novo *Valentiae*, h. e. Ῥώμης) *Vibonem* inquam *Valentiam* vocari juſſerunt, ut ex nummis ejus coloniae patet. Ergo & Hippo Numidicus, Hippoque Africanus initio Phoenicium *Vibbonis* vocabulum tulit: quod Graeci poſteâ leviter a ſe detortum, ſui juris fecerunt.

At de Hippone Italico opponi Strabonis auctoritas poterit: cui ſi credimus, non Phoenicum, ſed potius Λοκρῶν κτίσμα (*conditus a Locrenſibus*) fuit. Interpretare autem Locrenſes Epizephyrios, qui in Magna Graecia in vicino habitabant. Verum Locrenſes non primi conditores ejus oppidi fuerunt, ſed jam olim a Phoenicibus poſitum, poſtea occupaverunt, ac ſupplemento Locrenſium colonorum auxerunt. Tres igitur hujus oppidi fuere vices. Initio a Phoenicibus, Tuſciſve, aliove Syriaco populo fundatum fuit, eique a loci natura, utpote in ſinus receſſu poſito, *Vibbonis* nomen inditum. Poſt longum temporis intervallum Locrenſes Epizephyrii occupatum incoluerunt, & Ἱππῶνα, *Hipponem*, deflexo vocabulo, nominarunt, ſicuti & ſinum ipſum Ἱππωνιάτην. Poſtremo Romani, tranſcripta illuc colonia, vetus *Vibonis* nomen cum recenti *Valentiae* copularunt. Ab anno igitur V. C. 561. (quo Romanis colonis Vibonenſis ager diviſus fuit) haec eadem regio a Magnor. Graecor. moribus ad Romanorum inſtituta atque ſermonem tranſivit.

COL-

(40) In nummis Graecis eſt ΙΠΠΩΝΙΑΤΑΝ. In Latinis adhuc a me viſis eſt tantum VALENTIA. At alterum *VIBONIS* nomen quod ei comes adjungitur, ex ſcriptoribus tantum novimus.

(41) Anno V. C. DLXI. Vibo colonia deducta fuit, quae *Vibo Valentia* eſt cognominata. Sed jam antea mihi quidem videntur Vibonenſes jus civitatis acquiſiviſſe.

Digitized by Google

COLLECTANEVM III.

DE ΤΕΛΗ A ROMANIS VELIA APPELLATA.

§. I. *Herodoti locus de Phocaeenſibus conditoribus Hyeles explicatur : ſimulque ejus Hiſtorici locus ab ἀναχρονισμῷ vindicatur.*

EA tantum de urbe antiquiſſima more meo producam, quae non ſatis aliis animadverſa reperi, ab Herodoti loco incipiens. Quae in ſinu Paeſtano *Velia* Romanis dicta, ea prius Τέλη a Phocaeenſibus conditoribus vocabatur. Herodotus I. cap. 167. de Phocaeenſibus ex Cyrno profectis ſcripſit: Ἐκτήσαντο πόλιν γῆς τῆς Οἰνωτρίης ταύτην, ἥτις νῦν Τέλη καλέεται· Ἔκτισαν δὲ ταύτην, πρὸς ἀνδρὸς Ποσειδωνιήτεω μαθόντες, ὡς τὸν Κύρνον σφι ἡ Πυθίη ἔχρησε κτίσαι, ἥρων ἐόντα, ἀλλ' οὐ τὴν νῆσον. *Poſſederunt in agro Oenotriae* (quam poſtea Lucani tenuerunt) *civitatem, quae nunc appellatur Hyela. Eam autem condiderunt, a viro Poſidoniate edocti, Pythiae oraculo juſſos fuiſſe, Cyrnum condere, qui Heros eſſet* (nempe Cyrnum Herculis filium) *non Cyrnum inſulam:* quae Latinis Corſica eſt. Ex quo facile crediderim, Phocaeenſes hanc ſuam coloniam ita condidiſſe, ut ſimul Heroum aliquod memorabile Cyrno Herculis filio dedicarent; aut vero, ſi lubet, Phocaicam coloniam ſimul cum Heroo ab ipſis conditoribus *Cyrnum* fuiſſe dictam, quae urbs poſtea Τέλη tranſnominata fuerit. Nam Herodotus ſua aetate vocatam Τέλην, tradit (νῦν καλέεται, *nunc vocatur*) ergo aliud antea dicebatur. Quid aliud, ſi ſuperiora attendas, niſi *Cyrnus?*

Atqui & ſcrupulus alter ex Herodoti narratione eſt evellendus paullo moleſtior. Nam Phocaeenſium errores, & condita ab iis colonia in ora Oenotriae haud paullo antiquior oppido Poſidoniae a Sybaritis fundato fuit. Vide Vſſerium pag. 78. cujus ſi calculis ſtamus, Phocaeenſes anno ante Chriſtum 543. Rhegium demigrarunt, & coloniam, quae poſtea aevo Herodoti Τέλη vocabatur, in Oenotria condiderunt. Quo igitur pacto Herodotus ait, Phocaeenſes a cive Poſidoniate oraculi interpretationem edoctos fuiſſe, cum Poſidonia medio ferme ſaeculo poſterior Phocaeenſium colonia fuerit? Vide *Collect. I.* cap. 3. ubi prope quingenteſimo ante Chriſtum anno Poſidoniam a Sybaritis fundatam ſtatui, ſerius omnino Phocaeenſium epocha. Sed facilis eſt reſponſio, nim. κατὰ πρόληψιν (*per anticipationem*) haec ab Herodoto dicta: a quo ideo videtur *Poſidoniates* ille fuiſſe appellatus, quia ſuo tempore id iis nomen erat; nam alioqui qui ante Poſidoniam a Sybaritis conditam ibi habitabant, *Paeſtani* fuerant. Quocirca potius *A cive Paeſtano* ſcribere debuiſſet; niſi hoc hiſtoriae parentem fefelliſſet, quod jamdiu Sybaritae in ſolo Paeſtano *Poſidoniam* (Paeſto ſcil. cognominem) condiderant, & in Paeſtanorum jam ſibi ſervientium nomen & dominatum invaſerant. Ex quibus magis ea firmantur, quae *Collect. I.* cap. 2. de Paeſto illo primitivo, quod ante Sybaritarum illuc exſcenſionem ſtetiſſe oſtendi, differebam. Ceterum ubi non ſimiles anticipationes occurrunt? Ecquiſnam Maroni indignatur, quod pluribus ante hanc, de qua nunc agimus, Τέλην (Latinis *Veliam*) ſaeculis, *portus Velinos* a Palinuro memorari fecerit Aen. VI. 366. *Portuſque require* (42) *Velinos.*

§. II. *Nominum antiquiſſimum Τέλην fuiſſe, nummi teſtantur. Alia ex Strabone nomina. Cur Latini Veliam vocarint. De civitate Velienſibus data, VELiae numiſma Latinum ineditum refertur.*

Jam vero & alia praeterea nonnulla ejuſdem urbis vocabula in uſu fuere: verum in nummis aliud nullum oppidi nomen quam unicum illud Herodoteum comparet; in omnibus enim ΤΕΛΗΤΩΝ legitur: ex quo nummorum illorum (quorum cuſae imagines apud Goltzium & M. Majerum exſtant) quanta ſit antiquitas, exiſtimari licet. Nec enim diu poſt Herodoti aetatem mutato nomine, Ελέα Graecis aut paullo aliter, Romanis *Velia* vocata fuit. Ac de nominis mutatione meminit Strabo lib. VI. initio: *In quo* (ſinu) *urbs, quam conditores Phocaeenſes Hyelam, alii* (Ἕλην) *Ellam a fonte quodam* (οἱ δὲ νῦν Ἐλέαν ὀνομάζουσι) *qui noſtri temporis ſunt, Eleam nominant.* Hinc quos Pythagoreos duos haec civitas nobiliſſimos protulit, dicti ſunt *Eleatae*, Parmenides ſcil. ac Zeno, ambo *Eleatae* etiam Latinis dicti. Cicero etſi ſemper alibi *Veliam* cum Latinis nuncupavit: at quoties de ejus cive Zenone loquitur, *Eleam* cum Graiis maluit.

At Latini, ut innuebam, formam mutarunt, primum aſpiratione addita (quaſi ab ἕλεσιν h. e. paludibus) qui ſpiritus poſtea in digamma abiit, teſte Dionyſio (43) ac Servio. Nam ſicut *Graeci* ἴλη *dicunt. Fuit ergo HELIA, ſed accepto Digammon, & facta VELIA, ut HENETVS, VENETVS.*

Paullo aliter haec explicat Dionyſius, ubi de *Velia* agri, uti puto, Reatini loquitur, lib. I. pag. 16. *Itaque cum Pelaſgis foedus feriunt* (Aborigines) *& partem agrorum ſuorum eis aſſignat circa ſacrum lacum* (ἐν οἷς ἦν τὰ τοῦδε ἑλώδη) *quorum pleraque erant paluſtria, dicta nunc priſcâ ſuae dialecti ratione VELIA. Solebant enim priſci Graeci nominibus a vocali incipientibus praeponere ſyllabam* OT *ſcriptam uno charactere. Is erat ſimilis* Γ *duplici, ad rectam lineam duabus obliquis adjunctis, ut* Γιλίνη, Γάναξ, Γοῖκος, Γανήρ, *& ſimilia.*

(42) *Portus* numero multitudinis dixit, quia praeter Velienſem portum, cujus hodieque veſtigia cernuntur, ſunt plures in vicino navium ſtationes. Strabo lib. VI. *Eleatidi regioni objacent Oenotrides inſulae* (eae Plinio III. 7. *Pontia & Iſcia* vocantur) *duae* (ὑφόρμους ἴσχουσαι) *navium ſtationi opportunae.*

(43) *De VELIAE etymo, deque vi ac natura Aeolici Digammatis ex Dionyſio & ex Heracleae Tabulis.*

A Servio ordior ad Aen. VI. 359. *VELIA autem dicta eſt a paludibus, quibus cingitur, quas*

Vides

cut ab *Henetus* factum est *Venetus*, ita ab *Helia* fecere *Veliam*.

Huic urbi civitatem datam Tullius pro Corn. testatur cap. 24. ubi cum dixisset, Neapolim atque Veliam fuisse antiquitus foederatas civitates, statim addit: *Ante civitatem Velienſibus datam* (datam autem bello sociali composito, de quo ad Legum Digestum plurima congessimus, necesse est) . . . *C. Valerium Flaccum praet. urb. nominatim ad populum de Calliphana Velienſe, ut ea civis Romana eſſet, tuliſſe*. Nempe quod quae curatura Cereris sacra esset, eam non liceret nisi civem esse. Ergo ferme octogesimo ante Christum anno Velia civitatem consecuta, ad Romana instituta transivit, non omnia quidem, sed in quae populus Velienſis fundus factus est. Vide nostra *De populis fundis* pag. 465. & seqq.

Dixi supra, non alia quam Τελητῶν numismata conspici, nullum vero quod sive Graecum illud posterius Ελεατῶν, sive Latinum *Velienſium* nomen praeferat. Tamen unus aereus apud me est (cujus inscriptionem prope detritam doleo) in quo VEL haud obscure legitur. In ejus antica parte virile (44) caput comatum, & sive laurea sive diademate redimitum visitur: in ambitu vero plane corruptae litterae. In aversa parte intra lauream versu quidem priore VEL h. e. *Velia* distincte conspicitur: at versûs alterius litterae discerni nequeunt. Verum de hoc numismate nihil decernere audeo, donec integrius aliud occurrerit.

Vides quid inter Servium & Dionysium interſit. Ille etsi non diserte tenues a Digammate excludit; tamen, si ad exempla *Veliae* & *Veneti* intendas animum, aspiratis tantum vocalibus, non autem tenuibus videtur Digamma praeposuisse: at rectius Dionysius utrisq. (tam ἑλένη scil. quam ἄναξ &c.) praefixit. Ac sane Dionysio Tabulae nostrae Heracleenses adstipulantur, in quibus τὸ ⊏ (ea enim in illis Tabulis Digammatos figura est, Hebraico *Beth* simillima; etsi interdum in eisdem Digamma ad F accedit) aeque praeponitur voci ⊏ΕΞ pauciſque aliis asperatis, ac tenuatis numero pluribus, ut ⊏ΕΙΚΑΤΙ, ⊏ΙΔΙΟΣ ac similibus. Hunc ego locum dedita opera huc attuli, uti Digamma Aeolicum mutuo Tabularum Heraclienſium & Dionyſii ſuffragio illustretur, ac simul ejus figura ac pronuntiatio ad mollius illud *Beth* Hebraicum sive Chaldaicum referatur, quod per V effertur.

(44) Cujusnam caput istud sit, corruptâ praesertim in ambitu epigraphe, quis divinaverit? Quis vero scit an non *Philiſtionis* illius fuerit, cujus (apud Goltzium in Magna Graec. Tab. XXII. num. IX.) nomen in Minervae galea Graece inscribitur, in qua simul inferne biga victoriae index scalpitur? In ejusdem nummi postico (ut & in aliis ΤΕΛΗΤΩΝ) nomen idem duabus initialibus ΦΙ designatur. Ac sane ubi Strabo Velienſium virtutem & bellicas victorias notat, non alterius quam Philistionis istius (si verus sit Goltzii nummus) ductu eas reportatas forsan significare voluit. Merae suspiciones.

(45) Stephanus in Θούριοι ait *Sybarim* a *Thurio* fonte in *Thurios* transmutatam: (ὕστερον δὲ Κωπίαι) *poſtea vero Copiaſ dictam*. Strabo lib. VI. ita rem narrat: *Romani* (ὀλιγανδρῶσι) *ad paucitatem redactis Thuriis colonos ſubmittentes* (μεταπεμψάμενοι Κωπίας τὴν πόλιν) *urbem Copias tranſnominarunt*. Quis non credat Geographum, dum ὀλιγανδρίᾳ (*infrequentiae*) priori consultum deinde colonorum frequentia ait, ob id ei coloniae haesisse *Copiarum* nomen innuere voluisse? Verum Strabo haec narrans, nummos se non vidisse prodit; in his enim singulo numero COPIA, non plurativo *Copiae* legitur. Ac sane ubi de multitudine agitur, plurali potius quam singulari numero, id nomen usurpatur. Sicuti contra singulare *Copia* de ubertate annonae accipi solet. Accedit *Cornu copiae*, quod in eod. nummo scalpitur: quod certe unum, quo illud COPIA inscriptum pertineat, eloquitur. Itaq. annonae copiam potius Romanos transnominando spectasse necesse est.

(46) Hebraicum שֵׁבֶר *Sheber* annonae copiam notat Gen. XLII. 1. 19. & XLIV. 2. Idem nomen a Graecis interpretibus saepe σῖτος h.e. *frumentum* vertitur, alibi vero per *emptionis* aut *venditionis* vocabula; sicuti & verbum *Shabar* eisdem Graecis pluries est πρίαμαι, *Emo*, alibi ἀγοράζω, πωλέω, ἀποδίδωμι, ἐμπωλέω, ἐμπορεύομαι: quae sunt mercaturae reique annonariae verba.

Ex his vides eamdem significationem spectasse Tyrrhenos haruspices, dum Romanis insusurrarunt, posse *Sybaris* vocabulum traduci *Copiam*. Ac re vera id coloniae nomen ad fructuum affluentiam non autem ad coloniae frequentiam esse referendum, ex nummi illius ἀυτοψίᾳ discimus, in quo inscribitur COΠΙΑ sed in medio *Copiae cornu* scalpitur. Ex quo uno cornu, copiae simulacro, quonam vox *Copia* pertineat, sine ullis ambagibus discimus, uti pluries adnotavi.

COLLECTANEVM IV.

DE SYBARI, QUAE POSTEA THVRII, DEIN COPIA FVIT.

Ad Prodromi pag. 33.

DE Sybari illa quae circa Pythagorae tempora a Crotoniatis eversa fuit, quia pervulgata sunt omnia, pauca tantum nec nisi circa nominis veriloquium tradam; plane ut promissa pag. 33. exsolvam, ubi quaedam de hujus urbis nominibus ἐτυμολογούμενα pollicebar.

§. I. *Cur Sybarim Romani Copiam tranſnominarint.*

Ab Romanis ordior. Pluries observavimus Romanos in deductarum a se coloniarum imponendis nominibus id studuisse, ut vetera nomina interpretarentur. In Graecis traducendis perfacile id fuit, ipsique per se id praestare Romani poterant. At si nomina priora peregrina fuissent, puta a Phoenicibus aliisque Orientis populis indita; tum Tyrrhenorum opinor opera & eruditione utebantur: qui certe in aratro circumducendo, aliisque dedicandarum urbium caeremoniis coloniarum deductoribus praesto erant; ac si non aliud, ubiq. locorum Italiam circumsedebant. Scimus Romanos, ubi *Sybarim*, sive *Thurium* scripsere coloniam, hanc *Copias* (45) transnominasse, sive verius *Copiam* sing. numero, ut in nummo legitur. Quid interpretando secuti fuerint, hoc in *Thuriorum* posteriore nomine parum equidem cerno: at in altero antiquiore SYBARIS, plane videor animadvertisse. Hebraicum (46)

Digitized by Google

Sheber, & plur. *Shebarim* ſaepe in Sacro Cod. rerum *Copiam* ſive *Annonam* notat (de quo in ima ora pauca illevimus) eaque vocis notio Tyrrhenis, utpote domo Orientalibus, notiſſima erat. Quo factum ut ipſi Romanos, quid *Sybarim* tranſnominarent, ex vero edocere potuerint.

Quaerat hic aliquis quonam pacto acciderit, ut huic Achaicae h. e. Graecae Sybaritarum coloniae primitus haeſerit orientale *Sybaris* nomen. Reſpondeo, ex ejus nominis (nihil Graece, at ſolum ex Orientali ſermone appoſite ſignificantis) indicio ſatis oſtendi, Sybarim initio a populo orientali aliquo fuiſſe habitatam, puta a Phoenicibus, aliiſve Syris, qui poſtea *Tyrrheni* audierunt: at deinde Achaeis fortioribus Tyrrhenos imbecilliores loco ceſſiſſe: id quod & alibi ſaepe accidiſſe ex urbium Graecarum nominibus Phoeniciis demonſtrare liceret, ſicuti & ex Graecis aliis oppidis binominibus illis, quorum quod Graecum eſt, id mera interpretatio vetuſtioris peregrini populi fuiſſe deprehenditur. Cujus generis non pauca Bochartus extra Italiam feliciter eſt expiſcatus. At idem in Italia nihil molitus fuit, neſcio qua praejudicata opinione in tranſverſum actus, ratus ſcil. nihil in Italia hanc rationem proceſſuram.

Dixi ſupra, in hujus coloniae moneta legi diſerte COPIA. Verum quia prave is nummus a doctis quibusdam nummographis aliorſum accipitur, danda eſt opera, ut coloniae Sybaritanae ſive Thurinae (47) vindicetur.

§. II. *Quo ſpectarint Athenienſes, ut quae ante Sybaris erat, eam mutato nomine Thurium nuncuparint.*

Sybaris nomen ſatis apparet aliter aliis temporibus Tuſcos locorum incolas fuiſſe interpretatos. Romanos anno Vrbis 559. coloniam deducentes, non aliud quam *annonae copiam* eo vocabulo contineri edocuerunt, uti §. ſuperiore dixi. At multo ante Athenienſibus una cum Herodoto illuc coloniam inferentibus longe aliud eos inſtillaſſe, ex eo ſuadetur, quod coloniam ſuam *Thurios* (aut *Thuriam*, ſive *Thurium*: tot enim modis ea vox effertur) nuncuparint. Et tamen credibile eſt, eos in imponendo nomine interpretationem veteris vocabuli conſueto more fuiſſe ſecutos. Age, quo pacto ex *Sybari* prodierit *Thurium* videamus. In nummis omnibus tum Sybaritarum (qui ſi ſunt (48), rariores ſunt) tum etiam in obviis Thuriorum, non aliud effingitur, niſi hinc Minerva, illinc Taurus. Vrbium autem vocabula ſolebant plurimum concinere numiſmatum ſymbolis. Ac re vera tam *Sybaris* quam *Thurii* viſi ſunt bovis ſignificationem continere (de quo, ne feſtinantes morer, ima pagellae (49) ora conſulatur) ob eamque cauſam utrique bovis effigiem in nummis praeſetulerunt.

Dicat hic forſitan aliquis, *Thuriorum* originationem a Strabone longe aliam ab allata tradi: ut qui docet, *Thuriam* illam coloniam ἀπὸ Ἀρπυῶν ... re debuerunt) referatur, nihil video. Siquid ex hiſtoria bellorum civilium peti ad hunc aſſerendum Thuriis nummum poſſet, ſane gauderem. Interim etiam urbis maritimae ſitus ſententiae noſtrae velificatur. Vaillantius ipſe non diffitetur, Triſtanum pro Thurio ſtare. Sed ad manus non erat Triſtani opus.

(47) *Nummus COPIA inſcriptus Thurinae coloniae adſeritur; nec ſecus nummus alter Vaillantianus.*

Nummus apud me eſt, in cujus antica parte Pallas cernitur cum globulis quatuor. In alterius partis laevo latere ſcalpitur COΠIA, in medio eſt *Copiae cornu*, & luna creſcens, in dextro latere globuli quatuor. Hunc eumd. Goltzius Tab. XXXV. Thuriis tribuit ſicuti & M. Majerus in Regni Neap. nummis. At Harduinus in verbo LVGDVNVM prave admodum eumdem aſſerit Lugdunenſibus. Prave, inquam; nam etſi apud Grut. pag. 30. COLON. COPIAE. CLAVD. AVG. LVGD. legatur; nuſquam tamen Lugdunum abſolute COPIA dicta fuit. Atque, in quo caput eſt, nummi de quo agimus, ſcalptura talis eſt, ut ſaeculo Caeſareo convenire haudquaquam poſſit. Poſtremo in noſtro numiſmate littera labialis non ut P Latinum, ſed ut Graecum Π (niſi quod dextro crure breviore) effigiatur; id quod Lugdunenſi temporum Caeſareorum coloniae minime convenit, at Thurinae (quae anno Romae 559. deducta fuit ex Livio XXXIV. 53.) optime quadrat. Hic igitur nummus eccujus ſit, ipſe per ſe clara voce teſtificatur.

De illo tamen pulcherrimo apud Vaill. in Coloniis Lat. tom. 1. pag. 4. nummo (qui hinc capita Julii & Auguſti praefert, illinc navem praetoriam, & inferne COPIA) magis dubitatur. Negat Vaillantius inſcriptionem pro voce integra accipiendam, cum in geographia ullam eſſe urbem COPIAM vocatam neget. Quocirca pro litteris initialibus vocem inſcriptam habet, & pro ſuo modulo ad Forum Julium refert. Eum vide. At quin ad Thurios (quam Romani COPIAM nominarunt, nec proinde in nummis aliter quam *Copiam* voca-

(48) Sybaritarum numiſmata uſque adeo rara ſunt, ut dubitetur an in rerum natura ſint. Ectypon unum Goltzius Tab. XXXV. produxit, tria M. Majerus quae eadem propemodum effigie (Palladis ſcil. galeatae, & in poſtico tauri) ſcalpta ſunt. At eadem prorſus Palladis taurique ſymbola in Thuriorum nummis ſemper effigiantur.

(49) Hebraicum שור *ſhor*, *bovem* ſignificat: a cujus plurali *Shevarim*, *boves* (tantum V conſono de more omnium gentium cum B ejusdem organi permutato) fit *Sybaris:* in quo proinde vocabulo *tauri* notionem periti linguar. Orientis deprehenderunt.

Ab Hebraico vero, quod ſupra poſui, *Shor* fluxit *Thor* Chaldaeorum (quippe his familiare fuit *Sin* Hebraicum cum littera *Tau* commutare) quod Chaldaeis *Taurum* notat: a quo *Thor* Θέριοι (*Thurii*) derivantur, eodem plane, quo Sybaritae, ſignificatu: unde in nummis eamdem utrique tauri ſpeciem expreſſerunt.

Nec te abſterreat, quod in expoſita a Chaldaeo *Thor* derivatione fallat media littera, quae in Thuriis non O, ſed V eſt. Atqui id nihil eſt, quia Tyrrheni V pro O ſemper, & interdum pro vocalibus aliis ſubrogabant. Praeterea in ΘΟΤΡ. Graeca diphthongus ΟΥ ex utraque vocali miſcetur. Poſtremo etſi in pluribus nummis ΘΟΤΡΙΩΝ legitur, at in aliis non paucis ΘΟΡΙΩΝ cum ſola vocali O.

Digitized by Google

κρήνης ὁμώνυμα, h. e. *a fonte cognomine* urbem alluente fuiſſe dictam. Verum hoc nihil eſt, quia fontes, amneſque idem plerumque nomen ac oppida ſortiebantur; ac liberum erat poſteris, ſive fluminis nomen ab urbe, ſive contra arceſſere. Par autem utrique ſimul derivatio fuit. Ac facile Graeculi poſtea fontis nomini fabellam ſuperſtruxerunt. Nam commenti videntur, quo loco Taurus (*Thor*) humum deorum inſtinctu pulſaſſet, ibi fontem ebulliviſſe, & ex eo fonti *Thoriae* nomen haeſiſſe. Aliquid certe cauſae fuit, cur in his Thuriorum nummis Taurus ſive tellurem ungula percutiens, ſive ingeniculatus conſpiciatur. Vtut eſt, ſemper nominis originatio a Tauro eſt; ſemperque id verum erit, *Thurium* non aliud eſſe quam merum vocis *Sybaris* interpretamentum; ita ut quod Hebraeo ſermone *Sybaris* olim audierat, idem poſtea Chaldaicâ dialecto *Thuria* ſive *Thoria* ſonuerit.

COLLECTANEVM V.

DE SYBARI ALTERA, QVAE POSTEA LYCIA, AC TANDEM LVPIA VOCATA.

Ad Prodromi pag. 40.

CAPVT I.

Nummi ΛΥΚΙΑΝΩΝ *ad Lyciam ne Aſiaticam, an ad Italicam Lycianorum coloniam ſint referendi.*

EXſtat apud me duplex ΛΥΚΙΑΝΩΝ nummus ineditus, quorum utrumque inferne (50) deſcribimus, & in Tab. damus. Ii quo referendi ſint, haud facile dictu eſt. Ad Lyciam Aſiaticam quo minus referam, plura vetant: contra vero ut Magnae Graeciae tribuendi videantur, nummorum ingenium & ſcalptura ſuadet. De utroque (51) argumento inferne. Reſtat igitur, ut aliquid Lycii nominis in Magna Graecia reperiamus. Ac jam mihi neſcio quae lux crepera ex antiquitate affulget. Nam fuit tempus, quo Lycii, cum maris imperio potirentur, in Italiam uſque (veterem illam intellige, quae circa ſinum Tarentinum erat) adnavigarunt. Strabo lib. XIV. (extremâ p. 664.) Lyciorum aequitatem ceteraſque virtutes ad caelum efferens, inter cetera ſic poſuit: *At Lycii ita in civilitate vitaeq. modeſtia perſtiterunt* (ὥστ' ἐκείνων διὰ τὰς εὐτυχίας θαλασσοκρατησάντων μέχρι τῆς Ἰταλίας) *ut cum ii rebus proſpere ſuccedentibus, AD ITALIAM VSQVE MARIS IMPERIVM extendiſſent, ipſi nulla unquam turpis lucri cupiditate dimoti fuerint, quin ſemper in eadem patria adminiſtratione ſuae reipublicae permanerent.* Hujus equidem Lyciorum θαλασσοκρατείας (*maris imperii*) in Italia (cujus nomine Graeciam Italicam haud dubie Geographus intelligit) veſtigia nulla reperio, praeter hos Λυκιανούς *Lycianos*, quos noſtri duo nummi in Italia percuſſi oſtendunt: quos Lyciae cujuſpiam (non regionis, ſed coloniae a Lyciis, opinor, in Magna Graecia conditae) fuiſſe colonos, mihi facile perſuadeo. Rectum hujus coloniae in A, an in ON, an veriſimilius utrovis modo exierit (ab utroque enim Λυκιανὸς recte formatur) incertum (52) eſt.

Ac ſane traditae noſtrorum Lycianorum originis minime poenitet: quo & videtur alludere nummus poſterior Adnot. 50. deſcriptus. Nam ſi re vera adverſae partis caput Jovem imberbem haſtata. Praeter hos duos, an alii reperti fuerint Λυκιανῶν, ignoro. At idem amiciſs. Ronchius rarum habet nummum, inſcriptum ΛΟΥΚΑΝΩΝ: de quo alibi.

(50) Vtrumq. numiſma in Tabula ad finem operis excuſum reperies n. V. VI. Vnum eorum mediocris moduli eſt, in antica parte Jovis barbati ac redimiti caput offerens, in averſa vero Aquilam, in ambitu ΛΥΚΙΑΝΩΝ. Alterum grandioris eſt moduli, quod in adverſa parte Διὸς Λυκαίου h. e. *Jovis Lycaei* imberbis & λυκέῃ (*lupinâ* pelle) cooperti caput praefert: in poſtico Pallas aliave bellatrix galeata, haſtata, & ſcutata. Hujus alterius fabrica antiquior multo eſt priore.

(51) Si ad Lyciam Aſiaticam hic nummus pertineret, ſcriptum oportuit ΛΥΚΙΩΝ; nam a regione Lycia gentile (Stephano teſte, quem vide) eſt Λύκιος, non ΛΥΚΙΑΝΟΣ. Deinde nummi fabrica & ingenium Graeciae Magnae eſt, Brettiorum maxime nummis ſimillimum. Ambo nummi, quos Adnot. ſuperiore deſcripſi, nulla re alia, quam inſcriptione a Brettiis diſſident. In Goltzii, & M. Majeri Brettiorum nummis, meiſq. in loculis plures ſunt, qui hinc Jovem, illinc aquilam oſtentant: itemque plures, qui hinc imberbem juvenem ferinâ tectum, illinc ſive Minervam ſive aliam heroinam galeatam, ſcutatam, haſtatam praeferunt. Mitto quod non alibi terrarum quam in his oris nummi Λυκιανῶν prodierint; nam & ſaepe laudatus Comes Planurae in ſuo Muſeo unum poſſidet meo priori ſimilem, nempe cum Aquila in averſa parte: itemque Clariſs. Baro Dominicus Ronchius in ſuo gazophylacio alterum ſecundo meo parem habet, hinc cum Jovis Lycaei (de quo ſaepe dixi) capite, illinc cum bellatrice ſcutata, galeata &

(52) Horum ΛΥΚΙΑΝΩΝ in nummo ſcalptorum nomen primitivum dixi incertum eſſe. Et vero ſequioris aetatis nomen *Lycium* (pro oppido *Lecce*, pro quo infra pugnando) ſatis ſuadet, olim etiam Graecis Λύκιον id fuiſſe. Ac fuit in Theſſalia Λύκιον (*Lycium*) loci nomen, teſte Magno Etymologo: ſed tamen hoc Favorinus cum diphthongo ſcribi jubet: non vero cum I ſimplici, ut nummi noſtri ὀρθογραφῶσι. Varini Favorini verba haec ſunt: Λύκειον, πόλις Θετταλίας . . γράφεται δίφθογγον. Sic etiam & Λύκειον, celebre Attici gymnaſii nomen, cum bivocali perſcribitur. Sed fatendum terminationes ιον & ειον, item ια & εια alternaſſe.

At contra ut ſive ſingulo numero Λυκία, ſive plur. Λύκια primitivum fuerit, illud monet, quod poſtea deducta illuc a Romanis colonia non *Lupium*, ſed ſive *Lupia*, ſive *Lupiae* tranſnominata fuerit. De hac colonia infra dicam.

Atq. equidem puro, aevo ſequiore Λυκεία cum diphthongo fuiſſe frequentius; hanc enim formam Guido Ravennas (de quo infra) expreſſit, dum hanc urbem *Lycéam* vocavit. Nam uti *Lyceum* Ariſtotelis a Λύκειον, ita Guidonis *Licea* a Λυκεία erat.

Poſtremo ſicuti Thuriae rectum multiplex fuit (nimirum *Thurii*, *Thuria*, *Thurium*, &c.) ita & Lyciani nominis primus caſus; ita ut & Λύκιον, aut Λύκειον; & Λυκία aut Λυκεία; & Λύκια aut Λυκᾶα ſcribi conſueverit.

Digitized by Google

bem exhibet lupina pelle contectum ; fuerit ille Λυκαῖος Jupiter, quem vetus lexicon apud H. Steph. (tom. 2. Theſ. p. 735.) tradit a Lycaone Pelaſgi filio ita fuiſſe cognominatum, qui & τὰ λύκαια (*lupercalia*) Jovi primus inſtituerit. De λυκαίοις iſtis Plut. in quaeſt. Rom. ait: λύκος μέν ὁ λῦπός ἐστι, καὶ λύκαια τὰ λυπερκάλια. Nec a vero abhorret, in hac colonia fuiſſe Jovis Λυκαίου (urbi ſcil. cognominis) fanum. Herodotus Muſa IV. cap. 203. ἱζομένοισι, ait, ἐπὶ Διὸς Λυκαίου ἄχθον (*ſubſidentibus ad Jovis Lycaei collem*) in Cyrenaica; in quo ſcil. Jovis Licaei fanum aut ara fuit.

(53) *Hodiernum Lycienſe nomen a ſaeculo uſque nono ac deinceps repetitur.*

Quis non certo putaſſet, quod urbis *Lecce* Epiſcopi *Lycienſes* dicuntur, ſicuti & quod Eccleſia *Lycienſis* vocatur, id ex nominis corruptela profectum? Nec defuere qui hac *νομιζομένῃ* vocis barbarie offenſi, eam ut hoc ſaltem noſtro puriore ſaeculo abſtergerent, & Eccleſiam & Epiſcopos *Aletinos*, a neſcio quo male fido *Aletio* nuncuparint. At jam *Lycienſi* nomini noſtra ΛΥΚΙΑΝΩΝ numiſmata auxilio venerunt, ut id poſthac quam confidentiſſime ab omnibus uſurpari queat.

Nec tamen *Lycienſe* vocabulum heri aut nudius tertius reductum reperio. In Vghelli Epiſcopis Lycienſibus hanc appellationem ab uſque ſaeculo ſaltem XII. reperio. Quo ineunte Goffridus in inſcriptione Cathedralis a ſe anno 1114. exſtructae inter cetera poſuit:

Haec in honore piae quae viſitur Aula Mariae
Tunc & fundari coepit ſimul & fabricari,
Atque Deo fida, LYCII dominante Gofrido.

Sed & in veteribus chartis apud eamdem ibid. tum *Epiſcopi Lycii*, tum & *Comites Lycii* plures occurrunt. In duabus Notitiis epiſcopalium ſedium (ex Regia Pariſ. biblioth. erutis in fine tom. 1. Geographiae Sac. Caroli a S. Paulo) Archiepiſcopo Hydruntino ſuffragatur inter ceteros *Licienſis*. Lateranenſi Concilio ann. 1179. ſubſcripſit *Paturcius Litienſis*; ubi Venetus ultimae editionis curator in margine ultro fatetur τὸ *Litienſis* irrepſiſſe pro *Lycienſis*. Ac profecto ſicuti Y cum I, ita T purum cum C puro ſaepius alternat.

Et adhuc quidem propiores aetati noſtrae appellationes corraſi aliquot. Verum illa eſt longe antiquior, quae apud Guidonem Ravennatem noni (I) ſaeculi ſcriptorem reperitur, a quo hodiernum *Lecce* ſemper *Licéa* vocatur, ſi Ant. Galateo in De ſitu Iapygiae credimus: cui opuſculo ſuo Galateus, ubi de Lycio agit, ejusdem Guidonis (cujus opus quo in angulo nunc deliteſcat, ignoro) haec verba adtexit: *Dehinc (hoc eſt poſt Brunduſium) urbs LICEA Idomenei regis (de quo Virg. III. Aen. v. 400.* Et Salentinos obſedit milite campos Lictius (II) Idomeneus) *THEATRVM tantummodo, ceteris moenibus ſolo aequatis, olim ſollemni ſtudio conditum, habet. In cujus jam incolae parvum paene lapſum municipium* (III) *ſibimet (quod nomen antiqui reſervat) ſe-*

CAP. II.

Situm eorum ΛΥΚΙΑΝΩΝ, *quos noſtra numiſmata oſtentant, non alibi quam in hodierno Lecce eſſe quaerendum.*

Λυκιανοὶ in nummis hiſce inſculpti haud alii profecto ſunt, quam qui ante milleſimum Chriſti annum ac porro ſeſe *Lycienſes* vocabant & in chartis inſcribebant, h. e. hodiernae urbis *Lecce* oppidani; ſicuti & urbs ipſa *Lycium* vocabatur: ad quam nomenclationem quae attinent, ea in ſubjectam (53) Adnot. contuli.

Cur vero antiquiora hujus Graeci vocabuli monumenta non reperiantur, haec cauſa fuit. Quam-

---

(I) *Guidonis Ravenn. ejuſque Geographiae notitia.*

Guidonem Ravennatem mediae aetatis ſcriptorem tantum ex Galateo noveram, in epiſt. ad Loyſium Palatinum (quae in fine Opuſculi de Iapygia *exſtat) ita ſcribente:* Guido Ravennas, quem recentiores ſcriptores in pleriſque teſtem adhibent (*ex quibus oſtenditur, hunc etſi manu exaratum, fuiſſe tunc in omnium manibus*) & quem ego nuper legi, nec recens eſt, nec vetus auctor. Illius temporibus quo in ſtatu res noſtrae eſſent, ex ipſius verbis, quae tibi mitto, intelliges.

Hunc vero a Galateo ſaepius memoratum haud alium ab eo Guidone Presb. Ravennate fuiſſe, cujus exſtat hiſtoria de bello Gothorum, quem etiam vitas Pontificum Rom. ſcripſiſſe ex Volaterrano conſtat, auctor eſt Voſſius in II. de hiſt. Lat. c. 38. ubi etiam ex eod. Volaterrano colligit Guidonem uſque ad ann. 886. vixiſſe. Vtinam vero iſtud opus geographicum exſtaret, quod aetate Galatei manibus plurium terebatur, & ex quo idem plura identidem recitat. Berrettius (ſive quis alius vir doctus is eſt, e cujus manu Italiae medii aevi deſcriptionem habemus tomo X. hiſtor. Ital. Murat. inſertam) merito Fl. Blondum refellit, qui, quod opuſculum geographicum hodie ſub Anonymi Ravennatis nomine ambulat, Guidoni presb. Ravennati, de quo loquimur, tribuit. At item Berrettius Anonymi opuſculum ex Guidone contractum fuiſſe contendit. Equidem ne hoc quidem conceſſerim. Nullum eorum in Anonymo veſtigium, quae ex Guidone recitabat ante hos minus CCC. annos Galateus. Imo potius, ſiquid judico, Ravennas Anonymus Guidone vetuſtior fuit: qui ſuam περιήγησιν ex veteribus magnam partem contraxerat; cum contra Guido (quantum ex loco, quem recitamus, oſtenditur) ſtatum praeſentem regionum deſcripſerit: quo deplorabilior Guidoniani operis jactura eſt.

(II) *Idomeneum ex Cretae urbe* Licto *profectum in Iapygiam invexiſſe colonos, exſtat apud antiquos ſcriptum: in quo ſibi noſtri homines mirifice placent.*

(III) *Potuiſſet pro* Municipium *legi* Munitium, *quod apud Guil. Appulum & Joan. de Janua eſt idem quod* munitio *aut* propugnaculum. *Sed nihil mutandum; quia ſicuti* Municeps *pro praefecto caſtelli ſaepe ab Orderico Vitali uſurpatur, ita & ab eod. lib. XI. p. 822. ipſum* Municipium *eadem notione accipitur.* Reddentes, *inquit*, municipia, triumphatori reconciliati ſunt. *Vnde oſtenditur*, Municipium *eo tempore non a* munere capiendo, *ſed a* muniendo *potius derivatum.*

Ceterum ex eo quod ex theatro apte potuerint Caſtellum ſibi munire, apparet id non proprie theatrum, ſed amphitheatrum fuiſſe. Nam ſicuti Graeci interdum θέατρον pro Amphitheatro uſurpabant, ita & medii aevi Latinitas. Sane Julianus Antec. Conſtit. 98. Theatroquinegium *vocavit, quod Graece erat* θεατροκυνήγιον, *aut aevo elegantiore* θέατρον κυνηγετικὸν, *h. e.* Amphitheatrum. *Et quidem Lupienſe amphitheatrum tam capax erat, ut potuerit loco caſtelli i. e. oppiduli eſſe: ex quo coloniae magnitudo oſtenditur.*

Digitized by Google

Quamdiu Magna Graecia (circa Regis Dionyſii Siculi tempora) latius diffuſa floruit, tum Λυκιχνῶν civitas (quae recto caſu, ut jam dixi, ſive Λυκίχ ſive Λύκιον vocabatur : ex quo fluxit hodierna vox) tunc, inquam, vetus illud Λύκιον ſive *Lycium* ſui juris erat, pollebatque αὐτοκρατορίᾳ, ac monetam cudebat, ut ex his nummis oſtenditur. At poſtquam illuc a Romanis deducta colonia (54) fuit, eam tunc *Lupiam*(55) aut *Lupias* vocari contigit : conſueto ſcil. more, quo Coloniis Romanis interpretamenta priorum appellationum peregrinarum pro nominibus indebantur: cujus moris in Tyrrhenicis noſtris & alibi exempla plane ſexcenta deprompſi. Ab eo tempore *Lupiae* quidem nomen celebrabatur : interim autem Λύκιον vocabulum etſi haud penitus evanuit (propterea quia ejus coloniae habitatores mixti ex veteribus Graecis, noviſque Latinis colonis erant : quorum illi Λύκιον, hi *Lupiam* vocare geſtibant) etſi, inquam, haud penitus Λυκία nomen abolitum, tamen obſcuratum alterius claritate, veluti obſorduit. Colonia Lupienſis ecquando deducta videatur, in pagella (56) ima differimus. Cum primum autem haec urbs

ſecere culmine : quod figuram magis urbis, quam eamdem urbem exprimit. In hujus (Liceae) *ſuburbanis monumenta antiquorum innumera ſub divo expoſita, ſolido ſculpta cernuntur lapide : cui conjuncta civitas Rugae* (h. e. *Rudiae*, ſi Galateo credimus) *dignoſcitur. Ab hac uſque Hydruntum* (IV) (*quae in littore & portu ejusdem Licêae ſita eſt*) *XXX.* (V) *fere milliaria ſupputantur*. Hactenus apud Galateum Guido.

Ex cujus loco pulcherrimo plurima ſane dignoſcimus; atque illud in primis (quod certe cauſae jugulum petit) quod nono ſaeculo, quo Guido haec ſcribebat, urbis antiquae reliquiae (nim. Theatrum, totque alia monumenta lapidea) exſtabant. Ea vero urbs ſuum vetus nomen ſervabat, LICEA tunc quoque dicta, quia illa ipſa Λυκία ſive Λυκεία (*Licea*) erat, quae in duobus numiſmatibus noſtris Λυκιαεῶν inſcriptionem gerit. Jam vero, undecimo ſaeculo & ſequentibus in Epiſcopis & Comitibus eadem nomenclatura perſeveravit uſque in hodiernum diem. Quid ultra quaeras, ut hodiernum Lecce ab illis nummorum Λυκιαεῶν arceſſas ? Gratulor, me urbi clariſſimae antiquitatem tantam aſſeruiſſe. Atqui mox Cap. IV. talem etiam ei vetuſtatem vindicatum ibimus, qua ad heroicam uſque aetatem intendere digitum poſſit, & majores ſuos in illa oſtentare.

(54) *De Colonia Lupienſi. Titulus Tafurianus defenditur.*

Coloniae Lupienſis plura marmora mentionem injiciunt. Exſtat Neapoli lapis (qui & a Grut. refertur pag. 374. n. 5.) in quo ſcribitur, PATR. COL. LVPIENSIVM. Sed & Cl. Jo: Bern. Tafurius titulum Muratorio ſubmiſit (non exſtantem tunc quidem, ſed ex ſchedis erutum) quem Muratorius pag. 1113. num. 5. ita exhibuit, ut tamen, uti ſpurium notaret, in id fabricatum dicens, *uti Coloniae Lupiae fama confirmaretur*. Sed nihil opus nova cudi epigrammata in *Coloniae Lupiae* gratiam, quam jamdiu Gruterianus ſupra recitatus lapis (qui & Neapoli adhuc in Eccleſia S. Mariae Liberae a me viſus, proſtat) adſtruxerat ; imo & Frontini libellus in *Provincia Calabria* aſſeruerat. Verum age, Tafurianus titulus recitetur, ut de eo lector judicare per ſe ipſe queat, an ullam *rodeas* ſuſpicionem injiciat : (1) *D. M. S.* (2) *Q. Valerio. L. F. Pal. Paraedio* (3) *Aed. Q. IIII. VIRO. COL. LVP.* (4) *Patron. Munic. Nerit* (5) *curat. Viae. Trajana* (6) *e. Herinnia* . . . . . (7) *Conjugi. dulciſſ. B. M.* (8) *H. M. H. N. S.* Nihil profecto ſincerius. Cui *Via Trajana* minus nota ? *Paraedii* cognomen a parandis aedibus effictum. Cetera proba omnia. Ecquando deducta colonia, infra expendetur.

(55) Vtroque numero id nomen reperitur. Singulariter *Lupiam* Plinius uſurpavit itemque Pauſanias, ut & in Tabula Peuting. LVPPIA : adhaec Diploma Paſchalis XI. ſaeculi *in Lyppia* meminit Eccleſiae S. Andreae. Anonymo Ravennati etiam *Lupia* vocatur. At eadem Melae, Straboni, Ptolemaeo plurativo numero eſt *Lupiae*, etſi in Ptolemaeo mendoſe Λυσπίαι. Aethicus etiam *Lupias* plurative dixit.

(56) *De coloniae Lupienſis epocha.*

Praeter inſcriptiones duas, quas modo Adn. 54. attuli, etiam Pauſanias (cujus locus infra adſcribetur) non obſcure eo in oppido priſtinum nomen in *Lupiam* mutatum ſcribit : qua mutatione ſatis coloniae deductionem deſignat. At quam pridem ea deducta fuerit, videor tantum ex Frontini libello de coloniis poſſe exſculpere. Sive igitur ex ipſius Frontini manu, ſive alterius poſtea, in *Provincia Calabria* ita legitur : *Territorium Tarentinum, Lypienſe, Auſtranum* (forſitan reſpondet hodierno *Oſtuni* urbi epiſcopali) *Varium* (an ad *Variam* pertinet non longe a Butunto in Antonino ?) *in jugera N. CC. limitibus Gracchanis . . . ſunt aſſignata, pro aeſtimo ubertatis ſunt praeciſa . . . . Cetera autem prout quis occupavit poſteriore tempore, cenſita ſunt, & ei poſſidenti aſſignata : ab Imp. Veſpaſiano cenſita ex juſſione*. Ex quibus poteſt intelligi, duplicem fuiſſe hujus agri aſſignationem & colonorum deductionem, unam Gracchanis temporibus circiter centeſimo ante Chriſtum anno, alteram ſub Imp. Veſpaſiano. Ac prioris deductionis tempore videtur nominis mutatio illa in LVPIAS facta, cujus Pauſanias meminit. Quid ita ? quia Straboni ſub Tiberio ſcribenti (h. e. diu ante Veſpaſianum) in Salentinis Λυπίαι (tamquam nomen jam uſitatum) recenſentur.

(IV) *Locus, quem παρεντίθεκα, quantaevis aeſtimationis eſt, qui Pauſaniam* (*de quo cap. ſeq.*) *illuſtraturus, & ab eo invicem illuſtrandus, noſtram cauſam mirifice promovet.*

(V) *Triginta vetera milliaria ſi inter hodiernum Lecce & Hydruntum Guido computavit, ſane ex vero putavit ; quia XXIV. hodierna millia* (*quae hodie inter* Lecce *interque Hydruntum diſtantia eſt*) *veteribus XXX. reſpondent : de qua ratione inter antiqua ac nova milliaria pluribus in locis dixiſſe memini. Atque hac milliaria putatione Guido ſe ſatis antiquum ſcriptorem prodit. Ceterum quod in Tab. Peuting. & in Itin. Antonini & Hieroſ. tantum XXV. millibus Lupia ab Hydrunto diſtinetur* (*ea viginti hodierna eſſent*) *ex eo aperte ſuadetur, itinera aevi Caeſarei directiora fuiſſe : at a Guidonis ſaeculo eadem multum a recto tramite in hac ſaltem Salentinorum peninſula declinaſſe.*

Digitized by Google

Episcopos nacta fuit, Latinos antistites habuit, *Lupienses* dictos, uti ex S. Gregorii Regesto (57) exque Notitiis constat.

Ergo usque ad exitum VI. saeculi (nam illa Gregorii epistola in ann. 596. incidit) Episcopi sicuti & cives *Lipienses* (h. e. *Lupienses*) dicebantur. Quid postea acciderit, cur trecentesimo post Gregorium anno (totidem enim a Magno Gregorio ad Guidonem Ravennatem intercesserunt) iidem *Lycienses* seu *Licienses*, revocato antiquo *Lycii* nomine, quod in nummis scalpitur, appellarentur, ejus rei difficilis conjectura est: de qua jam cap. seq. commentabitur.

CAPVT III.

Vetus Λυκιαχῶν *nostrorum numismatum nomen a nono saltem saeculo reductum fuisse. Quonam pacto revocatum fuerit, id ex novatis a Guidone Ravennate rebus ostenditur.*

Ex his quae Adnot. 53. undeunde contraxi, satis liquet, sexto exeunte saeculo adhuc *Lupiaeum* nomen, etsi varie corruptum, viguisse; ac mox trecentesimo post anno primum in Guidonis Ravennatis geographicis revixisse illam ΛΥΚΙΑΝΩΝ in nostris numismatis exaratam nomenclaturam, eamq. ad nostra usq. tempora propagatam. Nam hodieque Episcopi sese *Lycienses* inscribunt; etsi heri & nudius tertius quidam sese *Aletinos* pessimo (58) exemplo subscribant.

Quaerat a me aliquis, quinam factum sit, ut abolito *Lupiae* vocabulo, prius Lycense illud revocatum fuerit. Respondeo, originem immutati nominis primam *Veteribus Graecis* (sicuti eos Galateus vocat, quasi a Graeciae Magnae Graiis proseminatos: de quibus vide paullo infra Adnot. VII.) esse accepto referendam. Inter hos fuere semper viri eruditione praestantes, quorum supra in Prodromo extrema Diatr. I. Parecb. 3. pag. 63. nonnullos enumeravi. Ergo sive Guido Ravennas primus omnium pro *Lupia*, *Liceam* vocavit hodiernum *Lecce*, suisque topicis characteribus (59) insignivit, sive quis alius ante Guidonem sese ducem ad invertendam appellationem praebuit; is certe ab aliquo Graecorum eruditissimo inaudierit oportet, vetus ejus urbis nomen fuisse sive Λύκιον, sive Λυκία, sive postremo Λυκεία, a quo ultimo Latine fieret Lycêa, sive (Y de more illius temporis in I verso) Licêa; sicuti sunt *Laodicêa*, *Alexandrêa* & alia sexcenta. In primis autem Λύκειος nomen *Lyceum* effertur ab omnibus; nec aliter urbs illa Thessaliae, quam Favorinus Λύκειον cum diphth. scribi jubet, Latine non aliter quam Lycêum dicenda esset.

Cur autem Guidonem praecipuum mutati nominis antesignanum duxerim, ea causa fuit, quod is Galateo (60) teste, duo maxime in sua geographia molitur, primum quod cum *Lecce* hujus temporis antea *Lupia* diceretur, is *Liceam* dici jusserit; deinde quod *Callipolim* e contrario voluerit *Lupiam* haberi. Sic enim credo Ravennas rationes inibat. Primum omnium *Lupia*, quia Ptolemaeo (is enim tunc prae ceteris geographis ad manus erat) maritimum est (& quidem maris Jonii non Hadriatici) oppidum; ad *Lecce* tum Plinii tum etiam Ptolemaei profectum.

(57) Gregorius Magnus V. ep. 21. Ind. 14. Petro Epis. *Hidruntino* committit visitationem ecclesiarum *Brundusii*, *Lippias*, *atque Gallipoli*, quae erant *sine pastore*. Et ante Gregorium medio VI. saeculo Episcopus *Lippiensis* (pro *Lupiensis*) Constituto Vigilii Papae subscripsit his verbis: *Venantius Episcopus Ecclesiae Lippiensis huic Constituto subscripsi*.

At antiquius utroque illud est, quod in Frontini lib. de coloniis (in quo tamen plurima a posteriore manu sunt) pag. 110. *Territorium Lipiense* (al. *Lippiense*) scribitur: at pag. 127. Ager *Lypiensis* usurpatur.

(58) Aletium, *aut intrusum in Plinii & Ptolemaei libros videri, aut potius idem quod* Valentium.

Intrusum videri, illud suadere potest, quod ubi in Plinii III. 11. vulgatis legitur, *Messapia*, *Aletium*. . . in scriptis omnibus pro *Aletio* legitur *Sarmadium* teste Harduino, & Vossio ad Melam. Deinde eodem extremo capite, quod inter populos recensentur *Salentinorum Aletini* (al. *Alentini*) *Basterbini* &c. idem Vossius in suo optimo cod. reperit, *Salentinorum*, *Salentini*, *Basterbini* &c. Vbi prior *Salentinorum* vox, gentis universae est: posteriores vero *Salentini* ab urbe *Salentia* (de qua idem Vossius consulendus) derivantur. Jam ad Ptolemaeum venio, apud quem in Salentinorum mediterraneis notatur Ἀλήτιον, *Aletium*. At in Bertiana editione in ora libri adnotatur *Valetium* (mallem *Valentium*) *Melae* esse intelligendum: quod longe alibi quam *Lupia* fuit, in cujus situ vetus illud *Lycium*, de quo nunc agitur, exstiterat. Vides igitur, *Aletium* oppidum illud, ad quod hodierni Lycienses se pertinere cupiunt, esse ex somno librariorum

(59) Quod Guido *Liceae* suae Theatrum (quod aevo suo loco propugnaculi fuit; sicuti Campanum Amphitheatrum nono saeculo arcis loco erat, & *Berelais* dicebatur) & rudera omnia, & ab Hydrunte distantiam subtiliter & accurate describat; id eo potissimum feciisse videri possit, nequis abreptus nominis tum primum a Guidone invecti novitate, urbem ipsam non internosceret. Ea gratia ruinosam tunc urbem characteribus certis notavit.

(60) Exstat in calce libelli de situ Iapygiae Galatei ad Loysium Palatinum epistola, qua plura de eadem Japygia adlinuntur. Inter cetera de Guidone haec habet: *Guido Ravennas, quem recentiores scriptores, in plerisque testem adhibent, & quem ego nuper legi*. Vides hinc, tunc temporis ejus exemplaria minime rara fuisse: quo probabile fit, nunc quoque ejus aliquod exemplar alicubi latere neglectum, utilissimum profecto futurum ad intelligendam regionum faciem noni saeculi. Pergit Galateus: *Nec recens est, nec vetus auctor* (recte, quia sex tantum saeculis a Galateo distans). *Illius temporibus quo in statu res nostrae essent, ex ipsius verbis, quae tibi mitto, intelliges. Leges multa quae intelligere operae pretium est. In quibus deliquit, ea tempori imputanda sunt*. Post pauca: *Quod ille Lupias in Salentinis posuit, verum dixit: quod Lupiae nunc Gallipolis dicatur, fallitur: nam LVPIAE SVNT, QVAM IPSE* (ac facile *IPSE PRIMVS*, si quidem de vulgari appellatione agitur; quia antea, usq. ad aetatem saltem Magni Gregorii, vulgo *Lupia* dicebatur; Licea vero reconditum erat apud φιλαρχαίους nomen) *LVPIAE*, inquit, *SVNT*, *QVAM IPSE* (nim. Guido Ravennas) *LICEAM NVNCVPAT*.

Digitized by Google

Lecce, tunc ſemianime, pertinere non poſſe videbatur, hoc enim & mediterraneum eſt, & Hadriatico multo vicinius quam Ionio mari. His, opinor, de cauſis permotus, *Lupias* non alias a *Callipoli* eſſe decrevit, ut quae Ionio mari undiq. alluitur. Verum quid interim hodiernum Lecce (quod ipſe de veteris nominis *Lypiae* poſſeſſione dejecerat) nuncuparet? *Graecos veteres* (uti Galatei locutione utar) conſulit: a quibus edoctus fuit, huic oppido, tunc in ruinis jacenti, antiquitus Λυκεῖαν (Latine *Lycéam*) fuiſſe nomen. Id illico Ravennas arripuit, & in ſua Geographia (quae adhuc aevo Galatei circumferebatur) urbem illam, cujus tantum rudera tunc cernebantur, *Licéam* appellavit, Callipolim vero *Lupias* confidentiſſime nominavit. Habes cur Guido ſuâ in geographicis ſubtilitate dignum duxerit, ut urbibus duabus nomina inverteret. At in *Lecce* hodierno id ex vero fecit: in urbe Callipoli temere admodum, teſte Galateo, novavit. Nam ſicuti jure hodierno *Lecce* nomen vetuſtiſſimum Λυκεῖαν reſtituit, ita idem coloniae Romanae eodem deductae nomen *Lupiarum* (61) injuria ſurripuit, quo ſaltem uſque ad Gregorii Papae tempora fruebatur.

At fuit heroicis temporibus nomen aliud tertium omnium vetuſtiſſimum, quod uni Pauſaniae debemus: in quo praecipue Lycienſes noſtri ſibi placeant moneo, quippe quod urbis hujus primordia Phalegicae illi aetati remotiſſimae inferat. De quo vocabulo age videamus.

CAPVT IV.

Vrbi huic ante Lyciae, Lupiaeque vocabula, fuiſſe vetus Orientale nomen Sybarim: quove pacto id Lupum ſignificet. Pluſcula de Lycianis.

Praeclarae hujus de *Sybari* alterâ notitiae ſignificationem uni Pauſaniae debeo in Eliac. poſter. cap. 19. ubi inter variarum urbium theſauros (donariorum cellas eo nomine intelligit) Olympiae exſtantes, etiam Sybaritarum theſaurum his verbis memorat: Ὠκοδόμησαν δὲ καὶ Συβαρῖται θησαυρὸν . . . *Aedificarunt & Sybaritae theſaurum ſuum, qui proxime ad Epidamniorum theſaurum conſtitutus eſt. Ii ſane qui de Italia* (illam veterem intelligit, quae vix paullum extra duas peninſulas extraque Magnam Graeciam porrigebatur) *ejuſque civitatibus curioſius ſibi inveſtigandum putarunt* (Λυπίαν φασὶ, κειμένην Βρεντησίου μεταξὺ καὶ Ὑδροῦντος, μεταβεβληκέναι τὸ ὄνομα, Σύβαριν ὄσαν τὸ ἀρχαῖον) *memoriae prodiderunt, Lupiam oppidum eſſe inter Brunduſium & Hydruntem, mutato nomine ita vocatam, quae ante Sybaris dicebatur. Portus* (62) *in ea exſtat manu factus, Hadriani Caeſaris opus. Contingit Sybaritarum theſaurum is, quem Cyrenaei dedicarunt, Libyae civitas.* Hactenus Pauſanias ea teſtatur, per quae certiſſimum fit, *Sybarim* ante dictam, quae poſtea *Lupia*. Sed non ſtatim ex *Sybari Lupia*

(61) Veteres Lupias non alibi quam in hodierno Lycio quaerendas eſſe dubitari vetat Anton. Galateus, vir ſuae aetatis eruditiſs. in feſtivo opuſculo *De ſitu Iapygiae*, in quo de *Lupia* ſic incipit: *Vrbem hanc alii* Lupias, *alii* Lypias, *alii* (VI) Lopias, *alii* Lupium, *alii* Lyſpiam, *alii* Lypiam, *alii* Aletium, *alii* Licium, *alii* Lictium (*a Lictio Idomeneo*) *alii* Liceam. *Omnia haec nomina idem ſunt . . . Nobis qui haec habitamus loca credendum eſt. Circum adjacentes urbi* (VII) *veteres Graeci . . .* Λέκτον *appellant*. Haec & plura Galateus, cui credendum, utpote tum natu, tum etiam incolatu Iapygi, viro ut illis temporibus doctiſſimo, quique in urbe Lycienſi maximam ſuae vitae partem tranſegit. Ex nominibus a Galateo memoratis, quae ſyllabâ ſecundâ P retinent, ea a *Lupiis* profecta ſunt: ſicuti contra quae eâdem ſede C aut T habent, ea fluunt a *Lycio* ſive *Lycia* noſtrorum numiſmatum. Cum ſuperiore Galatei loco, etiam illa conjunges, quae praecedente Adnot. ex ejusdem Epiſtola ad Palatinum decerpſi.

(62) *Manufactus Lupienſium portus in Pauſania illuſtratur. Is videtur illa Statio fuiſſe* Miltopae *dicta. At Lupiae portus magnus ille fuit, qui Hydrus initio vocatus, Guidoni, & ex Guidone mira lux.*

Graeca Pauſaniae de *Lupiis* loquentis verba ita concipiuntur: ὁ δὲ ὅρμος τοῖς ναυσὶ χαροπώτατος, καὶ Ἀδριανοῦ ἐστιν ἔργον. Quo loco ὅρμον non *portum* cum interprete, verum meram *navium ſtationem* reddiderim: id quod ὅρμος ſaepiſſime notat. Duo itaque fuerunt Lupiae commoda, unum fuit ὅρμος ſive *Statio* in proximo littore: quae illa ipſa eſt, quae in Plinii vulgatis antea ita cum *Lupia* jungebatur, *Statio Militum*, *Lupia*: at Harduinus in optimis pluribus ſcriptis ita reperit, *Statio Miltopae*, *Lupia*. Recte ſane; nec enim ceteroqui *Statio militaris* ea fuit, verum *Statio navium*, eaque manu facta auctore Hadriano, teſte hoc Pauſaniae loco; eique *Stationi* nomen fuiſſe proprium, ita ut *Miltopae* cognomen

(VI) *Iſtud* Lopias *non alibi reperitur, quam apud Capitolinum in M. Antonino philoſopho cap. 1. de quo ita ſcribit:* Cujus familia . . . a Numa probatur ſanguinem trahere . . . item a rege Salentino Malennio Daſummi filio, qui Lupias condidit. *Vbi* Lupias *editi poſteriores habent: at veteres editiones & ſcripti cod. probatiſſimi* Lopias, *ſicuti & in Regio, & in Palatinis reperiri Gruterus teſtatur, & uti Galateus in* de ſitu Japyg. *ex Capitolino recitat.*

(VII) Veteres Graecos *non eos accipit, qui Graecia florente vixerunt: imo potius Graecos Italicos aevi ſui intelligit, qui plurimi in eo tractu erant & adhuc ſunt. Omnino hoc ſibi vult. Si hodiernae Licéae civibus, utpote extranei ſanguinis, fidem minime adjungitis; Graecis ſaltem (qui nunc circa habitant, quoſque credibile eſt ab antiquis illis Graecis* Λυκιανοῖς, *quorum in nummis mentio eſt, originem trahere) adcredite. Hos, inquit Galateus, ſi interrogatis, fatebuntur, hodiernum* Lecce *non aliud a veteribus* Lupiis *eſſe habendum. Hinc obiter vides, quae Galatei ſententia fuerit circa Graecorum in diverſis partibus Regni Neapol. ſuperſtitum originem: in qua quaeſtiuncula in Parecbaſi pag. 62. 63. aliquamdiu aeſtuabam. Ac libens in Galatei nunc ſententiam pedibus irem, niſi analogia in nominibus verbiſque inclinandis obſtaret, ut ibi dixiſſe memini.*

Digitized by Google

Lupia fuit ; ſed ex *Sybari Lycia* aut *Lycium* : tum ex *Lycio*, Lupia fuit. Nec enim ante *Lupia* dicta eſt, quam eo colonia ſcripta fuit: qua in deductione non aliud ei nomen impoſuerunt, quam quod Lyciae vocabulo rectâ regione reſponderet. Ex quo & illud ſuſpicari datur, Graecos, ubi Sybaris nomen cum *Lyciae* vocabulo commutarunt, a prioribus incolis Sybaritanis edoctos fuiſſe, Orientali idiomate non aliam quam λύκη h. e. *Lupi* notionem nomini *Sybaris* fuiſſe ſubjectam; itaut *Sybaris*, Λυκία, & *Lupia* tria eſſent ab eâdem ferâ beſtiâ derivata ſynonyma, ſono tantum & linguarum divortio inter ſeſe diſcreta.

Quandoquidem autem λύκη & *Lupi* ſynonymiam vel ii ſciunt, qui nondum aere lavantur; age experiamur, utrum eadem συνωνυμία etiam in *Sybari* procedat. Scitum eſt Lupum Hebraice זְאֵב *Zeeb*, ſive contracte *Zeb* vocari. Vſitatum eſt autem ferarum animantium vocabulis addi *Bar*, h. e. *Agri* ſive *Saltûs* aut *Sylvae*. In Paraphraſi Chald. Pſalmi L. 10. *Thor bar* eſt *Taurus ſaltuum* ſive taurus ſylveſtris, de quo ibid. ſubjicitur: *Qui depaſcit unoquoque die montes mille*. Pari ratione *Zeb-bar* ſive (lenita ſcil. τῷ Z pronuntiatione) *Sebbar* erit *lupus ſaltuum*. Tyrrhenis autem (qui aevo antiquiſſimo tota Italia dominabantur) nulla amicior vocalis quam V fuit. Itaque ex *Sebar* fecere Σύβαρ, *Sybar*. Cetera vocabulo addita ad Graecae terminationis modulum pertinent.

Ac me quidem de Pauſaniae loco cura adhuc non levis angit: quem mirabile eſt de *Sybari Lupiaque* mentionem feciſſe nominatim, interim autem Λυκιανὲς, qui inter utrorumque tempus interjecti fuerunt, involviſſe turpi ſilentio.

Prior illa reſponſio ſit, eaque ſimpliciſſima: Pauſaniam dum in locis omnibus ſingula curioſe rimaretur, theſaurum illum, quem paucis deſcribit, ideo Sybaritis tribuiſſe, quod in theſauri epigrammate illam non aliis quam *Sybaritis* vindicatam reperiſſet. Cumque ſcitatus eſſet, cujuſnam populi tunc temporis ille theſaurus eſſet (nec enim, credo, alios ipſe *Sybaritas* norat, quam illos a Crotoniatis deletos, de quibus Collect. ſuperiore dictum) reſponſum illi fuiſſe neceſſe eſt, hos a ſuperioribus fuiſſe diverſos, nec plane alios quam illos intelligi, qui tunc temporis mutato nomine *Lupienſes* dicerentur. Nec ultra percontandi cura fuit; aut ſiquod aliud de Λυκιανοῖς reſponſum abſtulit, id ſcriptor mire conciſus, compendifacturus reticuit. Atque hinc de antiquitate theſauri illius judicare licet; dedicatus enim fuit antequam mutato nomine *Lyciani* dicerentur.

Quamquam ne illud quidem neceſſe eſt, *Sybaritarum* nomen deſiviſſe, ex quo *Lyciani* exſtiterunt. Nam profecto magnam partem urbium Magnae Graeciae ita Graeci ſuis irruptionibus tenuerunt, ut easdem cum antiquioribus incolis ſedes

men haberet, Plinius docet; ac mihi illa ipſa creditur, quae nunc *Torre di S. Cataldo* dicitur, ad quam ab *Lecce* ad mare breviſſimum iter eſt. Hoc prius commodum Lupiae fuit.

At alterum, quod ei & dignitatem maximam & utilitatem afferebat, fuit portus ille, qui ad Hydruntem erat. Hunc portum (unde omnium breviſſimum in Graeciam fuiſſe trajectum, Plinius III. 11. docet) non ipſius Hydrunti gratia (quod Strabo πολίχνιον, *oppidulum* vocat) ſed in *Lycii* (poſtea *Lupiae*) urbis maximae commodum fuiſſe ab uſque temporibus remotiſſimis comparatum, tam certum habeo, quam quod certiſſimum. Etiam nono ſaeculo Guido Ravennas ſic de eo loquitur, ut eum *portum Lycêae* ſuae h. e. hodierni *Lecce* vocet. Locum integrum ſup. Adnot. 53. adſcripſi, ubi & verba, quae huc pertinent, quod mira viderentur, tunc παρεντίθεικα. Ea nunc iterum recito: *Ab hac* (Licêa) *uſque Hydruntum* (*quae* Hydrus *in littore*, *& portu ejusdem Licéae* ſita eſt) *triginta fere milliaria ſupputantur*. Vides hinc, quidnam ex veterum libris, quos amiſimus, Ravennas didicerit, portum Lycienſem illum ipſum fuiſſe, qui ad *Hydruntem* fuit. Tam longe, inquis? Ita ſane: nam ex Strabone & aliis alicubi oſtendi, claris plurimis urbibus fuiſſe portus multo remotiores. Ergo *Lyciani* primitus ſibi opportuniſſimo in loco ad importandas exportandaſque merces portum delegere, idque multo ante quam urbs *Hydrus* exſtaret. Nam *Hydrus* initio portûs ipſius nomen proprium fuit. Scylax in Periplo: Τάρας καὶ λιμὴν Τδρὸς ἐπὶ τῷ τῆ Αδρίᾳ . . στόματι, *Tarentum*, *& portus* (cui nomen) *Hydrus in Hadriae . . oſtio:* unde & Mela (VIII) forſitan corrigendus. *Hydrus* igitur initio *Sybaritani* ſive *Lyciani* portus nomen fuit: poſtea cum multa circa eum portum habitatio coaluiſſet; qui antea vicus, poſt urbecula ejusdem nominis evaſit. Ac multa ſane de Guidonis vere aureo loco dixi. Tamen alia reſtant, quae, ne cieam faſtidioſis nauſeam, in imam (IX) oram reſervo.

(VIII) *Mela II.* 4. Lupiae, Hydrus mons, tum Sallentini campi. *Jampridem duo monoſyllaba* (mons, tum) *ſuſpicionem doctis injecerant. Eorum loco Pintianus ſubſtituit* Soletum: *Olivarius ita:* Hydruntum (*ſyllabis tribus, ut illud* Tum *includeret*) Sallentini: *Ciacconius:* Hydrus, mox Sallentini.

Inter has optimas conjecturas huic alteri locus eſſe poſſit, ut ex (Mons tum) *fiat* portus. *Videtur enim Scylacis illud* λιμὴν ὑδρὸς (portus Hydrus) *exſcribere voluiſſe.*

(IX) *Aut toto caelo aberro, aut hoc totum quod in Guidone uncis concluſeram, id ille apud antiquos, quibus nunc caremus, invenerat. Quid enim? Guidonis aevo ex tota Licéa nihil niſi cadaver informe ſupererat. Quonam igitur pacto ſuſpicari potuiſſet, portum illum qui Hydrunti viſebatur, eſſe* Licêae *peculiarem, niſi hoc in auctoribus vetuſtis legiſſet? Hoc quidem in antiquis reperit. Sicuti quod* Licêa (Λικεία) *illa, de qua auctores a Guidone lecti loquebantur, alia non eſset a* Lypia *ſaeculi Gregoriani, id facile ex Graecis accolis didiciſſe videtur. Vides igitur, quo pacto quae paullo ante* Lupia *ſive* Lypia *dicebatur, ea mutato nomine* Licêa *duce Guidone appellitari coeperit: qui etiam viciſſim* Lupiae (*quam ipſe olim fuiſſe maritimam crederet*) *nomen ab hodierno* Lecce *ad Callipolim perverſe tranſtulit.*

Interim veterum tabulariorum praefectos rogo, uti de ſcrutando Ravennatis Guidonis opere geographico ſatagant, plurima eruditos docturo, ſi quidem cum cura legatur.

Digitized by Google

ſedes incoleren t : id quod de Paeſtanis ac Poſidoniatis Collect. I. vidimus; atque exempla alia ejusdemmodi taceo . Etſi vero diverſa utrorumque inſtituta eſſent, linguaeque diverſae, tamen (ſive junctim intra murum eumdem, ſive diſcretis moenibus, ſed juxta poſiti, viverent, ut de Paeſto dixi, & ut de Emporiis refert Livius) urbem videbantur eamd. tenere , quia etſi diſcretis nominib. tamen utriq. idem linguae ſuae intellectu notarent . Ita factum , ut ubi Graeci *Sybarim* inſederant, cumque Sybaritis ſive permixte , ſive juxta habitare ſuſtinuerunt ; non aliud ſe nuncuparint, quam Λυκιανὸς, quod eandem *Lupinam* notionem illi *Sybaris* nomini ſubeſſe Orientali dialecto intellexiſſent. Ac forſitan hinc irruptionis Lyciorum, cum hi maris imperio pollerent, in Italiam veterem factae, fundataeque ibi coloniae (de qua cap. I. egi) orta narratio fuerit . Incredibile enim dictu eſt, quantopere vaniſſimae Grajorum gentis hiſtorias in antiquiſſimis rebus ſuſpectas habeam. Hoc unum moneo, ſi quidem Λυκιανοὶ a Lyciis, in Italiam exſcenſionem facientibus, conditi fuerunt; tunc non κατ' ἐρμηνείαν prioris nominis (praeſertim quia vox *Sybaris* aliorſum accipi poterat) dicti *Lyciani* fuere, ſed a conditoribus Lyciis . Contra ſi *Lycianum* nomen mera eſt *Sybareos* interpretatio (ſicuti & *Lyciae* fuit interpretatio, *Lupia*) tum illa de Lycianorum καταβάσει narratio commentum fuerit.

Interim Pauſaniae narratio , quam ſupra adſcripſi, urbi Lycienſi, etiam nunc clariſſimae, eximium decus addit , dum urbibus vetuſtiſſimis & potentiſſimis (63) a quibus theſauros Olympiae dedicatos Pauſanias deſcribit , *Sybarim* parem facit: quae poſtea mutatis nominibus prius Λυκεία, tum *Lupia* , ac poſtremo iterum *Lycæa*, aut *Lycium* vocata fuit.

CAPVT V.

Difficultati occurritur ex eo petitae , quod hodiernum Lecce mediterraneum ſit , vetus vero Lupia maritima fuerit.

In Lycienſes hodiernos , qui & iidem ac Lupienſes, tria illa conveniunt, cur ſint Λυκιανοὶ veteres in nummo ſcalpti: I. primum ἡ τωυτότης nominis Λυκείας, *Lycæae*, a nono ſaltem ſaeculo, auctore Guidone, reſtituta: II. τωυτότης (*identitas*) ſignificantiae nominum etſi diverſorum antiquo illo more , de quo pluries dictum ; quia *Sybaris* , *Lycia* , *Lupia* eodem ſignificatu pollent: III. τωυτότης ſitûs ; quia tam veteres Lupienſes (64) quam hodierni Lycienſes medio itinere inter Brundiſium & Hydruntem ſunt .

At obeſt , inquis , ſitus reſpectu maris , quia Pauſanias Sybarim ſive Lupiam maritimam fecit, cum ei portum tribuerit, ac ceteri ab eo ſitu, non (65) diſcrepant: cum contra hodiernum *Lecce* mediterraneum ſit. Atqui fateor, hodiernum *Lecce* maritimum non eſſe : tamen vix eſt ut mediterraneum dici poſſit , quia teſte Vghello ſex paſſuum millibus ab ora ſuperi maris abeſt; quod intervallum Galateus ad quinque admodum millia contraxerat . Adhaec quia in pluribus ſuperi maris locis littora longius in mare, ponto recedente, procurriſſe compertum fuit ; fieri poteſt, olim Lyciam minus quam nunc a mari abfuiſſe. Ac poſtremo, ſi nihil aliud, quid impedit, quin aevo ſequiore , deſtructâ (66) vetere ſive Lupia ſive Lycia , novum ejusdem nominis oppidum aedificatum fuerit a mari reductius? Id quod & Capuae (quae etſi diverſo poſitu , adhuc retinet nomen) & tot aliis urbibus accidit.

Verum corrogatis reſponſionibus nihil opus. Quid enim ? Ptolemaeum , Plinium , Melam , *Lupiam* in maritimis recenſentes , non moror , quia non exactâ accuratione ea numerant oppida , cum appareat , eorum plura aliquantum intus a mari recedere: at Straboni unice credo, dum *Lupiam* tamquam plane mediterraneam a maritimis aperte diſtinguit his verbis : *Et oppidula quidem ad mare poſita jam dicta ſunt* (ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ Ρωδαῖοί τε εἰσι, καὶ Λυπίαι) *at in mediterraneis Rudiaeque ac Lupiae ſunt* . Quid diſertius ? Fateamur ergo tanto ante recte vidiſſe Ant. Galateum , virum ut aevo illo eruditiſſimum , quique Iapygiam aliis melius illuſtravit : cui ſi credimus, *Lecce* quod nunc eſt, in Vetere Lupia eſt omnino quaerendum .

Ergo (ut jam omnia verbis tribus complectar) *Lecce* hodiernum (quod a Graecis aevi medii , reducto vetere nomine *Licæa* aut *Lycium* audivit) *Lupiae* ſucceſſerat: quod *Lupiae* nomen adhuc ſub S. Gregorio tuebatur . *Lupia* autem *Lyciae* veteris , de quo nummi loquuntur, loco fuit; ſicuti & vetus Lycia *Sybari* temporum Tyrrhenicorum ſucceſſerat. Ea tria vocabula *Lupi* ſignificatu pollent. Ac nequis ab ea voce faſtidioſus abhorreat, audiat Jacobeum de Benjamin vaticinium, *Benjamin lupus rapax*... Gens *Hirpinorum* tota ab *Hirpo*, qui eorum lingua *lupum* notabat, ita ſe vocari geſtiebat . *Lycia* in Aſiâ (cujus eſt a *Lupo* vocabulum) famam de ſe claram reliquit.

CAP. VI.

De Lupiarum ſive potius Lycianorum conditore ex Capitolino .

Capitolinus in M. Antonino Philoſopho cap. I. genus ejus ita refert : *Cujus familia in originem*

(63) Nim. Sicyoniis , Carthaginenſibus , Epidamniis, Cyrenaeis , Selinuntiis , Metapontinis, Megarenſibus , Gelenſibuſque : quibus theſaurum ſuum Sybaritae (qui poſt aevo Pauſaniae *Lupienſes* erant) attiguum habuerunt , uti lib. VI. 19. deſcribitur .

(64) Pauſanias loco cit. Lupiam ait χαμαίνην Βρεντεσίῳ τε μεταξὺ καὶ Τδροῦντος , *ſitam inter Brundiſium & Hydruntem*.

(65) Veluti , Mela , Plinius , Ptolemaeus : qui tamen ſic in ora recenſent, ut tamen in ea recenſione etiam paullo interioribus oppidis locum fuiſſe appareat .

(66) *Licæae* ſuae calamitates ſatis aperte Guido deſcripſit, dum in theatri tantum & urbis ruderibus fuiſſe tunc habitatum loco ſup. laudato dixit . Adhaec Galateus ubi de Lupiis agit, ita incipit : *Varia urbis fuit fortuna* . . . Ibi plures diverſis temporibus paſſam everſiones narrat.

Digitized by Google

ginem recurrens, a Numa probatur ſanguinem ducere, ut Marius (67) *Maximus docet: item a rege Salentino Malennio Daſummi filio, qui Lopias condidit*. Quia vero non potuit unus virile genus a duobus repetere; Eutropius opportune ita diſtinxit: *Cum ejus origo paterna a Numa Pompilio, materna a Salentino rege penderet*. Materna igitur origo a rege Malennio Daſummi filio. Hoc ex utroque auctore certum. At uter horum Lupias, condidit, Malennius filius an Daſummus pater? Poſterior ſane videtur, tum quia in conſtructione τὸ *Qui* eſt Daſummo proximius, tum etiam quod idem *Daſummus* ob urbis conditae meritum videtur genti (68) Romanae nomen a ſe dediſſe.

At illud *Qui Lopias* (69) h. e. Lupias *condidit* ſane angit. Eſt ne veriſimile tam recentem hunc ſtirpis Antoninianae auctorem fuiſſe, ut *Lupiis* (quarum nomen, uti ſup. innuimus, Gracchanorum eſt temporum, h. e. centeſimi ferme ante Chriſtum anni) non eſſet antiquior? At profecto ſi paterna origo ab Numa fuit, neceſſe eſt & maternam ab aequalibus temporibus adſcitam fuiſſe. Quid ergo niſi πρόληψις eſt; & hoc ſibi voluit? Qui eam urbem, quae poſtea *Lupia* dicta eſt, condidit. Quod ſi quaeras ecquam coloniam Daſummus condiderit (priorem ne, cui *Sybari* nomen, an Λυκίαν *Lyciam* quae Sybari ſucceſſit?) fateor, id me juxta cum ignariſſimis ignorare. Tamen ſi ponamus Daſummum iſtum prope aequalem Numae fuiſſe; facilius eſt ab eo Λυκιανὸς, quam Sybaritas conditos. Incredibile enim foret, Sybareos initia haud vetuſtiora Numa fuiſſe. Cujus aetate verius eſt Graecos Sybari potitos, eam *Lyciam* tranſnominaſſe.

(67) Hunc Caſaubonus ad Spartiani Hadr. cap. 2. aequalem Alex. Severo, Voſſius de Hiſt. Lat. eidem ſupparem credidit. Etſi in omnium hic manibus erat, videtur tamen eum Ammianus non magni feciſſe. Adhaec Vopiſcus uti *verboſiſſimum* taxat, *quique mythiſtoricis ſe voluminibus implicarit*. Hoc eo dico, uti lector videat, an non iſta de Malennio Daſummi filio inter Marii mythiſtorica ſint ablegan-da. Etſi re vera Capitolinus hunc in paternae a Numa (in quo minus a fabula timoris eſt) non in maternae a Daſummi filio originis teſtimonium advocat.

(68) De Daſumia gente in lapidibus obvia & SCto Daſumiano Caſaubonus ad Capitolinum hîc.

(69) In vulgatis editionibus *Lopias* legitur; idque ex ſcriptis expreſſum. Certe in probatiſs. Mſs. Regio & Palatino non aliter legitur, teſte Grutero. *Lopias* item Galateus ex cod. Capitolino attulit. Atq. eam meo judicio lectionem non neceſſe fuit in elegantiſſima Lugdunenſi editione anni 1671. in *Lupias* refingi. Nam certe ab auctoribus antiquiſſimis manaſſe videtur (quippe quibus V in O vertere ita in deliciis fuit quomodo & in vetuſtiſſimis Graecorum nummis O legitur pro OT, uti Συρακοσίων Θορίων &c.) Proinde ejuſmodi lectio potuiſſet qualemcumque fidem narrationi conciliare, tamquam a ſcriptoribus vetuſtiſſimis ortae.

(70) Inter ea quae praecipue decerpi merentur, ſunt vetera locorum ejus regionis nomina cum recentibus comparata; nam ὁδὸς πάρεργον plurima tangit vetera Graecor. & Bruttior. loca, eaque diſtinguit vocabulis poſterioribus. Fuit enim acerrimi judicii vir; cuique tutius quam aliis ſcriptoribus noſtris credas; praeſertim qui in his regionibus majorem vitae partem exegerit, quique Graecos Latinoſque auctores in numerato haberet, & facillimâ eloquentiae venâ flueret. Exſtant in Biblioth. Carbonariana inter plurima ejus opera magnam partem edita, etiam plura ἀνέκδοτα, & inter cetera Epiſtolarum volumen, quod puto non ſine magno litterariae hiſtoriae emolumento apparituram, ſicunde benignas manus obſtetricantes nanciſcatur.

MONITVM I.

Primitivum urbis nomen Lycia potius, quam Lycium fuit.

PAG. 519. 520. ac paſſim in toto hoc Collect. V. dixi τῶν Λυκιαγῶν in nummis ſcalptorum nomen primitivum tam Λυκία, quam Λύκιον aſſignari poſſe; cum ab utraque forma gentile in Ανος *exire queat. Et id quidem verum eſt; quia (teſte Stephano in* Ἄγκυρα) *a* Πάριον Παριανὸς *venit, & a* Βοττάριον Βοτταριανὸς *&c. Tamen fatendum eſt gentilia in* Ανος *raro aliunde quam a terminatis in* Α *proficiſci. Itaque non dubito quin primitivum urbis hujus fuerit* Λυκία; *ſicuti Guido* Lycêam (*a Gr.* Λυκεῖα) *vocavit. Nec Romani alia de cauſa* Lupiam *tranſnominarunt, quam quia vocabulum, quo Graeci utebantur, in* Α *finiebatur, a genere muliebri non virili.*

MONITVM II.

De Parrhaſii Sybari & Thurio.

Pluribus in Prodromi locis pollicitus, me in fine daturum Jani Parrhaſii ἀνέκδοτον *ſcriptum* de Sybari, Crathi ac Thurio, *tamen fallere fidem cogor, tum quia Liber hic noſter plus nimio intumuit, tum quod Parrhaſiana illa, quae promiſeram, quamvis ſcatentia gratiis, tamen magnam partem hodie protrita ſunt (ſed ita tamen ut ſint quaedam quae tollere* (70) *poſſis) & alioqui* ἀντιῤῥητικά. *Nam neſcio quem confutandum ſibi ſuſcepit ea ſcriptione: quae quidem in epiſtolae modum incipiens, haud tamen cui ſcripta ſit, ex principio, exve progreſſu liquet.*

Niſi quod, cum is in principio Pauſaniae diem dicat, quod Lupiam *antea dictam fuiſſe* Sybarim *ſcripſerit; non invitus (ut iis, quae modo cap. IV. poſui, inſerviam) ea pauculà, quae eo pertinent, inferne* (71) *adſcribam.*

COL-

virum; cuique tutius quam aliis ſcriptoribus noſtris credas; praeſertim qui in his regionibus majorem vitae partem exegerit, quique Graecos Latinoſque auctores in numerato haberet, & facillimâ eloquentiae venâ flueret. Exſtant in Biblioth. Carbonariana inter plurima ejus opera magnam partem edita, etiam plura ἀνέκδοτα, & inter cetera Epiſtolarum volumen, quod puto non ſine magno litterariae hiſtoriae emolumento apparituram, ſicunde benignas manus obſtetricantes nanciſcatur.

(71) *Pauſaniae de Sybari alterâ locus auxiliari loco Strabonis defenditur.*

Haud longe ab initio ſcriptionis homo noſter poſt deſcriptum Pauſaniae locum illum, quem ſupra cap. IV. recitavi, ſic excipit. *Ex iis apparet, eruditiſſimis quoque ſaeculis, & incolumi Thuriorum civitati propioribus, eos, qui haec* (nim. de ſitu Sybaris Thuriique) *indagaverunt, eruere veritatem conatos, aberraſſe. Nam quomodo quadrat, olim fuiſſe Sybarim, illam quae deinde Lupia fuerit, HODIEQ. SIT LYCIVM?* Pauſaniam nempe refellit: ſed ita ut aperte praeferat, tum hodiernum *Lecce* apud ſcriptores proximorum ſaeculorum dictum fuiſſe *Lycium*, tum etiam *Lupiam* ibi certo fuiſſe, ubi hodie *Lycium* dicitur. Vide obiter quantus in his aliud agenti Parrhaſio cum Galateo conſenſus fuerit. Pergit vero idem. *Nam quomodo*, inquit, *quadrat* (ſitus a Pauſania traditus) *cum Sybarim conſtet inter Crathidem Sybarimque fluvios fuiſſe, nec ullus in Lupiae finibus amnis exſtet?* Hactenus Janus noſter.

At

Digitized by Google

COLLECTANEVM VI.

DE CAVLONIA VRBE ANTIQVISSIMA.

Ad Prodromi pag. 30. num. 4.

STrabo itemque Stephanus in Καυλωνία tradiderunt, huic urbi primitus ΑΤΑΩΝΟΣ fuiſſe nomen, deinde addito K, in *Kaulonem* ſive *Cauloniam* (72) fuiſſe mutatum. Fabulae: ex eo haud dubie ortae, quod Αὐλῶνος vox ſuo apud Graecos ſignificatu pollet, Καυλῶν nullo: adhaec quod Αὐλὼν nota vox in geographia eſſet, pluribus locis communis. Ac ne multa: exſtant hujus urbis nummi ſane quam vetuſtiſſimi litteris tam antiquis, ut Tyrrhenicae videantur; & tamen omnes τὸ K ſuo nomini praefigunt. Verum quid moror? ſollemne hoc Graecis fuit, ut barbarica nomina, quae non intelligerent, nec poſſent ſibi arrogare, pauxillum detorquerent, quantum ſatis eſſet, ut Graeci juris evaderent. Hinc quia KAVA (nam primitus monoſyllabum fuit; ſicuti in nummis ſcalpitur) Graece nihil ſonabat; dempto K & addita Graeca terminatione, fecere Αὐλὼν, quod *vallem* ſignificat. Verum cum nec in nummis iſtud Αὐλὼν appareret, nec ſcriptores ab uſitata vulgi pronuntiatione recedere ſuſtinerent; excogitavere fabellam, qua commenti ſunt, antiquiſſimis hominum iſtud Αὐλῶνος nomen fuiſſe uſurpatum, quod poſtea tamen in Καυλῶνα tranſierit. Quod & imperitis perſuaſerunt. At interea in remotiſſimae antiquitatis nummis KAVA aut ΛVAK Tyrrhenicâ ſcriptione ſcalptum id nomen viſitur; ut ſi quid de Aulone poſtea narratum fuit, id unice ad Graeculorum fraudem ſit referendum.

Cum autem in antiquiſſimis quibuſque nummis quadrilitterum ſit id nomen; ex eo conſtat id fuiſſe antiquitus monoſyllabum, nec olim id nomen per caſus fuiſſe inclinatum, ſed ἄκλιτο more Orientalium ac Tyrrhenorum.

Nunc porro videamus, ecqua notio vocis hujus antiquitus fuerit. Non alia ſane quam quae apud Orientales eſt; ad quorum linguam haec vox omnino eſt referenda. Sollemne hoc Syris omnibus ac Phoenicibus erat, imo & Tyrrhenis (de quo vide Tyrrhenica noſtra ſexcentis locis) ut Hebraicum O longum in diphthongum AV reſolverent. Itaque quod in AVDIO & in AVRIS (quae erant ex אזן *Ozen* (73) Hebraico) & aliis ψαμμικοστοῖς Tyrrheni fecerant, hoc idem in hoc vocabulo ſunt moliti, quippe qui ex קול *Kol* Hebraico ita fecere huic urbi nomen, ut illud in KAVA *Kaul* reſolverent.

Atqui KOL Hebraeis (ut & KAVL ceteris filiis Orientis) primario *Vocem* ſignificat, at deinde κατ' ἐξοχὴν (*per excellentiam*) *tonitrui vocem*, quippe omnium vehementiſſimam. Legatur Pſalmus XXVIII. (Heb. 29.) in quo pluries *Vox Dei* (nam Hebraeis familiare eſt *Dei* vocabulum addere rebus in ſuo genere maximis; ſicuti *Montes Dei* & *Cedri Dei* ſunt maximae proceritatis) *Vox*, inquam, *Dei* non aliud quam tonitruum notat. Ergo Cauloniae noſtrae conditores, ſive quia Jovis Tonantis cultui perdite addicti erant ſive quod pars illa littoris, in qua oppidum aedificarunt, crebris tonitruis infeſtaretur, ſive totum hoc ad auſpicia tonitrualia (74) pertinuit; utut eſt, urbi ſuae nomen KAVA (*Caul*) h. e. *vocis* ſive *tonitrui* impoſuerunt. Id nomen poſtea Graeci qui eamdem urbem incoluerunt, ſua ter-

At quanti acuminis fuiſſet intelligere, duas antiquitus fuiſſe Sybares (ſicuti duae Pandoſiae fuere in his locis, totque aliae urbes binae ac prope centenae fuerunt) unam ſcil. inter Crathidem Sybarimque amnes, alteram, quae poſtea Lupia. Omnino grave eſt Pauſaniam, qui ſcriptores ante ſe legerit, adhaec Italiam luſtraverit, Theſaurum Sybaritanum Olympiae viderit, craſſiſſimi erroris arguere.

Sed recte eſt, quod auctori tanto in ſummo exiſtimationis diſcrimine Strabo in ſubſidium accurrit. Qui lib. VI. pag. 264. cum varias de Siritide narrationes cumularet, hanc etiam affert. Τινὲς δὲ καὶ Ῥοδίων κτίσμα φασὶ καὶ Σειρῖτιν, καὶ τὴν ἐπὶ Τεύθραντος Σύβαριν. *Quidam tum Siritidem, tum & Sybarim, quae ad Teuthrantem, Rhodiorum colonias faciunt.* Quae non eo attuli, quo pugnem, Rhodios ſive Siritin ſive hanc alteram Sybarim condidiſſe, cum a filiis Orientis primitus frequentatam utramque alibi adſtruxerim. Verum hoc tantum contendo, pro confeſſo a Strabone habitum, praeter Sybarim illam, quae inter Crathim Sybarimque fuerat, exſtitiſſe olim alteram ad Teuthrantem amniculum. Fluviolum vocavi, quia in propinquo Lupiae nullum olim flumen: ſed ibidem nemo vetat amniculum aliquem fluere potuiſſe; nam parva fluenta nuſquam deerant, quae & interdum venâ deficiente ſiccantur. Ac ſane Teuthras Strabonis tam pauper aquae fuit, quam illa ejusd. nominis aquarum conceptio in Bajano littore, cujus unus Propertius meminit lib. I. El. XI. v. XI.

Aut teneat clauſam tenui Teuthrantis in unda
Alternae facilis cedere lympha manu.

(72) Haec de qua loquimur, urbs Magnae Graeciae fuit prope Locros, inter Sagram amnem & Cocintum promontorium, quae jam inde a Dionyſii Siculorum tyranni tempore exciſa dicitur.

(73) Dixi ex *Ozen* (quod Hebraeis *Aurem* ſignificat) veniſſe tum verbum *Audio*, tum etiam nomen *Auris*. Quo id pacto? In *Ozen* vocalem longam (quam Hebraei *Cholem* vocant) Syri, Phoenices, Tyrrheni in diphthongum AY reſolvere in deliciis habuerunt. Adhaec in Hebraicis vocabulis Chaldaei Syrique litteram Z in D vertunt. En igitur ut ex Hebraici nominis *Ozen* primoribus duabus litteris OZ ortum ſit AVD, ac Latina terminatione addita, *Audio*.

At *Auris* unde fluxit? quia nim. hoc Etruſcis (Rhotaciſmi amantiſſimis) perpetuum fuit, ut D in R verterent (ut in Tyrrhenicis copioſe non uno loco demonſtravi) quocirca *Auris* pro *Audis* (hoc vero pro *Auzis* fuerat) uſurparunt: quod Latini poſtmodum a Tyrrhenis didicerunt.

(74) Veluti ſi in aratro circumducendo laevum intonuiſſet; tum & proſperum id habitum, & urbi KAVA h. e. *tonitrui* nomen ex eo quod accidit, inditum.

Digitized by Google

minatione donarunt, & ſive Καυλῶνα ſive Καυλωνίαν appellarunt. Ac ſero tandem exorti fuere, qui barbarico offenſi vocabulo, commenti ſunt, antea fuiſſe huic oppido Αυλῶνι nomen, idemque poſtmodum in Καυλῶνα mutatum. At bene eſt quod hujuſmodi Graecorum fabulas detexi plurimas in Tyrrhenicis, ut in *Caere* (quod voluere ex Χώρα detortum) ut alibi dictum fuit, & in aliis quamplurimis, quae libens omitto.

Ceterum quae dixi hactenus, iis tantum mira videbuntur, quibus nondum innotuit, ethnicam theologiam, tota quanta eſt, ex Hebraica doctrina (ſed tamen interpolata) fluxiſſe, atque in primis totum Jovis Tonantis cultum ex *Jovae* (ſic enim Deum verum Hebraei vocabant) *Tonantis* doctrina profectum. Siquando legetur noſtra de *Jove Fiazzo* Diatriba (quam alibi dabimus) ſatis ſcio, me nulli mortalium non perſuaſurum.

His jam accedat quod in omnibus ferme Cauloniatarum nummis Juppiter (75) imberbis, & quidem ſtans & fulmina jaculans exſtet. Videantur nummi Cauloniae in Joann. de Flore Capuccino, Mayero, Goltzio aliis. Habeo prae ceteris in meis thecis argenteum nummum maximi moduli, ex una parte impreſſum, ex altera cavum & caſſum, litteris Tyrrhenicae indolis exaratum, cum inſcriptione ΛVΛΚ (*Caul*) i. e. *Vox* ſive *Tonitruum*. Jupiter imberbis fulmina jaculatur. Superne ejusdem Jovis Tonantis pueri itidem icuncula viſitur, haud ſecus fulmina jacientis. Inferne vero Cervae effigies (quae a Cauloniae nummis raro abeſt) cernitur: de qua etiam dicendum eſt aliquid.

Quo enim id ſpectat, niſi ad illud Pſalm. XXVIII. (Hebr. 29.) *Vox Domini praeparantis cervos?* Quod Hebraice eſt, Kol ſive *Kaul Jovae obſtetricat Cervas*. Quod omnes de eo interpretantur, quod tonitrua ciere partus cervarum credita fuerint. Atqui poteſtne aliquid afferri certius quo ſignificetur, quid illi primi ex ſtirpe Orientali Kaulonis conditores in imponendo huic urbi nomine ſpectaverint? Ac ſane non caret res iſta miraculo, quod in hoc nummo Kauloniatarum (quem vide in Tab. num. VII.) totus ille ſupra ſcriptus Pſalmi verſiculus partim legitur, partim ad vivum exhibetur. Verſiculus, uti dixi, Hebraice ſic habet: *Vox Jovae obſtetricat cervas*. Atqui in pictura numiſmatis tantumdem ne ſyllaba minus eſt. Nam τὸ KAVL, quod legitur, idem quod VOX. Deinde τὸ IQVAE (i. e. veri Dei nomen) per Jovis jaculatoris figuram expreſſerunt. Poſtremo illud *Obſtetricat cervas*, per cervam retro reſpicientem deſignatur: quae concuſſa tonitruis, retro ſe vertens, uteri verminationibus ſeſe angi ſignificat. Niſi quod illud fortaſſis huic commentationi incommodat, quod cervorum ſequior ſexus cornibus careat: at contra in hoc, quem exhibet Tabula, & in aliis Cauloniatarum nummis capita cernuntur cornigera, ut poſſint videri mares. Verum deeſt id quod mares diſtinguit; & cur cornua non obſtent, in ima (76) pagella oſtenditur.

Ex hactenus dictis, liquet hoc etiam, nim. primos Caulonis conditores non fuiſſe Achaeos (quod Graeci narrant) ſed Phoenices: qui poſtea vocati Tyrrheni, totâ Italia dominabantur. At cum poſtea ab vicinis urbibus Crotone, & aliquot aliis, quas Achaei tenebant, capi, opinor, Caulonem contigiſſet; hinc Achaei pro Caulonis conditoribus falſo habiti ſunt; & Caulon vulgo a Graecis hiſtoricis Αχαιῶν κτίσμα (*Achaeorum fundatio*) dici coepit: qui tamen potius primis ex oriente conditoribus diu poſtea ſucceſſerunt.

(75) Jupiter Λυκαῖος exhibebatur imberbis. *Lycaei Jovis* cultum in Cyrenaicae colle quodam fuiſſe, qui ob id Διὸς Λυκαίου ὄχθος vocabatur, ſup. Collect. V. p. 520. ex Herodoto adnotavi: hunc vero imberbem fuiſſe pag. 519. in fine col. 2. itemque Adn. 50. ex nummo Lycianorum oſtendi.

(76) *De cornibus ſequioris cervini ſexus.*

Cervam carere cornibus, primus, quod ſciam, Ariſtoteles monuit: qui in Poet. Sophoclem reprehendit, quod ei cornua tribuerit. Similia peccaverant Pindarus, Anacreon apud Bochartum, Euripides: imo & poſt Ariſtotelis accurationem Apollodorus, Q. Smyrnaeus, Val. Flaccus hoc idem offenderunt. Mitto hujus generis plura, cum ſatis ſit cum Cauloniatarum nummis numinum Saloninae (apud Spanhemium tom. 1. p. 204.) conferre, in quo cerva exhibetur cornigera. Quod eo mirabilius quod ſub Gallieno (cujus uxor Salonina) notiſſimum eſſe debuit, Romae praeſertim, cervas defici cornibus: non item temporibus remotiſſimis Cauloniatarum, ibi praeſertim degentium, ubi nulli cervorum greges, niſi forte illuc generaturi extrinſecus importentur. Tametſi cervas cornutas raras quidem ſed non irrepertas, vel his ultimis temporibus eſſe, ibid. Spanhemius ex Gunthero, ex Jul. Scaligero, & ex Morhofio docet.

Quod modo de Saloninae nummo ex Spanhemio notavi, id enervatur a Franc. Redio in longiſſ. illa ad Kircherum epiſtola pag. 58. At idem viciſſim pag. 56. tres nummos affert a diverſis urbibus aevo Caeſarum percuſſos: in quibus cervae cornutae apparent. Quo minus mirandum, in his vetuſtiſſimis Cauloniae nummis cervas (ac vere cervas, id quod ex ſcalptura proditur) armari cornibus.

Verum ne plura: cum nihil facilius hiſtoriae animalium inſciis, morantibuſque in iis regionibus, in quibus non gignitur cervinum genus (ſicuti in Magna Graecia non gignebatur) nihil inquam facilius, quam generi univerſo cervino, etiam femellis, cornua ramoſa tribuere, idque maxime ante accuratam Ariſtotelis aliorumq. ſeras obſervationes: a quibus haec Cauloniatarum noſtrorum numiſmata immenſo temporum hiatu abſtiterunt.

COLLECTANEVM VII.

DE NVMMO SINGVLARI HADRIAE PICENTIS.

Ad Prodrom. pag. 35. *num.* 1. *& pag.* 40. *num.* 8.

NVmmus in meis eſt locellis admodum detrita effigie, niſi quod litterae paucis exceptis ſunt ſatis conſpicuae. Atque id numiſma,

Digitized by Google

ma, quia nec in ullo muſeo, nec a quoquam editum aut deſcriptum videre licuit; pro ſingulari habebimus, donec alicunde aliud prodeat. Ejus typum in Tab. num. IX. contemplari licebit.

CAPVT I.

Nummi deſcriptio. De Jove ſive Ταπίῳ ſive Καſίῳ. Quid illud ATPEYC, *quod in averſa parte legitur.*

In nummi una parte Jupiter nudus in throno conſueto ſedens, dextra fulmen jaculatur: in ambitûs latere laevo ΠEV .. (nam ultima littera omnino evanuit) in dextro ſive KACIOC ſive YACIOC. Nam primorem litteram modo K eſſe, modo (quia τὸ K inferior obliqua lineola penitus deleta eſt) litteram plane Pythagoricam eſſe juraveris. Ac plura afferri poſſent quae τὸ (77) Ταſιος firment. Verum *Caſii Jovis* celebritas, nummiq. ſolers contemplatio fecit, ut in hunc inclinatior eſſem: de quo & pauca in (78) ora notavi.

In poſtico vir ignotus barbâ in acutum finitâ ſtat, laevâ poderem fluentem, uti videtur, colligens, dextra vero (quantum ex nummi ſatis detriti conſpectu judicare licet) anguem criſtatum tenens, atque haud ſcio an eumdem vultu converſo incantans: de quo in ima (79) ora viderimus. In dextero latere ſcriptum eſt ATPEYC: quod non tam pro *Atrei* illius, qui Agamemnonem & Menelaum genuit, proprio nomine haberi jubeo, quam pro gentilitio vocabulo: eccujus vero populi, jam ex Ἐθνικογράφῳ docebimus.

CA-

(77) Si vera nummi lectio ea ſit, quaſi ſit ſcriptum Τάσιος; ad eam firmandam haec maxime afferri poſſunt. I. Jovis *Pluvii* tritiſſima eſt nomenclatio. Notum eſt Tibullianum illud, *Pluvio ſupplicat herba Jovi*. Nec apud Graecos ullum Jovis frequentius epitheton, quam ὄμβριος. II. At illud magis huc facit, quod ſicuti participium *Tonans* tamquam Jovis nomen proprium apud Latinos aeque ac Graecos uſurpatur; pari ratione participium Των (*Pluens*) abſolute de *Jove* accipiebatur. Lucianus in Dial. Jovis & Ganymedis: ἐδὲ βωμὸν ἐν τῷ Γαργάρῳ τῦ Τοντος, *Nec Pluentis* (h. e. Jovis) *aram in Gargaro*. III. Eſt & aliud *Pluvii* apud Graecos vocabulum, quod abſolute de Jove uſurpabatur, quod Heſychio debemus: apud quem ita legitur: Τυς. Ζεὺς ὄμβριος, h. e. Τυς idem, quod *Jupiter pluvius*.

Dixeris, iſtud Τάσιος non tantum ignotam lexicis eſſe vocem, ſed talem etiam, quae digito patrem ſuum oſtendere nequeat. Nec enim verbum ὑάζω pro *pluo* reperitur, unde fluat Τάσιος. Ab ὗας (miſſo quod generis ſequioris eſt) quia in obliquis adſciſcit Δ, fieret ὑάδιος non ὑάσιος. At equidem ajo, videri ab illo Heſychiano Jovis vocabulo Τυς factum eſſe, aut effici potuiſſe Τήσιος: ab hoc vero Dorice (qua dialecto Graeci Italici capiebantur) Τάσιος exſtitiſſe. Haec pro Τάσιος (modo ea ſcalptura nummi ſit) dixiſſe ſufficiat. Habes igitur in adverſa nummi parte Jovis tonantis effigiem, itemque Τασία h. e. Τοντος (*Pluentis*) nomenclaturam, ad putativas hujus oppidi origines alludentem; quia ut infra ex Stephano oſtendam, Diomedes tempeſtate jactatus, ad hoc littus appulit, ibique coloniam condidit, quam primo ἀιθρίαν (ob ſerenitatem appulſu ſuo allatam) vocavit: quae mox *Atria*, corrupto paullatim vocabulo, dicta.

(78) KACIOC *veram eſſe lectionem. Ac ſimul de Jovis Caſii cultu.*

Cur KACIOC potius quam TACIOC legendum eſſe decreverim, ratio prior illa eſt, quod vox Τάσιος nuſquam alibi nec in nummis, nec in libris apparet: at KACIOC Jupiter in utriſque celebratiſſimus. Altera ratio eſt, quod cum obliqua lineola inferior τῦ K in nummo evanuerit, id quod ſuperfuit, litteram Pythagoricam mentiri facile potuit. Cui ſi cornu inferius reſtitueris, illico K redibit.

Jam vero Jupiter Caſius dictus creditur ab ejus templo, quod erat in monte Caſio illo, qui Seleuciae Pieriae imminebat: etſi non deſit, qui Caſium ipſum montem, tamquam ſi Jupiter eſſet, a Seleucenſibus cultum putet. Cui opinioni ſuffragari videtur Trajani nummus, in cujus averſa parte templum tetraſtylon viſitur, cujus in medio lapis ingens cum hac epigraphe: CEΛETKEΩN ΠEIEPIAC ϛ. ZETC KACIOC. *Seleucenſium Pieriae* (anno) *VI. Iupiter Caſius*. Videntur ergo Seleucenſes templum in urbe ſua erexiſſe *Jovi Caſio* h. e. monti ipſi Caſio, cui Jovis praenomen indiderunt, eumque montem ſub lapidis illius praegrandis effigie exhibuerunt. Titulus Capuae exſtat (in duo disjectus fragmenta, diverſis locis poſita) in quo ſcribitur IOVI. VESVIO. SAC. Sicuti ergo Veſuvius propter ignes & fulmina, ipſemet Jupiter creditus, ita & *Caſius* aſſiduis fulguribus tonitruiſque infeſtus, pro Jove habitus. Quod Vaillantius (in Num. Graec.) conjicit, *Jovem lapidem jurare* (id Cicero, Gellius aliique uſurparunt) ab Jovis Caſii ſimulacro informi lapideo prodiiſſe, id nolo praeſtare; maxime cum plurima olim informia ſaxa, Jovi Caſio ſimillima, culta fuerint; nec enim primitus ſimulacra niſi hoc modo fiebant. Vide quo pacto deus Elagabalus ab Herodiano deſcribatur.

At quantopere Jovis Caſii cultus propagatus fuerit, numiſmata plurimorum populorum oſtendunt, praecipue in nummis Corcyraeorum apud Andr. Marmoram in Hiſt. Corcyrae. Plinius lib. IV. *templum Caſii Jovis* Corcyrae memorat. Niſi quod paſſim in nummis non lapis, ſed Jupiter ſedens conſueto modo, & fulminans, ut in hoc nummo, exhibetur; & tamen KACIOC inſcribitur: qui potuiſſet etiam Κεραύνιος aut Καταιβάτης inſculpi, quae duo etiam Jovis Caſii ſunt epitheta, ab antiquis ſcriptoribus celebrata.

(79) Si qui dextrâ viri ſtantis tenetur, is anguis criſtatus eſt; tum facile Marſus ſacerdos erit, anguem incantans, ac veluti *Vmbro* ille, de quo Virg. in VII. 750.

Quin & Marrubia venit de gente ſacerdos,
Fronde ſuper galeam & felici comptus oliva,
Archippi regis miſſu fortiſſimus Vmbro:
Vipereo generi & graviter ſpirantibus hydris
Spargere qui ſomnos cantuque manuque ſolebat,
Mulcebatque iras & morſus arte levabat.

Ac certe ſi re vera ſerpens ille ſit; cum non in ſpiras contortus, ſed in longum porrectus, quaſi ſenſu carens, videatur; aliquid de Marſicis artibus ſignificationis offert. De Marſorum in talibus facultate videndus Gellius XVI. 11. qua virtute adhuc Marſorum ſacerdotes pollebant ſub Heliogabalo, teſte Lampridio cap. 23. Iidem etiam augurando valebant, ſi Ennio credimus, ex quo affertur:

Non habeo denique nauci Marſium augurem.

Niſi vero *Marſius* ſit viri, non gentis nomen.

Digitized by Google

CAPVT II.

Illud ATPEYC *aversae partis, gentile Hadriae Picentis nomen esse. Totus Stephani de Atria duplici locus percurritur, & a pravis explicationibus vindicatur.*

In tota epitome Stephani Ἐθνικογράφῳ non alibi quam in urbe Atria hoc gentile reperire licuit, ut minime dubium sit, quin ad Atrianos sive Hadrianos (quorum scriptura (80) varia est) hic nummus sit referendus.

Cum autem duplex in Italia fuerit exstetque etiamnum Atria, in Venetis una circa Padi ostia, altera in Piceno; utramne dicemus hoc nummo designari? Haud dubie illam, cujus τὸ ἐθνικὸν est in Stephano Ατρεύς. Quamquam si viros eruditos audimus, totus ille a summo ad imum Stephani locus de Atria Venetiae esset intelligendus. Quos tamen errare non dubito; cum luce clarius sit Atriam Stephani, a qua Ατρεύς (quasi *Atrensem* Latine dixeris) descendit, esse omnino Piceni Atriam sive Hadriam: illam vero alteram Venetiae Atriam non ignoratam a Stephano fuisse, imo in eod. loco deinceps distertim ab illa fuisse distinctam, a qua Ατρεύς proficiscitur. Quae omnia non nisi producto Stephani universo loco demonstrari necesse est.

Qui totus hujusmodi est. 'ΑΤΡΙ'Α πόλις Τυῤῥηνίας . . . *ATRIA urbs Tyrrheniae a Diomede condita. Qui postquam e tempestate, qua mari fuerat jactatus, incolumis evasisset, urbem Aethriam vocavit. Quod nomen deinde a Barbaris corruptum fuit. Est quoque alia Boiorum urbs gentis Celticae. Gentile Atrianus, & Atriensis, & Atriates. Verum primum reliquis praestat; forma enim in ANVS desinens Italis est usitata.* Hactenus Stephani breviator ex interpretatione Berkeliana. Nunc eadem particulatim intueamur.

'ΑΤΡΙΑ πόλις Τυῤῥηνίας. Vbi *Tyrrheniam* audis, cave de Tuscia ad mare Tyrrhenum suspicio subeat; nam Etrusci, teste Livio, aliisque scriptoribus trans citraque Apenninum, & ad utrumque mare totam ferme Italiam olim habitabant. Itaque quidquid Tyrrhenici nominis olim in Italia sparsum, id omne Τυῤῥηνία vocabatur.

Sequitur: Διομήδης κτίσμα, *a Diomede condita*. Jam hoc primum, de Piceni Atria Ethnicographum loqui, declarat mirifice. Nam cum in vicino Ἄργος Ἵππιον (h. e. *Arpos*) & *Canusium*, & *Sipuntum* teste Strabone lib. VI. in Daunia Diomedes fundaverit, & in proximo mari celebres sint Diomedis insulae; sequitur & Atriam illam, quae Diomedis opus apud Stephanum fuit, non procul in Venetia quaerendam, sed quae proxime in Piceno fuit, esse intelligendam.

Διομήδης, inquit, κτίσμα, χειμῶνος πλεύσαντος. Vana est Salmasii correctio, qui sic margini adlevit, teste Berkelio, fort. legendum esse πνεύσαντος. Atqui χειμὼν hoc loco non tam ventum aut procellam, quam anni tempestatem notat; sicuti & Latinum *Hyems* utrumque designat. Vertes igitur: *A Diomede condita, cum hiberno tempore in id litus enavigasset*. Jam ea quae statim sequuntur, mitto, nim. Diomedem quidem postquam illuc incolumis evasisset, urbem vocasse *Aethriam* (h. e. *caeli tranquillitatem*) ac deinde id nomen a barbaris ita fuisse corruptum, ut pro Αἰθρία nuncuparent Ατρία. Consueta sunt isthaec Graecorum commenta, qui nescirent, id nomen Tyrrhenicae originationis fuisse, ut mihi in Tyrrhenicis copiose demonstratum fuit. Et tamen haec ipsa fabula cum nummo cohaeret.

Pergit. Ἔστι καὶ ἄλλη πόλις Βοιῶν, ἔθνους Κελτικοῦ. *Est & alia* (cognominis) *urbs Bojorum, gentis Gallicae*. Exclamat porro hic gravissimus adnotator Stephani Berkelius. *Error*, inquit, *Stephani, vel auctoris ejus, ex quo noster transcripsit, nim. Atriam Bojorum Gallorum ab hac* (de qua Stephanus dicere inceperat) *diversam fuisse. Alia equidem praeter hanc Tyrrhenicam* (& transpadanam) *Atria fuit, verum longe a Bojorum finibus in Piceno sita, ut suo loco optime ostendit Cluverius.* At vide praeconcepta opinio quam virum doctissimum transversum egerit in loco expeditissimo.

Nam Stephanus ab initio periochae de Hadria sive Atria Piceni loqui coeperat, quippe suo tempore pluribus (81) de causis celebriore. Ab hac vero quamnam cognominem urbem distingueret, nisi transpadanam, revera a Boiis olim habitatam? quam, quia nec Graeci oris esset, & illis temporibus ignobilior, non antesignanam voluit incedere, sed post Picentem loco secundo inferuit; quamvis ceteroqui transpadana illa fuerit omnino antiquior. Dixeris, huic Picenti Hadriae non convenire, quod id Stephanus *Tyrrheniae* oppidum fuisse tradiderit. Verum Tyrrheniae ambitu, ut ante dixi, civitates omnes Tyrrhenicae continebantur: e quarum numero Hadria ista initio fuit, quae facile Transpadanae ἄποικος initio exstitit; etsi postea a Graecis hanc fuisse occupatam, fabulosa narratio, quam hîc Ethnicogra-

(80) Scriptura quidem diversa est tum in spiritu primae vocalis tum in dentali littera. Apud Graecos antiquos tam transpadanum, quam Praetutianum oppidum cum spiritu leni & T scribi solet: apud Latinos autem recentes ferme obtinuit, ut illa Venetiae *Atria* scribatur, haec altera Piceni *Hadria*.

(81) Temporibus quidem remotissimis Atria Venetiae longo intervallo clarior Picente habebatur; imo haec altera illius Venetae, cui cognominis est, colonia fuerat. Nec enim Graecos moror, qui hanc a Diomede primum conditam praedicant. Ergo primitus quae in Piceno est, Atriae illius Transpadanae colonia Tyrrhenica fuerat. At eadem postmodum a Graecis insessa (quo duce, quove tempore, infra dicimus) paullatim supra metropolim suam (quae sensim decrevit) mirifice inclaruit: quod vel ex eo quod nummos cuderet, ostenditur. Vltimis vero temporibus majus huic ornamentum illud accessit, quod Caesar Hadrianus ab hac Picente suam originem arcesseret, & quod ab eâdem credatur Hadriatico mari nomen quaesitum. His positis, poterat ne Graecus homo in gentis suae laudes effusus non Graecam hanc illi Atriae Venetorum anteferre, ac priore loco recensere?

Digitized by Google

graphus inſerit, abunde declarat, ut & Juſtinus, & nummus hic noſter Graecus. Nam Tranſpadanae illius nummos non niſi Etruſcos habemus, quos in Tyrrhenicis protuli.

Poſtremo haec de nominibus patriis ſubjicit, nummum noſtrum mirifice illuſtrantia. Τὸ ἐθνικὸν ATPIANOΣ καὶ ATPEYΣ καὶ ATPIETHΣ (corrige ex cod. Voſſiano Ατριάτης: quod & Cluverius & Salmaſius ante viderant) ἄμεινον δὲ τὸ πρῶτον· συνήθης γὰρ Ιταλῶν ὁ τύπος, ὁ διὰ τῦ ANOΣ. *Gentile*, *ATRIANVS & ATRENSIS & ATRIATES. Sed primum illud ceteris praeſtat. Nam quae forma in ANVS exit, Italis eſt valde uſitata.* Exemplo ſit Horatius, aliique quibus *Hadriani* vox placuit. Inſtar omnium ſit *Hadriani* Caeſaris nomen ab *Hadria* Picente deductum.

Dici non poteſt quantum huic loco nummulus noſter debeat, ac viciſſim nummo locus. Quis enim iſtud ATPETC, quod diſertiſſime in ære legitur, pro nomine gentis haberet, quod nemo nuc uſque audiverat; ac non potius ad Agamemnonis & Menelai patrem retuliſſet? Et tamen, nomen iſtud patrium eſſe, non tantum mos iſtiuſmodi nummorum ſuadet (qui quidem numquam nomine gentili carent: niſi forte numiſmata prorſus illitterata ſint ac veluti muta) verum etiam quod nummus noſter hoc ipſum nomen inſcriptum habeat, quod diligentiſſimus Ethnicographus ſuo Lexico intexuit. Ergo quod ad Atriam ſive Hadriam hoc numiſma pertineat, nec prorſus aliam quam quae in Piceni agro Praetutiano adhuc ſpiritum ducit; hoc totum abſque hoc Stephani loco eſſet, ignoraremus.

At viciſſim huic ipſi nummo Stephani textus ſuam ſalutem debet: quem critici emendatores non tantum aliorſum acceperant, ad Atriam Venetiae referentes; ſed & paene corruperant. Jam pridem enim pro ATPEYC Cluverius, Salmaſius atque Berkelius Ατριεὺς ſubſtituendum eſſe decreverant, nullum ſecuti codicem, ſed tantum conſuetam in derivandis gentilibus analogiam: quaſi quae ſic fixa fuerit ut non millies inde aberret. Sua ergo Stephano fides conſtat, vel hoc nummo teſte integerrimo. Ergo ſicuti quod ab Heraclea illa, quae in ſinu Tarentino fuit, nomen patrium non aliud quam HPAKΛEIOΣ (ad diſcrimen ſcil. aliarum ejusdem nominis urbium) deducatur, id tum tabulis Heracleoticis a me illuſtratis, tum etiam ejus urbis numiſmatis confirmatur; idem & in Hatria Picenti valet. Ac profecto ſua Εθνικὰ Stephanus non tantum ex auctoribus (quod quidem fragmentum Seguierianum plena manu profert: quos tamen non ſemper accuratos in his nominibus fuiſſe conſtat, quod grammaticam analogiam potius ducem, quam morem incolarum, ſecuti eſſent) ſed ex marmorum, aenearum tabularum, ac numiſmatum monumentis collegiſſe, ex hiſce documentis proditur.

CAP. III.

Quod ATPEYC (ſicuti & TAPAΣ) ſingulo num. in nummis inſcribatur, id argumento eſt, non minus ibi conditorem notari quam incolas. Conditor hic aliis Atreus, aliis Hadrias fuit.

Nec quemquam conturbet illud, quod cum in nummis plerumque gentile nomen gignendi caſu uſurpetur (uti ſunt Λοκρων, Συρακοσιων, Νεοπολιτων) hic recto caſu Ατρευς legatur. Nam etiam primo caſu in nummis plura leguntur, ut Νεοπολιτης, Ταρας, NΩΛAIOΣ (ut in argenteo uno Cl. Comitis Planurae nummo; nam in altero Νωλκιων eſt) & alia quaedam. Quod ſi forte contenderis, τὸ TAPAΣ non incolarum, ſed herois alicujus nomen eſſe, qui Tarentum condiderit; tum pari ratione dicemus Hadriae conditum *Atreo* cuipiam eſſe tribuendum. Atqui re vera ſicuti Geneleos cap. X. eadem plerumque ſunt hominum (quorum genealogiam ibi Legislator pertexit) atque gentium ab iis conditarum nomina; idem & apud profanos videtur obtinuiſſe, nim. ut Ταρας, Ατρευς &c. nomina communia fuerint tum heroibus illis, a quibus urbes fundatas crediderunt, tum & urbibus ipſis, aut etiam interdum urbium illarum incolis.

Imo in hac mihi conjectura valde placeo, putanti virum illum, qui in poſtica nummi parte anguem criſtatum tenet, non alium fuiſſe quam *Atreum* Picentis Atriae fundatorem, in eumque ipſum non minus, quam in incolas, τὸ ATPETC inſcriptum pertinere; ſicuti in Tarentinorum nummis τὸ TAPAΣ ad incolas in commune ſimulque ad fundatorem Tarantem refertur, qui delphino vehens exhibetur. Nec te turbet, quod Stephanus hoc Piceni oppidum non ab alio quam a Diomede conditum narret. Aut enim hoc fefellit ethnicographum, quod is in ea ora colonias plures diſſeminaverit; aut (nequid gravius in Stephanum ſtatuam) utrumque verum eſt: *Atreus* (qui aliis *Atrias*) primus coloniam ex Atria tranſpadana intulit (82) poſtmodum Graecam ſuam Diomedes. Ac re vera ab *Hadria* quodam heroe Picentem Hadriam fuiſſe conditam ex Autothepo & aliis auctoribus Tzetzes ad Lycophronem prodidit, ut inferne (83) oſtendimus.

Ad

(82) Imo, ſi ex vero loquimur, fuerat hoc gentile nomen ejus qui ex Atria tranſpadana coloniam in Picenum intulit: quod gentile nomen ei poſtmodum, uti fit, quaſi κυριον (*proprium*) adhaeſit.

(83) Verba Tzetzae (quo loco *Ionii* maris etymologiam a quodam Ionio Hadriae filio arceſſit) hujuſmodi ſunt. Αυτόθεπος δὲ καὶ ἄλλοι πολλοί φασιν, ἀπὸ Ἰονίε, Ἰλλυρίε τὸ γένος, βασιλεύσαντος τῆ τόπε, ἧς Αδρίε τῆ περὶ τοῦτο τὸ πέλαγος κτίσαντος πόλιν τὴν λεγομένην Ἀδρίαν (ἣν Ἀδρίαν ἕτεροί φασιν ὑπὸ Διονυσίε τῦ πρότερον τυράννε Σικελίας κτισθῆναι). τόδε πέλαγος, ὡς ἔφην, ἀπὸ τῦ Ἰονίε ἐκλήθη. *Autothepus aliique complures auctores ajunt* (mare Ionium) *appellatum ab Ionio fuiſſe natione Illyrio, ejus loci rege, filio Hadriae illius, qui ad hujus maris oram urbem Hadriam condidit* (*quam alii volunt a Dionyſio ſeniore Siciliae tyranno conditam*). *Hoc ergo mare, uti dicebam, ab Ionio illo nomen invenit.*

Quae interpoſita vides, ea Scholiaſtes priori narrationi contraria putavit. Atqui utrumque verum

Digitized by Google

Ad hunc igitur conditorem primum, quem alii *Atreum*, alii *Hadriam* aut *Hadrium* nuncupabant (ſicuti & oppidum ipſum modo cum T, modo cum D ſcribitur) typus poſticae partis nummi eſt referendus. Et omnino τὸ ΑΤΡΕΥΣ (ſicuti & ΤΑΡΑΣ) conditorem ſimul & oppidanos deſignat.

Quod vero in antica parte Jupiter ΚΑΣΙΟΣ exhibeatur & inſcribatur, id ad eam fabuloſam narrationem pertinet, quam Stephanus Diomedi tribuit: qui poſt χειμῶνα nimboſum, in haec demum littora incolumis evaſiſſet. Quod tamen non de Diomede, verum de Atreo (aliter *Hadria*) Autothepus & plures alii apud Tzetzen intelligi jubent; uti mox ex Tzetze & ex Euſtathio docebimus.

CAPVT. IV.

Hadriae Picentis per ſumma capita converſiones.

Ex hactenus dictis, & ex iis quae in Tyrrhenicis originibus de Hadria tranſpadana diſſeruimus, hujus Picentis Hadriae ſumma hiſtoriae capita adumbrari poſſunt. Haec initio ab Hadria tranſpadana colonos accepiſſe haud dubie videtur (unde a Stephano jure *Tyrrheniae* attributa fuit) eâque gratia nomen idem ſuae metropoleos retinuiſſe. Atque hanc veriſſimam opinionem firmat mirifice Tzetzes ad Lycophronem, ubi auctore Autothepo tradit, Picentem hanc Atriam (ſive uti vocat, *Hadriam*) ab *Hadria* Jonii filio fuiſſe conditam. Hujus ſcholiaſtae & Euſtathii verba jam Adnot. 83. ſubjecimus. Is vero *Hadrias* ex recentiore orthographia ita reſictus fuit; nam antiquitus Ἀτρίας (*Atrias*) videtur ſcriptum. Imo ſi nummo noſtro creditur Ἀτρεὺς antea vocabatur. Nam ΑΤΡΕΥΣ (is ſcil. qui in numiſmate noſtro ſcalpitur, anguem aut quid aliud dextra tenens) dixi jam ſimul nomen conditoris ejus eſſe, qui ex Atria tranſpadana colonos in Picenum deduxit, ſimulque gentile vocabulum, quo coloni utebantur, Stephano teſte; ſicuti & in Τάρας obſervavimus. Merito igitur idem Stephanus πόλιν Τυρρηνίας (*urbem Tyrrheniae*) hanc vocavit, quippe Tyrrheniae Tranſpadanae coloniam. Fuerat ergo una Tuſcarum urbium.

At quo tempore cuſum hoc numiſma fuit, jam Hadria Graeci oris evaſerat. Quam pridem vero Graecam coloniam acceperit, fortaſſe quaeras. Tzetzes a Dionyſio Siciliae tyranno id factum refert. Verba ſcholiaſtae integra Adn. 83. reperies. Verum Stephani auctoritas, qui Διομήδους κτίσμα (*a Diomede conditam*) ſcripſit, haudquaquam eſt aſpernanda; praeſertim cum idem Diomedes plura in hoc littore opera ſua reliquerit. Rem ergo ita componendam puto. Ante Troica tempora jam Atria iſta in Piceno ab Atrianis tranſpadanis condita fuerat. Deinde ſive Diomedes ſive alius poſt Iliaca tempora, dejectis aut ſibi ſubjectis Tuſcis Atriae hujus incolis, Graecos in ejus poſſeſſionem immiſit. Poſtremo Siculus Dionyſius Graecos ſibi devinctos in eamdem deduxit. Prima ergo Atriae fundatio Tyrrhenica antecedat Trojae excidium neceſſe eſt, ſi quidem cum Graeca hiſtoria componenda videatur. Romanam vero coloniam Hadria mature admodum (h. e. anno Vrbis 463. teſte epitome XI. Livianâ) accepit: etſi ſunt qui ſerius id factum ſuſpicantur: de quo in ima (84) pagella.

Ac ne tum quidem; ubi Hadria colonia Romanorum evaſiſſet, a Graecitate deflexit. Quocirca merito ex Trogo Juſtinus lib. XX. ſcripſit: *Hadria quoque, Illyrico mari proxima, quae & Hadriatico mari nomen dedit, Graeca urbs eſt:* quod de altera Tranſpadana nequit intelligi, ut quae numquam Graeca fuit, nec mari Hadriatico nomen a ſe dedit; ſi quidem turbam ſcriptorem ſequimur, paucis exceptis, qui ab *Atria* Veneta ſinûs *Hadriatici* nomen adſciſunt.

Ergo Hadria & tum Graeca erat, quando hunc nummum aetatis (85) incertae percuſſit, & diu etiam poſtea uſque ad id tempus, quo Strabo urbes

rum eſt; quia Tyrrheni Tranſpadani Atriatae (qui nomine illius Ἀδρίου, h.e. *Hadriae* conditoris veniunt) primi in Picenum ſcripſere coloniam: at poſtea Graeci, pulſis aut in poteſtatem receptis Etruſcis, Graecas illuc colonias non uno tempore deduxerunt.

Tzetzae non diſſimilia Euſtathius ad Dionyſium v. 92. docet: niſi quod Hadriae parentem aliis non *Ionium Illyrium*, ſed *Iaonem Italum* fuiſſe dicit. Τῷ δὲ Ἰάονος . . . υἱὸς Ἀδρίας ἱστόρηται. *Iaonis . . . filius Hadrias traditur.* Ac ſimul contra Tzetzen *Iaonem* parentem, *Hadriam* filium facit.

(84) *De coloniae Hadrianae a Romanis deductae epocha.*

Si Livii breviatori credimus, Curii Dentati conſulatu h. e. anno Romae CDLXIII. Adriam deductam fuiſſe coloniam neceſſe eſt. Sic enim in Epitoma lib. XI. poſuit: *Curius Dentatus conſul . . . bis in eod. magiſtratu triumphavit. Coloniae deductae ſunt Caſtrum, Sena, Adria.*

At Freinshemius in ejusdem libri ſupplemento poſt harum coloniarum mentionem injectam, ita ſubjicit. *Verum tamen, nondum eo uſque pacatis illis regionibus; magis eſt ut accedam auctoribus aliis, qui coloniarum iſtarum originem ad inferiora tempora retulerunt.* Quam vellem, quos auctores in eo ſecutus ſit, edidiſſet. Illud certum eſt, anno Romae DXLIV. (qui octogeſimus a Dentato conſule fuit) Adriam inter eas colonias octodecim referri, quae prolixa auxilia Rom. ſuppeditarunt: de quo Livius XXVII. 10.

Spartianus de Hadriano: *In patria ſua Quinquennalis, & item Hadriae Quinquennalis, quaſi in alia patria* (ut quae erat originis patria) *fuit.*

In Agrariis ſcriptoribus pag. 119. *ex libro Balbi* recenſetur *Adrianus ager:* ſed nihil affertur ejuſmodi, ex quo deductionis ſive unius, ſive plurium, tempora dignoſci queant.

(85) *De aetate & fabrica numiſmatis hujus.*

Sibilantis elementi formam ſi inſpicimus; id cum numquam in arcus Scythici modum, ſed ſemper lunatum in nummo conſpiciatur; videbatur is nummus ad priorum Caeſarum tempora referendus. Verum jam dudum ab eruditis viris animadverſum fuit, *Sigma* lunatum in vetuſtis etiam monumentis occurrere. Omitto quod citimis temporibus non tantum *Sigma* verum & vocalis ſecunda lunata fiebat. At in hoc nummo ea vocalis perſcribitur more antiquo E. Et ceterae quoque litterae ſe ſatis antiquas produnt, cum ſint inaequales ac non ſatis graphice expreſſae.

Digitized by Google

urbes Italiae Graecanicas ἐκβεβαρβαρῶσθαι conqueritur. At aetatem Pompeii Trogi (ex quo Justinus modo cit.) haud dubie nummus hic anteceſſit. Haec habui de Hadria Praetutiana, deque ejus nummo ſingulari dicere. Gratulor Atrenſibus noſtris tantam antiquitatem, quae tranſcendit Iliaca tempora.

COLLECTANEVM IIX.

NVMMI QVIDAM PER SATVRAM EXPOSITI.

SVperiora Collectanea ſeptem jam leviter ante adumbraveram, quam Tabularum Heraclienſium explicationi manum admoverem: quae quidem Collectanea tunc mihi putabam quam breviſſima proceſſura. Vel ſic tamen ſpiſſa ſupra modum fuerunt. Quocirca hoc mihi nunc unum generis hujus reſervo, ut alia pauca numiſmata ſive rara ſive inedita, ut quaeque ſub manum venerunt, cum lectore communicem.

I. ΚΑΙΛΙΝΩΝ. Chorum agat nummus ille apud me, qui ex una parte Palladis galeatae caput, ex altera eamdem armatam ac ſtantem offerens, ΚΑΙΛΙΝΩΝ inſcribitur. Quamquam vero is ineditus dici nequit, utpote a Cl. Haymio t. 2. Theſ. Brit. pag. 121. ante paucos annos evulgatus; tamen idem eum nummum a Graecia Magna exſulem actum, in Venetos uſque amandavit, & quidem fretus auctoritate Plinii ſcribentis: ex *Venetis Atina & Caelina*: itemque teſtimonio marmoris ibi reperti, in quo tamen CILINENSES eſt, non *Caelin.* cum bivocali, ut in nummo. Quare danda eſt opera ut idem nummus a Venetia (in qua nullum unquam Graecitatis veſtigium) Graeciae Magnae, urbiq. ſuae in qua cuſus fuit, poſtliminio reſtituatur. Ad veterem enim Calabriam prorſus pertinet, ſi Libello Frontini de Coloniis credimus pag. 127. ubi (ſub lemmate: *Civitates provinciae Calabriae*) recenſentur agri ſequentes: *Botontinus*, *CAELINVS* (ager ſcil. *Caelinorum* noſtri numiſmatis) *Genuſinus*, *Ignatinus*, *Lyppienſis*, ac deinceps uſque ad *Hydruntinum*. Ergo ſitus, ut hinc apparet, *Caelinorum* fuit inter Butuntum, interque *Lupiam* h. e. hodiernum *Lecce*. Habes de ſitu Caelinorum noſtrorum. At ſcire intereſt, quo pacto urbs ipſa recto caſu efferretur. Haud dubie CAELIVM (Καίλιον) ut ex Plinio diſcimus III. 11. Niſi quod prave in Plinianis editionibus per diphthongum OE ſcribitur, COELIVM. Sed non eſt dubium quin ex nummo noſtro & ex Frontino reſcribendum ſit in Plinio CAELIVM. Ordo autem oppidorum in Plinio eſt hujuſmodi: *Baleſium* (fortaſſe ſit Melae *Valetium* al. *Valentium*) *Caelium*, *Brundiſium*. Ita ut Hydruntem verſus eunti prius *Caelium*, deinde *Brundiſium* olim occurrerit: a quo Brundiſio *Lupia* ſive *Lecce* non longiſſime aberat. Vides, ut in poſitu *Caelinorum* hujus noſtri numiſmatis pulchre Plinio cum Frontino conveniat. Vtrum vero Strabonis & Ptolemaei Κέλια, *Celia* (ſine diphthongo ſcripta: ſed eadem nunc ex nummo reſtituitur) ad Plinianum *Caelium* ſit reducenda, alii viderint. Ectypon nummi hujus non attuli, quippe cum Haymii Theſaurus Brit. teratur omnium manibus.

II. MAN. h. e. Μανδυρίνων. Aereus nummus eſt in loculis meis, nec uſquam alibi, quod ſciam viſus: cujus effigiem (nim. in adverſa parte *Apollinem*, in averſa *Leaenam*, inferne vero MAN) in Tab. habes num. X. Sed aegre eſt, quod illae tres litterae MAN, quia Graecis cum Latio communes, dubium relinquant, Graecum ne numiſma an Latinum ſit. Verum non dubito Graeca elementa eſſe, imo & ad Graecos Magnos pertinere. Neque id tam ex ea cauſa, quod in hiſce partibus numiſma repertum (nam id leve eſſet) quam quia ſyllaba MAN nec *Mantinêae* (quorum nomen in nummis integrum exprimitur) nec alii facile convenire poſſit, quam *Manduriae* ſive *Manduriis*, Graeco in Salentinis oppido in Liviana hiſtoria celebrato, quod hodie, ſi Leandro credimus, *Caſal nuovo* vocatur. Ejus oppidi genus non tantum muliebre, ſed etiam neutrum fuit. Stephanus: Μανδύριον . . . *Mandyrium* oppidum eſt Iapygiae (ὁ πολίτης Μανδυρῖνος) *cujus oppidanus Mandyrinus* (ſive Mandurinus) *ut Leontinus*: quod eſt a *Leontium*. Cur autem unâ ſyllabâ in nummo ſcribatur, ſciendum eſt, id uſitatum fuiſſe in Italica Graecia. Sic Brundufini BRVN, Cauloniatae, KATA, Crotoniatae KPO, Metapontini ME, Heraclienſes ΗΡ, Paeſtani PAIS in moneta inſcribebantur. Huic oppido a Phoenicibus ſeu Tyrrhenis incolis, hoc nomen inditum. Nam cum nihil Graece, nihil Latine ſignificet, Orientali vero tantum idiomate ſuas ſignificationes prodat; a Tyrrhenis impoſitum oportuit. Apud Chaldaeos Syroſque eſt Verbum *Medar*, quod in ſuis derivatis notionem loci declivis habet. Ex quo poteſt intelligi Iapygas oppido a ſe in montanis condito ejus, quam dixi, ſignificationis vocabulum impoſuiſſe. Ectypon noſtri numiſmatis in Tab. num. IX. habes.

III. Addideram huc etiam tertium, ut puto, ineditum nummum, qui ad coloniam illam Siritanam quae ΤΑΡΑΝτίνων inſcribebatur, pertinere

Xxx mihi

Poſtremo *Zeta* hoc modo Ⱬ fit, quod aut antiquioris aetatis eſt, aut citerioris qua revocatum.

At nihil magis antiquitatem redolet, quam craſſior nummi ſcalptura. Jove hoc noſtro nihil ſane rudius atque ineptius fingi poteſt: niſi forte excipias, artificem illiuſmet ſigni (quod Hadriae in Jovis Caſii ſano colebatur) vaſtitatem expreſſiſſe. In averſa parte caput viri ſtantis eod. morbo laborat.

Verum non poteſt nummus non antiquiſſimus eſſe. Nam coloniae (niſi quae tantum Latino jure uterentur) in Italia monetam non ſignabant. Municipia etiam, poſtquam civitate donata lege Julia fuerunt, a ferienda moneta deſtiterunt; ita ut hic nummus non poſſit non eſſe Julia lege antiquior. Ac ne multa: nummum ſi inſpicias, diu ante Juliae tempora percuſſum ipſe ſe fatebitur.

Digitized by Google

mihi visus : quemque in Tab. num. X. exhibui. Verum ejūs explicationem infra mox in Addendis ad pag. 27. reperies. Ac possem, si paullo curatius loculos excuterem, & alios nummos aliquot adjungere novos huc pertinentes: praesertim peregrinos aliquos (quorum in ima ora (86) ad gustum duos tresve exponam) sed cepit me jam viae longae taedium.

(86) *De Calatinorum, Hyrinorum, Larinatium nummis peregrinae scripturae.*

I. Dum casu meos populorum nummos inspicio, unum reperi aereum eisdem characterum formis inscriptum, quibus Campana moneta, cujus in Tyrrhenicis plura exempla monstravi: quos quidem nummos generali vocabulo Tyrrhenos, peculiari Oscos vocaveris. Hic ex adversa parte Jovis caput senile ostendit, ex altera bigam (quae eadem symbola in uno Campanorum satis trito comparent) cum hac inscriptione ΙΤΝΛΝΚ h. e. CALATI, ut minime dubitandum sit, quin ad *Calatiam* pertineat. Duas exstitisse Calatias, jam pridem acris ingenii vir Cam. Peregrinius in sua Campania primus ostendit: unam trans Vulturnum amnem ad Capuae Septentrionem, alteram ad ejus ortum cis idem flumen ad viam Appiam. Sed illa transfluvialis antiquior & illustrior, puto, fuit. Horum igitur Calatinorum videtur fuisse nummus hic fabricae perantiquae, & adhuc ineditus. Ejus typum non exhibui in Tabula, quia est plane idem, ac qui in Tyrrhenicis nostris Cortonensibus in Tab. num. VIII. ostenditur. Vnum hoc noto, bigae jugales praelongos & quidem insigniter, exhiberi. Et exstitisse quidem olim id genus equos, ex hoc & aliquot aliis nummis didici. Imo hodieque in Britannia longissimi generis exstant, iique, ut ajunt, mira pernicitate valentes.

II. Alter argenteus est, & antiquissimus, cujus epigraphe parum recte ab Harduino exhibetur in ΤΔΙΝΑΙΩΝ. Apud me hic ex argento duplex est, litteris Tyrrhenicis a dextra in sinistram progredientibus, & quidem hac forma in uno ΩΝΙΔΥ hac vero in altero ΩΝΙΔΥ. Pallas in adversa parte, in postica taurus humano capite cornuto, quae est, ut alibi ostendi, *Frons Italiae*. Harduinus Τδιναίων legi jubet, quia alicubi Τδινα sculptum testatur. In nostris certe legitur Vρινα, aut Τρινα. Pertinet autem ad Τρίνη Herodoti, quae Straboni & aliis Ουρία, & hodie dum *Oria* vocatur, Episcopali sede gaudens, ex feudis Excellentiss. Principis Francavillae. Herodotus lib. VII. tradit, Cretenses tempestate jactatos, huc appulsos *Hyriam* sive *Vriam* condidisse, ac mox conditores dictos fuisse *Iapyges*: unde *Iapygiae* nomen. Sane *Iapyges* cum audis, Chananaeos illos aut *Ceretaeos* profugos a facie Josuae (ut ipsi de se in columnis Tingitanis conquerebantur) audire te puta. Verum de his in *Collect.* IX. ac maxime X. sermo recurret opportunior, ubi de *Iapygum etymologia*. Ceterum quod Ω quoddam pro littera canina sculptum fuit, id indicium est Tyrrhenicae sive Oscae scriptionis, ut ad sequentem nummum dicetur.

Antequam vero hinc abeo, pauca de huius urbis orthographia notavero. Haec Straboni lib. VI. p. 282. ex Herodoto Ουρία cum diphthongo vocatur: Tamen in Herodoto ipso hodie Τρίη scribitur. In nummis (qui utroque antiquiores) prima vocalis, ut in superioribus formis vides, alibi V, alibi Y. Sed hoc nihil est; nam Y & V (V inquam, tum Tyrrhenicum tum Latinum) tam figura quam potestate sunt fere idem. Itaque Herodotus ut nummis concineret (quorum major pars Y offert) cum Pythagorica littera scripsit. Strabo vero cum a Latinis hanc urbem sine aspiratione pronuntiari sciret, maluit Ὠυρίαν cum dipht. quam Τρίαν (ubi T densandum fuisset) scribere. At Herodotus videtur secutus Latinos aetatis suae, quibus T non semper asperabatur. Exemplo sit cognomen Rom. TPSAEVS, quod olim in nummis tenuabatur.

Illud gravius quod in nummis ultima syllaba N gerit (Τρινα enim aut Vρινα legitur) quod N ab Herodoto & Strabone abest. Sane quidem Harduinus in nummo uno testatur se legisse ΤΔΙΝΑΙ, quod ipso teste, esset ΤΔΙΝΑΙΩΝ. Fides penes eum sit. Nusquam ego Δ sed Ω, nec I ultimum vidi. Interim eo labor, ut censeam primitivum nomen olim fuisse Τριον, a quo (secundum Stephani leges) oritur gentile *Vrinus*. Apud antiquos pluries Τριον me reperisse memini. Eustathius etiam Τρισσ & Τρίνη dici solitum memorat. Sic Θούριον (a quo *Thurinus*) aeque ac Θουρία, & alia sexcenta. Ergo illud VDINA nummi est derivativum a neutro Τριον, ac subaudiri licebit substantivum nomen *monetam* significans, aliudve congruum vocabulum.

III. Quatuor apud me aerei nummi sunt, quorum diversi sunt typi, verum omnium communis inscriptio est LADINOD. In horum antiquissimo prima littera L ad V prope accedit, nisi quod altera lineola brevior est; ita ut sit ipsissimum L Etruscum & veterrimuum Latinorum. Illud autem duplex D non aliud est quam R duplex, ita ut legendum sit LARINOR. Pertinet enim ad Larinates, in Frentanis, quos hinc apparet primitus *Larinos* sese inscripsisse. Porro qui Tuscanicae scripturae levem hausere notitiam, non ignorant ab iis caninam litteram eàd. notari effigie ac Latinum D. Vide superiorem nummum, in quo VDINA pro YPINA. In linguis pluribus Orientis ob D & R tractus minimum inter se differunt: adde hoc quoque quod hae litterae cum cognatae pronuntiationis essent, quam saepissime inter se permutatae alternabant, ut exemplis pluribus in Tyrrhenicis docui. Porro ex *Larinum* fit derivativum duplex, tum *Larinus* (quo utitur nummus, & Cic. ubi ait, *Larinus ager*) tum etiam *Larinas*, quod complures usurparunt, & in primis Silius canens, *Superi Larinas accola ponti*. Atque ex Silio discimus, Larinates, quos ipse poemati inseruit, fuisse maritimos: id quod etiam uno ex meis Larinatibus nummis confirmatur, in cujus aversa parte sive delphinus, sive alius piscis vivus, & quasi recens ex undis extractus, mire se contorquens exhibetur. Non ergo Silii & horum nummorum *Larinum* idem est, ac hodierna *Larina*, sedes Episcopalis in hodierni Comitatus Molisii & Capitanatae limite sita; sed alibi propius a mari. Nec dubito quin duo hujus nominis oppida fuerint, unum ignobilius in hodiernae *Larinae* positu,

COLLECTANEVM IX.

DE PRIMIS ITALIAE ET IAPYGIAE, QVAE POSTEA MAGNA GRAECIA, INCOLIS.

Ad Prodromi pag. 26. & alibi pluries.

COnsilium fuerat ad dictum Prodromi locum haud breve Collectaneum texere, quantum qui-

Digitized by Google

quidem ex apparatu rerum multiplicium huc pertinentium, quem animo conceperam, judicare queo. Verum quae finis huic libro eſſet, ſi alios ex aliis ſermones longiſſimos ſererem? Satis erit, ſi pauca de iis, quae in hujus Collectanei lemmate praeſcripſi, primoribus labris attingam.

Illud tamen monendus eſt lector, *Incolas primos* dupliciter poſſe accipi, ſive ut ad Phalegicas ipſas migrationes, ſive ut ad poſteriores alias Chananaeorum Joſuae metu extorrium referantur. Non hîc de priore generali διαπορᾷ loquor: ad quam potius illa accedunt, quae in Prodromo Diatr. 2. pag. 79. ſeq. de *Chonia*, *Leutarniaque* deque *Siritide* diximus; *Chones* enim illi re vera praelongo intervallo Iapygibus anteceſſerunt. Chonum illorum erant etiam veſtigia quaedam in Brettia peninſula ad Crimiſam: at longe illuſtriora in Fronte Italiae in tota Siritide nos loco cit. notavimus. Loquor hîc ergo tantum de διαπορᾷ altera, aut quae huic proxime ſucceſſit, nim. de migrationibus anterioribus Troico excidio, aut proxime illud ſecutis.

CAPVT I.

De Cretenſibus (h. e. Ceretbaeis Joſuae adventu fugatis) regionis hujus conditoribus primis: qui poſtea Iapyges appellati.

Atque ut ordini & brevitati ſtudeam; quoſdam veluti ἀφορισμὸς, breveſque finitiones hîc ſtatuo. I. Regio, cujus incolas primos oſtendere ſatago, tres in partes findi poteſt. Prima illa ſit ora Tarentini ſinus, cui Metapontum, Heraclea, Siris, aliaq. τολίχνια inſidebant. Hanc modo veterrimo vocabulo *Choniam* dicemus (a parte ſcil. illuſtriore, de qua in Prodr. p. 79. ſeqq. dictum) modo *frontem Italiae*: de quo vocabulo pag. 21. Adn. 31. ſermo fuit. Haec vero frons Italiae peninſulis duabus, quaſi cornibus totidem armatur. Horum dextrum modo *Oenotriam*, *Italiamve*, modo *Bruttiam peninſulam*: ſiniſtrum vero cornu modo *Sallentinos*, modo *Borêam peninſulam* nuncupabimus.

II. Primi omnium, quos Graeci ſcriptores in haec loca veniſſe narrant, Cretenſes fuerunt: de quorum in haec loca diu ante Troica navigationibus vide in ima (87) pagella.

III. Jam vero primi Cretae inſulae habitatores haud alii, quam *Ceretbaei* illi fuerant, quorum toties Divina pagina meminit, & quorum reliquiae in Palaeſtina ſub Davide & ſequentibus regibus adhuc reſtabant: de quo toto inferne adnotata (88) conſules. Ex quo factum, ut poſt conditam a Ceretaeis Cretam inſulam, duplices jam *Ceretaei* aut Cretæi eſſent, non ſanguine, ſed habitatione diſcreti: unum ſcil. inſu-

ſitu, alterum celebrius a mari non longe reductum, de quo nummi, ac Silius loquuntur; & inſuper Plinius ubi ait, *Larinates cognomine Frentani*. Nec enim niſi διακριτικὰ locorum ea cognomenta ſunt, quibus unum ab altero ὁμωνύμῳ diſtinguatur.

(87) De Cretenſium colonia Tarentina dictum in Prodr. 39. & ſeq. ſect. 3. ex Antiocho apud Strabonem: qui inter cetera *Iapygiae* nomen ab *Iapyge* Cretenſium (ſed ἐπεοκρίτων, h. e. primitivor. *Cerethim* inſulanorum) ductore in eam coloniam arceſſit: item ex Herodoto & aliis. Vide ibi dicta. Ac notandum I. eam coloniam ex Herod. VII. 171. incidiſſe in tertiam generationem (h. e. trecenteſimum annum) ante Iliacam vaſtitatem, i. e. paullo poſt Joſue tempora, quibus inſulae Cretae habitatores non Graeci, ſed ἐπείκρητες erant, h. e. Cerethaei meri.

Iidem Eteocretes per ead. tempora Hyriam in Tarenti vicinia condiderunt, ſeque pro Cretenſibus *Iapygas Meſſapios* nominarunt apud Herod. ibid. In altero vero cornu *Iapygas* (h. e. eoſdem illos Eteocretas, de quibus ſupra) Crotona jam ab initio fundaſſe, Ephorus apud Strab. refert: de quo vide pag. 31. Adn. 40. Eodem pertinent in ſiniſtro cornu *Iapygium prom.* & in dextro *Tria Iapygum promontoria*. Plura alia Cretum veſtigia Strabo notavit.

(88) *De Cerethim Biblicis, & de inſulae Cretae incolis. Hos alteros a Biblicis antiquitus fuiſſe ſatos. Plura cognitu digna.*

De his *Cerethaeis* qui plura volet, adeat Bochartum in Chanaan lib. I. c. 15. de his erudite differentem, aut Calmetum qui ex illo profecit. Bocharti reperta referri ad haec ſumma capita poſſunt. I. Ex plurimis ſacri Codicis locis aperte conſtat *Cerethim* eosdem plane ac *Philiſtaeos* fuiſſe; quorum ſedem in ora maritima Chanaanitidis fuiſſe nemo dubitat: unde *Philiſtaeorum* nomen, utpote legentibus littora compertiſſimum, ad totam interiorem terram ſeſe transfudit, ut *Palaeſtina* vocaretur. II. Non temere autem hoc eſt, quod Scripturar. ſacrar. *Ceretbaeos* cum noſtri LXX. ex tot locis Script. non poſſent ignorare ad populum aliquem Chanaanitidis pertinere; tamen & τὸν *Ceretim* Κρῆτας (*Cretenſes*) & τὸ *Ceroth* Κρήτην (*Cretam*) reddiderint. Annon aperte patet, perſuaſum Senioribus fuiſſe, *Cerethim* & inſulanos *Cretenſes*, ſicuti nominis ita & generis ejuſdem fuiſſe? III. Ac ſane utrorumq. ſtirpem ὁμόφυλον fuiſſe plura arguunt: primum quod, teſte Stephano, Gaza Philiſtaeorum ſive *Cerethim* metropolis, *Minoa* cognominata fuerit: deinde quod *Marnas* (deus Gazae cultus) eidem Stephano Jupiter Κρητογενὴς exponatur: adde intentiſſimum in utriſque Cretibus ſagittandi ſtudium. IV. Ac miratur Bochartus (ex quo ſuperiora contraxi) cur LXX. *Cerethim* hoſce Κρῆτας interpretati fuerint. Verum ex nominum confuſione haud verendum Senioribus fuit, ne inſulani Cretes intelligerentur. Nam hi ſerius *Cretenſes* audiverunt; quia alia inſulae nomina fuere prius apud Plinium IV. 12. Neque hanc vocatam fuiſſe *Cretam* reor ante Minoem regem: quem equidem antea regnaſſe Gazae (ob id *Minoae* cognomen adeptae) puto, ac poſtea regnum in Inſula conſtabiliſſe quae ab eo *Creta* ob id appellata, quod is ex *Ceretim* regno in inſulam profectus eſſet.

Haec, quae paucis delibavi, facile res duas oſtendunt: I. aptiſſime LXX. *Ceretim* vertiſſe Κρῆτας, non quod eſſent nominis alluſione illecti (ut innuerat Bochartus) ſed quod re vera *Cretim* illi Palaeſtini Cretibus inſulanis congeneres eſſent: II. deinde non eſſe dubium, quin Cretes inſulani ab illis *Ceretim* ſive Cretibus Palaeſtinis ſati fuerint: in quo tamen Bochartus aeſtuaverat, & adhuc viri docti ἐπίχυσιν. Ab illis Ceretim, inquam, & *Cretenſium* & ſimul *Curetum* nomen pervaſit in inſulam, & Jovis cultus tot fabulis exornatus, & perditum ſagittandi ſtudium. Mitto alia compendii ſtudio, quae ex Bocharto & Calmeto cognoſci poſſunt.

Digitized by Google

lanorum, alterum in Palaestinae continente Cerethaeorum aut Cretensium genus. Hinc *Cretensium* utrorumque confusio apud profanos scriptores, qui veras origines, quas solae Hebraicae Scripturae pandere poterant, ignorarent.

IV. Potest ergo fieri, ut Cretenses, qui in haec loca nostra appulisse narrantur; non quidem ab insula Creta, sed ἀμέσως a Terra Chanaan (nim. statim ac Josuae armis *fugati*) solventes, in has oras enavigaverint.

V. Sed multo tamen dictu facilius, si *Ceretim* postquam insulam *Cretam*, a se ita vocatam, frequentassent, tum demum insulanorum pars casu aliquo coacti fuerint, ut novas sibi sedes paraturi, ita in haec loca pervenerint. Hoc alterum si sequimur, tum hos Cretenses non pro illis posterioribus captâ Troja, h. e. alieno sanguine coinquinatis, debes accipere, sed puros illos Cretenses, quales ante Troica & Graecorum in insulam adventum fuerant, quorum reliquiae audivere postea *Eteocretes*, i. e. veri *Cretes*, de quibus alibi (89) copiose dictum.

VI. Vtut est, certe tribus ante Iliaca tempora (90) saeculis Cretenses illos in haec loca venisse Graeci narrant, h. e. non diu post Josuae aetatem. Quo tempore cum nostros Cretenses istos originis suae (cur scil. *Cretes* sive Ceretaei (91) dicti essent) nondum oblivio cepisset, *Ceretaeorum* nomen cum alio permutarunt, in quo eadem vis notionis inesset. Itaque *Pro Cretensibus* (Ἰάπυγας Μεσσαπίους) *Iapyges Messapios, & pro insulanis continentis incolas evasisse*, Herodotus VII. 170. testatur. *Ceretaeorum autem* (h. e. Cretensium) & *Iapygum* vocabula parili notione pollent, & se armis Iosuae fugatos produnt, ut in Collect. seq. explicabitur.

CAPVT II.

Iapygiae primitivae nomen principio Frontem Italiae cum utroque cornu continuisse, mox a prom. Sallentino ad ultimos Daunios fuisse restrictum. De primis Iapygum fundationibus.

Ac primitus quidem vox *Iapygiae* totam illius terrae latitudinem complectebatur, quae postea Magna Graecia audiit: imo & non paullo amplius; quia praeter oram maritimam Frontis Italiae & geminorum cornuum (quae sola littora Graeci oris fuerunt) etiam ad interiora a Barbaris habitata se diffundebat. Omnem hanc latissimam regionem *Iapygiae* vocabulo olim comprehensam, ex nominibus aevo posteriore adhuc superstitibus potest conjici. Nam sicuti in Borêa peninsula innotuit ἄκρα Ἰαπυγία, *Iapygium promontorium*; ita & in altero cornu τρεῖς Ἰαπύγων ἄκραι, *Tria Iapygum promontoria*, omni aevo illustria fuerunt. In eodem Oenotriae cornu in prima Crotonis fundatione de Iapygibus sermo fit. Sicuti & de eisdem in Tarenti initiis fama est multo celebrior. Tamen ea patentior Iapygiae acceptio mox videtur cornu sinistro restringi coepisse, sed ita tamen ut eadem plures adhuc suo ambitu partes contineret, nim. Sallentinos, Messapiam, Calabriam (al. Peucetiam) Apuliam Dauniamque: de quo cap. seq. Causa fort. ea fuerit, quod cum hujus olim late patentis Iapygiae partes aliquae postmodum proprias appellationes nactae essent (nam & Frons Italiae, maxime Siritis & Metapontina regio, diu ante Iapygas *Chonia* audiverat; cornuque dextrum primo *Oenotria*, mox *Italia* dicta, demum *Brettia* vocata) ab eo factum ut Iapygiae nomen ante latius, contrahi coeperit, ita ut ad solam boream regionem restringeretur. Factum hoc passim in amplissimarum regionum nominibus, ut quod antea toti commune, mox unius partis peculiare evaderet.

Ac post *Chonas* equidem nullos Iapygibus anteriores fuisse dixi cap. sup. Quaenam vero adventu primo oppida Iapyges condiderint, etsi difficile dictu est, tamen ex nummis & ex auctoribus hauriri lux nonnulla potest. Numismata Υρινα inscripta (de quibus dixi Collect. VIII. Adnot. 86. num. II.) ingentem haud dubie vetustatem produnt. Etsi non est credibile, antiquissima oppida ab suo statim conditu nummos percussisse, cum feriendae monetae institutum recentius eorum fundatione fuisse necesse sit. Ceterum Hyriae antiquitati illi remotiori Herodotus (92) apprime testificatur. Tarenti vetustatem incredibilem habes ex Prodromi pag. 95. ver. 6. ubi Cretenses (qui postea *Iapyges* vocati) tribus generationibus, h. e. annis trecentis Trojae excidio praecesserunt. Siridis urbis initia longe adhuc antiquiora fuerunt. Cauloniae nummi (de quibus vide Collectan. VI.) senium prodigiosum praeseferunt. Crotoni praeter antiquissimos nummos (& in iis character *Koph* mere Phoenicius) parem aut etiam majorem antiquitatem nomen ipsum oppidi conciliat, quod *Vrbem* (93) κατ' ἐξοχήν notat. Itaque tum condita fuisse videtur, quando pagatim hi tractus habitabantur, ac praeter Crotonem (Iapygum urbem, ac facile metropolim) urbs alia munita & ἀξιόλογος nulla in hoc tractu erat.

CAPVT III.

De Iapygiae partibus intra & extra peninsulam.

Herodoti locus mihi sermonis hujus caput esto. Is quidem meminerat Iapygiae l. III. c. 138. Deinde & lib. IV. c. 99. ubi Tauricam peninsulae Iapygiae comparat. Verum nihil eo loco pulchrius, quo Musâ VII. cap. 170. inserit historiae digressionem de Cretensium (intellige primitivos illos Eteocretas, Minoe quidem aliquanto posteriores, sed vetustiores Graecorum in Cretam adventu) in Sicaniam primum, mox (ubi illinc

(89) De Eoteocretibus copiose dixi pag. 96. totâ Adn. 51. quam adeundam suadeo.

(90) Herodotus id diserte testatur VII. cap. 171.

(91) *Cerethaeorum* vocabulum est ab Heb. *Carath*, quod Graeci interpretes plerumque ἐκκόπτω (*exscindo*) alibi aequipollentibus verbis interpretantur: quod videtur alludere ad veterem suum in oram Chanaanitidis receptum, quo scil. Josuae metu compulsi.

(92) Apud Herodotum VII. 70. prima Cretensium (h. e. ἑπτοχρίτων, sive *Ceretim*) in hac peninsula fundatio *Hyria* fuit, hodie *Oria*.

(93) De quo in Prodromo, ubi de Crotone.

Digitized by Google

linc coacti discedere) in Iapygiam appulsu. Ὡς δὲ κατὰ Ἰηπυγίην γενέσθαι πλέοντας. . . . *Cumque circa Iapygiam cursum tenerent; ingenti eos tempestate adorta in terram ejectos, laceratisque navibus, quia nullus in Cretam reditus ostendebatur, illic restitisse, urbemque Hyriam condidisse: ac mutata fortuna pro Cretensibus, IAPYGES MESSAPIOS evasisse, proque insulanis incolas continentis: & ab urbe Hyria alias insuper* (94) *condidisse. Quas secutis temporibus Tarentini evertentes, in magnas calamitates inciderunt.* Haec narratio in tempora statim Trojae excidium consecuta incidit, ut in Prodr. Diatr. 2. p. 95. demonstravi. Ergo ab Eteocretibus istis, sive Ceretaeorum nepotibus in haec loca appellentibus, sive usurpabatur jam *Iapygiae* nomen, eademq. jam regio in plures partes findebatur, quarum una *Messapia;* sive (quod vero propius) ipsi Eteocretes sese *Iapygas* (ob eas rationes quas *Collect.* seq. exponam) vocarunt, & exstitere causa, cur regio *Iapygia* diceretur.

Verum id est in Herodoti loco pulcherrimum, quod non ἁπλῶς *Iapyges* ii nuncupati, sed (cum adjectione scil. διχαριτικῆ cognominis) *Messapii:* quod provinciarum partitionem in Iapygia arguit, quarum una nim. Messapia vocaretur. Atque in hoc Musarum scriptor habet suffragatorem Thucydidem. Qui non raro quidem Iapygium nomen (95) usurpat: verum lib. VII. sect. 33. ita scriptum reliquit: *Hinc vero profecti* (εἰς τὰς χοιράδας (96) νήσους Ἰαπυγίας) *ad Choeradas Iapygiae insulas appulerunt: & paucos quosdam Iapygum jaculatores* (τῶν Μεσσαπίων ἔθνους) *Messapiae gentis in naves imposuerunt.* Duobus hisce locis duorum praestantium scriptorum nihil reperio vetustius, quibus *Messapia*, ex Iapygiae provinciis una, commemoratur; ex quo & alias insuper Iapygiae partes jam tum fuisse ostenditur.

Quaenam vero aliae partes fuerint, ex antiquis nominibus apud Polybium & alios (quorum aliquot loca Cluverius p. 1208. collegit) potest intelligi. At quo eaedem regiones positu fuerint haud peraeque apud antiquos liquet. Mihi aliorum partitio parum se probat; nec enim videtur dubium, quin Iapygia in partes quinque dividenda sit, duas intra peninsulam, tres vero extra. Vltima loca peninsulae *Salentinos* tenuisse, ex eo constare arbitror, quod *Promontorium Iapygium* (qui ultimus peninsulae angulus) etiam *Salentinum promontorium* vocatum fuerit. Salentinis autem continentes fuisse *Messapios* ad isthmum usque, situs *Hyriae* illius Herodoteae (de qua initio cap. hujus dixi) demonstrat. At postea Strabonis aevo in peninsulae partibus sive distinguendis, sive permiscendis mire variatum. Eum (97) vide. Extra vero peninsulam Messapios *Calabri* excipiunt (quorum situm urbs *Rudiae* ostendit, quae Ennio *Calabri poetae* nomen peperit) Calabri vero meo judicio iidem qui Peucetii. Cur autem *Peucetios* a Calabris non distinxerim, *Collect.* seq. dicetur. Jam vero inter Calabros interque Daunios interceßisse *Apuliam* proprie dictam, nunc primum ex Strabone in eod. *Collect.* seq. ostendam. Apuliae vero propriae *Daunii* extremi Iapygum nectuntur, qui ad Frentanos usque & Hirpinos pertinent. Ceterum antiqui scriptores de his partibus, utpote in re involuta, ita saepe differunt, ut quid sequa-

(94) Graece erat, ἀπὸ δὲ Τρίης πόλιος τοὺς ἄλλους οἰκῆσαι, quod in ult. edit Gronoviana redditur: *Et ab urbe Hyria alias incoluisse.* Nempe putavit οἰκέω non aliter quam pro *habito* posse usurpari. At equidem sexcenta veterum notavi loca, quibus οἰκέω tantumdem est quod οἰκίζω, *Condo*: quod miror in lexicis non observatum. Atqui hîc *Condo* sententia postulat. Nam apud Herodotum Cretes isti sunt primi conditores Iapygiae: nec notatu dignum fuerat, ab his Cretensibus praeter Hyriam, alias quoque urbes habitatas fuisse, sed illud prorsus notari meruit, post *Hyriam* (primum istorum Eteocretum opus) alia plura ab iisdem fundata oppida. Itaque Crotonis conditus (quem antiqui Japygibus tribuunt) postponendus est Hyriae. Nam Cretenses sive Iapyges non nisi post Hyriam aliaq. ejusd. peninsulae fundationes, videntur demum cornu alterum pervasisse, in eoque indidisse *Tribus Iapygum promontoriis* nomen, & *Crotona* urbem eximiam condidisse: in cujus conditu exstat mentio Iapygum.

(95) Nempe is ἄκραν Ἰαπυγίαν ter in sua historia memorat, lib. VI. sect. 30. & 44. & lib. VII. sect. 33. Verum miraculo mihi fuit, quod haec loca omnia in exactissima edit. Amstel. ann. 1731. ita redduntur, quasi proprium promontorii nomen *Iapygia* fuerit; vertitur enim semper, *Ad promont. Iapygiam*. Sed nemo non videt, traduci debuisse, *Ad promontorium Iapygium*, ut ab aliis omnibus illud nuncupatur derivativo vocabulo.

Et id quoque mirum, quod in accuratissima Italiae Tab. Domini Islaei ubi *promont. Iapygium* est, ibi inscribitur *Extrema Iapygia*, quasi ἄκρα adjectivum sit, ac non potius substantive ponatur, sicuti & in cornu altero illud τρεῖς Ἰαπύγων ἄκραι non aliter quam substantive accipitur. Verum quid ἄκρα ista fuerit, apertissime Amasenus Geographus lib. VI. pag. 281. explicaverat, a quo prope *Fanum Minervae* ponitur ὁ σκόπελος, ὃν καλοῦσιν ἄκραν Ἰαπυγίαν, πολὺς ἐκκείμενος εἰς τὸ πέλαγος . . . *Scopulus, quem promontorium Iapygium vocant, magna sui parte in altum procurrens* . . . Plinius ista Strabonis lib. III. cap. XI. totidem verbis reddidit. *Inde XXVI. M. promontorium, quod Acran Iapygian vocant, quo longissime in maria excurrit Italia.*

(96) *Choeradas* has *insulas* Casaub. ad Strabonem lib. VI. *Tria Iapygum promontoria* interpretabatur. Atqui promontoria *insulas* vocari quis probaverit? Adhaec quae hîc Thucyd. narrat, longissime a Tribus promontoriis absunt. Demum χοιράδες interdum apellativum nomen est, & ὑφάλοις πέτραις opponuntur: at nemo efficiet, ut χοιράδες eaedem ac ἄκραι sint.

Cluverius *Choeradas* hasce Tarentino portui objectas fuisse dicit. Sane si e regione Tarenti re vera insulae ullae exstent, nihil hoc verius erit. Cluverium secutus Islaeus νησίδια duo eo in loco in Tabula pinxit, quae & *Choeradas* inscripsit. An vero ibi hodieque sint, incolae nobis ediderint.

(97) Geographus de peninsula ita pag. 282. testatur: *Quam plerique & Messapiam, & Iapygiam, & Calabriam, & Salentinam* (quasi synonyma totius peninsulae sint) *in commune appellant: alii quo supra modo diximus, eas* (quasi partes) *distinguunt.* Locus ille superior, quo Iapygie partes se distinxisse indicat, exstat p. 277. quem excutiemus Adn. seq.

Digitized by Google

quare, in ambiguo relinquant. Verum Strabonis locus unus prae ceteris notabilis est, quem in imo (98) subjicio. Hactenus Iapygiam ejusque partes recensui: venio ad peninsulam alteram.

CAPVT IV.

De nominum successione in peninsula Bruttia: tum de Bruttiis ipsis eorumque originibus.

Tota haec peninsula principio, uti dictum, communi *Iapygiae* vocabulo una cum aliis comprehensa, mox peculiare sibi Tyrrhenicum *Oenotriae* prius, dein & *Italiae* nomen (de utriusque etymo in *Collect.* sequenti) arrogavit. *Oenotriae* sive *Italiae* terminus primo angustissimus erat, nim. isthmus ille inter Lameticum atque Scylleticum sinum (hodie *Golfo di S. Eufemia*, & *Golfo di Squillace*) uti testatur Aristoteles in VII. Polit. & ex Antiocho Dionysius Halic. in quo tamen pro Ναπητίνη legendum est Λαμητίνη. Etsi ex eodem Antiocho Strabo terminos ad Laum profert. Causam in (99) imo vide.

Ergo aliquanto postea idem Italiae nomen serpere latius coepit. Cumque primo ad Laum usque, deinde & ad Silarum amnes, ac mox longius adhuc perreperet; quaerendum huic peninsulae nomen aliud peculiare fuit loco vocabuli *Italiae*, quod jam latius evaserat, quam ut peninsulae finibus contineretur. Sic ergo factum. Peninsula illa, quae prius *Oenotria*, posteaque *Italia* dicta fuerat, demum (postquam scil. Italiae vox longius perrepsisset) dici *Brettia* coepit: de quo nomine oram (100) paginae consules.

Atq. hic paucis de Bruttiorum origine commen-

(98) Non censui omittendum Strabonis locum eximium lib. VI. pag. 277. *Sed quando* inquit (τὴν ἀρχαίαν Ἰταλίαν) *veteris notionis Italiam descripsimus; quae ad Metapontium usque pertinet* (sed ita ut Metapontum contineretur *Italiae* voce, non excluderetur) *nunc quae continenter sequuntur, persequamur. Contigua Metapontio est Iapygia. Hanc vero etiam Messapiam Graeci appellant.* Subsisto hic paullisper. Nec enim verum est Iapygiam Messapiamque fuisse unius regionis mera synonyma, sed Iapygiam patuisse latissime, Messapiam vero unam ex partibus Iapygiae fuisse, jam olim Herodotus ac Thucydides ostenderant, ac postea Stephanus diserte docuit: *Messapia*, inquit (χώρα Ἰαπυγίας, προσεχὴς Τάραντι) *regio Iapygiae, Tarento vicina.* Recte finitimam Tarentinis dixit sicuti & Pausanias: ἀπὸ Μεσσαπίων ὁμόρων τῇ Ταραντίνων, *a Messapiis Tarentinae regioni finitimis.* Ex quibus liquet, Tarentum ita fuisse in limite qui Messapiam a Calabria dirimeret, ut id tamen extra Messapiam & in Calabria censeretur.

Pergit Geographus: οἱ δ' ἐπιχώριοι . . . *At indigenae* (hos cum Graecis opponat, necesse est antiquos terrae incolas barbaros intelligi, qui diu ante Graecos in his locis consederant) *At*, inquit, *indigenae particulatim appellant, alios quidem Salentinos, qui Iapygium promontorium tenent, alios vero Calabros.* At nonne necesse fuit indigenas etiam *Messapiis* sedem distinctam assignasse? Ac mirum sane, ni ex textu Strabonis inter Salentinos & Calabros *Messapii* (nempe τὸ δὲ Μεσσαπίους) exciderint. Re enim vera *Salentini* in extrema peninsula erant, ubi Iapygium promontorium, quod & Salentinum vocabatur. Salentinos excipiebat Messapia, in qua Herodoti *Hyria* sive Strabonis Vria in isthmi faucibus. Post Messapiam sequebatur Calabria, in qua *Rudiae* Ennii patria, qui proinde Calaber vocabatur; sicuti & Tarentum ipsum in Calabria exstitit.

Postremo de *Peucetiis* & *Dauniis* ita statim post recitata verba scripsit: *Supra hos* (Calabros scil.) *versus septentrionem sunt tum Peucetii* (καὶ Αὐδάντιοι: ex Casaubono corrige, καὶ οἱ Δαύντιοι) *tum qui Daunii Graeco sermone vocantur.* Illud *Graeco sermone* cur addiderit, sequentia declarant: *Nam contra indigenae quidquid post Calabros est, Apuliam vocant.* Idem Geographus etiam lib. V. pag. 242. Apulos a Graecis *Daunios* vocari monuerat.

(99) Strabo lib. VI. pag. 254. extremâ ex Antiocho *terminum Italiae* illius veteris, quae prius Oenotria dicta fuerat, ita statuit: ὅριον δ' αὐτῆς ἀποφαίνει πρὸς μὲν τῷ Τυρρηνικῷ πελάγει τὸ αὐτὸ ὅπερ καὶ τῆς Βρεττίας φαμέν, τὸν Λάον ποταμόν . . . *Terminum autem ei* (Italiae veteri Antiochus) *constituit, ad mare quidem Tyrrhenum eumdem, quem & nos Brettiae fuisse diximus, nim. ad oram Tyrrhenicam Laum amnem, ad Siculam Metapontium.* Atqui multo artiores ex eodem Antiocho terminos Aristot. & Dionysius assignaverant. Dico equidem Strabonem compendio studentem aliquid tacuisse. Nim. duas videtur olim Antiochus Italiae acceptiones tradidisse: unam illius veterrimae Italiae, quae haud longius Oenotria progrediebatur, nim. intra Scylleticum & Lametinum sinus: alteram quae Antiocho scribente obtinebat, quando Italiae nomen ad mare Tuscum Lao amni tenus, ad Siculum vero sive Ionium ad Metapontum processerat. Ex his acceptionibus Geographus, omissa priore, alteram tantum, utpote notiorem, commemoravit. Atque haec Strabonis cum Aristotele & Dionysio conciliatio addatur Prodr. pag. 58. Parecbasi I. ubi cursim ista tractavi.

(100) *Brettiae vocabulum quam late olim ac postea patuerit. Conclamatus Stephani locus ita enodatur, ut inde ex difficillimo Actor. Apost. loco caligo diffletur.* Εἶτα, μετὰ, μέχρι, δεύτερος *ordine retrogrado accepta. Hinc lux auctoribus multis.*

BRETTIA olim tum regionis Bruttiorum, tum etiam picis quae in Sila fiebat, nomen fuit. De picis significatu *Collect.* sequente videbimus. At *Brettia*, quatenus regionem notat, saepe apud antiquos usurpatur. Polybius lib. IX. de Hannibale sic narrat: *Facto per Dauniam &* (τῆς Βρεττίας) *Bruttios itinere, Rheginae regioni repentinus occurrit.* Et lib. XI. *Coacto jam Hannibale in angustias* (τῆς Βρεττίας) *Bruttiae regionis.* Saepius etiam apud Strabonem occurrit: ac primum lib. VI. extremâ pag. 254. sed eum locum initio superioris Adn. adscripsi. Rursus eod. lib. pag. 255. Ἀπὸ γὰρ Λάου πρώτη πόλις ἐστὶ τῆς Βρεττίας Τεμέσα. *Prima a Lao urbs Brettiae Temesa.* Item ineunte pag. 256. loquitur de Hannibale, *Quando in* (τὴν Βρεττίαν) *Bruttios confugit.*

Sed & Stephanus in Βρέττιος ait: Καὶ ἡ χώρα Βρεττία, καὶ ἡ γλῶσσα (Bochartus in Chan. correxit πίσσα, suffragante doctorum senatu) *Brettia tum regionis* (Bruttiorum) *nomen est, tum etiam picis.* Quae vero in fine affert, ea torserunt eruditos viros. Ἀνιόχος δὲ τὴν Ἰταλίαν φησὶ κληθῆναι Βρεττίαν, εἶτα Οἰνωτρίαν. *Antiochus vero Italiam ait dictam fuisse Brettiam, deinde Oenotriam.* Bochartus loco cit. item Berkelius ad Stephan. aliique, dum verba in Ste-

Digitized by Google

mentabor : quos injuria auctores aliquot nobiles (101) tamquam Lucanorum δραπέτας (*fugitivos*) traduxerunt ; cum contra mihi Bruttii videantur pars illorum Iapygum exstitisse, qui ante Iliacam cladem in hanc primitus peninsulam appulerunt. Nam Iapyges illi ubi ab aliis alio tempore Graecorum (*) coloniis ex locis littoralibus propellebantur; non alio receptum habere potuerunt, quam ad congeneres suos, qui peninsulae interiora jam ab initio tenuerant, ibique ab arte picea *Brettiorum* sibi cognomen quaesierant; quia *Brettium* vocabulum ad picariam pertinet, quam primitivi Brettii in *Sila* (nomen id sylvae mediterraneae fuit) ab initio exercuerant. Vide *Collect.* seq.

At postea iidem Bruttii, teste (102) Diodoro, cum ad bellica studia sese exercuissent, Grae-

Stephano tamquam luxata reponunt, viderunt quidem quid scribere debuerit, cur ita scripserit non viderunt. Incisum prius sic habet: Ἀντίοχος δὲ αὐτὴν Ἰταλίαν φησὶ κληθῆναι Βρεττίαν. *Antiochus Italiam ait vocatam fuisse Brettiam*. Hîc verba veluti turbata reponunt. Sed non erat opus. Nihil enim frequentius quam ut attributum τῷ ὑποκειμένῳ (*supposito*) praeponatur. Rectus vero fuisset ordo : *Antiochus* (τὴν Βρεττίαν φησὶ κληθῆναι Ἰταλίαν) *ait, quae nunc Brettia est, vocatam olim fuisse Italiam*. Sequitur : εἶτα Οἰνωτρίαν h. e. *Deinde Oenotriam*. Quo pacto *Deinde*, cum constet *Oenotriae* nomen antiquius Italiae voce fuisse ? Verum illud *Deinde* intelligas necesse est ordine retrorsum acto : quo ordine prima est *Brettia*, secunda est *Italia*, tertia est *Oenotria*. Hujus generis est illud etiam, quod saepe ab *Vltimis temporibus*, pro *primis* dicimus. Atque hinc intelligitur, quid illud sit, quod Actorum V. post *Theudae* impostoris mentionem, statim v. 37. commemoratur impostor alter *Judas Galilaeus* : qui etsi Theuda antiquior, tamen μετὰ τοῦτον (*post hunc* Theudam) surrexisse scribitur. Quo loco aestuant interpretes, nec interim hilum proficiunt : cum tamen illud *Post* ordine retrogrado sit capiendum, initio capto a Theuda, ac retrorsum procedendo. Memini sane Valesium in adnotatis ad Hist. Eccles. similem animadvertisse veterem locum, Sancto Lucae profuturum. Sed in eo reperiendo insudare piget. Ac non raro in antiquis similia occurrunt, etiam apud geographos in positu locorum. Sic apud Strabonem lib. VI. initio pag. 283. (in nova edit. pag. 433.) Appia deducitur per *Caudium*, *Calatiam*, *Capuam*, *Casilinum*, ac statim additur : μέχρι Οὐενουσίας, τὰ δ' ἐνθένδε εἴρηται : quae vertunt, *Vsque Venusiam : reliqua sunt jam dicta*. At illud μέχρι non est *Vsque ad*, sed terminus a quo. Verte : *Ab usque Venusia*. *Nam quae ultra Venusiam, sunt jam dicta*. Vide locum, nulli captum.

At quo id veterno commissum, ut Pindari locum transmitterem? Exstat is locus Olymp. Od. 1. ἐπωδ. κωλ. ιζ. ubi de Pelope sic canitur :

Ποτὶ δῶμα Διὸς μεταβάσαι,
Ἔνθα δευτέρῳ χρόνῳ
Ἦλθε καὶ Γανυμήδης.

Vt in Jovis domum transferret, Quo posteriore tempore, Venit & Ganymedes. At quo pacto (δευτέρῳ) *posteriore* tempore venisse Ganymedes dicitur ? quem constat multo antiquiorem Pelope exstitisse, ut ex generationibus hîc Scholiastes demonstrat. Tamen idem interpres ubi solvere nodum non valuit, ad ὑπέρβατον confugit, sane durissimum. Itaque verba (quae per ὑπέρβατον trajecta putavit) hunc in modum reponenda censuit : μεταβάσαι δευτέρῳ χρόνῳ, ἔνθα ἦλθε καὶ Γανυμήδης. *Vt transferret* (Pelopem) *posteriore tempore* illuc, *quo venerat & Ganymedes*. At quid isto ὑπερβάτῳ abnormius ? quando nihil facilius erat quam retro agere ordinalia nomina : qua ratione statim illud δευτέρῳ evadet πρωτέρῳ : quod alterum Scholiastes hoc loco usurpatum cupivisset. Verum jam de diverticulo in viam.

Ergo *Brettia*, quâ regionem notat, antiquiori-

bus temporibus (quibus ejus peninsulae ora secundum varia dominia dividebatur in Thuriatim, Crotoniatim, Locridem, Rheginam &c.) tunc, inquam, Brettia mediterraneis tantum se continebat, nec ultra *Silam* (nomen id sylvae plus LXX. millibus in longum porrectae fuit) progrediebatur. At ubi postea *Italiae* nomen longius prorogari coepit; tum simul etiam *Brettiae* vocabulum in locum prioris *Italiae* successit ; uti vides in modo citato apud Stephanum Antiochi loco, cujus aevo jam Brettia tantumdem occupabat spatii, atque olim vetus Italia. Itaque ab eo tempore *Brettia* Silam egressa, totam littoris oram ad Laum usque occupavit.

(101) *Probra in Bruttios edita fabulosa*.

Aegre est quod inter hos etiam Strabonem & Diodorum scriptores graviss. numerare cogar. Verum ita se res habet. Principio Bruttii cum nondum linguam & instituta Graecorum adoptassent (id quod, uti dicetur, postea fecerunt, detersa barbarie) in Graecos finitimos, quorum res erant in Magnae Greciae ora ut cum maxime florentissimae, arma sumpserunt; eosque attriverunt. Hinc puto Magnorum Graecorum (hos enim primos oportet de Bruttiorum genere rebusque gestis scripitasse) in gentem invisam exstitisse odium plusquam Vatinianum. Itaque si ita incidisset, ut Polybius, talesq. alii cordati viri, Bruttiorum initiis proximiores, de ea gente sermonem instituerent; nae ii veritatem ex vicino dignoscere valuissent, iisque opinor aequiores fuissent. Nunc recentiores Strabo, Siculusque Diodorus quid rogo de Bruttiis ederent, nisi quae ex inquinatis inimicorum fontibus hausissent? Nam verbi causa, quid magis a verisimili abhorret, quam effatum illud Strabonis : Sabinos unos fuisse αὐτόχθονας : ab his Samnites, a Samnitibus Lucanos & Picentinos, a Lucanis Bruttios propagatos ? Haec si relatu solo arguuntur incredibilia; jam & illa superstructa concident, Bruttios primitivos non alios quam servos fugitivos Lucanorum fuisse. Atqui Trogus, cujus excerpta Justino debemus, paullo aequiora de iis tradiderat. Quod vulgatum erat, hos a Lucanis ortos, id (etsi falsum, uti videbitur) bona fide arripit. At interim negat, *Brettiorum* nomen a Lucanis dominis inditum, idque fugitivos significare, sed id nomen a quadam femina sic vocata (etsi id quoque falsum) arcessit. Ceterum Bruttios, a bellica fortitudine aliisque laudibus exornat.

(*) Qui paullum modo vetere historia imbuti fuerint, non ignorant, nullum fuisse tempus, quo non plura Graecorum examina ex variis Graeci oris partibus in veterem Iapygiam Oenotriamque appulsa, littoribus potissimum haeserint. Ex quibus priores incolae deturbati, in interiora terrarum concedere cogebantur. Itaq. processu temporis ea, quae in his locis coaluit, *Magna Graecia*, tota littoralis fuit : intima vero non nisi Barbari, quos αὐτόχθονας dixeris, compleverunt.

(102) Diodorus lib. XVI. consulatu M. Popilii Laenatis, Cn. Manlii Imperiosi (h. e. anno Romae 394.)

Digitized by Google

Graecas aliquot civitates bello ſuperatas in poteſtatem receperunt, atque ita communem gentis ſuae rempublicam conſtituerunt. Quinam Bruttiis ad Martias exercitationes reique publicae adminiſtrationem duces exſtiterint, difficile dictu eſſet, niſi ſcirem, in faucibus Brettiae ſylvae, quâ Locridi nectitur, fuiſſe *Mamertium*, urbem Tyrrhenicam a *Mamertinis* (ea vox ſermone Oſco ſeu Tuſco *Martiales* notat: de quo vide *Collect.* ſeq.) haud dubie conditam. Cumque Mamertinos cum Brettiis communem habuiſſe rempublicam ex nummis conſtet, in quibus Mamertini cum Brettiis juncti leguntur; prona eſt conjectura, adventu maxime Mamertinorum Bruttios ad bellicas artes fuiſſe informatos, & ab eiſdem non minus atque a Graecis urbibus, quas in poteſtatem receperant, rationem gerendae reipublicae didiciſſe.

Ac nihil magis bellicas politicasq. artes Brettios a Graecis ſive victis ſive victoribus hauſiſſe, & ſimul litteras, & cum litteris Graeci ſermonis uſum ab eisd. didiciſſe, quam nummi BPETTIΩN (103) inſcripti ſignificant: qui non aliis temporibus quam de quibus Diodorus agit, percuſſi videntur. Habes quibus initiis Bruttii ex feris mitiores & cultiores evaſerint: quorum ſimilia videntur etiam Lucanis eveniſſe, ut eorum numiſmata (104) oſtendunt. Nec continuo tamen ſive Bruttios, ſive Lucanos ob id evaſiſſe Graecos, aut in Magnae Graeciae corpus (105) adſcitos dixeris.

CA-

394.) haec de Bruttiis prodidit. *Hi primum vitam praedatoriam* (λῃστρικὸν βίον) ait: quod nomen antiquitus bellicoſis tribuebatur) *agentes, mox excubiarum agreſtium & incurſionum conſuetudine, rerum bellicarum exercitationem uſumque ſibi comparavunt. Cumque bellicis conflictibus evaſiſſent regionis incolis ſuperiores; ad incrementum ſtatim ingens progreſſi, primo Terinam urbem expugnatam diripuerunt, mox Hipponio, Thuriiſq. ac multis aliis ſubactis urbib.* (κοινὴν πολιτείαν συνέστησαν) *communem reip. adminiſtrationem ſibi conſtituerunt.*

(103) *Ex Bruttiorum nummis oſtendi gentis ejus tum litteraturam, tum militare ſtudium. Bruttii BILINGVES. Feſti parmae Bruttianae in eorum nummis viſendae. Plura alia.*

Nummi plurimi circumferuntur Brettiorum & Mamertinorum, & utrorumque copulatorum Graece inſcripti, ex quibus apparet eos ſaltem in ſignanda moneta, rebuſque id genus, pro ſcriptura Oſca (cujuſmodi Brettiorum, Mamertinorum, omniumque Iapygum ante fuiſſe neceſſe eſt) arripuiſſe Graecam litteraturam. Non tantum autem in inſcribendis nummis & in actis publicis Graeco ſermone uſos, verum & in rebus aliis, ex eo liquet, quod *Bilingues* eos vocarunt Ennius atque Lucillius. Feſtus in *Bilingues* habet: *BILINGVES Brutates Ennius dixit, quod Brutii & Oſce & Graece loqui ſoliti ſint.* Ex quo loco obiter vides, nativum maximae partis veterum Italiae populorum, qui Graecorum adventum anteceſſere, ſermonem fuiſſe *Oſcum*, quorum ſcriptura in Capuae, Calatiae, aliarumque urbium nummis viſitur. Oſca vero lingua aut eadem quae Tyrrhenica, aut huius dialectus erat. Sane in Feſto pro *Brutates* Scaliger *Brutiates* (a Gr. Βρετιάται) malebat. Verum Porphyrion (ad *Canuſini more bilinguis*) etiam ex Lucillio *Brutates* habet. Ejus locus cum Oſci ſimul cum Graeco juncti ſermonis uſum diffuſiſſimum fuiſſe, confirmet, non omittendus. *BILINGVIS dicitur, quoniam utrâque lingua Canuſini uſi ſunt; ſicut per omnem illum tractum Italiae, quem ex majori parte Graeci incoluerunt. Ex quo Magna Graecia nomen accepit. Ideo ergo & Ennius & Lucillius Brutates Bilingues dixerunt.* Haec de Bruttiorum litteratura.

Venio ad Martiales artes: quas horum numiſmata palam ſignificant: in quorum antica parte quam ſaepiſſimae Martis caput galea munitum viſitur, & in averſis partibus modo idem Mars, modo Pallas, ambo parmati, haſtam intorquent. Ac *Bruttianae parmae* (quam Brettiorum & Mamertinorum nummi oſtendunt) ſpecies eſt valde notanda, quippe rotundae, nec parvae (qualis vetus Romana erat) ſed quae non multum ſcuti modulo cederet. Hinc Romana vocari *Parmula* conſuevit, at Bruttiana, *Parma* dicebatur. Feſtus: *Parmulis pugnare milites ſoliti ſunt: quarum uſum ſuſtulit C. Marius, datis in vicem earum Bruttianis.* Quod autem hae *Parmae*, non vero *Parmulae* nuncuparentur, docet idem in BRVT. his verbis: *Brutianae PARMAE dicebantur ſcuta, quibus Brutiani ſunt uſi.* Sed malim, *Quibus Bruttii ſunt uſi.* Nam *Brutiani* non militiae ſed miniſterii nomen eſt. Feſtus idem: *Brutiani dicebantur, qui officia ſervilia magiſtratibus praeſtabant, eo quod hi primum ſe Hannibali tradiderant.* In Gloſſ. vet *Brutiani* ſunt οἱ δικαίας ἀρχὰς χρεωστοῦντες. Cave tamen *Servos* interpretere; nam plurima id genus miniſteria Romae a liberis hominibus praeſtabantur. Idem ad Hannibalem tranſitus Picentes, Lucanos, Brutioſque paribus miniſteriis mancipavit, Strabone teſte, ubi de *Picentia* loquitur.

(104) Eſt apud Cl. Baronem Dominic. Ronchium nummus ſingularis & ineditus, hinc cum Martis capite, illinc Palladis aut bellatricis ſtantis, iſque ΛΟΥΚΑΝΩΝ inſcribitur. Ex quo Lucanos ex Graecis a ſe ſubactis didiciſſe Graecam litteraturam oſtenditur, eamque intuliſſe in urbes primarias, & habuiſſe commune ſuae gentis conſilium atque rempublicam, perinde ac de Bruttiis ſupra diximus. Accedit quod effigies nummi hujus (cum Martis ſcil. capite, & cum bellatrice in parte poſtica) in Brettiorum nummis tritiſſima eſt. *Lucanos* Graeci ſcriptores plerumque cum diphthongo ΕΥ ſcribunt: at ipſi ſe in hoc nummo cum ΟΥ. Sic etiam ΛΕΥΚΙΟΣ & ΛΟΥΚΙΟΣ in marmoribus & libris.

Sed illuc redeo. Lucanos plurimos non tantum linguam ſed & Italicae ſcholae diſciplinas Graecas imbibiſſe reperio. Eorum certe quidam inter Pythagoreos nobiles recenſentur. *Areſas Lucanus* (cujus locum de *nat. hominis* Stobaeus affert) ſcholam Pythagoricam poſt *Tydam* rexit ex Iambl. cap. 36. *Ocelli Lucani* ſcripta ſuperſunt. Quidam & *Eccellum* Lucan. ab *Ocello* diverſum inferunt. *Poli Lucani* exſtat apud Stobaeum fragmentum. Memorantur etiam obſcuriores quidam, *Malias*, *Oreſander*, *Cerambus*, *Dardaneus* Lucani Pythagorei.

(105) *Bruttiorum Lucanorumque Graeciſmus non patrius, ſed extraneus & uſu comparatus.*

Sane Bruttiorum Lucanorumque vernacula lingua, quae vulgo uſurpabatur, non deſiit vetus illa Oſca eſſe: quae & patria ſemper fuit ferme uſque ad legis Iuliae tempora, quibus ſenſim Latinus ſermo praevaluit. Graeciſmus ergo Bruttius & Lucanus non nativus erat & a matris ubere imbibitus, ſed tantum a cultioribus per ſtudium perque commercia

Digitized by Google

CAPVT V.

De communi Brettiorum, & Mamertinorum republica ex nummis.

Bruttii ergo Iapygum genus arti picariae addictum, ab initio ferum, incultum, & Graecitatis expers, h. e. barbarum erat, nec litteras alias, quam Iapygias h. e. Tyrrhenicas, sive peculiariter Oscas, quibus expromerent sensa sua, callebat. At ubi usum aliquem cum Graecis, quibus undique ambiebantur, per commercia, ac postmodum per bello partas Graecarum urbium dominationes habere coeperunt; eorum sermone ac πολιτείᾳ imbuti, etiam monetam communi gentis nomine signare instituerunt. Nec aliud magis ingentes nationis hujus opes declarat, quam insana numismatum *Brettiorum* ubique terrarum tritissimorum, cumq. typis diversissimis, vis atque copia. Quorum quidem triplex genus est, prout sive *Brettiorum* dumtaxat, sive *Mamertinorum* solum, sive utriusque populi nomen simul jugatum gerunt. Sed nolo à re numismatica alienos hisce notitiis detinere: cupidos interim in imam pagellam (106) adlegare satis erit: unde etiam lectores discent, ex Mamertinis potissimum (quorum nomen *Martiales* notat) Brettios arma tractare peritius didicisse.

mercia cum Graecis finitimis, & interdum cohabitantibus, acquisitus. Deinde fac etiam Bruttios fere omnes, Lucanosque fuisse bilingues: numquam tamen efficies, quin iis Graecismus extraneus fuerit, Oscus vero patrius sermo. Ad summam nec Bruttii nec Lucani unquam Ἕλληνες evaserunt, sed ἑλληζοντες (*graecissantes*) ferme ut Iudaei qui permixti cum gentibus, *Hellenistae*, non Graeci vocabantur. Sicut ergo Iudaei isti semper a *Graecis* (inter quos a pluribus generationibus viverent) distinguebantur; ita semper scriptores antiqui Bruttios, Lucanos, Samnites, Campanos itemque alios, a Graecis, quamvis juxta habitantibus (ut de Posidonia Paestoque *Collect.* I. vidimus) distinguebant. Haec eo notavimus, nequis hinc ansam arripiat Magnae Graeciae finium nimium protrahendorum cum eruditissimis Academiae Scientiarum sociis: de quo plura in Prodromo Diatr. I. pag. 23. disputavimus.

(106) *Mamertinorum Messanensium brevis notitia tum & Mamertinorum Brettiorum ex nummis, & ex eorum urbe Mamertio. Mamertinos Bruttios ab illis Messanensibus ortos videri. Hujus gentis tripliciter in nummis inscriptae ratio. A Mamertinis Brettios ad arma & πολιτείαν informatos. Hinc Brettiae nomen totam peninsulam tenuit.*

Plura jam de Bruttiis dixi, & *Collect.* sequenti dicam. At de *Mamertinis* interest pauca praefari. Quae de his aliter ab aliis narrantur, omittam: quae comperta habeo, ea tantum attingam. I. Ac primum Mamertinos gentem fuisse Campanam, Polybius non semel prodit. Strabo etiam lib. VI. testatur, *Mamertinos, GENTEM CAMPANAM* (Μαμερτῖνοι, inquit, Καμπανῶν τι φῦλον) *inhabitasse* Messanam. Festus, qui eos, Alfio auctore, Samnites fuisse voluit, non nauci est. II. Deinde quod origo nominis a *Mamerte* (h. e. Marte) sit, Diodorus & Festus notavit. Nam qui Campani a Messanensibus in civitatem excepti, postea per scelus perfidiamque urbe potiti fuere, ii mutato nomine se linguâ sua *Mamertinos*, quasi *Martiales*, vocarunt. Accidit hoc Diodoro teste post Agathoclis mortem, quae in Romae ann. CDLXII. incidit. Ergo Mamertinorum nomen minus trecentis annis Christi natalem antecessit. III. Quocirca nummi, qui Μαμερτίνων Μεσσηνίων nomen gerunt, circa ea tempora scalpti fuerunt. Haec de Messanae Mamertinis.

Verum fuere & Bruttiorum *Mamertini*: de quibus scriptores silent: at nummi plurimi, qui MAMEPTινων BPETTιων epigraphen gerunt, adhuc loquuntur. Horum sedes fuit urbs *Mamertium* (non *Mamertum*, uti vulgo vocatur) de qua Strabo lib. VI. *Super has urbes* (Rhegium & Locros) *mediterranea Bruttii tenent* (καὶ πόλις ἐνταῦθα Μαμέρτιον) *& urbs ibi Mamertium, & Sylva picem optimam ferens.* Ex quibus intelligis, Mamertium in imae Sylae nemoris faucibus stetisse, quâ Syla hinc Locris, inde Rhegio accedit. Stephanus etiam hanc urbem quatuor syllabis scripsit: Μαμέρτιον, πόλις Ἰταλίας. *Mamertium, urbs Italiae* (nim. strictissime acceptae) quod & exemplis confirmat. Nam sequitur: *Gentile Mamertinus, uti Metapontinus & Rheginus:* quorum scil. illud a Μεταπόντιον, hoc a Ῥήγιον.

Si quaeras, utri Mamertinorum alteris origo fuerint, fatebor equidem, Mamertinos Bruttios ab illis trans Fretum propagatos. Nam contra si hi Messanenses a nostro Mamertio profecti fuissent, nae ii adventu primo *Mamertini* audiissent. Nunc vero Polybius ab initio *Campanos* fuisse dictos, sibique ipsos non nisi post occupatam Messanam nomen Mamertinorum imposuisse lib. 1. testatur. Οἱ δὲ Μαμερτῖνοι (πάνυ γὰρ πάνομαι κυριεύσαντες τῆς Μεσσήνης προσηγόρευσαν σφᾶς αὐτούς)... At contra nonnisi quia Bruttiorum urbs *Mamertium* a Mamertinis Messanensibus dein condita videtur; idcirco ab ipso statim initio in Brettiâ *Mamertini* vocati. Quae cum ita sint; minus mirabimur, quo triplex inscriptio numismatum gentis hujus spectet. Prima Μαμερτίνων cum adjectione ΜΕΣΣΗΝ. ad Messanenses utique pertinet: altera MAMEPT. BPET. ad Mamertinos Bruttios referenda. Atqui tertia, ubi tantum MAMEPTINΩN scribitur, ad utros pertineat, haud facile dictu est. Ac sane nisi ex symbolis Bruttiorum peculiaribus, aliove indicio ad Bruttios referre queas; tum in pari causa lis Messanensibus adjudicanda. Qui & obtendere poterunt, tum eos illud ΜΕΣΣΗΝίων agnomentum coactos adjicere, ubi alii Mamertini cognomine Βρέττιοι exorti fuissent: at antea, ubi ipsi soli Mamertini erant, se nudo nomine Μαμερτίνων fuisse contentos. En origo triplicis Mamertinorum inscriptionis in nummis conspicuae. Nummos tum Μαμερτίνων, tum cum adjectione Βρεττίων satis obvios cuivis apud Goltzium, Joann. de Flore in sua Calabria, & M. Majerum contemplari licet; sicuti & apud Parutam & apud Havercampum in Siciliâ numismata reperiet sive tantum Μαμερτίνων inscripta, sive MAMEP. ΜΕΣΣΗΝ.

Ac sicuti *Mamertini Messanenses* summam rerum in Messanensi rep. sibi arrogaverant; tantumdem & Mamertini Brettii in toto Brettiae gentis communi, opinor, fecere. Vides hinc Bruttios non tantum ad Graecarum urbium πολιτείαν, quas expugnarunt, suam remp. conformasse, verum & post idem tempus in pacis belliq. artibus imbibendis tradidisse se Mamertinis doctoribus multo strenuissimis imbuendos. Atque haec, absque nummis & absque exemplo Messanae esset, ignoraremus.

Itaque Bruttia natio, ubi exuto horrido barbariae amictu, mores Graecanicos induit, ac simul magnam

Digitized by Google

COLLECTANEVM X.

ETYMOLOGICVM NOMINVM SINGVLARVM IAPYGIAE ITALIAEQVE PARTIVM.

TOtum hoc terrarum quod ex Orientali dialecto ἐτυμολογῆσαι aggredior (nim. Frontem Italiae cum geminis cornibus) non alii principio tenuerant, quam *Eteocretes*, qui poſtea hîc ſeſe vocarunt *Iapygas*; haecque univerſitas terrarum videtur initio *Iapygiae* nomine vocata, ut ex veſtigiis ejus nominis ſuperſtitibus *Collect.* ſuperiore oſtendi. At mature admodum haec tam vaſta regio bipertitâ appellatione donari coepit; ita ut tantum medietas una, quae cornu dextrum ac Frontem (hinc ſcil. uſque ad Laum amnem, illinc ad limitem illum, qui Metapontinum agrum includeret, Tarentinum excluderet) complectebatur, ea tantum, inquam, *Italia* nuncuparetur: medietas vero altera, quae ab Tarento incipiens, hinc ad ultimos Salentinos, inde ad extremos Daunios pertineret, ea vetus *Iapygiae* nomen ſibi reſervatum obtineret. Ab hac altera ordior.

Illud quoque moneo, in etymologiis iſtis duo me oſtenſurum: I. Voces locorum iſtas Latinis Graeciſque auribus nihil rei prorſus ingerere, ſed ſono tantum incondito aures percellere: cum contra Hebraice Chaldaiceve ſcientibus notos ſignificatûs edant. II. Deinde & id quoque ſatagemus, ut qua de cauſa is locus eo ſignificatu vocatus fuerit, doceamus. Hoc inſuper alterum ſi aſſequemur; erit opima victoria: quod ſi minus hoc perſuaſerimus alterum, at prius illud certe manebit, eorum locorum nomina plane Orientalia eſſe, proinde qui illa primo impoſuerunt, eos ex Oriente veniſſe. In noſtris Tyrrhenicis, tum quorum ſpecimen inter Crotonenſia prodiit, tum quae plurima alia Mſſ. in loculis habeo, par mihi ſcopus fuit

PARS PRIOR

De Iapygiae ejuſque partium vocabulis & veriloquiis.

IAPYGVM vocis initia (quae falſo ab illo fabuloſo neſcio quo heroe *Iapyge*, ut in his fit, arceſſi ſolent) *Collect.* ſup. ex Herodoto detexi-mus. Ergo Iapyges adventu primo *Cretenſes* (ſed *meri*, quos *Eteocretas* vocarunt) dicebantur: at coepere poſtea *Iapyges*, auctore Herodoto VII. 170. nuncupari. Hîc ſiquis a me quaerat, ecqua vis poſterioris hujus nominis fuerit; ajo tantumdem *Iapygas* ac *Cerethim* (qui Graecis *Cretes*) ſignificaſſe. *Cerethim* enim, ut *Collect.* ſup. Adn. 88. ex Heb. interpretati ſumus, ſunt *Exciſi*, ac funditus perditi. Eſt enim τὸ (a) *Carath* Hebraeis generale verbum ad quaslibet maximas calamitates pertinens. Atqui τὸ *Iapyges* paris omnino notionis eſt. Nam expuncto *IA* (quod ad formandas voces ex litteris Hebraeorum *beemanticis* aſſumptum fuit) quod reſtat eſt ipſiſſimum Hebraicum (b) *PVG*: quod & eadem omnia notat, quae radix ſuperior, ex qua *Cerethim* pullulat, & praeterea *profugos* illos a facie Joſuae deſignat, de quibus columnae Tingitanae loquebantur: de quo toto quaedam imae (107) paginae adlevi. Nam propero ad nomina Iapygiae partium.

SALLENTINI non primitivum eſt, ſed a *Sallentia* urbe derivatum, cujus unus meminit (108) Stephanus. Σαλεντίνη ſupple χώρα (*Salentinam regionem*) Strabo memorat: quae haud dubie in ima peninſula ponenda eſt, quia ibi & *promontorium Sallentinum*, aliter *Iapygium*, eodem Strabone teſte fuit. Hujus nominis etymologiam fruſtra erit quicumque ſe excruciet, ut ſive in Graeco ſive in Latino ſermone quaerat, quippe in his linguis ea vox mere bruta eſt. At Orientis linguae praeclaras ſignificationes pollicentur, modo quis praeſtare queat, ecqua fuerit apud Orientales ejus urbis conditores prima ſibilans littera; cum Orientis linguae quadruplici utantur ſibilo,

magnam partem circumjectae regionis ſui juris fecit; ab eo tempore haud antiquis Sylae terminis ſeſe continuit, verum & univerſam peninſulam in *Brettiae* nomen concedere juſſit; ita ut quae ante regio ad Laum uſque ſub Italiae nomine cenſebatur, eadem poſtea Graecis Βρεττία diceretur. Exemplo ſit *Temeſa*, quae a Lao fl. Bruttiarum urbium prima apud Strabonem recenſetur. Eam antea a Graecitate abhorruiſſe cenſendum eſt. At poſtea cum aliis Brettiae urbibus exculta, etiam nummos excuſos reliquit, qui TEMEΣEΩN inſcribuntur.

(107) *Amplius de Iapygum genere & etymo.*

Radix (*b*) *Pug* notione Hebraica, ac praeſertim Chaldaea, Syraque, eſt *deturbari*, *amoveri diſſipari*, *fugari*: a quo eodem *Pug* ſeu, pronuntiatione Syriaca, *Phug*, venit Latinum *Fugio* & φεύγω. A *Pug* ergo, praefixâ formativâ littera *Iod*, eſt *Iapygum* nomen. Res ita ſe habet. Chananaei Joſuae armis fugati, quocumque appulerunt, veſtigia ſuorum caſuum ſignata reliquerunt. In Tingitana Phoeniciis litteris perſcripſere in columnis: *Nos ſumus* (οἱ φυγόντες ἀπὸ προσώπου Ἰησοῦ τοῦ υἱοῦ Ναυῆ) *qui fugimus a facie Joſuae praedonis* (*Latro* dialecto heroicâ *bellatorem* notat) *filii Nave*. Nota eſt Procopii narratio in Vandalicis. Atque hi profugi Chananaei ſive *Ceretim*, mari trajecto, primo paratiſſimum receptum in Cretam habuerunt (nam eam inſulam non ab aliis quam ab his Ceretaeis fuiſſe frequentatam, in ſuperiore *Collect.* demonſtravi) illinc vero ejecti, in hanc peninſulam ſe contulerunt, ibique ſe *Iapyges* ob eam, quam dixi cauſam, vocaverunt. De his plura *Collect.* ſup.

(108) Stephanus: Σαλεντία, πόλις Μεσσαπίων. Τὸ ἐθνικὸν Σαλεντινός. *SALLENTIA*, *urbs Meſſapiorum* (nam *Meſſapiam*, *Sallentinamque*, cui alteri *Sallentia* attribuenda erat, & ſimilia vocabula, Strabonis aevo multi permiſcebant, uti ſup. Adn. 97. dictum) *Gentile Sallentenus*. Imo *Sallentinus*, quo non ſemel utitur Strabo lib. VI. In prima vocabuli ſyllaba plerique cum Stephano & aliis duplicant liquidam, alii ſimplici delectantur.

(a) כרת *Carath*, *Excidit*.

(b) פוג *Phug*, *Deturbari*, *fugari*, *exſcindi*.

Digitized by Google

ſibilo, *Zain*, *Samech*, *Tſade*, *Shin*. Ex qua varietate ingens exſtat vocabulorum ſoboles, ex quibus *Sallentiae* derivatio procedere quiverit, ut inferne (109) adnotatur.

MESSAPIA altera eſt peninſulae provincia ad iſthmum uſque procedens, ita ut Brundiſium includat. Ergo Meſſapia nullâ re alia nobilior quam Brunduſino portu fuiſſe videtur, in Graeciam ſolventibus opportuniſſimo. Inde enim ventus occidentalis eam navigationem ſummopere promovens flabat. Is flatus Latinis (110) *Iapyx* vocabatur, credo quia Meſſapia, in qua Brunduſium, pars Iapygiae erat: niſi ſi quid aliquis aliud ex ipſo *Iapygis* (111) nomine excutiat. Atqui eum ventum facile eſt, ab antiquis Orientali ſermone utentibus dictum fuiſſe *Meſſapium*. Res enim ita ſe habet. Apud Hebraeos, Chaldaeoſque (*h*) *Nashap* eſt verbum uſitatiſſimum pro eo quod eſt *Flare*. Ex verbis autem ab N incipientibus derivativa ita plerumq. formantur, ut in locum N ſuccedat ſervile M, duplicetque ſequentem conſonam. Ita ab eo themate formatione regulari gigneretur *Maſſap* aut *Meſſap*, cum *venti* ſignificatu. At flatus ille qui ex portu Brunduſino ſpirabat, erat ejuſmodi ut ſolventibus juxta atque appellentibus eſſet (112) opportunus, ac *Ventus*, ut ajunt, *ſuus*. Quae cum ita ſint, κατ' ἐξοχήν id ſpiraculum vocem generis occupavit, ita ut *Meſſap* i. e. *Ventus* abſolute vocaretur: unde quaeſitum *Meſſapiae*, utpote ab eo flamine celebratiſſimo perflatae, nomen.

Atq. haec intra peninſulam: a cujus jam iſthmo explicat ſeſe (I) CALABRIA. Hujus etymon planiſſimum eſt: quod utpote expoſitum omnibus, in tranſitu Bochartus notavit. Talmudiſtis *Calab* (*i*), ſive emphaticum *Calba*, *picem* deſignat, itemque reſinam ac ſimilia. Ergo olim in Calabria non ſecus atque in Bruttiis erant picearum arborum ſaltus, ex quibus talia colligerentur. Nam etſi hodie nihil in ea regione ejuſmodi ſit; tamen neque id nomen olim ab Orientis filiis inditum de nihilo eſt; nec temere eſt nomen aliud aequipollens, quod Graeci ei regioni impoſuerunt, quippe quam Πευκετίαν traſnominarunt. Nam quod plerique geographi (113) *Peucetiam* a *Calabria* diſtin-

(109) Si prima littera in Oriente *Zain* h. e. Z fuerit; ſermo Syrus notiones offeret congruentes τῶν *Ceretim*, ſive *Iapygum* calamitatibus (iis ſcil. quas modo Adn. 107. tetigimus, fuſius autem *Collect.* ſuper. Adn. 88.) imo & ipſi Iapygum etymologiae conſentaneas. Vide lexica Syriaca in radice (*c*) *Zelah*. Pareſque ſignificatûs ſermo Chaldaeus in radice (*d*) *Zelal* ſuppeditabit.

Sin autem primam vocabuli litteram in Oriente *Samech* ſive S fuiſſe ponamus; tum paris item notionis erunt ea, quae radix (*e*) *Salah* in Hebraeo, Chaldaeo, Syroque idiomate offeret: quae vocabula *Iapygum* notioni ſupra expoſitae ἰσοδυναμοῦσι.

Quod ſi prima littera in Oriente fuerit *Shin*, ſive *Sh*; tum duae ſignificationes admodum diverſae ex Hebraeo, Chaldaeo, Syroque afferri poſſunt (quas in rad. (*f*) *Shalah* cupidi reperient) ſive ſcil. ut ei vocabulo *tranquillitatis* & *proſperitatis*, ſive ut *aberrationis* notio ſubſit. Haec altera mihi ridet, quae & *Iapygum* etymo conſonat. Nam Strabo lib. VI. ait ὡς δὲ Σαλεντίνους Κρήτων ἀποίκους φασὶν: *Salentinos Cretenſium colonos exſtitiſſe ajunt*, h. e. *Ceretim* illorum, qui poſtea *Iapyges* γενικῶς, peculiaribus autem nominibus alibi *Salentini*, alibi aliter dicti fuerunt. Ergo Salentinos, utpote congeneres Iapygibus, par fuit vocabulo ſynonymo donari, ita ut utrique idem fuerint quod *Errones* & vagantes illi a facie Joſuae, ut ante explicavimus.

Dixeris fortaſſe, in allatis Orientalium linguarum thematibus duas tantum primores Sallentinorum conſonas reperiri, S & L, at deeſſe N. Nam ceteroqui in his linguis vocalium vix haberi rationem, nemo eſt quin fando audiverit. Reſpondeo traditas ſupra radices eſſe omnes ex genere quieſcentium *Lamed He*, uti vocant. Haec autem verba in derivatis ſaepiſſime aſſumunt N. Imo in forma emphatica Chaldaeorum non raro N ſimul & T in fine adſciſcitur: cujuſmodi id, de quo quaerimus, *Salentiae* vocabulum eſt.

(110) Gellius II. 22. Ἰάπυγα, *ex ipſius Apuliae proficiſcentem quaſi finibus, Apuli, eodem quo ipſi nomine, Iapygem dicunt. Eum eſſe propemodum Caurum exiſtimo. Nam & eſt occidentalis, & videtur adverſus Eurum flare. Itaq. Virg. Cleopatram . . . in Aegyptum fugientem, vento Iapyge ferri ait.* Exſtat Aen. VIII. 709. Solventibus in Graeciam opportunus erat. Hor. I. 3. v. 4. *Obſtrictis aliis praeter Iapyga*. Ab eod. *Albus Iapyx* alibi dicitur.

(111) Cujuſmodi hoc eſſet, ſi *Iapygem* a rad. (*g*) *Japah*, quod Hebraeis eſt *flandi* verbum, deducamus: a quo verbo fit nomen *Iapeah* non ſemel in Bibliis uſitatum, h. e. *ſpirans*: unde *Iapygis* laudatiſſimi ſpiraculi nomen deduci quiverit.

(112) Zonaras lib. III. Annal. Romanos ait Brunduſium in poteſtatem recipere cupiviſſe (ὡς εὐλίμενον) *propter portuum in uno plurium commoditatem* (qualis portus Brunduſinus erat, cornu cervino ſimilis) *& facilem cum Illyrico Graeciaque ultro citroq. trajectum* (ὥστ' ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ πνεύματος καὶ ἐξανάγεσθαι πανταχοῦ, καὶ καταίρειν) *EODEM enim VENTO SPIRANTE & SOLVI EX EO PORTV & APPELLI LICERE*, Vide quae & quanta venti opportunitas. Quid deinde miramur, ſi regioni univerſae nomen quaeſierit?

(I) CALABRIA non immerito a Stephano ſic definitur: χώρα πλησίον Ἰταλίας, *Regio prope Italiam*. Nam Italiam veteris acceptionis intelligit: cujus Italiae in ea parte limes Metapontinam regionem includebat, Tarentinam excludebat; & quidem ita excludebat, ut Tarentum in Calabria cenſeretur. Vides ut recte Ethnicographus hanc definiverit, *Regio prope Italiam*; quia limes idem Italiam, in qua Metapontum, a Calabria, in qua Tarentum, ſegregabat.

(113) Recentiores geographi pleriq. omnes Peucetiam a Calabria diſtinguunt: quibus ita ſedes diſcretas metantur, ut *Calabria* quidem intra aut circa iſthmum fuerit, hanc vero in occidentem, ſi iis credimus, *Peucetia* exceperit; quam Peucetiam poſtremo cum

(c) זלה *Zelah*. (d) זלל *Zelal*. (e) סלה *Salah*. (f) שלה *Shalah*. (g) יפה *Japah*, *Flavit*. (h) נשף *Nashap*, *Flavit*, *ſpiravit*. (i) קלב *Calab*, *Pix*.

Digitized by Google

ſtinguunt, id parum moror; tanta eſt enim partium Iapygiae apud veteres confuſio, ut de ea Strabo conqueratur. Ejus locum vide Adn. 97. At Calabriae Peucetiaeque συνωνυμίαν non poteſt non utriuſque regionis ταυτότητα (*identitatem*) certo certius demonſtrare.

Hactenus *Calabriae* (quam Graeci Πευκετίαν *Peucetiam* tranſnominarunt) etymologiae vacatum. Quidquid deinde Iapygiae ſequitur verſus occaſum ſolem ad amnem Frentonem uſque, id totum a Graecis *Daunia*, ab Latinis *Apulia* vocata fuit: quamquam re vera nec *Daunia* Graecum, nec *Apulia* Latinum nomen, ſed utrumque ἐπιχώριον ſive *Iapygium* eſt, aliter Oſcum ſive Thyrrhenicum. Sed miſſâ nominum nativitate (quae tamen antiquos in errorem non unum impulit) illud magis geographorum intererat, ut *Apuliam* a *Daunia* diſtinguerent, ſuiſque utramque finibus limitarent: id quod neglexerunt, ac tenebras huic πραγματείᾳ offuderunt. Verum quo nunc iſta? Nec enim in praeſentia finitorem, ſed ἐτυμολόγον ago. Ergo fontis errorum detegendi & finium regundorum curâ in oram (114) paginae remiſſâ, hîc ſatis habeo monuiſſe lectorem,

ab

Daunia necti volunt. Ac fateor, interdum Strabonem huic errori in ſpeciem favere: ſed idem, uti pluries obſervavi, non paucas diverſis in locis affert cauſas, propter quas hae provinciae limitari exacte nequeant. Vide mox Adn. 114. Verum in eo caput aberrationum antiquis fuit, quod ignorarent *Calabriam* tantumdem Orientali dialecto ſonare, quod Graece Πευκετία. At Mela Pomponius, utpote ortus ex Punica colonia *Julia Joza*, aliter *Julia Traducta* (de qua ſup. pag. 65. Adn. 3. dictum) videtur *Calabriae Peucetiaeque* ſynonymiam non ignoraſſe: qua de cauſa in recenſione populorum tractûs hujus, quia *Calabros* poſuit, ideo *Peucetios*, utpote συνωνύμους, omiſit. Ac de Mela deinceps.

(114) *Quemadmodum Iapygiae extra iſthmum partium nomina tradita a Strabone variis in locis fuerint. Locus egregius de Apulia proprie dicta. Fontes erroris, geographorum recentium in partienda Apulia fuere, tum Strabo non ſatis aperte diſtinguens, tum Pliniana confuſio, tum ad ultimum Ptolemaei partitio vitioſa, quam noſtri paſſim ſecuti. At Mela unus veram diviſionem tradiderat: quam non abnuente Strabone, hîc ſequimur.*

Iapygiae partium etymologias excutienti mihi nihil antiquius duco, quam quidquid de Apuliae Dauniaeque nominibus Strabo vir ſummus tradiderit, producere in medium. Ac vero jam ſup. Adn. 98. locum ejus eximium enarravi. Nunc reliqua in commune proferamus.

Principio non negligendus ille locus eſt lib. V. pag. 242. ubi colligit ſtadia navigationis a Piceno ad *Apulos*: *Quos*, inquit, *Graeci Daunios vocant*. Quod cave ſic accipias, ut quidquid *Apulia* indigenis, id totum Graecis *Daunia* fuerit; cum contra *Apulia* late ſumpta nomen totius generis fuerit, quo *Daunia* una ex partibus continebatur. Ergo verba recitata ſic accipe: *Ad* (eos) *Apulos*, *quos Graeci Daunios* &c. *Daunia* proprie Diomedis Dynaſtia (de qua infra) h. e. pars Apuliae fuit. Nec aliud ſuadet locus ille quem ſup. Adn. 98. produxi ex lib. VI. pag. 277. ubi ait, qui *Peucetii*, *Dauniique* Graeco ſermone vocantur eos omnes ab indigenis nomine *Apuliae* comprehendi. Ergo *Apulia* apud incolas latius, quam apud Graecos *Daunia* patebat.

Poſtremo eod. lib. extremâ pag. 283. ita poſuit: *Cum vero Peucetiorum & Dauniorum nomen ab indigenis haud quaquam uſurpetur* (*niſi forte antiquitus eo uſi fuerint*) *tota vero haec regio ab iis* uno nomine *nuncupetur Apulia; neceſſe eſt Peucetiorum & Dauniorum fines certo a nobis non poſſe diſtingui.*

Atque ex his locis colligi poſſe videbatur, totum id quod ab iſthmo ſaepe dicto ad Frentonem fl. pertinet, indigenis quidem uno *Apuliae* nomine comprehenſum, at Graecis bifariam tantum fuiſſe diviſum, in *Peucetiam*, *Dauniamque*. Tamen eodem lib. VI. pag. 285. agnoſcit quandam tertiam regionem, quae *Apulia proprie dicta* vocaretur, cujus & ſitum accurate deſcribit. Atque is locus quantilibet pretii ita incipit: Μεταξὺ δ' ἰσθὺς ἀπὸ τοῦ Γαργάνου κόλπος ὑποδέχεται βαθύς. Illud μεταξὺ omiſit interpres: cui nempe μόριον illud vertendum erat: *In medio*, nim. *Dauniae Peucetiaeque*; inter has enim partes interjectum ſinum de quo loquitur, mox aperte ſignificat. Verte igitur: *Statim a Gargano IN MEDIO interjectus ſinus profundus ſubſequitur: circa quem incolentes* (ἴδιως Ἀπύλοι προσαγορεύονται) *PECVLIARITER APVLI nominantur: utuntur eodem quo DAVNII & PEVCETII ſermone.* Vides quo intellectu *ſinum* & *Apulos proprie dictos*, μεταξὺ poſuerit, *interjectos* ſcil. inter *Dauniam* atque *Peucetiam*, utrinque his Apulis finitimas. Poſt pauca: *In ſinu* (ſupra deſcripto) *lacus eſt*, & *ſupra eum in mediterraneis Teanum Apulum*, *commune cum Sidicino gerens nomen. Ibi Italiae latitudo videtur in artum contrahi, cum a Teano ad Puteolos iſthmus minor ſit* CIↃ *ſtadiis.* Quae cum ita ſint; quae mens noſtrorum temporum geographis fuit, ut inter Iapygiae citra iſthmum partes *Apuliam proprie acceptam omiſerint*?

Atqui ſi rectam inire viam poſt Strabonis veſtigia voluiſſent; totum quantum ex Iapygiae nomine citra iſthmum eſt, id totum cum indigenis γενικῶς *Apuliam* nuncupare debuiſſent: deinde Apuliam tam late patentem tres in partes diffindere, *Calabriam* (Graece *Peucetiam*) quae extra iſthmum prima eſt; mox *Dauniam*, quae ab iſthmo ultima eſt, ac Frentanos ad occaſum contingit: poſtremo tertiam inter *Daunios Calabroſque* interjectam, quae *Apulia proprie dicta* vocatur. At fons erroris is fuit, quod cum extra iſthmum tres non amplius Iapygiae partes numerari compertum eſſet, cumque alioqui *Calabria* a *Peucetia*, tamquam ſi diverſae eſſent provinciae vulgo diſtinguerentur; nullum alium niſi uni *Dauniae* relictum poſt Peucetiam locum (exclusâ ſcil. *Apulia* proprie dicta) exiſtimarunt. Strabo etſi notitiis horum locorum ſubminiſtrandis, praecipue circa *Apuliam peculiariter dictam*, egregie juvit; tamen in eo obfuit, quod virum ſummum in partibus limitandis caligo circumſtetit: de quo ipſe etiam, uti ſupra dictum, conqueritur. A Plinio in his nihil niſi σύγχυσιν meram exſpectes. Poſtremo Ptolemaeus Geographos hujus aevi primus, niſi magnopere fallor, in errorem traxit, dum lib. III. pag. 69. primus totum id, quod nos *Iapygiam* nuncupavimus, tres in partes diviſit, *Calabriam* (quam intra peninſulam includit) *Apulos Peucetios*, & *Apulos Daunios*, Ptolemaeum imitatos video recentiores omnes. Itaque veram partium extra peninſulam recenſionem, quam ſupra aſſerui, nim. *Calabriae* (al. *Peucetiae*) *Apuliae propriae*, *Dauniaeque*, non alii acceptam refero, quam primum

Digitized by Google

ab isthmo in occidentem progredienti tres occurrere inter sese discretas regiones : quarum quae isthmum contingeret , *Calabria* , Graece vero *Peucetia* dicebatur : cujus originationem proxime docui , simulque monui ea vocabula male vulgo tamquam regionum diversarum distingui , cum potius duo fuerint regionis ejusdem synonyma. Peucetiam (al. Calabriam) proxime sequebatur *Apulia proprie dicta* : hanc tertia excipiebat *Daunia* ad Frentonem usque . Ex his vero partibus tribus quandoquidem jam *Calabriam ἐτυμολογήσαμεν* ; venio ad eam quae sequitur , *Apuliam proprie dictam* .

APVLIAE nomen , quamvis Latinis magis quam Graecis in usu esset, tamen *ἐπιχώριον* fuisse nomen, Strabo non semel monet iis locis quae Adn. 98. protuli. Fuit igitur nomen vernaculum gentis ejus, quae Oscam dialectum juxta cum vetustioribus aliis populis usurpabat. Oscus autem sermo sive Tyrrhenus maxima ex parte ex Oriente allatus. Et *Apuliae* quidem vox Graecis auribus bruta est, bruta Latinis : at Hebraeis , Chaldaeis, Syris nihil eo nomine significantius. Non hic illud obtrudo , quod vox integra regionis *Apuliae* in Chaldaeo Paraphraste Ezech. XXVII. 6. legitur, pro qua in Vulgata, & in *Baal Aruch* legitur *Italia* , & in Hebraeo fonte *Cettim* : qui creditur ex Noachidis primus Italiam coloniis frequentasse . Hoc , inquam , non moror ; quia hoc ipsum quaeritur, quid *Apuliae* nomen , quo Targum illud utitur, notet. Atqui ne multa : ea dictio *ὁλογράμματος* (*integris litteris*) Hebraea est. Nam (*i*) *Apelah caligo* est (ex *Apelah* vero sive *Aphelah* , praefixo formativo *Nun* , fit tum Gr. *νεφέλη*, tum Lat. *Nebula*) & *Apilot* sive *Apuloth* sunt *caliginosa*. Quid, inquis, caligini cum Apulia commune ? Non cogor equidem causas vocis afferre , modo ne vox incondita , sed aliquid auribus insusurret. Tamen ex Apulis audivi cum dicerent , oram Apuliae maritimam toto mane caligine densa incubari . Id cum hodie accidat ; olim etiam eveniisse necesse est . Nec enim de causis liberis , sed necessariis hîc agitur. Id vero olim usu veniisse reor, hodieque usu venit maxime in *Apulia proprie dicta*,quam ex Strabone sup. Adn. 114. descripsi; quae sola primitus *Apulia* audiebat: nam non nisi poltea *Apuliae* nomen latius prolatum fuit. Atqui in Apulia peculiariter dicta (cujus nunc etymon pensi mei est) lacus est quidam apud Strabonem. *Ἐν δὲ τῷ κόλπῳ λίμνη ἐστὶν*. *In sinu* (quem *Βαθὺν*, *profundum* ante vocarat) *lacus est* . En satis in lacu isto causae , cur caligo tanta mane gignatur ad infestandam regionem ; sive , ut videtur , lacus ille communi ostio cum sinu jungatur , sive minus . Sed & praeter Strabonianum lacum, plures paludes alias in vicino esse scio . Postremo poterat & de alio genere (II) caliginis cogitari, quod tamen veritus sum huic chartae committere .

DAVNIA nunc sola ex Iapygiae partibus restat : quod nomen pro *Apuliae* vocabulo (quod retinuere indigenae) Graeci usurpant ; quamvis, quid ipsi dicant , id cum pronuntiant , ignorent. Tamen , ubi aqua haeret , solitas nobis fabulas Graii canunt , & nescio quem *Daunum* heroa conditorem hujus regionis obtrudunt. Verum quid in ridenda Grecia tempus teritur , cum ex Hebraeo aliisque Orientis linguis egregias notiones Dauniae prodere promptum sit ? Nemo vel obiter in Oriente peregrinatus, ignorat,radicem (*k*) *Dun* & Hebraeis, & Chaldaeis , & Syris , ceteriisque Orientis populis maximo in usu esse, ex eaque radice unâ vocum innumerabilium sobolem pullulare. Iam hoc verbum ipsum Hebraei Chaldaeique cum *Vau Shurek* h. e. cum V plerumque pronuntiant : Syri cum sua vocali O proferunt. Ita Syris *Don* (pro *Dun*) est *judicandi* verbum . Ac vero hoc ipsum O longum tam Syri ipsi , quam Phoenices Tyrrhenique amant in AV resolvere . Idque ipsum in *Dauniae* nomine factum est, ubi pro *Donia* maluerunt *Dauniam* efferre . Verum , inquis , quid *judicii* notioni cum Daunia commune ? Dicam equidem. Ab eo verbo sicuti fit *Dina* h. e. *Iudicium* , ita olim per rectiores analogiae tramites puto descendisse tum *Duna* , tum *Dona* , sive *Dauna* . Ergo *Dauna* ita *judicium* significabat , ut etiam proclivi metonymiâ *locum judicii* notaret . Vbi non ea translatio usurpatur ? Ad summam apud Daunios commune aliquod gentis dicasterium, h. e. *Dauna* fuit, unde id nomen ad totam provinciam ac gentem est antiquitus propagatum. Nequis vero me gratis haec talia deblaterare accuset ; Strabonem satis idoneum scriptorem produco. Is lib. V. in ora Hadriatici maris pag. 215.

mum notitiis , quas ex Strabone produxi , deinde Melae Pomponio, qui diserte ita has partes discrevit , ut ego supra constitui . Sic enim lib. II. prope ab initio capitis IV. post *Togatam Galliam* , sic de Italia incipit : *Tum Italici populi* , *Picentes* , *Frentani*, *DAVNI*, *APVLI*, *CALABRI*, *Sallentini*. Ac *Sallentinorum* nomine peninsulam totam complectitur : extra quam primos *Calabros* (quorum nomine & *Peucetios* homonymos intelligit) posuit, mox *Apulos* (ea est Strabonis *Apulia peculiariter dicta*) ad ultimum *Daunios* adhaerentes Frentanis . Cur porro non abreptus errore vulgari in eo Mela fuerit, ut *Calabros* a *Peucetiis* diversos faceret, ea causa fuit , quod ex colonia *Iulia Joza* (ex Phoenicibus scil. Hebraice doctis conflata) satus cum esset ; optime norat , *Calabriam* tantumdem Hebraice sonare , quod Graece *Peucetia* : proinde non diversarum regionum nomina , sed unius synonyma esse.

(II) Poterat enim *Apelah* ista (a qua dicta est *Apulia*) non ad vaporum spissitudinem , quae *nebula* dicitur , referri , sed ad pulveris *nebulam* , quam in eo tractu ventus *Vulturnus* excitabat ; quae nebula Hannibali victoriam de Romanis praebuit. Vide Livium in pugna Cannensi . Sed ad metaphoricas notiones in his recurrere non est instituti mei.

(k) אפלה *Apelah* , *caligo* , *nebula*.

(l) דין *Dun*.

Digitized by Google

215. v. 5. ita posuit: Τῆς δὲ τῶ Διομήδος ΔΥΝΑΣΤΕΙΑΣ περὶ τὴν θάλατταν ταύτην, αἵ τε Διομήδειοι νῆσοι μαρτύρια, καὶ τὰ περὶ ΔΑΥΝΙΟΥΣ, καὶ τὸ Ἄργος τὸ Ἵππιον ἱστορούμενα. *Diomedis in ora hac* (Hadriatici maris) *DYNASTIAE* hujus *testes exsistunt tum insulae Diomedeae, tum quae de DAVNIIS & Argyrippa narrantur*. Ex his vides, Dauniorum etymon cum Diomedis DYNASTIA fuisse connexum, ac Strabonem talia quaedam apud scriptores vetustissimos reperisse, per quae tota *Dauniorum* historia & nominis etymologia *Daunios* istos cum illa (115) *Dynastia* quam artissime necteret? Non temere certe ista sunt, quae Strabo hoc loco, quasi αἰνιττόμενος vaticinatur oracula, callentibus tantum Dauniorum historias intelligenda.

Habes nominum *Iapygiae* partium omnium (nim. ab Iapygio prom. ad flum. usque Frentonem) ex Oriente satis probabilem explicationem: ita ut non sit dubitandum quin *Iapyges*, horum locorum incolae primi, domo Orientales fuerint; nam & lingua ipsorum manifestos eos facit, ut apposite in Evangelio dicitur.

PARS ALTERA

Alterius peninsulae Osca vocabula indidem h. e. ab Orientis linguis adscita.

Peninsula haec primitus generali Iapygiae nomine comprehensa, postmodum vocabula diverso tempore varia obtinuit: primitus *Oenotria*, postea *Italia*, demum *Brettia* appellata, ut *Collect.* superiore dictum. Quando igitur primitivum *Iapygiae* nomen *Collect.* praeced. explicavimus, nunc ab *Oenotria* ita incipio, ut lectorem praemoneam, omnia hujus peninsulae vocabula ad *picis* artificium alludere. Jam vero sicuti in Parte priore nullum aliud quam *Calabriae* etymon Bochartus jam ante dederat; sic in hac posteriore unum dumtaxat *Italiae* veriloquium eidem viro summo debetur. Hoc parum: illud magis doleo, quod alicubi aperte pronuntiarit, nomina locorum harum regionum nihil cum Phoenicibus, cumque Oriente habuisse commune. Quam vellem nihil ei tale excidisset: quem satis apparet horum locorum nomina, quae nemo melius excutere poterat, prorsus intentata reliquisse.

OENOTRIA nomen compositum est, quasi *Oė-Notria*. Prior pars *insulam*, altera *resinam* sive *picem* designat. Notat ergo *Insulam* sive *peninsulam* (quae duo ab Orientalib. uno eodemq. nomine signantur) *resinae* sive *picis feracem*. Voces componentes hae sunt: (*l*) *Ei* vox prima est, quae Hebraeis est *insula*. Masorethae quidem punctum *Tsere* subjecerunt: at idem monosyllabum dialecto Phoeniciâ in *Oe* vertitur: id quod ex plurimis insularum Europae vocabulis peregrinis cognosci potest ab *Oe* incipientibus. Vide indices geographicos. Altera pars est *Notri*, ex Chaldaeo Syroque verbo (*m*) *Netar*, quod est *Defluere*. Ac *Fluo* & *Fundo* picei (116) artificii peculiaria verba sunt. Itaq. sicuti a Ῥέω (i. e. *fluo*) tum Gr. Ῥητίνη, tum Lat. *Resina* venit; ita a Chald. *Netar* fit *Nitra* h. e. *defluum*, *deciduum*, sive id quod sponte fluit. Etiam gummi olearum Syris *Netro* vocatur, nim. *defluum*; sicuti & iisdem *Notro* est *defluxus*. Ergo pulchre hanc vocarunt Iapyges *Insulam deflui*, sive fluentis liquoris; quippe in *Syla* nemore genus omne erat resinosarum arborum, quas plurium generum enumerat Plinius; nec enim tantum picis, sed resinae aliarumque ejusmodi specierum ibi artificium erat. Porro *Pix Brettia* maximo in pretio fuit, suoque merito in omnes orbis partes circumlata.

ITALIA in locum *Oenotriae* vocabuli successit, nec olim longius, quam ante patuerat *Oenotria*, porrigebatur. Ergo *Italia* merum est *Oenotriae* synonymum. Et ut *Oenotriam* piceo significatu fuisse praeditam, modo demonstravi; sic & *Italia* tantumdem notat, ut ostendit Bochartus pag. 197. quia Chaldaeum (*n*) *Itar* (cujus emphaticum *Itra*) *picem* significat. Ab *Itar* vero per productionem nominis fit *Itaria*. Et quia L & R in locorum nominibus ultro citroque alternant; pro Itaria dicta est demum *Italia*. Plura Bochartus dabit p. 197.

BRETTIAE nomen antequam enucleandum sumo, Stephani locus opportunissimus illustrandus est. Ita incipit. ΒΡΕΤΤΟΣ πόλις Τυῤῥηνῶν . . . *BRETTVS urbs Tyrrhenorum* (*a Bretto Herculis filio, & Baletia Baletae filia* nomen habens). Quae interposui, cum sint mera Graecorum, urbibus singulis heroas cognomines de suo assignantium, deliria; nihili sunt. At illud magni interest, quod *Brettum* urbem (a qua scil. urbe & *Brettiorum* gentem, & *Brettiam* regionem, & picem *Brettiam* derivari vult) Tyrrhenis adjudicet. Quod si cum Festo conferas, qui in BILINGVES linguam Bruttiorum vernaculam, *Oscam* vocat; jam verissimum illud esse perspicies, quod me pluries affirmasse memini, Oscum sermonem Tyrrhenici dialectum fuisse, & Oscos ex Tyrrhenis propagatos. Et de urbe quidem *Bretto* cum nulla

(115) Mitto hîc quod ipsum Δύναμαι (ex quo Δυναστεία fit) in primis Graecismi initiis multo brevius fuisse necesse est, veluti si Δυνω (*Duno*) aut qua alia forma scriptum fuerit. Δυνω (*Duno*) vero ab Heb. *Dun* (*judicare*). ἀμέσως (*proxime*) venit. Nam significatio eadem; quippe apud antiquos in jure dicundo δυναστεία consistebat. Hinc ex Heb. *Dun* tot vocabula fluunt, quae simul jurisdictionem & imperium continent. *Medina* (hodiedum in Hispania frequens vocabulum, sive primitus ex Poenis sive postea ex Saracenis profectum) a *Dun* Hebraico venit, & provinciam, & urbem metropolim, & jurisdictionem, & similia designat.

(116) Argumento sunt Plinii, passim id genus verbis utentis, loca. Itaque lib. 23. non aliter picem definit, quam *Combustae* (h. e. igne expressae) *resinae fluxum*. Lib. XIV. 20. *Picem resinamque . . . terebinthi fundunt*. Lib. XVI. 11. *Sequens liquor picem fundit*. Citato lib. XIV. 20. incipit: *Arborum succo manantium picem resinamque*.

(l) אי *Ei*, *Insula*. (m) נתר *Netar*, quod est *defluere*. (n) עיטר *Itar*, *Pix*.

Digitized by Google

la uſquam fiat mentio; ea res integri Stephani deſiderium ciet. Nam (ut ex fragmento Seguieriano cernitur) in integro nihil non pluribus antiquiorum locis confirmabatur. Ceteroqui, ſicuti Mamertinorum gens urbem cognominem *Mamertium* habuit (in pleriſq. vero itidem factum) ita & *Brettiorum* gentem oppido homonymo (*Bretto* ſcil.) non caruiſſe neceſſe eſt: quod videtur poſtea deletum, eâque gratiâ nuſquam a ſcriptoribus ſecuti temporis memoratum. Ab hac urbe igitur quidquid fuit *Brettii* nominis repetendum, eodem Stephano auctore, apud quem ita ſequitur: *Incolae* (Βρέττιοι) *Brettii: Brettia vero tum de regione, tum etiam de* (117) *pice dicitur*.

Ergo praeter *Brettum* urbem, fuit etiam, auctore Stephano; BRETTIA regionis nomen. Cujuſnam? Non illam hîc intelligit Stephanus, quae tantumdem, ac primitus *Oenotria*, ac mox *Italia* patêret (nam haec notio multo ſerius *Brettiae* tributa fuit) verum illius regionis, quam primitivi Bruttii tenebant, *Sylae* ſylvae terminos non egreſſam. Ergo quamdiu *Italiae* nomen non ultra Laum procedebat, peninſula tota in Thuriatin, Crotoniatin, Locrida, Rheginam, aliaque rerumpubl. Graecar. dominia maritima diſtribuebatur, interiora autem *Brettia* occupabat, Sylae ſaltum longiſſimum vix aut ne vix quidem egreſſa: nec niſi poſt prolatam Italiam, ſimul *Brettia* ad littora peninſulae progreſſa fuit.

Ergo BRETTIAE (tum quatenus regio intra Sylam reſtricta, tum quatenus picis in ea elaboratae ſimul erat vocabulum) una etymologia eſt ab Heb. (o) *Berosh*: quod Chaldaeis Syriſque litteram *Shin* in *Tau* mutantibus effertur non ſaliter quam *Berot*. Ejus plurale *Berotim* ſive *Brotim* omne genus arborum reſinoſarum picearumque deſignat. Vide Buxtorfium in Chaldaicis, & quae in extremo (118) margine ad guſtum non abhorrent. *Cupreſſo*, ait, *fuſae ſimilem . . jucundi odoris accenſam*. Hinc intelligis fuiſſe de ſtirpium reſinoſarum genere. Ac facile apud Orientales ברוש *Brota* aut *Bruto* genera omnia cedrorum (quae, ut ante dixi, decem Judaei numerant) ſuo ambitu continebat. Verũ haec mitto. Illud certum, Plinio ibi agere peculiariter de arbuſcula, quae praeter humilitatem, in ceteris cupreſſum imitabatur. Proinde in Plinio illud *Fuſae*, Harduinus interpretatur *In latitudinem magis fuſae, quam in ſublime elatae*. Cui non accedo, quia *Fuſus* (ſine adjectione) de praelongis intelligitur, non de craſſioribus: niſi vero quid de lato addatur, ut ubi Plin. XVIII. 13. *In latitudinem fundi* dixit. Atqui hîc τῷ FVSVS Pliniano reſpondet in plebeio ſermone noſtro τὸ *Scurto*, quod de longo ſimulque gracili uſurpatur. Mihi ſane non eſt dubium, quin Plinius, *Cupreſſo PVSAE* ſcripſerit. *Puſus* pro *parvulus*, uti & *Puſa* in uſu fuit; ſicuti & diminutiva *Puſio* & *Puſillus*. *Puſa* & *Puſus* exſtant in Pomponii Epigr. apud Varronem in VI. de L. L. *Dic tu illam puſam . . . . Nam vere puſus tu, tua amica ſenexſt*. Adde & Lucret. IV. v. 1020. & Hor. Ser. II. ſat. 3. ver. 216. *Puſam aut Puſillam appellet*. Talia Plinius non aſpernatur. Ergo *arbor bruta*, vel ſi annoſa eſſet, tamen ſemper cupreſſo *puſae*, h. e. adhuc parvulae ſimilis erat, utpote ex arborum pumilarum claſſe. Accedit quod in melioribus Mſs. pro BRVTAM legitur BRATVM. Quid ergo reſtat, niſi ut fuerit BPAΘT aut BPAΘTΣ, quod *Herbae Sabinae* reſpondet? Quae quidem cum non de βοτανῶν (*herbarum*) genere, ſed arborum eſſet; tamen quia pumila erat, *Herbam* vocari placuit: *Sabinam* vero, quod apud priſcos Sabinos pro ture adhibebatur. Virg. Culice:

Herbaque turis opes priſcis imitata Sabinis.

Plinius ipſe XVI. 20. *Non decidunt, Oleae, Lauro, Palmae, Myrto, Cupreſſo, Pinis . . . & (quamvis Herba dicatur) SABINAE*. At copioſius XXIV. cap. XI. *Herba Sabina, BRATHY appellata a Graecis, duor. generum eſt, altera tamarici ſimilis folio, altera cupreſſo . . . in ſuffitus pro ture aſſumitur*. Heſychius: Βραθύ· πόα τις θεοῖς θυομένη. Idem in Dioſcoride legitur. His de cauſis in Pliniano loco (XII. 17.) cujus cauſa digreſſi ſumus, nec BRVTAM, nec aliud legi jubet Salmaſius ad Solinum (ed. Pariſ. pag. 953.) ſed, *Arborem BRATHYN*, Con-

. (117) Pro γλῶσσα (quod in Stephano legitur, ac nihili eſt) Bochartus πίσσα reſtituit, quod & eruditis omnibus adprobavit. Eamdem medicinam ſenario, qui ſubjicitur a Stephano, fecit: qui talis eſt.

Μέλαινα δριὴ πίσσα (non γλῶσσα) Βρεττία παρῆν.
Pix nigra acuto odore Brettia adſuit.

Huic Stephani emendationi Magni Etymologici auctor, Favorinus, Heſychius, a Bocharto pag. 596. producti, adſtipulantur.

(118) *BRVTTIORVM nominis originatio ex Oriente petita. Arbor Bruta ſive Bratus Plinii non aliud niſi Brathys ſive Herba Sabina. Plinio medicae manus. Alia per occaſionem plura.*

Hebraicum plurale *Broſim* aut (*Shin* in *Tau* mutato) *Brotim* ab interpretibus modo *Cedrus* (decem autem Cedri genera Judaei numerant, reſinoſa omnia) vertitur: modo *Abies*. At Graecis interpp. interdum eſt *Juniperus*, alibi *Abies*, aut *Cedrus*, aut *Pinus*: ſaepiſſime autem *Cupreſſus*, nec minus ſaepe πεύκη, i. e. *Picea*, aut *Pinus*. Quae ſunt ſatis reſinoſae piceaeque ſtirpes. At Cant. I. 17. legitur *Brotim* cum *Tau* (Chaldaeo more) ubi Hieronymus vertit, Laquearia noſtra *Cypreſſina*. Haec de radice Hebraica.

Venio ad Chaldaicum *Brota*, in quo in tertia radicis non aliud quam *Tau* ſcribitur. Id apud Talmudicos in *Rosh haſshanah* eſt unum ex decem Cedri generibus. Verum quid in his tricamur, cum Chald. *Brota* cum *Tau* nihil prorſus ab Heb. *Broshim* cum *Shin* differat? Nam ubi hebraice *Shin* eſt, ibi plerumque Chaldaei *Tau* adhibent. Ergo Chaldaicum *Brota* omne genus arborum notat, ex quibus pix & reſina manat: inter quas *Pinus* (Gr. πίτυς a πίττα, ſive πεύκη) excellit; eaque una nunc Sylam Bruttiorum occupat totam: ex qua trabes incredibilis proceritatis afferuntur ad contignationes & opera navalia maximi uſus ac neceſſarii. Ex eâdem vero Pix optima, piſſelaeon, reſina communis & terebinthina, aliaque id genus fiunt.

Et ad *Brota* iſtud (Syris *Bruto*) a nonnullis refertur *Bruta* arbor e reſinoſis laudatiſſima, cujus meminit Plinius XII. cap. 17. his verbis: *Petunt igitur in Elimaeos* (*Elymais* eſt inter Mediam & ſinum Perſicum) *arborem BRVTAM*. En Chaldaicum *Brota*, & Syrum *Bruto*: nam & cetera Plinii

(o) ברש *Berosh* & ברת *Berot* eſt arborum reſinoſarum univerſum genus.

Digitized by Google

guſtum hîc damus. A *Brotim* ergo ſive *Brutim* (nam pro O, Tyrrheni V perpetuo uſurparunt) eſt *Brutiorum* picariam in Syla ſylva exercentium nomen, ſimulq. regionis *Brettiae*, & picis *Brettiae*.

SYLAE quoque nemoris, quod hodiedum ſub eodem nomine celeberrimum eſt, perſcrutari nomen praeſtat. Id duobus verbis expedio. Hebraicum (p) *Eshel* non arboris alicujus peculiare nomen eſt, ſed genus univerſum notat, imo & arborum συνκγωγὴν h. e. *arboretum* ſive *nemus* ſignificat. Hieronymus certe vix unquam aliter quam *Nemus* interpretatur. Chaldaeorum emphaticum *Eshla* eâdem notione uſurpatur. Nec mihi dubium eſt, quin ex ea radice per aphaereſin defectivae litterae *Aleph* ortum ſit SILA ſive SYLA; nam utroque modo ſcribitur. Imo nihil mallem quam cum Υ notari ab omnibus; certe quia Latinum Sylva, ſicuti & Gr. ὕλη (quae non minus ab Heb. *Eshel*, amputato *Aleph*, veniunt) cum Υ perſcribuntur. Ergo *Sila*, ſive potius *Syla*, quamvis peculiariter nemus illud celebratiſſimum Bruttiorum notet, tamen ab ortu ſuo genus univerſum deſignat, ac tantum κατ' ἐξοχὴν nemori Bruttio adtributum fuit. Nec te a generali modo dicto ſignificatu abſterreat, quod *Sylva* abundat una littera, cum V pro penultimo elemento habeat; nam cum illud V in Graeco Ὕλη abſit; perſpicue apparet, alienum a ſubſtantia nominis fuiſſe, nec aliud eſſe quam *Bau* epentheticum, ſive Digamma vocare mavis. Maneat igitur SYLAM ſermone Orientis (quem ſecum Iapyges attulerunt) tantumdem eſſe quod Latinorum SYLVA, nec aliter quam per excellentiam id nemus adjudicaſſe ſibi generis nomen. Ac porro a *Mamertis* cultu in hac *Sylva*, tum Marti ipſi *Sylvani* cognomen quaeſitum, tum cultores ſui *Mamertini* appellati: de quo jam dictum eo.

MAMERTIVM & MAMERTINI vox Oſca, h. e. mere Orientalis, ab Oſco *Mamers* eſt, auctore Feſto. Tam *Martis* autem quam *Mamertis* nomina mere Orientalia ſunt, quae, ne quemquam delaſſem, contuli in marginem (119) imum. Ac porro de Mamertis cultu, qui *Mamertinis* indidit nomen, quique videtur in *Syla ſylva* fuiſſe praecipuus, etſi pluſcula habeo; nolo in fine detinere lectorem, nihil jam magis quam de lare deque domum itione cogitantem. Quare cuicui modi illa ſint (ut ille in Andria deſinit)

Ne exſpectetis, dum exeant huc: intus (120) *deſpondebitur.*

AEQVIS

Conſuli de his poteſt etiam Ruellius lib. 1. cap. 59. non dubitans, quin *Bratus* aut *Bruta* Pliniana ſit ipſamet *Sabina* ſecundi generis, h. e. illa cupreſſo ſimilis, quam ex Plinio XXIV. 11. obſervavimus.

Jam vereor ne copia obruerim. Illud moneo, in his vocabulis, quorum ex Orientis partibus pervênit ad nos uſque notitia, vocales non eſſe curandas, ſed conſonarum habendam rationem. Verbi cauſa parum refert, utrum hanc arborem ſive *Brutam* ſive *Bratum* aut *Brathyn*, ſive cum Dioſcoride, cumque Gloſſis Nicomedis Jatroſophiſtae Βόραθον appelles. Non magis certe id refert, quam regionem, cujus nunc etymon inquiſivimus, ſive cum Graecis *Brettiam*, ſive cum Latinis *Bruttiam* voces. Deinde Orientalium linguarum *Brot* ſive *Brota* aut *Bruto* (de quibus dixi ſupra) videri γενικὸν fuiſſe ſtirpium reſinoſarum ac picearum nomen; ſicut & illa vocabula Βραθὺ, Βόραθον, & Plinii *Brutam* aut *Bratum*, & ſiqua alia id genus fuerunt, ad univerſum genus arborum picearum pertinuiſſe arbitror: quae non tantum ad reſinae piciſque artificium (cujus *Sylae* nemus officina fuit) valuerunt, ſed & ad ſuffimenta & medicinam ab antiquis laudantur.

(119) *Martis atque Mamertis etymologiae ex Chaldaeo Hebraeoque petitae.*

Ea formatio dupliciter inſtitui poteſt, ſive ut MARS primitivum fuerit, a quo deinde Oſcum MAMERS, duplicatâ priore fluxerit; ſive contra ut prius exſtiterit MAMERS, ab hoc vero per ſyncopen MARS exſtiterit. Interim utrumque nomen, utpote in Orientis linguis notiones peculiares prodens, juris Tyrrhenici fuiſſe reor, unde pleraq. religionum ſuarum hauſere Latini. Adde quod Oſcos ſive Tuſcos multo vetuſtiores Latinis eſſe, ſatis conſtat.

Si prius horum volumus; MARS erit a Chald. (q) *Meras:* quod verbum eſt *Contundere*, *Conterere*, *Conquaſſare*, *Agitare* & ſuſque deque permiſcere omnia. Eaque radix in Syro pari ferme ſignificatu pollet. Hinc in Chaldaeo libri Eſther I. 14 *Meres* & *Marſena* (ambo cum eisdem radicalibus tribus: niſi quod in Vulgata diverſis vocalibus animantur, *Mares & Marſana*) ſunt propria Magnatum regni Perſiae nomina, facile a martiali virtute inventa. Poteſt praeterea MARS deduci ab Heb. (r) *Maras* cum *Tſade* in fine. Verum cum haec radix in *Niphal* & *Hiphil* tantum reperiatur; videtur commodior originationi ea MAMERS, de qua jam dictum vado.

Ergo ſiquis velit ea *Mamers*, ἀμέσως (*proxime*) ab Hebraeo arceſſere; Hebraeum *Maras* cum *Tſade* praeſto erit, quod R. David interpretatur *Roborare*, *fortificare*. Sed ſic intellige, non niſi in *Kal* (ſi ſcil. active reperiretur) id ſignificaturum eſſe: alioqui in conjug. paſſiva *Niphal* eſt *Fortem*, aut *vehementem eſſe*; quod Martis eſt peculiare, qui ob id θῆρος dicebatur h. e. *impetuoſus*, *violens*. Graeci interpp. hoc idem non male tranſtulerunt καταδιώκω: at verbum idem in *Hiphil* verterunt apte παρεγοχλέω, quod eſt *turbas ciendi* verbum. Ab hoc porro themate in *Hiphil* eſt partic. activum *Mamres:* ex quo tranſpoſita vocali ſecunda, exſtitit ipſum, quod quaerimus, MAMERS: quae vox (ſecundum vim tranſitivae conjugationis hujus) notat eum deum qui ad pugnam acuit.

Ab alterutra praedictarum radicum (eliſâ tantum labiali priore) Graeci tum verbum Ἀράσσω tum & Ἄρης (Martis nomen) arceſſivere. At Oſci ſeu Tyrrheni, utpote Orientales meri, nullam ex radice Ortivâ ſuâ litteram ſibi paſſi ſunt deperire.

(120) *Brettios & Mamertinos Marti dicatos fuiſſe, ex nummorum ſimulacris, eorumque inſcriptionibus oſtenditur. Ejus in Syla delubrum & ſacra. Cato illuſtratus. Sacra Martis diurna. Hinc in Mamertinis nummis gallus diei nuntius, ac vero trabeatus.*

Bruttios & Mamertinos fuiſſe Martis cultores pecu-

(p) אשל, *Eshel*, *nemus*, *arboretum*. (q) מרס *Meras*, *Contundere*, *Conturbare* &c. (r) מרץ, *Maras*, *Roborare*, *acrem*, *violentum eſſe aut reddere*.

Digitized by Google

peculiares, vel ex una nummorum inſpectione declaratur: in quibus adverſis Martis caput, averſis Mars idem parmatus haſtam intorquet. In primis autem Mamertinos, cum ſibi a *Mamerte* nomen adſciverint, an non hoc praeferre voluiſſe videntur, ſeſe Martis eſſe Νεωκόρους (*cultores*) quemadmodum Epheſiorum urbs tota ſeſe (Act. XIX. 35.) νεωκόρον, *Cultricem Magnae Dianae* jactabat? Et a nummis quidem vox Νεωκορων abeſt, quia ſero admodum ejus ſcalpendae in moneta vocis mos inolevit. Verum in quibus inſcribitur MAMEPτινων APEOΣ (plures autem ita ſignantur) quid rogo aliud patrius *Martis* caſus (nempe α' Μαμερτῖνοι Ἄρεος, *Mamertini Martis*) deſignat, quam illos cultui Martis peculiariter fuiſſe dicatos, ac Mamertinos omnes, nemine excepto, veluti totidem *Salios* Martis eſſe, cum contra Romae non multi eſſent ex eo collegio.

Jam vero cum Mamertinorum urbs in faucibus *Sylae* ſylvae eſſet; ibi credo & Martis fanum fuiſſe, & apud eos religioſe cultum; nam & ceteri populi in Sylvis Marti templa ſtatuebant. De Thracibus praecipuis Martis cultoribus hoc Statius affirmat Theb. VII. 40.

Hic ſteriles delubra notat Mavortia ſylvas,

& quae ibi plura ſequuntur. Hinc Marti *Sylvani* cognomentum quaeſitum. Cato cap. 83. *Votum pro bubus ut valeant, ſic facito. Marti Sylvano in Sylva interdius in capita ſingula boum votum facito.* Deinde & ritum accurate tradit. Non locus vero tantum in Catone notandus eſt nim. in *Sylva*, ſed & tempus. Nam *Interdius* ait; quia *Dies* Sylvano ſacer erat. Atque hinc factum ut in nummis MAMEPτινων BPETτιων ex una parte Mars, ex altera ingens Gallus gallinaceus, utpote diei, cui ſcil. Mars Sylvanus praeeſt, nuntius. Gallus ille interdum indutu quodam amictus cernitur in nummis Joannis de Flore & M. Majeri: quod quo ſit referendum, ignoro: niſi forte ſit illa trabea Saliaris, de qua Dionyſius lib. 2. pag. 129. Ceterum tam *lucos* quam *diem* Sylvano ſacros eſſe innuere videtur Virg. VIII. 600.

Sylvano fama eſt veteres ſacraſſe Pelaſgos
Arvorum pecoriſque deo lucumque (illum ſcil. prope Caere) *diemque.*

Tamen ibi Servius non abſolute *Diem*, ſed diem conſecrationis interpretatur. Pelaſgos hujus facti auctores, eosdem ac Tyrrhenos fuiſſe, ex Varrone & Hygino Servius ibidem tradit.

COLLECTANEORVM
FINIS.

AEQVIS LECTORIBVS

JAm abſoluto, quod mihi propoſueram, penſo, non reſtat aliud, niſi ut ab erudito lectore, ſicubi forte offenſum animadverterit, veniam exorem. Raptim omnia, operis incumbentibus, ſcripta: & ut quaeque particulatim fuſa, ita formarum compoſitoribus tradita. Itaq. feſtinante prelo difficile eſt opere in longo, rebuſque plerumque abſtruſioribus, nuſquam hallucinatum. Praeterea ſat ſcio, me pluribus in locis, maxime ubi res ex penitus abdito non niſi ingenti cura & meditatione expromuntur, juſto longiorem fuiſſe: quae ſi ſatis morae datum eſſet, in pauciora contraxiſſem. Cujuſmodi illa eſt pag. 177. tam promiſſa de Antomo *Exercitatio, ut ibid. pag. 180. Parte altera ineunte expoſtulavi. Ac ſimilibus longioribus locis par ex feſtinatione excuſatio indulgenda erit. Adhaec non modo copiâ, ſed & ordine interdum peccatum eâdem de cauſa ſuſpicor. Exemplo ſit* Commentatio de Lege ploſtraria, *in cujus fine (h. e. in imo paginae 373.) lectorem admonui, quid ibi me a recto aberrare ordine, ac ſimul longiorem fuiſſe coegerit. Nec dubito quin pluries alibi ob pares cauſas aut ordine aut copia peccatum fuerit.*

Ac ne nunc quidem finito volumine, totius operis relegendi accurateque recenſendi, utpote quantocius publicandi, otium fuit: niſi quod dumtaxat Prodromi partem curſim percurri. Quod ſi praeſtare licuiſſet; poterat locis pluribus ſive medicina, ſive lux major curâ poſteriore afferri. Niſi quod interdum cum aliud agenti nonnulla inter lectitandos antiquos, interque commentandum occurrerint, quae locis ſuis utiliter inſeri potuiſſent; ea tum pro tempore in ſchedis leviter adnotare curae fuit. Atque ex earum ſchedarum numero ſunt pleraque eorum quae ſequuntur.

Ac principio Additamenta paullo graviora dabimus: mox cetera minutiora continuâ ſerie in faſcem unum coacta producturi.

Digitized by Google

ADDENDA

ADDITAMENTA LONGIORA QVAEDAM.

AVCTARIVM I.

De urbe REGIO curae ſecundae. Strabo cum binis nummis ſingularib. collatus, ac mutua utriſque affuſa lux. Ad pag. 41.

PAG. 41. in extremâ de Regio pericope dixi, Reginorum nummos *manibus teri omnium*. Nihil quidem verius eſt, modo duos pereruditi Henr. de Craſſis Com. Planurae excipias, non tantum ineditos, verum, uti ſuſpicor, ſingulares: quos in Tab. num. X. & XI. contemplabere. Ac dici non poteſt, quanta in locupletiſſimo laudati Comitis Theſauro numiſmatum omne genus ſingularium copia affluat; ut, ſi quando ineditos omnes in publicum edere induxerit animum, non dubium ſit, quin ingentibus rem litterariam ſit commodis affecturus: id quod non ſemel cum eo egi. Verum haec mitto.

Nummorum effigies ex Tabula animadvertitur n. X. XI. Scriptura vero talis eſt, ut excepto quod a dextra ſiniſtrorſum progreditur (quod mere Oſcum eſt) litterae omnes Latinae ſint, ſive verius Latio cum Oſcis circa habitantibus (nam Bruttii, auctore Feſto in *Bilingues*, Oſce & Graece loquebantur) communes. Vt ab R inverſo ordiar, a quo utriuſq. nummi inſcriptio incipit: eo charactere praeter Latinos, uſos etiam Tyrrhenos & Oſcos fuiſſe, teſtantur alphabeta Tuſca & Oſca ab eruditis aetatis hujus contexta. Teſtatur etiam Campana apud me inſcriptio, quam edidi in Tyrrhenicis (tom. 3. Cortonenſium Tab. 1.) in qua v. 2. eſt iſtud R inverſum, ut & apud veterrimos Atticos. Jamvero de Ξ, I, O, N non eſt ambiguum Latinis fuiſſe cum Oſcis communes. An τὸ Ↄ Tyrrheni Oſcique uſurparint, dubitare non ſinit Tuſca inſcriptio apud Fabrettum pag. 696. num. 171. in qua bis exſtat. Alibi pluries aut Ж, aut τὸ Ж duae obliquae lineolae, quae angulum faciunt, pro Ↄ adhibentur. Itaque ſi ex litterarum ductibus ferri de his nummis judicium placeat, Latinam aeque atque Oſcam inſcriptionem dicemus. Niſi quod ut magis Oſca videatur, ſola a dextra ſiniſtrorſum progreſſio ſuadet. Jam vero quia tertia inſcriptionis littera Ↄ eſt loco τοῦ G, id quoque inſcriptionem ab Oſcis profectam arguit; quia Tuſci numquam G adoptarunt. Ac ceteroqui non tantae antiquitatis hi nummi ſunt, ut eos Sp. Carvilio (qui princeps elementum G poſt bellum Punicum primum in Latium invexit) vetuſtiores dicere audeas, cum contra non paullo recentiores eo tempore habendi ſint.

Illud etiam ad ſcripturam pertinet, quod in uno horum nummorum ſcriptione inverſa (RECINO:) legitur, & quidem duobus craſſioribus punctis in fine adjectis. Atqui ea interpunctio peculiaris hodie dum Hebraeorum, olim Atticorum veterum, & Oſcorum fuit; nam in meo Campano lapide, cujus modo memini, quinquies ea bina puncta, tum ad dirimendas voces, tum in fine adhibentur. In uno ergo horum nummorum RECION vox urbis primitiva legitur: in altero RECINO: pro *Retinorum*, ſicuti *Romano*, *Caleno*, *Aeſernino* ac tot alia, pro *Romanorum* &c. Haec de nummorum ſcriptura.

Venio nunc ad Strabonis locum, omnino cum his nummis copulandum, ut mutua utrinque lux in commune affulgeat. Eum locum pag. 41. ita attuli, ut tamen in *Samnitibus*, quos auctores Latinae *Regii* notionis Geographus habuit, aqua mihi haeſerit. Quid enim unquam Samnites (& quidem Samnites temporis ejus, quo participes Romanae civitatis eſſe coeperunt: id quod ad ſera illa tempora legem Juliam conſecuta nos provocat) quid tunc, inquam, Samnites cum Reginis commune habuerint, aut cur tanta apud eos auctoritate polluerint, quantam Geographi locus requirit, non video. At nihil ſane malim quam ſi Samnitium nomine Bruttios accipias. Alte nim. animis antiquorum inſederat, a Samnitibus Lucanos, ab his Bruttios prodiiſſe (quod tamen ipſe pro fabuloſo habui Collect. IX.) hinc fuere, puto, qui pro Brettiis Reginorum vicinis, Samnites Bruttiorum primos parentes, tamquam ejus facti auctores, de longinquo adſciſcerent; idque Strabo bona fide ſecutus fuit. Quam vero illa, quae Geographus ibi narrat, Brettiis quam Samnitibus convenientiora ſint, lector judicabit, ubi integrum locum produxero. Ceterum ſi quis praefracte pro Samnio depugnaverit, non repugnabo; nam & Samnites Oſce (quod mea intereſt) loquebantur. Vide pereruditam Hannibalis de Abbatibus Oliveriis Diſſertationem to. 2. Cortonenſium pag. 49. inſertam, qua nummi Samnitici duo Oſce inſcripti enarrantur pulcherrime.

Ad Strabonem venio, cujus locum, jam ante p. 41. productum, nunc lectori repono. Is lib. VI. ubi Ῥήγιον *Rhegium* ita dictum ob Siciliam terraemotu a continente abruptam ex relatu veterum tradidiſſet, poſtea extremâ pag. 258. ita ſubjicit. *Verum utrum ab hac cauſa* (abruptae Siciliae ſcil.) *nomen urbi quaeſitum fuerit* (εἴτε διὰ τὴν ἀπορρῶξαν τῆς πόλεως, ὡς ἂν ΒΑΣΙΛΕΙΟΝ τῇ Λατίνῃ φωνῇ προσαγορευσάντων Σαννιτῶν, διὰ τὸ τοὺς ἀρχηγέτας αὐτῶν κοινωνῆσαι Ρωμαίοις τῆς πολιτείας, καὶ ἐπιπολὺ χρήσασθαι τῇ Λατίνῃ διαλέκτῳ) *an vero propter urbis claritudinem, veluti ſi Samnites Graecanicum Baſileum* (h. e. *Regiam*) *Latina voce reddituri, eo demum ſenſu REGIVM nuncuparint* (*quippe Samnitium principes ex quo tempore Rom. civitatis fuere participes, Latino ſermone plerumque utebantur*) *in media relinquitur judicandum*. Hîc miſſis compluribus, quae ad hunc Strabonis locum illuſtrandum congerere poſſem, hoc tantum confidenter ajo, ad Geographum in hoc toto negotio non aliud quam ſtrictaras veri meras perveniſſe. Res autem ita, mihi crede, ſe habuit. *Regii* incolas primitivos Iapyges, ſive Tyrrhenos aut Oſcos (quae vocabula ſono potius quam re diſſident) fuiſſe neceſſe eſt (de quo vide *Collectaneum LX.*) qui non niſi diutiſſime poſtea Chalcidenſium appulſu partim loco Graecis ceſſerunt, partim, uti fit, cum novis colonis pauci numero permixti conſueverunt. Primitivis ergo incolis loci nomenclatio eſt tribuenda: qui ubi oppidum a ſe fundatum RECION appellaverunt, haud dubie notione ab Oriente hauſta id fecerunt, qua nim. RAC eſt *regnare* & REC idem quod *Rex*. Vide Junium ad Dan. cap. IV. ac Buxtorfium in Lex. Chald. in Rad. REC. & quae nos in Prodr. p. 41. His ergo indigenis ubi Graeci Chalcidenſes ſucceſſerunt, ſonum quidem vocabuli integrum retinuerunt, nec niſi notionem illi Graecam indiderunt, quaſi a ῥήγνυμι derivato nomini: unde & fabellam excogitarunt de abrupta tellure marique intus admiſſo. Ac diu ea perſuaſio Graecis arriſit, unde & nummi omnes ΡΗΓΙΝΩΝ ei fundamento nituntur.

At ubi poſtea octogeſimo ferme ante Chriſtum anno ex Julia lege civitas Rom. cum Samnitibus,

Lu-

Digitized by Google

Lucanis, Bruttiis (hos potiſſimum nomino, quos certum eſt Oſca dialecto Orientali locutos) communicata fuit; ab his demum intellectum fuit ecquid *Regium*, ſive potius RECION (ut in his nummis eſt) notaret ſermone Orientali, ſimulq. Latino; nam & Latinus quoque quam ſaepiſſime ἀμάφωνος Orientali eſt. Ergo vicini Brettii, ſive (ſi quid Straboni dandum) Samnitium primi Reginos docuerunt, RECIVM apud primitivos incolas tantumdem fuiſſe, quod Graece Βασίλειον h. e. *Regiam*; ac forſan addiderunt, ab eo *Regiae* nomen urbi partum, quod ea tantum urbs olim (I) Βασιλευομένη fuerit. Hoc ubi ex relatu Bruttiorum aliorumve Oſce loquentium conſtitit, tunc demum mihi videntur percuſſa numiſmata, in quibus Oſcis iiſdemque Latinis characteribus a dextra ſiniſtrorſum legeretur, ſive RECION, ſive (II) RECINO: quod non niſi poſt legem Juliam contigiſſe, & ex ſuperioribus patet (quia ſcil. tum demum ſermo Latinus familiaris evaſit Italicis urbibus) tum ex eo etiam quod (ut pag. 41. oſtendi) in marmoribus *Regium* ſine H ſcribitur (nec enim amplius a ῥηγνυμι arceſſi placuit) idemque nomen *Regio Lepidi* ita inditum, ut ſpiritu privaretur. Adde quod Caeſar Octavius ubi *Regium* iſtud prope Fretum deduxit coloniam, nomen id pro Latino habuit: qui, ſi pro Graeco habuiſſet, certe illud cum novo Latino de more mutaſſet. Nummorum geminorum fabrica temporis legem Juliam conſecuti eſt.

Antequam a nummis Reginis abeo, ſciendum eſt, apud Pollucem IX. cap. 6. ſic notari: *Regini* (λαγών) *leporem monetae inſculpebant*. Hinc miratur Harduinus, cur nullus dum occurrerit leporis effigie inſignitus. At exſtat inter Reginos Joannis de Flore unus num. 27. in cujus poſtico lepus decurrens viſitur.

AVCTARIVM II.

De ὁ δεῖνα καλὸς ex auctoribus & ex elegantiſſimâ paterâ nuper in REGIVM Muſeum illata.

PAG. 139. col. 2. ubi de (ὁ δεῖνα καλὸς) agitur, haec addi in fine poſſunt poſt ver. ſcil. 26. Adhaec Clemens Alex. in Protrep. ait: *Phidiae quidem Athenienſi (ἐπὶ τῷ δακτύλῳ τοῦ Διὸς τοῦ Ολυμπίου ἐπιγράψαντι* ΠΑΝΤΑΡΚΗΣ ΚΑΛΟΣ) *qui Olympii Jovis digito inſcripſit, PANTARCES PVLCHER* (male interpres τὸ Παντάρκης ad Jovem retulit, quod proinde vertit OMNES IVVANS PVLCHER) *non Jupiter, ſed amaſius pulcher erat*. De eod. Arnobius lib. VI. *Inter ſignifices ille memoratus Phidias & primus, cum Olympiam formam Jovis molimine operis extuliſſet immenſi, ſuper dei digito PANTARCES* (in vulgatis, *Pantauches*: non recte) *inſcripſit PVLCHER: nomen autem fuerit amati ab ſe pueri*. Haec quidem & fortaſſe plura ex antiquis jam innotuerant.

Sed & aliquanto poſt illuſtrata vaſa Maſtrilliana (in quibus tria diverſa τοῦ Καλὸς exempla habes) cum ex dono viri amiciſſimi, meique eruditi conterranei Joſephi de Chriſtophoro (non tantum a medicae artis ſolertiâ, verum & ab antiquitatum ſtudio, ditique nummaria gaza, quam poſſidet, nùmquam ſatis laudati) figlinam pateram antiquiſſimam, opere excellenti depictam, accepiſſem; eamque a me viciſſim REGI Clementiſſimo oblatam, in Regium Herculanenſe Muſeum, cui praeclariſſima quaeque debentur, intuliſſem; in eo ΚΑΛΟΣ quinquies de eod. ſcriptum reperi, ſed characteribus ejuſmodi, qui prope ad Atticam illam antiquiſſimam ſcriptionem accedunt. Nam quod littera H non pro vocali longa, ſed pro Latino aſpirationis elemento H accipi videatur, id Αττικώτατον, ac permagnae antiquitatis indicium eſt. Deinde & ceterarum litterarum ſimulacra ejusdem ingenii ſunt. A interdum ab O angulato vix diſſidet, quia nempe utramque haſtam deorſum producere pictor neglexit. Vocalis O numquam non ſive triangulum ſive quadrangulum perficit. Poſtremo S anguloſus, uti Lamed Heb. eſt, quale in Attico Latinoq. alphabeto depingitur: niſi quod in interiore paterae inſcriptione utraq. vox in fine ſibilans elementum tale exhibet, cujus infima lineola ita dextrorſum reflectitur, ut ad arcum Scythicum paullulum, quantum ſcil. ſatis eſt, accedat. Haec ideo pluribus expoſui, ut ex mira ſcripturae antiquitate, vaſis non impar ſenium intelligatur, ac ſimul aevo tam remoto quantus vigor picturae fuerit. Quod ſi vilia vaſcula pictores de trivio peritiâ tanta illinebant; quid putamus egregios illos artifices, quorum ſunt immortalia nomina, in deſudatis a ſe tabulis praeſtitiſſe?

Eam pateram in aere inciſam contemplari licebit in Tabula in fine *Addendorum* proxime ante Indices inſerendâ: in qua Tabula etiam nummorum in Collectaneis illuſtratorum ectypa reperies.

(I) *Nominis RECION verae cauſae.*

Nemo mihi hoc eripiet, quin ea vera cauſa fuerit, cur primus urbis, de qua agitur, ex ortiva proſapia conditor hac potiſſimum de cauſa *Recion* h. e. Regiam vocarit, quod Rex ipſe, in ea regiam collocarit. Ac ſane miraculo eſt, quod cum omnes Graecae urbes Italiotides regio dominatu carerent, ac ſive ariſtocratica ſive populari πολιτείᾳ regerentur; una interim urbs *Regium* (eaque undequaque Graecis rebuſpubl. circumfuſa) ſuis regibus obtemperaret: in quo eam ſcio ſaltem uſq. ad Dionyſium perſtitiſſe. Atqui initia Regni apud Regium non a Chalcidenſibus puto exſtitiſſe, ſed a primitivis incolis Orientalibus: id quod nomen ab iis impoſitum abunde teſtatur. Quod nomen etiam Graecos Chalcidenſes poſtea facile impulit, ut & ipſi regibus famularentur.

Atque hoc diſcrimen, ut puto, fecit, ut urbs *Regina* a corpore Magnae Graeciae excluſa fuerit. Excluſam fuiſſe, in Prodromo, p. 27. obſervavi, ſed cauſam non attuli: quae non videtur alia fuiſſe, quam quod Magni Graeci ἰσοπολιτείαν exoſcularentur, Regnum vero cane pejus & angue deteſtarentur, ac tyrannidis loco haberent. Ergo Regini a conciliis communibus urbium excludebantur, nec unquam in corpore Magnae Graeciae cenſiti fuerunt.

At ipſi Regini interim mirifice ſibi in Regno placebant, eoque in majore uno ex his nummis Jovem regem hominumque deûmque in throno ſedentem (quae effigies eadem & eodem corporis habitu in aere meo cernitur) exhibuerunt; tamquam ſi ſtatus μοναρχικὸς quaedam regni Jovis imitatio eſſet. Eodem pertinet quod Aquila alitum regina prope detrita ſub throno viſitur: at in adverſa parte caput Leonis, tamquam regis quadrupedum, non in his duobus tantum, ſed in plurimis numiſmatibus viſendum praebuerunt.

(II) Inſcriptio quidem nummi minoris RECION litteris omnibus ſatis integra eſt. In majore vero haud dubie (RECINO:) ſcribitur; nam τὸ N haſtile dextrum, etſi non prominet, ita ut ungui reſiſtat, ſatis tamen umbra quaedam argenti detriti ſuperſtes viſitur, ita ut non dubium ſit ſcribi RECINO: nim. cum binis in fine punctis, ut ante diximus.

Digitized by Google

Imaginum quae in patera exhibentur, probabilem aliquam extundere rationem haud facile arbitror. Eoque magis, quo res est obscurior, habebunt eruditorum ingenia, in quo sese exerceant. Nisi quod supellex hujusmodi plerumq. nullo historiae significatu ex captu pictorum, opinor, illinebatur. At illud ΚΑΛΟΣ, a quo diverti, ubicumque in vetustis operibus scalpitur, aut depingitur, nihil cum expressis imaginibus commune habet, sed semper ad artificis amasium referri debet: qui in hac patera, si prima littera sit aspiratio, *Hopoas* vocatur. Nam integra inscriptio semper haec eadem est ΚΑΛΟΣ ΗΟΠΟΑΣ, *Pulcher Hopoas*. Bis tamen ΗΟΠΟΑΝ legitur, quod vel festinationi pictoris tribuerim, vel quod *Hopoan* aeque ac *Hopoas* scribi recto casu liceret: nisi vero potius, ubi N in fine est, vocandi casu παιδιτικῶς positum fuerit. Nam verisimile est, obliqua hujus nominis in ντος desiisse, ut in Αἴας, Τάρας &c.

Sed & illud fieri potest, ut in ΗΟΠΟΑΣ prima syllaba ad articulum pertineat, hoc modo: Καλὸς ὁ Ποας, *Pulcher Poas*. Nam si proprium nomen praeisset (sicuti apud Scriptores nomen ἐρωμένη solet praecedere) abfuisset articulus: at ubi ἐρωμένη vocabulum sequitur, articulus non invenuste praeponitur. Hoc si sequimur; Πόας a πόη (*Herba*) derivabitur. At contra si nomen polysyllabum fuerit; in verboquio desudabitur. Nisi vero ab ἠὼς & πόη componere vocem hanc placeat; ita ut ἠοπόας (tetrasyllabum) *Herbam matutinam* notet. Hoc si admittimus; plurimum de scripturae antiquitate (quae ex H pro mera aspiratione posito maxima exsisteret) deperibit. Nec enim alia vetustatis nota restabit, quam O breve pro Ω usurpatum antiquo more; nam ceteroqui post inventum Ω debuisset Ηωπόας (imo forsan Ηωσπόας, sicuti Ηωσφόρος) non Ηοπόας scribi. Lector de veriore derivatione judicet: nam equidem malo quidvis de scripturae vetustate, quam ut mihi hilum de veritate explicationis nominis hujus decedat.

AVCTARIVM III.

De novis octo novorum civium tribubus institutis, mox vero sublatis.

PAG. 458. *initio post ver. quintum sic addes.*

VER. 72. TRIBVS] De tribubus istis necesse est ea huc afferre, quae Appianus de νεοπολίταις h. e. *novis civibus* ex lege Julia civilitatem Rom. assecutis narrat in I. ἐμφυλ. p. 379. *Porro Romani novos hos cives non in quinque & triginta tribus, qui tunc tribuum erat numerus, distribuerunt (ne, quia antiquos cives numero superabant, eisdem in magistratuum creatione potentiores essent) verum eos in decurias redactos in novis aliis tribubus descripserunt, in quibus scil. hi novi cives suffragia ferrent novissimi, ac saepe supervacui fierent; quippe cum veteres illae XXXV. tribus, ut quae priores citabantur, facile* (tabellarum) *dimidium superabant. Quod consilium sive tunc non animadversum a sociis fuit, sive tunc modico contenti non ultra tendendum putabant: quod postea deprehensum, novarum seditionum materiam submi nistravit.* Tribus novas illas, in quas νεοπολῖται conjecti fuerunt, octo non amplius fuisse, postea ex Velleio docebimus. Similiter ubi adlectio altera novorum civium facta fuit, ii quoque in easdem octo tribus eâdem de causa seorsum rejecti fuerunt. Auctor Appianus eod. lib. p. 382. ubi post narratam novam hanc civitatis dationem, subjicit: *Digesti sunt autem in suas tribus eodem, quo priores novi cives, consilio fuerant; ne permixti veteribus, sicuti numero, ita suffragiis antiquos vincerent.* At vero ad ultimum P. Sulpicius trib. plebis novos cives in spem erexit, ut in veteres tribus adscripti, pari jure cum antiquis civibus suffragium ferrent. Appianus ibid. pag. 383. *Marius . . . imperandi cupidus multis pollicitationibus induxit P. Sulpicium trib. pl. ut sibi adesset: fecitque spem novellis civibus fore, ut jure suffragiorum aequarentur veteribus, & per tribus distribuerentur, dissimulans interim, suum se negotium agere, & eo captare illorum benevolentiam. Nec mora, Sulpicius legem super hac re promulgat: quae si (I) perlata fuisset, futurum erat, ut omnia Marii Sulpiciique arbitratu gerenda essent: in tantum numerum praepollebat recentium civium accessio. Hoc animadverso, veteres cives totis viribus resistebant. Tandem ad manus & ad saxa contentio devenit.* Mitto cetera, & quod consules ad differenda comitia ferias indixerunt. Etsi Velleius paullo aliter narrat lib. II. c. 20. *Non erat Mario Sulpicioque temperatior Cinna: itaq. cum ita civitas Italiae data esset, ut in OCTO TRIBVS contribuerentur novi cives (ne potentia eorum & multitudo, veterum civium dignitatem frangeret, pluſque possent recepti in beneficium quam auctores beneficii) Cinna in omnibus tribubus eos se distributurum pollicitus est: quo nomine ingentem totius Italiae frequentiam in Vrbem acciverat.* Vides ut Velleius ea non Sulpicio sed Cinnae tribuerit? Sed profecto omnes in eadem consilia conspirabant; etsi successu caruere.

Ergo, nonnisi circiter annum Vrbis 670. novos cives in veteres XXXV. tribus fuisse distributos (post scil. SCtum illud cujus meminit Epitome Liviana LXXXIV.) persuasissimum habeo. In ea Epitome ita legitur: *Novis civibus Senatusconsulto SVFFRAGIVM datum est.* Atqui quis unquam somniaverit, novos illos cives tot annis suffragio caruisse, cum civitatem non sine suffragio dari certissimum sit? Verum Florus brevitati studens, effectum pro causa posuit. Quamdiu enim νεοπολῖται illi seorsum in octo tribus conjecti perstabant, suffragio (quia quod habebant, erat inutile) carere dicebantur. At Senatusconsultum illud, ut finem turbis imponeret, novos cives in veteres XXXV. tribus postremo distribuit: quo facto suffragii datio SCto illi recte a Floro tributa fuit.

Porro ad quemcumque temporis articulum haec Tabula referatur, id, quod de Tribu in censu notanda jubetur, optime stabit. Nam ante SCtum illud, cujus Epitome Liviana meminit, quilibet novus civis unam ex octo tribubus, quas Paterculus memorat, sibi adscribebat: at vero post SCtum non nisi illam ex veteribus XXXV. tribubus, in quam quisque adscriptus fuisset, sibi post nomen gentilitium adsciscebat.

A D-

(I) Hinc usque ad *Gerenda essent*, reddidi ex Graeco fideliter. Nam Graeca Appiani ista sunt: ὃ (νόμος) κυρωθέντος, ἐμελλε πᾶν ὅ, τι βούλοιτο Μάριος ἢ Σουλπίκιος, ἔσεσθαι. Quae ita a Gelenio vertuntur, quasi si lex reipsa perlata fuisset; sic enim interpretatur, *Qua* (lege) *perlata, ipsius Marii arbitratu gerenda erant omnia.* Atqui illud (ὃ κυρωθέντος) non *Qua perlata lege* significat, sed *Qua lege, si quidem perlata fuisset* &c. Nam illam non fuisse perlatam, ea quae apud Appianum sequuntur, luculenter ostendunt, nempe de tumultu veterum civium, deque feriis per consules indictis, uti comitia ad legem perferendam in longum producerentur. Ad summam ea lex numquam postea jussa fuit.

Digitized by Google

ADDITAMENTA MINVTIORA.

PAG. 15. *ver.* 20. *poſt* annumeraret *ſic adde*. Niſi vero volumus, ſub Hannibalica tempora Graecos Italiotas plurimis civitatibus barbarorum fuiſſe aliquamdiu potitos, atque ad ea potiſſimum tempora eſſe referendos rariſſimos illos nummos Graece inſcriptos ΚΑΠΤΑΝΩΝ, ΝΟΛΑΙΩΝ, ΝΟΤΚΕΡΙΝΩΝ, & aliarum civitatium, quas ceteroqui ſive Tyrrhenica ſive alia barbara dialecto uſos ex hiſtoria novimus. Verum de his nummis mox rurſus *in Addendis ad pag.* 45.

PAG. 18. 19. *Loco congruo lux huic capiti afferenda eſt ex Parecbaſi, De anguſtiis primitivae Italiae finibus. Re vera illis temporibus iisdem fere terminis Graeciq Italica ac ipſa, quae tunc erat, Italia finiebatur, ita ut Italia & Graecia idem eſſent. Cum ergo Italia MAGNAE cognomen obtinuiſſet, idem & in illam ejus temporis Graeciam redundavit.*

PAG. 24. *ver.* 5. *poſt* tum *inſere*, ante Troica.

PAG. 28. *Sect.* 2. *ver.* 18. *poſt* obnoxias *adde*. Non nego tamen alicui urbi obnoxiae potuiſſe a republica principe impertiri jus feriendae monetae, imo & non raro id factum.

PAG. 32. *num.* 13. *v.* 1. *pro HYLIA [uti prave ab omnibus in recto vocatur] ſcribe HYLIAS. Nam duo ejus obliqua Thucydides uſurpavit VII.* 35. *ſemel caſu tertio,* ἐπὶ τῷ Τλίᾳ ποταμῷ, *ac mox caſu ſecundo,* πρὸς τὴν ἐκβολὴν τοῦ Τλίου. *Ex quibus duobus obliquis oſtenditur, non aliud fuiſſe rectum quam* Τλίας, *Hylias.*

PAG. 33. *Adn.* 47. *poſt locum Strabonis dele cetera; nec enim qualiſcumque veriſimilitudo ſequenda, ſed quae proxime a vero abſit.*

PAG. 38. *num.* 7. *v.* 4. *poſt* colligere *adde*: Sed eamen poſtea reperi, Haymium in Theſ. Brit. aſſerre nummum inſcriptum BAPINΩN; cui in typo, & inſcriptione parem, ſed multo antiquiorem poſſidet noſter amiciſs. Ronchius.

IBID. n. 7. *v.* 7. *pro* Tropaeum *ſcribe:* Eamdem Minervam ſtantem. *Nam poſtea ſubtilius detritam effigiem contemplatus, Palladem agnovi.*

PAG. 39. *ver.* 5. *ante finem, quod negavi in coloniis Italicis nummos fuiſſe percuſſos, id de civium Romanorum, non juris Latini coloniis intelligi volo.*

PAG. 41. *poſt finem totius periochae de Regio urbe addes Auctarium I. quod pag.* 550. *praemiſi.*

PAG. 43. *num.* 11. *ver. ult. adde.* De hac vide in fine Collect. III. *pag.* 516.

PAG. 45. *v.* 1. *pro*, fuiſſe appellatum conjicio, *repone*, Straboni appellatum reperio. *Ibid. Graecis urbibus tractûs hujus adde Pompeios, teſte Dionyſio.*

SVPPLEMENTVM DVPLEX

Ad pag. 45. *quorum priore ex auctoribus, poſteriore ex nummis, numerus Graecarum urbium augetur. Polybius explicatur.*

IBID. Sect. VII. v. 8. *poſt* Sexaginta *ſic adde*. Et tamen aliquot oblivione omiſſas puto, ſicuti in Piceno *Anconam* inq. Vmbria *Piſaurum* [initio Tyrrhenicas poſtea Graecanicas]. Adhaec omiſi *Mamertium*, & Stephani *Brettum*, quarum nummis loculi ſcatent. Adde quod eas tantum protuli, quarum certus poſitus oſtenditur. Quid ſi eas adjeciſſem, quae incerto ſitu vagantur? Quid ſi eas de quibus Stephanus non aliud promit, quam Πόλις Ιταλίας, *Vrbs Italiae*, quod pluries ille facit? Tamen cum Stephanus hauſerit ex perantiquis ſcriptoribus, ejuſque aetatis, qua Ιταλία & *Graecia Magna* duo erant ejusdem regionis vocabula (de qua notione in Parecbaſi agimus) tum ſane ſi urbis nomen Graecanicum ſit; non dubitabimus, quin iis in locis *Vrbs Italiae* tantumdem ſit quod *Vrbs Graeciae Magnae*. Verbi cauſa ubi a Stephano Ἀγκύριον definitur πόλις Ιταλίας (*Ancyrium Italiae civitas*) noli dubitare, quin is locus Graeciae Italicae fuerit quamvis incerto poſitu. Fruſtra interim his locis docti adnotatores de ſitu vago (h. e. per totam, quanta hodie accipitur, Italiam quaerendo) expoſtulant. Ac plurimae apud veteres, praecipue Stephanum, urbes vagantes hujuſmodi. Sed ut eo redeam, his ego &c.

IBID. Adnot. 75. *in fine ſic adde*. Quod de quarumdam urbium Tyrrhenicarum, ac poſtea Latine loquentium, nummis Graece inſcriptis addubitare me dixi, utrum unquam viſi fuerint, aut utrum ſinceri ſint: duos nunc eximo raros, quos in Gaza Cl. Comitis Planurae vere antiquos recens attrectavi. Is duos argenteos *Nolanorum* habet, in uno ΝΩΛΑΙΩΝ, in altero recto caſu ΝΩΛΑΙΟΣ ſcalpitur (quibus nuper tres ſimiles dominus *Coquet* comparavit) habet comes idem aereum *Nucerinorum*, inſcriptum ΝΟΤΚΕ... nam cetera detrita ſunt. Eosdem Goltzius, ex eoq. alii attulerant. Nummus ΚΥΜΑΙΩΝ ceteroqui rarus, a pluribus amicorum poſſidetur. Et credo etiam aliarum aliquot urbium, quarum exſtare nummos Graecos negabam, poſſe reperiri. Forſitan in ditiſſima Excellentiſs. Joannis Carafae, Ducis Nojae, nummorum veterum Regni Neapol. collectione plurimi hujuſmodi erunt. Humaniſs. patricium convenire, ejuſq. gazam excutere non fuit otium. Sed brevi nummos cum ſuis explicationibus evulgatos ab eod. accipiemus. Nuperrime ex praeclara Cl. Hannibalis de Abbatib. Oliveriis ad Dominum Barthelemy Regii Pariſienſis Muſei cuſtodem ἀρχαιολογώτατον epiſtolâ editâ didici, praeter nummos Piſauri Etruſcos, etiam Graecos ejusd. reperiri, ac Goltzianum illum cum epigraphe ΠΙΣΑΤΡΙΩΝ compertum eſſe verum; quia ſcil. poſtea Graeci ibi condidere coloniam.

Nec vero miraculo eſſe debet, ſi urbium βαρβαροφώνων Graeca interdum numiſmata reperiantur. Nam incidêre tempora, quibus Graeci terrâ marique praepotentes facti, urbiumque maximarum potiti, nummos illos, qui nunc rari viſuntur, cuderunt. Atque huc locus ille Polybianus facit, quem in Addendis ad pag. 15. leviter delibavi: quo oſtenditur, Magnam Graeciam ab Tarento ferme uſque ad Capuam Hannibalicis temporibus (de quibus ibi loquitur) perveniſſe, non quidem continua ſerie, ſed carptim & per intervalla locorum. Vide locum Polybii ſup. p. 15. Deinde ſiquae urbes a Graecis in poteſtatem acceptae, non continuo Graecae evadebant, ſed Graecis obediebant: ceterum linguam & inſtituta patria, ut antea, uſurpabant. Nec ſi quando laetus victoriarum curſus Graecis arriſit, is Graeciae terminos, ſed tantum fines imperii prorulit; idque ad breve tempus, ut ex mira raritate nummorum Graece in urbibus non Graecis cuſorum oſtenditur.

PAG. 58. *col.* 2. *in tit.* AVCTOR ADMIR. *&c. v.* 5. *pro* Ab Alpibus *repone* A Rubicone fl.

PAG. 65. *v.* 6. *pro* 428. *repone* 440.

PAG. 79. *Adn.* 21. *pro* videtur antea, *repone*, Strabo tradit.

PAG. 84. *ſect. VI. num. I. v.* 16. *pro* jugis Alpium ambiebatur, *repone*, Rubicone fl. finiebatur.

PAG. 93. *poſt v.* 3. *ſic adde*. TIRAS iſte Iapeti fil. (ſive ſecundum Graecos *Taras* Neptuno ſatus) in pleriſq. Tarenti nummis exhibetur ut adoleſcens delphino vehens, uti nummographi interpretantur & quia TAPAΣ ſubſcribitur. At exſtat in

Digitized by Google

in eruditiſs. Henrici de Craſſis Com. Planurae gazâ ſingularis, ineditus, ac mirae elegantiae, aureus Tarenti nummus: in cuius poſtica parte Neptunus, habens ad laevum latus tridentem, ſedet, capite ad puerum (haud dubie Tarantem) proclinato: qui puer ſtans ad dextrum parentis latus, protentis ad eum brachiis adblanditur: dignum contemplatione numiſma.

PAG. 102. *Adn.* 58. *poſt ver. nonum ſic adde.* Scylaci & Catoni videtur comes tertius Iamblichus addi debere. Nam Πλατείας illas, quo Democedes, Iamblicho teſte, ſeſe recepit, non videtur mihi ſane aliud fuiſſe oppidum ab eo, quod Scylax & Cato memoraverant. Videatur Iamblichus in vita Pythag. cap. 35. ſect. 261. ubi narratur Democedes iſte, poſtquam cum Alcimacho, Dimacho & Metone ariſtocratiam Crotone retinendam eſſe fruſtra ſuaſiſſet; plebe (quae pro democratia decertabat) in Pythagoreos, ariſtocratiae patronos, concitatâ, Plataeas (haud dubie Italicas, ut interpretor) ſeceſſiſſe; ac deinde commiſſo praelio interfectus a Theage fuiſſe: qui deinde a Crotoniatis trium talentorum pretium pro Democede necato acceperit.

PAG. 114. *Adn.* 84. *addes ex Ciceronis Balbiana cap. XXII. foedus cum C. Fabricio ictum: de quo alibi.*

PAG. 115. *col.* 1. *locum Strabonis non ita eſſe intelligendum, oſtendit Epiſtola Cic. Fam. XIII.* 30. *Vide quae dixi pag.* 492. *Adn.* 175.

PAG. eâdem col. 2. *num. III. quo modo Epiſtola Cic. ad Fam. XIII.* 30. *cum Strabone concilietur, v. ibid.*

PAG. 139. *col.* 2. (*ubi de ὁ δεῖνα καλὸς*) *adde Auctarium II. quod pag.* 551. *praemiſi.*

PAG. eâdem inferne nu. V. col. 1. *v.* 9. *ante finem, legitur* (litterula A ſignavi) *ea a ſcalptore omiſſa fuit: praeterea Mercurium non diademate, ut viſitur, ſed corona hederacea in vaſe redimitur: qui tamen potius Mercurius, quam Bacchus videtur; praeſertim ob illa Pauſaniae in Achaic. XXII. p.* 579.: In medio Mercurii marmoreum ſignum cum barba, e quadrata baſi prominens.

PAG. 190. *ad illud Tabulae* ΑΝΤΟΡΩΣ (*h. e.* Adverſos terminos) *addes congruo commentarii loco, ac facile ver. ult. poſt τὸ* recurrunt, *haec quae ſequuntur.* Admiranda veterum ſedulitas eſt in ſignandis notis & characteribus διορισικοῖς tam agrorum quam aedificiorum: quibus inter ſe collatis hodiedum ea ſigna veriſſima reperiuntur. De variis terminorum generibus auctores agrarii, qui ad nos pervenerunt, locis omnibus loquuntur. At libet etiam in aedificiis quam accurati in his fuerint, obſervare ex Fabretto in *Inſcript. antiq. pag.* 239. ubi Ruſticeliorum monumentum, ſub Monte Teſtaceo detectum, deſcribit. Id dum eruderatur, principio cippus apparuit ita inſcriptus: *CIPPVS. PRIM* (2) *VS. defixus* (3) *erat. CONTR* (4) *A. ANGVLV* (5) *M. DEXTERI* (6) *OREM. Mo* (7) *numenti* (8) *Ruſticeli. et* (9) *aberat. ab. tr* (10) *unco. mon* (11) *umenti. P. V* (12) *et. ab. ſtruct* (13) *ura. aquae. cluſaris. P. V. S.* Subjicit Fabrettus: *Reaſſumpto* (mox effoſſionis) *opere, ad enuntiatam ab hoc cippo diſtantiam frons monumenti Ruſticelii patuit.* In fine cippi illud CLVSARIS agraria vox eſt, de qua alibi dicam. Multa hujus generis lectori ſparſim in marmoribus occurrent.

PAG. 191. *in Ecphraſi extremi ver.* 27. *& p.* 192. *ineunte ver.* 28. *pro ημεν Dorico, repone ἐσαν commune.*

PAG. 199. *in fine Scholii III. adde:* Sicuti apud Graecos agrorum menſores angulus vocatur μασχάλη h. e. *Axilla*, ita & apud Latinos ſcriptores agrarios reperiuntur pari notione COXAE, CVBITIQ. vocabula. Siculus Flaccus p. 6. *Poſſeſſorum termini, qui omnibus angulis COXISQ. poſiti eſſe debent.* Alius incertus auctor p. 266. *Pentagonum quod interpretatur CVBITOS quinque.* Nim. vult *Angulos quinque;* id enim *Pentagoni* vox Graeca (ut ait) *interpretatur*, h. e. vertitur. In quam rem Inſcriptionem opportuniſſimam affert Fabrettus pag. 180. num. 377. quae talis eſt. *D. M.* (2) *T. Capelli. T. F.* (3) *Vindicis* (4) *IN. F. P. XXXVII.* (5) *A. T. COX. S. P. XXVII.* (6) *intra. COX. P. XXXVII.* Duos verſus ultimos ita interpretare: *A tergo coxae ſuae pedes* 27. *intra coxam pedes* 37. Vide ibi Fabrettum, qui & diagrammate metaturam illuſtrat.

PAG. 209. *in interpr. Latinâ ver.* 55. *poſt* choëo *adde* menſurâ plenâ.

PAG. 214. *ad ver.* 72. *quae de verbo* Πίτνω *tamquam inuſitato dicuntur, ea ex Mich. Maittairo in Dialectis pag.* 266. *refingi debent, ubi plura verbi hujus exempla afferuntur.*

PAG. 220. *Adn.* 17. *col.* 2. *ver.* 3. *illud* (At nunc primum ex hoc Ære diſcimus) *falſum deprehenditur ex iis exemplis Doricae terminationis hujuſmodi in τω, quae Mich. Maittairus in Dialectis pag.* 277. *congeſſit.*

PAG. 225. *col.* 2. *poſt v.* 10. *ſic adde.* In Tabula agraria Sicula apud Grut. n. CCXIII. v. 29. legitur, ΓΑΕΩΝΩΝ, niſi ſi legendum ſit ΓΑΙΩΝΩΝ. Εϛ τι ποτι το ρυακιον το ρεον ανα μεσον των ΓΑΕΩΝΩΝ. *Vſque ad fluviolum fluentem per medium Gaeonum.* Quid iſti Gaeones ſint (loci ne, an terrae adſcriptitiorum nomen) ex marmore non elucet. Fuerit loci nomen. At videtur ex eo inditum, quod in eo venalicii iſti degerent, aut olim habitaverint.

PAG. 228. *col.* 1. *poſt ver. quintum adde.* Niſi vero nova forma Dorica futuri indicativi ſit cum H loco τᾶ E, nim. ισσηται pro ισσεται.

PAG. 243. *col.* 2. *initio verſus penul. poſt τὸ* (VERSV 120.) *ſic adde.* Iſtud τὰ Φιντίας ... παμώχια recte expoſui, *Quae Phintias ... poſſidet.* De παμώχια mox. At *Phintias* proprium nomen eſt, Magnis Graecis & Siculis uſitatum, ab aurigando factum, quia Φίντις Pindaro Auriga eſt. Phintiae Agrigentini tyranni exſtant nummi: qui teſte Diodoro, Phintiada, a ſe dictam urbem, condidit, in quam Gelenſes deduxit, ante Punicum I. bellum. Erraut, dum vulgo hunc regem Phintiadem vocant, ut urbi cognominem faciant. At, etſi cum genere diverſo, cognomines erunt. In nummis apud me eſt ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΦΙΝΤΙΑ. A quo genitivo caſus quartus erit Φιντίαν, non Φιντιάδα. Adde quod hoc alterum non virile eſt ſed muliebre. Hoc interim doleo quod illud παρ τα Φιντια (quod occurrit in Tab. I. ver. 10. 21. 39. & 44.) reddiderim, *Secundum Phintia*, quaſi ſit loci nomen. At ibi Φιντια eſt genitivus Phintiae poſſeſſoris. Redde ſemper *Secundum bona Phintiae.* Jam vero Παμώχια quid ſit &c.

PAG. 246. *v.* 1. *in Ecphraſi versus* 126. *pro* ἐκπίσωσιν *repone* ἐκπίπτωσιν.

PAG. 268. *in loco congruo addes:* In Graeco Dorico ineuntis verſûs 37. redundat illud τω, & quidem ex errore ſcalptoris, uti notatum pag. ... ubi harum laminarum menda in numerum cogerem.

PAG. 279. *col.* 2. *poſt v.* 13. *adde ſic.* Hygini exemplis addi poteſt Fabrettiana inſcriptio, quam recitavi ſupra in Addend. ad p. 190. in qua legitur, *ET ab ſtructura aquae CLVSARIS P. V. S.*

PAG. 311. *in fine Adnot.* 4. *addes locum Spartiani in Hadriano cap.* 22. (Ante octavam horam .. neminem .. lavari ..) *necnon pulcherrimas Caſauboni & Salmaſii animadverſiones: quas ſi cum noſtris adnotatis jungas, juſtam habebis totius rei notitiam.*

PAG. 336. *col.* 1. *num. IV. adde loco congruo:* Inſcriptio Barberina exſtat apud Fabrettum p. 724. ex cujus verſu 3. emaculari poteſt locus a me ex aliorum fide allatus. In Fabretto v. 3. ita legitur: *Quod eſt via Appia ad Martis intra milliarium I. & II. ab Vrbe euntibus parte laeva inter adſines Vibium Calocaerum & Populum.*

PAG.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PAG. 350. *poſt v. 6. addes:* Porro hiſce ſexviris non tantum viarum, ſed & locorum publicorum purgandorum curam incubuiſſe, conſtat infra ex v. 69. 70. ubi hi *Viis lociſq. publicis . . . purgandis* praeſunt.

PAG. 372. *Adnot.* 100. *col.* 2. *poſt ver. decimum quartum a fine ejus columnae, ac poſt illud* [uſus] *ſic adde :* Verum quid pluribus opus? Duas fuiſſe Romae celebres & uſitatas epochas, primam ab Roma Cond. alteram ab Roma a Gallis recepta, declarat Livius lib. VII. ubi ſic caput XVIII. orditur: *Quadringenteſimo anno, quam Vrbs Roma condita, trigeſimoquinto quam a Gallis recepta . . .* Vide ibi cetera. Plinius item VII. 43. utramque epocham uſurpavit: priorem ubi dixit *Poſt Rom. cond.* Quare alterum *Ab condito aevo* poſteriorem notat. Adde &c.

PAG. 407. *quae ad Tab. Canuſinam praepropere adnotavi, ea aliquot locis emaculari debent. I. Nam in* §. Sequuntur *ver.* 5. *ſcripſi :* Videntur & ipſi (*Patroni ſcil.*) corpore decurionum comprehenſi fuiſſe: *quod nunc revoco. Sciebam quidem* (*id quod & aliis obſervatum*) *in coloniis clarioribus decuriones fuiſſe centum ; idque & ex Ciceronis Agraria II.* (*ubi CENTVM DECVRIONES fuiſſe Capuae decreti, dicuntur*) *& ex initio Vejentis Decreti apud Fabrett. pag.* 170. *n.* 324. *colligi poſſe, jamdiu notaram, Atqui ſi in Tab. Canuſ. patronos & Praetextatos Decurionum numero comprehenderis, ſollemnis illa* ἐκατοντὰς *magnopere ſuperabitur. At vero recte conſtabit numerus centenarius, ſi ex toto illo Albo exemeris tum Patronos, tum etiam Praetextatos. Nec ante videram, hoc a Fabretto ipſo fuiſſe* (*pag.* 658. *col.* 1. *in adnotatis ad gentem AEDINIAM*) *animadverſum, ubi ait,* ἐκατοντάδα *abſolvi*, Secluſis Patronis, itemque Praetextatis. II. *Eod.* §. *v. ult. ſex & triginta Clariſſimos numerari, feſtinans dixi, cum triginta tantum in Tabula exſtent.* III. *Col.* 2. §. Quarta *verſu* 8. *poſt* (indulgentia) *adde Suetonium de Auguſto cap.* 38. *ſcribentem:* Liberis Senatorum . . . Curiae intereſſe permiſit. IV. *Eâd. col.* 8. §. (Quare) *verſu undecimo ante finem, mirabar, cur ille* P. Publicius Max. IVN. *nullum oſtendat in toto ære cognominem: at feſtinatio fecit, ne viderem, ultimum Pedaneorum eſſe illum, quem* Publicius Jun. *patrem ciet.* V. *Poſtremo omiſſum a me fuit, quod* M. Statius Longinus & M. Valerius Turbo, *Clariſſimorum ultimi, parentes* ἀυτονόμως *in eod. catalogo habent.*

PAG. 411. *Adn.* 47. *col.* 1. *v. pen. pro* Strab.

PAG. 451. *Adnot. I. addatur in fine.* Biſellia ænea duo, quae in Regio Herculanenſi Muſeo adſervantur, in Herculanenſi Theatro effoſſa fuerunt: quod magno argumento eſt, tum ea duo non aliud quam *biſellia* fuiſſe, quibus in ſpectando utebantur ii, quibus id juris eſſet; tum etiam *biſellia* non a duorum capacitate dicta, ſed a plicatili forma, & Graecorum δίφρῳ reſpondere, ac poſtremo vera eſſe omnia quae ſupra dicta fuerunt.

Ad PAGINAE 458. *initium pertinet AVCTARIVM de novis Tribubus, quod pag.* 552. *praemiſi.*

PAG. 490. *ad finem Adn.* 171. *ſic addes.* Aut potius videtur Livius in anterioribus libris parciſſime legem Juliam tetigiſſe, loco ſuo copioſe rem univerſam tractaturus. Hinc Florus lib. LXXIII. aut LXXIV. (in alterutrum enim Julia lex incidebat) ne verbum quidem datae ex lege Julia civitatis illevit. At initio Epitomae LXXX. (quo libro Livius fuſe rem univerſam ab initio ad finem uſque rei pertexebat) totum illud negotium generali quinque vocularum comprehenſione complectitur. *Italicis populis a Senatu civitas data eſt. Italicis*, inquit, *populis* (quorum *Italicorum* ambitu & Latini, & Etruſci, & Campani, & omnino univerſi, cum quibus per iteratas vices civitas ex intervallo communicata, continebantur) *a Senatu* (recte; nam & Julia, & quae eam ſecutae fuerunt donationes a Senatu profectae) *civitas data eſt.* Confer cum his & Auctar. III. quod pag. 552. reperies.

PAG. 504. *Adn.* 9. *poſt illud* (Populus idem duabus urbibus habitabat) *adde:* Idem Livius XXXIV. 9. *Emporiae duo oppida erant muro diviſa. Vnum Graeci habebant a Phocaea . . . alterum Hiſpani.* Vide ibi cetera. Adde Sirin a Tarentinis (quorum ſumma auctoritas) & a Thuriis ſimul fuiſſe habitatam.

PAG. 533. *num. III. promiſi me nummum quemdam in Addendis explicaturum: quod poſtea, cum de eo nummo mutaſſem ſententiam, in Addendis non praeſtiti, imo nec eum nummum in Tab. num. X. exhibui, ſed alios praeſtantiores utilioreſq. duos.*

EAD. pag. 533. *extrema Adnotatione* 85. *in fine col.* 2. *ſic adde.* Quod modo dixi, poſt legem Juliam ceſſaſſe per Italiam monetarias urbium officinas, id intelligendum eſt, de pleriſque urbibus iis quae gaudere legis Juliae commodis voluerunt, ſecus vero in iis pauciſſimis, quae *foederis ſui libertatem civitati* antetulerunt, uti Tullius in Balbiana loquitur. Vide ſup. in *Commentatione de aetate Æris Heraclienſis* pag. 491. & in *Anteloq. de populis fundis* pag. 474. ſeq. Ergo pauciſſimis rebuſpub. hiſce, quamdiu ſibi in αὐτονομίᾳ ſua pertinacius placuerunt (nam ab ea poſtea libentes deſciviſſe ſatis ſcio) non dubito datum ut monetam ipſae ſibi ferirent: ceteris non puto permiſſum (nam jus cudendae monetae ſemper ſummae poteſtatis nota fuit) imo νεοπολίτας (*novos cives* Rom.) iſtos, ubicumque morarentur, monetâ patriae communis i. e. Romae fuiſſe uſos. Hoc in Italia valuit. At in provinciarum coloniis monetariae officinae permittebantur, quia moleſtum erat ſi per totum orbem Romanum moneta Romae cuſa diffundenda fuiſſet. Et tamen cum in provincialibus nummis interdum addatur, PERMISSV ſive AVG. ſive proconſulum aliorumq. rectorum percuſſos nummos (vide Vaillant. in Num. Colon. to. 1. pag. 54.) & cum in Syriacis nummis (apud eumd. Vaillant. eod. to. 1. pag. 129.) adſit nota S. C. ex his, inquam omnibus ſatis intelligitur, in provinciis ipſis permiſſu ſive principum, rectorumve, aut Senatûs ad id opus fuiſſe: imo in Italia quoque poſt legem Juliam id fieri potuiſſe, *permiſſu* tamen ſenatus: verum id non factum, quod id e re publica minime videbatur. Ac ſi mores hodiernos comparare cum vetuſtis licet, Neapoli tantum moneta cuditur toti Regno citerioris Siciliae ſuffectura: at in ulteriore Sicilia peculiaris officina monetaria neceſſario ob ſupra dictas rationes permittitur. Sub Imperatoribus paullo ante Conſtantinum ac deinceps, diſpertitae erant per totum Imperium officinae, extra quas moneta non cudebatur.

At eo redeo. Quod dixi, poſt legem Juliam ceſſatum in urbibus (praeter quam ſiquae in anteferenda ſua αὐτονομίᾳ ſibi nimium placuiſſent) a nummis feriundis fuiſſe, id nummorum, quotquot reſtant urbium Italicarum, effigies & inſcriptiones teſtantur: quarum ingenium ejuſmodi eſt, ut legis Juliae aetatem ſenio ſuo ſuperet. Quod ſiqui forte nummi recentioris fabricae viſi fuerint, eos facile urbibus ſuae libertatis ſtudioſioribus tribuemus. Nam ex harum numero fuiſſe paucas aliquot, non dubito. Puteolos certe Cicero Agr. II. cap. 31. adhuc αὐτονόμους tunc fuiſſe docet. *Puteolos vero*, inquit, *qui nunc in SVA POTESTATE ſunt, SVO IVRE LIBERTATEQ. utuntur . . .* Totum locum pag. 492. adſcripſimus. At Puteolanos nummos noſtri numiſmatum ſectatores diu fruſtra requirunt, ac dubitant utrum Goltziani veri fuerint.

FINIS.

Digitized by Google

INDICES

Ex ſequentibus Indicibus tribus, Primus *poſteriori huic tantum Parti inſervit: nam priore Parte dedimus jam ſuum initio partis primae poſt Dedicationem. Hunc ſequetur* Secundus Index *generalis rerum & verborum totius operis. Ad extremum* Tertius Index *erit Auctorum qui illuſtrantur, emendantur, aut notantur toto opere.*

INDEX PRIMVS.

Capitum, Sectionum, nec non Adnotationum diffuſiorum, quae tantum hac Parte altera continentur.

HERACLIENSIS TABVLAE ALTERIVS ARGVM. *pag.* 255.
Ejusdem interpretatio cum commentario. *p.* 257.
Adnot. 2. Τὸ (*SP. F.*) in Mamerciano, aliiſque marmoribus, quid accipere oporteat. Plutarchi locus expenditur. *p.* 258.
DISCVSSIO de jugeratione tabulae hujus. *p.* 260.
Adnot. 7. De Homerico Tityi cubili. *p.* 261.
DISCVSSIO De Heraclienſium ſchoeno, oregmate, pedibus. *p.* 267.
Adnot. 13. De Ἑκατομπέδῳ tam neutrius, quam maſc. gen. Plura in tranſitu alia. *p.* 270.
COMMENTATIO De Hecatompedo v. 42. & tum hujus, tum Heraclienſis viae, & interjacentium vinearum poſitu: deque Minervii campi adumbratione. *p.* 271.
Adnot. 17. Amplius de Αμπελωργικα loci hujus. Αμπελουργίκης vox ad praecipuam artis vinitoriae partem, nempe ad putationem κατ' ἐξοχήν a Theophraſto reſtringitur. Quid proprie in hoc ære ἁ αμπελωργικα. *p.* 271.
LEXICON HERACLEOTICVM ſeu Index vocum omnium, quae in duabus Heracleenſibus Tabulis continentur. *p.* 281.
COMMENTARIVS IN LEGVM ROMANARVM DIGESTVM in Graecae prioris Tabulae poſtica parte Latino ſermone ſcalptum.
ANTELOQVIVM.
I. Cimelii notitia, ejusdemque dignitas. *p.* 289.
II. Totius Commentarii ſeries, *p.* 290.
PARS I. Monitum De Conradiana fragmenti Britannici explicatione. *p.* 291.
CONRADIANA CAPITA QVATVORDECIM quibus Britannici fruſti leges illuſtrantur.
CAP. III. Legis Romanae fragmentum, alteri tabulae parti inciſum cum notis & conjecturis ejusdem. *p.* 292.
CAP. IV. Videri Legem haud multo poſt C. Gracchi rogationes (frumentariam & de viis muniendis) latam. *Ibid.*
CAP. V. Primum caput legis eſt de recenſu populi frumentationis cauſa agendo. Suetonio lux. A frumento publico capiendo quinam excluſi. Poena conſtituta in eum, qui horum alicui frumentum dediſſet. *Ib.*
CAP. VI. Secundum caput de cura viarum in urbe muniendarum, Aedilibus commiſſa: *L.* 2. §. 24. *D. Ne quid in loco publico fiat, & L. un. D. De via publ. & ſiquid in ea factum eſſe dicatur*, emendata verſione explicantur. *p.* 294.
CAP. VII. Aediles *ſortiri aut comparare inter ſe partes Vrbis* jubentur. Suetonius iterum illuſtratur. Cura viarum publicarum *in Vrbe propiuſve eam paſſus mille*. *L.* 2. *pr. l.* 87. & *L.* 154. *D. de V. S.* explicantur. *p.* 295.
CAP. VIII. Quatuorviri vieis in Vrbe purgandeis, a curatoribus viarum extra urbem ſingularium diverſi, ab Aug. ſublati. *p.* 296.
CAP. IX. Officium & poteſtas Aedilium in viis muniendis & modus hac lege praeſcriptus. Forma locationis redemptoribus viarum faciendae. Domini aedificiorum, qui vias non tueantur, certae pecuniae adtribuendi redemptoribus. De pecunia adtributa judicium dandum. Veſtigia hujus capitis in *L. un.* §. 3. *D. de via publica*. *p.* 297.
CAP. X. Quaeſtorum partes in cura viarum ſternendarum. *p.* 298.
CAP. XI. Semitas in viis conſtruendi ratio hac lege injuncta. *Ib.*
CAP. XII. Tertium caput fragmenti, de plauſtris intra Vrbem interdiu non ducendis. *p.* 299.
CAP. XIII. Excipiuntur quae ſacrarum aedium, & operum publicorum, item religionis vel triumphi ludorumve cauſa duci oporteret. *Ib.*
CAP. XIV. Quartum caput, de cura locorum publicorum: ne poſſideantur, neve quid in eis fiat a privatis. Sigillatim de porticibus publicis cavetur. *p.* 300.
CAP. XV. Vltimum caput, de fruendis vectigalibus publice conductis. *p.* 301.
CAP. XVI. Interdicta Praetoris: *Ne quid in loco publico vel itinere*, & *De loco pub. fruendo* cum his

Digitized by Google

his capitibus legis conferuntur. *p.* 302.
SEGMENTVM PRIVS BRITANNICVM. PARS II.
Caput I. De professione frumentationis potissimum causa. *p.* 306.
Adnot. 3. Quid plurativum *Tabulae* a singul. *Tabula* differat: tum quid Tabulae Album. Loca antiquorum plura enucleantur, aut castigantur. *p.* 309.
Adnot. 4. Amplius *de majore* (aliter *meliore*) *parte diei*, stante republica. *p.* 310.
Adnot. 6. Dativus *quei* ex eo maxime adstruitur, quod pron. *Quis* olim ad tertiam declinationem pertinuerit: quae hîc per omnes casus extenditur. *p.* 311.
EXCVRSIO De professione, deque frumentatione, quatenus hoc capite continentur, animadversiones aliquot.
CAP. I. Quorumnam civium recensus & quarumnam rerum professio hîc imperata. *p.* 312.
CAP. II. Frumentatio hîc exposita ex quanam lege frumentaria fluxerit, & ad quodnam tempus referenda videatur.
SECT. I. Leges frumentariae a Gracchana anni DCXXX. usque ad Liviam anni DCLXII. ac paullo ulterius recensentur. *p.* 314.
SECT. II. Æris nostri largitio cujus temporis fuerit, & ex qua lege profluxerit. *p.* 315.
Adnot. 16. DE BORIAE THORIAEQVE LEGIS DISCRIMINE. I. Appiani de Spurii Borii lege frumentaria locus. II. Pighius male hujus tribuni legem de Thoria accepit; quia Thoria (cujus fragmenta apud nos in uno ex Regiis Praetoriis adservantur) contraria Borii legi fuit ex Tullio & Appiano. III. Appiani locus recta interpretatione donatus: temporum putatio explicata: Γραίκχου νομοθεσία ab utriusque Gracchi tribunatu repetenda: cur plebs Romana spoliata νόμοις dicatur. IV. A Thoria anni 646. est diversa lex illa, quam Appianus Borio tribuit, quaeque ante Thoriam lata fuit, *p.* 316.
Adnot. 17. Videri M. Livium anno 662. legem sive leges Borias restituisse illas, cum quibus aes nostrum amice conjurat. *p.* 317.
Adnot. 18. M. Livii defensio. Non nisi maligne a non nullis vituperatum, ab aliis merito exornatum. Fuisse ancipiti natura, sed ita ut pulchra enîterent. *p.* 318.
CAP. III. De Porticu Minucia Frumentaria.
SECT. I. Operis auctor & tempus. *p.* 318.
Adnot. 20. Legis Minutiae ante hac obscurae sententia ex Aur. Victore, & ex Floro eruitur. Inter *Obrogare* & *Abrogare* discrimen quod traditur, id non esse rigidius accipiendum. *p.* 319.
SECT. II. Ejusdem operis finis. *Ib.*
SECT. III. Vtramque porticum ab ipso conditore M. Minucio usui frumentario fuisse destinatam, ex ejusdem familiae domestico decore frumentario demonstratur. *p.* 320.
Adnot. 24. De bove aurato Liviano lectiones variae: tum de statua L. Minucii Pliniana; quae in nummis pileata videtur. *p.* 321.
SECT. IV. Non ad frumenta condenda aut demetienda, sed potius ad tesseras distribuendas Minuciam valuisse. Ejusdem Minuciae officia. *Ib.*
Adnot. 26. Minuciae reliqua praeter Praefectum officia: puta Consularis, Procurator, Curator, Rationalis. *p.* 322.
SECT. V. De Minuciae ostiis diebusque. *Ib.*
SECT. VI. Dictorum collectio. *p.* 323.
CAP. IV. Cur professioni & frumentationi, quarum utraque urbem proprie Romam afficit, in Pandecte scitorum municipalium locus esse quiverit. *Ib.*
Caput II. De tuendis purgandisque viis, deque semitis. *p.* 327.
EXERCITATIO De termino, unde apud Romanos milliariorum mensura procederet, deque ambitu jurisdictionis magistratuum urbanorum. *p.* 328.
CAP. I. De milliario aureo, deque columna Capitolina, quae jamdiu pro milliario aureo monstrata fuit. *p.* 329.
CAP. II. De usu columnae Capitolinae: cui quominus se Aureum Milliarium mentiatur, larva detrahitur. *p.* 530.
CAP. III. Capitolinae columnae usum longe diversum ab aliis milliariis cippis fuisse; nec facile alium, quam ad illos Tabulae hujus nostrae MILLE PASSVS a continentibus aedificiis numerabiles, definiendos. Ex ultimis cippi Capitolini versibus id posse intelligi. Cippus similis alius. *Ib.*
Adnot. 34. De Vespasiani censu quaedam notatu digna. *p.* 332.
Adnot. 37. Objectionibus duabus ex Fabretto petitis obviam itur. Prima ex inscriptione Fabrettiana persimili: Altera ex situ columnae Capitolinae petitur. Lapides milliarios fuisse immobiles: at contra cippos jurisdictionem finientes ad nutum normamque procurrentium insularum promotos usque fuisse. *p.* 333.
CAP. IV. De usu Milliarii aurei. *p.* 334.
EXCVRSIO De Quaestorum origine generibusque.
I. Quaestorum genera quatuor: & quo singula tempore instituta. *p.* 341.
II. An Quaestor Vrbanus alius a Quaestore qui aerario praeerat. *p.* 343.
SCHOLION De jure Adtributionis. *p.* 345.
Caput III. De plaustris per Vrbem ducendis vel non. *p.* 352.
Adnot. 66. PLOSTRVM stante Repub. usitatius quam Plaustrum fuisse scriptum. *p.* 353.
Adnot. 74. De Ludis Romanis, sive Magnis. *p.* 357.
Adnot. 79. De Carpento, Pilento, aliisque vehicularibus vocibus cum plaustro confusis. *p.* 359.
COMMENTATIO De plaustri notione, & Lege Plostraria.
CAP. I. An Plaustri vox ad omnia vehiculorum genera pertinuerit. *p.* 359.
CAP. II. De Lege Plostraria.
SECT. I. De legis plostrariae gestatoriae, sive de legis Oppiae vicibus. *p.* 360.
Adnot. 85. Ecquis reduxerit priorem Oppiam. *p.* 362.
SECT. II. De Lege plostraria oneraria. *Ib.*
CAP. III. De genuina Plaustri notione: tum quam-

Digitized by Google

quamdiu generalis fuiſſe, quando vero primum reſtrictior evaſiſſe videatur. *p.* 363.
Adnot. 92. SCHOLION DE 'AMAΞHI ET PLAVSTRO.
SECT. I. De Ἁμάξη. Ἁμάξης etymon duplex Euſtathianum: obiter de Axe verſatili etymologia alia tertia praefertur. Hamaxa vetus τετράκυκλος inſtar ſigni celeſtis. Hamaxa Homerica γενικῆς notionis, uſibus honorificis deputata, & cum ἁπήνῃ confuſa. Hamaxae Scythicae: item bellicae. Gordii geſtatoria hamaxa. Hamaxa ſacra, qua mater Cleobis & Bitonis ad Junonis & Matres Atticae ad Eleuſinia procedebant. Hamaxae Thucydideae funebres: item dramaticae. Quid ἅμαξα Polluci fuerit. *p.* 363. Quod vetus axis ſimul cum rotis converteretur, & quomodo. Sirachides, Probus, Heſychius, Pollux illuſtrantur. *p.* 364. *col.* 1.
SECT. II. De generali Plauſtri notione apud Latinos: ejusdemque uſibus ab agreſti & onerario diverſis. Capſi onerarii eadem forma quae triumphalis. Mularis ploſtri Catoniani uſus non alius quam ad herilem familiam. Latini recentiores quoties in Plauſtri vocem honeſtiore ſignificatu acceptam in hiſtoriis incurrerunt, ei decentiora nomina ſuffecerunt: uti Cicero, Curtius, Livius, Verrius Flaccus. *p.* 366.
SECT. III. Amplius de poſterioris aetatis tum Graecanicae Hamaxae, tum Plauſtri Latini ſignificatu reſtrictiore: quove deinde pacto Plauſtri nomen inverterint. *p.* 367.
CAP. IV. APPENDIX I. Qua ex loco Plautino ſuperius dicta de Lege Oppia & Lege Ploſtraria, deque Plauſtri generali notione mirifice confirmantur: ſimul ſcopo Aululariae Plauti (Act. 3. ſc. 5.) lux eximia infertur. *p.* 369.
APPENDIX ALTERA. De Curru Magiſtratuum: item de Lege Ploſtraria amplius. Inter Plinium Gelliumque quod creditur, id mere putativum diſſidium. *Aetas veterum* Gelliana eamdem prorſus vim habet ac Plinii *Conditum, aevum*. Gallico incendio Vrbs renata, eſt Secundae Romae originis epocha, Camillus *Romulus alter*. CONDITVM AEVVM inſtar Luſtri conditi dictum. Novae Romae mores non plane iidem qui primae. In prima laxior vehiculatio: in ſecunda reſtrictior. Ad matronas vehiculatione prohibendas ſemper incubitum: in maribus minus laboratum. *p.* 370.
Adnot. 100. Quod VETERVM AETAS ſit Gallico tumultu prior: CONDITVM AEVVM cur eadem appellata: alia Plinii loca inter ſe & cum vetuſtiſſimo titulo, itemque cum Livio comparata. *p.* 372. Quo pacto Plinii de Naſica narratio cum alterius vetuſtioris Scipionis veterrimo titulo componi poſſit. *Ib.*
Caput IV. De locis publicis. *p.* 375.
Adnot. 104. De *Molis* & *Moliendi* notione. *p.* 377.
Adnot. 108. SCHOLION. De ultro-tributorum notione, deque nominis cauſa doctorum virorum ſententiae laudantur. Livius corrigitur: mutilus Varro ſolidatur & illuſtratur. *p.* 379.
PARS III. IN COMPLEMENTVM NEAPOLITANVM COMMENTARIVS.
MONITA. I. De coalitione utriuſque fragmenti: ubi & ſupplementi ratio aſſignatur. *p.* 381. II. De aetate Legis, ſive potius legum digeſti hujus. *p.* 382. III. Tabulae totius ex ære Britan. & ex Neap. ſolidatae diſtributio. *p.* 383.
Adnot. 1. Piſonis locus cum Paterculo comparatus. Theatri Cenſorii *Apparatus haſtae ſubjectus* ecquis apud Valer. Maximum ſit. Videri fuiſſe ſcaenae choragium. In SCto apud Valerium ſuppletur *Romae* vocabulum, ne non *Continentia* complectatur. In epitoma Livii τὸ *Aliquamdiu* quouſque pertineat, id ex Tacito expiſcandum: ex quo cum hac Tabula collato definitur, quamdiu ſpectatores ſteterint, quando ſedere coeperint, ac vela theatro per Q. Catulum inducta. Objectio ex v. 64. Tabulae petita diluitur. *p.* 385.
Adnot. 2. Feſti locus ſanatur & illuſtratur. *p.* 387.
DIATRIBA. De diverſis locorum a civibus Romanis circa legis Juliae tempora habitator. nominibus, conditionibus, formuliſq. regiminis.
CAP. I. Quo primum tempore ſumma locorum Civium Rom. diviſio in Colonias, Municipia, Praefecturas, Fora, Conciliabula uſurpari coepta. De Mamiliae legis aetate. *p.* 389.
Adnot. 8. Ciceronis de Mamilia locus ex altero Aggeni loco correctus & illuſtratus. *p.* 391.
CAP. II. De Municipiorum Coloniarumque notione, & utrorumque diſcrimine. *p.* 391.
CAP. III. De Praefecturis, earumque variis conditionibus.
§. I. Conditionis Praefecturarum ſpecimen ex Capua petitum. De multiplici Capuae fortuna. *p.* 392.
Adnot. 10. EXCVRSIO. De diverſis Vrbis Campanae vicibus antequam duriſſimam praefecturae conditionem ſubiret, ac donec tandem coloniae jus conſecuta, jugo levaretur. *p.* 393.
§. II. Locus Feſti de Praefecturis inquinatiſſimus ex priſca ſcriptura & ex Dione emaculatur: ſed & variis juvatur & explicatur locis. *Ib.*
§. III. Reliqua de praefecturis ante & poſt legem Juliam. *p.* 396.
Adnot. 22. Peltuinatis praefecturae tabula recitatur & explanatur. De Peltuinatibus ſive Peltuinis ex Plinio, ex Balbo, & ex altero elogio notitia. Auguſti beneficio videtur eis Curia reſtituta (ob id *AVGuſta* cognominata) & *Ordo Conſcriptorum* datus. Summus hujus praefecturae magiſtratus qui? Praefecturarum curiales videri audiviſſe conſcriptos. Altera de eâdem Nummia ejusdem praefecturae epigraphe illuſtratur. *p.* 396.
CAP. IV. De Foris & Conciliabulis. *p.* 397.
§. 1. De Foris. *p.* 398.
§. 2. De Conciliabulis. *Ib.*
§. 3. De Conciliabulis amplius: ac de eo potiſſimum, quod haec non aliud quam pagorum complurium in conſilium unum conſenſio fuerint. *p.* 399.
Caput V. Magiſtratus ſupremus ne quem in Senatum legito, neve niſi in vacuum locum ſublegito: *p.* 401.

Ad-

Digitized by Google

Adnot. 28. De supernumerariis, vacantibus, aliisque mere honorariis dignitatibus. *p.* 402.
Adnot. 29. CONJECTIO de ratione, qua post legem Plotiam Curiae sociorum civium Rom. sive constitutae sive expletae fuerint. *Ib.*
Adnot. 31. Videri in hac Tabula *Conscriptos* peculiares esse praefecturis, ac facile etiam Foris & Conciliabulis: sicuti & *Decuriones* ad Colonias, *Senatores* autem ad Municipia. *p.* 404.
Adnot. 35. De Censoribus Vrbicis. Hos Quinquennales fuisse dictos, ac supremo Magistratui ἰσαρίθμους (unde in lapidibus modo IIviri QQ. modo IIIIviri QQ. occurrunt) eosdem fuisse ceteris magistratibus honorabiliores. *p.* 405.
Adnot. 38. Πρεσβυτις. DE ALBO CVRIAE.
§. 1. Titulus 3. ex lib. 50. Pandect. *De Albo scribendo* illustratur, & cum Tabula Canusina aliisque comparatur. *p.* 406.
§. 2. Album Curiae Canusinae ex agro Canusino erutum, describitur & illustratur. *Ib.* & *p.* 555.
PRAEGVSTATIO de legis hujus nostrae auctore & nomine. *p.* 409.
Adnot. 43. De legis municipalis nomenclatura. *Ib.*
Adnot. 45. De Bithynorum Ponticorumque lege Pompeia a Magno data: & an Pompeia incippo Casinate reperta queat ad Pompeium Strabonem, confecto Sociali bello, referri. *Ib.*
Caput VI. Minores XXX. annis, nisi confectis stipendiis, aut vacatione legitima, IIviri IIIIvirive ne renuntiantor: neve praeco, dissignator, libitinarius sive ad magistratum capiendum sive ad curiam promoventor: secus qui faxint pecunia multantor. *p.* 411.
Adnot. 49. De legibus Claudia & Cornelia Siculis rebuspublicis data. *p.* 412.
Adnot. 57. De Dissignatorum vocis orthographia, notione, ministerio, variaque fortuna. *p.* 416.
Adnot. 59. Val. Maximi locus de Libitinariis ex hac Lege corrigitur & illustratur. *p.* 417.
Adnot. 60. De variis vocabuli Libitinae acceptionibus, deque Libitinariis. *p.* 418.
Adnot. 63. Census Decurionum ex Plinio. *p.* 419.
Adnot. 65. Discrimen inter Senatores, & eos quibus liceret sententiam dicere, ex Livio, Festo, A. Gellio. *Ib.*
Caput VII. Qui comitiis praeerit, ne cujus minorennis, nisi confectis stipendiis, legitimave vacatione fulti, ad magistratus capiendos rationem habeto: neve praeconem, dissignatorem libitinarium ad magistratus, aut ad curiam promoveto: secus qui faxit, pecuniam populo dare damnas esto. *p.* 421.
Caput VIII. Ne notati infamia in senatum legantur, ibive sententiam dicant. *p.* 424.
Adnot. 73. Censorini & Varronis loca de lege Plaetoria, qua de officio praetoris urbani agitur. *p.* 427.
Adnot. 78. Plaetoriae legis Laetoriaeque confusionis causam in librarios conferendam. *p.* 429.
Adnot. 79. DEPVGNARE aeque ad gladiatores atque ad bestias, sed diverse, relatum. *Ib.*
Adnot. 87. Quod qui bonam copiam jurarent, simul bonis suis creditori cederent: idque ignominiose vulgo creditum. *p.* 432.
Adnot. 103. De vetere orthographia IGNOMINIAE. *p.* 438.
Adnot. 107. Promotionum series. Primipili dignitas magis tribunis, quam centurionibus aequiparati. *p.* 439.
Adnot. 109. Vtrum hac lege non centuriones tantum, sed etiam superiores duces teneri videantur. Vlpiani locus exponitur. Quid Caliga sermone castrensi notet. *p.* 440.
Adnot. 110. Aeris hujus leges in Edicto ad principatum refinguntur. *p.* 441.
Adnot. 112. Macer cum Vlpiano conciliatus. *Ib.*
Adnot. 114. Referre inter reos. Criminum relatio: Coelius explicatur. *p.* 442.
Adnot. 116. Leges Cornelias duas a Suetonio indicari. *Ib.*
Adnot. 118. Vox Lanistae unde? De Lanistatura aliorsum translata. *p.* 443.
Adnot. 120. Obscuro Vlpiani loco lux solâ interpunctione infertur: ex quo, sicuti & ex Glossario Nomico, ostenditur, in balneis fuisse prostibula: quocum & locationis programma Pompeiis detectum mire concinit. Cur olim vita, quam hodie, brevior. *p.* 444.
Adnot. I. OFFICINAE vocabulo tam Graece quam Latine prostibulum interdum notari. *p.* 445.
Caput IX. Qui maximam potestatem habet, ne quem contra leges in Senatum legi, ibive sententiam dicere, neve magistratum creari, neve inter Senatores spectare, neve in publico convivio esse finito: si quid horum faxit pecunia multator. *p.* 446.
Caput X. Ne quis, qui legibus e curia excluditur, ibi supremum magistratum ordinis adipiscendi causa capito: neve in ludis, inve munere inter Senatores sedeto, spectatum aut convivium inito: qui secus faxit pecunia multator. *p.* 449.
Adnot. 127. Marmor Vejentanum explicatur. *p.* 450.
Adnot. I. Bisellii notio ex Graeco repetita. Δίφρος ἡγεμονικὸς est formae Bisellio simillimae. *p.* 451.
Adnot. 128. De quibusdam publicorum conviviorum generibus. *p.* 452.
Adnot. 129. De publicis epulis municipalibus: de cena recta & sportulis. *Ibid.*
Caput XI. Census, in municipiis a magistratibus actus, in Tabulas primum, & hinc in libros transcribitor: qui Romam per legatos missi, in Tabulis describuntor: Romae censi in domiciliorum locis ne censeantur. *p.* 454.
